BIBLIOTECA NAZIONALE
14
22 R
6 M
MAG 390

BEATI
SIMONIS FIDATI
DE CASSIA
ORDINIS EREMITARUM SANCTI AUGUSTINI
GESTA SALVATORIS
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI.
SEU
COMMENTARIA SUPER IV. EVANGELIA
IN XV. LIBROS IN DUOBUS TOMIS
DISTRIBUTA.
PARS ALTERA
CONTINENS SEPTEM POSTERIORES LIBROS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

OPUS

Tanta ſubtilitate, & judicii acrimonia præditum, ut dubium ſit, ordinem perſpicuum magísne, an argumenti ſublimitatem, & materiæ exquiſitam tractationem admirari conveniat.

Proinde non tantùm Divini verbi Concionatoribus, & ſacræ Scripturæ Studioſis, verùm etiam omnibus Chriſtianæ Perfectionis amantibus ad vitia extirpanda, & virtutes inſerendas utiliſſimum.

EDITIO QUINTA.

Cui in fine accedit ejuſdem Authoris Epiſtola ad Populum Florentinum, qua illum tempore inundationis ad Pœnitentiam excitat. Unà cum triplici indice, uno materiarum, Concionatorio altero, & tertio rerum.

Cum Permiſſu Superiorum.

RATISBONÆ
Typis Joannis Baptiſtæ Lang, Epiſcopalis Typographi. Anno 1734.
Sumptibus Joannis Gaſtl, Bibliopolæ Pedepontani & Socii ejuſdem.

LIBER IX.

DE
SERMONIBUS DOMINI SALVATORIS PRO VIRTUTE.

Cap. I.

De altitudine, ſufficientia, & utilitate verborum Chriſti ſecundùm Lucam ſolùm.

ERuditiva ſunt verba Domini Salvatoris, interiora ad Theologicum moventia ſenſum, & excitantia de lethali ſomno eum, qui dormit ſub umbra mundanæ calamitatis. Necnon & divertendo clamant, clamando divertunt hominem à perditione damnationis æternæ effectivè audientem. Et mundant, & purgant intellectum pariter & affectum, ut ſolùm in animo virtus fulgeat, & id ametur, quod veritas dictat. Hæc ſiquidem verba numero plura ſunt, quàm Chriſti opera manifeſta, quamvis opera ſint majora. Continent omnem plenitudinem bonitatis atque virtutis, ut his ſolis cæteris in non eſſe vergentibus plena palmaríſque fiat hominum vita, quæ agitur in valle miſeriæ, in qua juſto Dei judicio ſic projecti ſumus. Non illa vita, qua corpus cum ſpiritu ſuo alitur, quæ hominibus & aliis ſenſibilibus eſt uſquequaque communis, ſed illa vita, quæ agitur moribus, cautelíſque utitur, ne aliquod nefas incurrat per neglectam ignorantiam, aut per inhærentem malitiam. Et virtutibus ſe ſtipat & ſulcit, ut bene vivendo in id veniat, ubi beatitudo vera conſiſtit. Ad quem finem duntaxat peregrinum in mundo, peregrinum à ſuperis Deus hominem verè creavit. Hæc ſiquidem verba Chriſti ſolùm habent ſcalas inviſibiles gratiæ aſcenſionis in cœlum, & infernum claudunt propria poteſtate his, qui ea crediderunt, dilexerúntque, atque deduxerunt ad actum. Nullæ cautelæ quorumlibet cavendorum, nullorum agendorum deficit virtus. Omnis juſtæ actionis ordo datur in verbis Domini Salvatoris. Nec ſolùm perfectionem, & omnem ſufficientiam ad divinas poſſident doctrinas, ſed etiam ad quietum hujus vitæ ſtatum pacificúmque progreſſum, ut nulla hominum lex pro hac, dum agitur vita, ne turbetur, ſit ipſis valentior. Etiam ſi aboleretur ab humana mente reſpectus in ſuperiora tendendi, pro humana vita, dum vivitur, ipſa eſt omnibus aliis evidentior. Nam quidquid Moſaicum ſcriptum, quidquid hiſtoricum, quidquid morale atque propheticum in divinis voluminibus continetur, quidquid in aliis voluminibus hominum ſapientum, quidquid ſancitum à Regibus, ab Imperatoribus mundi, à ſenatoribus terræ, à provinciarum rectoribus, pro devitandis arcendíſque malis, bonis peragendis, pro conſervatione perſonarum & rerum, pro inſtitutione reipublicæ atque defenſione, pro conſervatione patriæ, pro multiplicatione humani generis, pro alendis ho-

hominibus generatis, pro alitis erudiendis exaratum ordinatúmque decretóque firmatum invenitur, Chriſti verborum comparatione vileſcit, aut omnino nubeſcit. Et Chriſti verba pro his omnibus poſſident complementum, ſupplementum irrogant, etiam, ſi cuncta perſtricta penitus abolitione paleſcerent. Ac per hoc in his, qui Salvatoris Domini verba ſpreverunt, leges humanæ ſuperſunt, quia divina Chriſti verba non opere cuſtodierunt. Nam cuſtoditio verborum Chriſti etiam in agenda humana vita, Rege non indiget, judicem non requirit, forum cauſarum refutat, nec ponendis tribunalibus locum præſtat. Indeficientem Chriſti poſſident verba virtutem, ut ipſa ſine cæteris bonos atque perfectos mores efficiant, & inter cœlicos cives inferant hominem limo factum, ad quod profecto nullis aliis unquam legitur conceſſa poteſtas, necnon & ad tranſitoriam vitam imperturbatè ducendam iſta omnibus aliis ademptis plenè ſufficiunt, alia ſine iſtis penitus non expediunt. Quæ Salvator in duodenis annis fari exorſus eſt, & velut ſubita coruſcatio ſplendens per octodenum annum docendi ſilentio recluſit. Et in omni tempore, quo Chriſtus fari dignatus eſt in eruditione humani generis, aut informavit hominum mores diſciplinis cœleſtibus, aut malè agentibus pœnas dignas factis comminatus eſt, aut juſtè agentibus præmia cœleſtia repromiſit, aut declaravit ſublimia arcana, quæ imitabilia non ſunt, quæ neque promittunt, neque comminantur. Verumtamen dum mores inſtruxit, propoſuit ſimilitudines, adjecit parabolas, & ſimpliciter locutus eſt, humana vitia redarguens, & prohibens fieri, quod naturalem ordinem juſtitiæ turpat, quod veritatis regula vetat, quod ſe objectat ad aſcenſionem in cœlum, quod admiſſum demergit in barathrum. Et virtutem altipendit in altitudine verbi ſui, quod eo altius, quo ſimplicius protulit. Qui fari orſus interrogat in Doctorum medio infra templi ambitum ſuperhumanè, non ab illis, ſed ſeipſo ſituatus, ſupergrediens aliorum ſenectutem juvenili virtute, quoniam ætas perfecta non in diebus, ſed in moribus eſt ſapientibus præeminens: nam ſapientia vera non in humanis, ſed in divinis: non in literis, ſed in ſenſu: non in ſono vocis, ſed in ſilentio ſanæ mentis: non in ſermone, ſed in virtute: non in intellectu, ſed in actione conſiſtit. Idcirco impuber antiquos ſapientes interrogat, ſicut ſcriptum eſt: *Et* Luc. 2.
factum eſt poſt triduum, invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos; non ut diſcat, ſed ut malè ſcios eorum reſponſione convincat. Quod interrogaverit emiſſo verbo per Evangelium ſcimus, de quo interrogaverit omnino non novimus. Proinde hoc diffinire authoritate ulla intermittamus, quia quid interrogaverit per Evangelia probare non poſſumus. Omnis namque vera interrogatio ad homines fit per verbum, ſed quod ab Evangelio incertum redditur, ab hominibus nulla præſumptione pro certo reddatur. Non autem vacat à magno myſterio, quod Chriſtus, priuſquam loquatur, interrogat: & quod Scriptura Evangelica, quid interrogaverit, aſſertione nulla diffiniat. Interrogat nempe, priuſquam aſſertivè loquatur, ut noverit ex confeſſione, quod ante ſine illa prænoverat, ſi animam docibilem theoricam poſſiderent ad doctrinam. Non enim divinus effundendus eſt ſermo, ubi non eſt auditus. Et Scriptura dicit: Ubi non eſt auditus, non effundas ſermonem. Eccli. 22.
Interrogavit, ut ex reſponſione rectè ſuſcepta regno Dei aptos aut ineptos dijudicet reſpondentes. Nam omnis Interrogatio reſponſionem exigit, ſive theorica, ſive de practica fuerit. Ex quo convincitur, qualis fuerit, qui reſpondet. Quod autem interrogatio Chriſti certum non habet articulum, multitudinem cauſarum, atque querelæ, quas ad homines habet, inſinuat, ad quam nihil certum, aut juſtum habet, quod audacia humana reſpondeat. Pro eo autem, quod primo loqui ratus incertum ſermonem, non tamen certam interrogationis vocem protulit, incomprehenſibilitatem indicat dicendorum necnon agendorum, quibus nunquam facta eſt aut fiet per homines æqua reſponſio. Non enim vitæ Chriſti atque doctrinæ, paſſioni aut morti ab hominibus eſt in veritate reſponſum, neque poſſibile noſcitur, etiamſi omnis ſanguis à primo homine uſque ad ultimum pro Chriſto fuiſſet aut eſſe poſſet effuſus. Necdum ad altitudinem doctrinæ ſuæ, quam incultus, non politus ſermo decorat, intellectus aſcendit humanus.

Cap. II.

Quod omnia ſunt Deo, & ſuis praceptis, & conſiliis, & operibus poſtponenda, ſuper interrogatione, ſecundùm Lucam.

Luc. 2. INterrogatus autem à Matre, quare ſic fecerat, dicente: *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Quod inſciis ipſa & patre Joſeph in templo remanſerat, verbum certum etiam interrogando reſpondit, dicens: *Quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quod in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Interrogationem quandoque ignorantia præit, ſed Chriſto non inſidet. Quæſitio verò eſt vel non habitorum, aut effugientium & perditorum. Quæſitio maternæ Virginis & Joſeph ex improviſa Chriſti fuga provenerat, quam Chriſtus aut arguendo, aut interrogando retundit, cùm reſpondit: Quid eſt, quod me quærebatis? Creditis ne me aberrantem, an quòd venerim mundum deludere, non ſalvare? Scandalum fortè in me patimini, oe fortè velut ignarus agendorum incedam? Eſtne incerta peregrinatio mea? Sumne profugus ſuper terram? Purum creditis hominem aberrare poſſibile? Deitatem negatis unitam, an humanitatem à verbo aſſumptam? Quem me eſſe creditis? Ad quid me in mundum veniſſe cogitatis, ſi aliud in me, quam ſolum hominem autumatis? Tu Virgo Mater, quæ me Filium more materno vocas, ſub qua ſpe aliquem concipere, atque parere Angelo nuntiante præſtitiſti aſſenſum? Nonne ſub ſpe concipiendi atque pariendi Filium altiſſimi Dei, non ex homine, ſed ex virtute Spiritus ſancti? Tu pater Joſeph, nonne Evangelica oracula ſuſcepiſti, atque ſæpe in ſomnis affatus civium ſupernorum, quòd id, quod ſponſa tua geſtabat in ventre, de Spiritu ſancto erat, non ex humano ſemine? Si purum hominem creditis, nec mirum, ſi quæritis, etenim errat faciliter omnis homo, niſi dirigat, & protegat Deus homo. Deus ex æterno, homo ex tempore pleno Si verò me Deum creditis humanitate veſtitum, quid doletis quærendo, quid quæritis ita dolendo? Nam Deus errare non poteſt, nec ſine ratione aliquid minimum facit. Proinde quid eſt, quòd me quærebatis? An quærebatis humanè divinum? An dolendo & quærendo credebatis pietati divinæ anteferre me velle humanam, ut propter parentum triſtitias, quæ Deus Pater jubet, omittam? Neſcitis, quod in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Duo patres in tali colloquio ſonuerunt, unde quodammodo locutio materna confunditur. Dixerat Virgo patrem, quem habebat ſocium ſponſum, non carnis cognitione maritum. Reſponderat ſe Chriſtus Patrem habere æternum, cujus volita in carne venerat perficere ſuper terram. Illa hominem, iſte Deum. Illa temporalem, iſte per omnia dixit æternum. Illa mortalem, iſte protulit immortalem. Dicit Mater JEſu ſibi: Ecce pater tuus & ego. Reſpondebat JEſus: Neſcitis, quod in his, quæ Patris mei ſunt. Non repreſſit Virginem, ut diceret, quem profers, non eſt mihi pater, ſed allegavit æternum Deum Patrem, cujus ſe Filium eſſe dicebat. Ecce duo patres diverſimodè aſtant, unus de terra, qui à multis pater creditur, & non eſt, unus de ſuperis exiſtens æternè, qui neque adhuc plenè ab omnibus creditus eſt, in cujus miniſteriis ſe Chriſtus aſſerit occupari. Ad Patrem æternum ſe refert, quia omnis filiatio eſt à Patre. Necnon & moralem relationem facit, cùm opportunè in his, quæ ſunt ab æterno præviſa, in carne ſit factus obediens. Non veretur Chriſtus dolores ex carne maternos ſive paternos, ſed Dei Patris obedientiam plus attendit. Præferendus eſt Deus propriis parentibus, quantumcunque illuſtribus vel honeſtis. Et hic Chriſtus pietatem pro pietate condemnat & reprobat. Et divinis actionibus poſtponit humanas, & divinum omnino humano præpoſuit. Humanum eſt triſtitiam non inferre parentibus, & ipſos conſolari opus eſt pietatis, & honorem ipſis impendere debitum eſt juſtitiæ, juſſióque legis. Ubi verò Deus aliud inducit, ab omnibus his abſolvit. Proinde ex hujuſcemodi Chriſti verbis decretum firmum accepimus, ut, cùm Deum velle aliquid novimus, quòd, ſi qua ſunt, cætera omittamus, neque triſtitiæ, neque lachrymæ, neque ſingultus, aut ululatus, dejectiones aut aſſumptiones quorumcunque charorum ad id agendum impediant. Nemo tam juſtum in carne parentem ut Salvator omnium habuit, quæ in nullo adverſabatur divinæ atque infallibili voluntati, quæ Virgo erat, ſancta per omnia erat. Vicerat virtute naturam. Sanctis affectibus movebatur in Chriſtum, intus & extra morum reprehenſione carebat, quam Chriſtus cum triſtitia atque dolore permiſit, tandem gladio doloris morien-

riendo affecit, ut æterni Patris volita in carne degendo, patiendo atque moriendo perficeret. Quis igitur ad facienda opera divina, quæ novit, quæ in mandans accepit, quæ ſumma & æterna veritas conſulit, charorum affectus objiciet, aut pietatem inducet humanam, cùm prænovit divinam? Nam puſſimum eſt impium pro vera pietate conſtitui. Reſpondendi formam his, qui humanè loquuntur, Chriſtus Matri Virgini reſpondendo deſcripſit. Et humana & ſecundùm carnem ſapientibus bellum objectionis oppoſuit, cùm Dei placitum omnibus agendis reſpondendo, atque cumplendo præpoſuit. Sed opportunitatem non ad Patrem aut ad ſeipſum ordinat, nihil quippe opportunitate urgente, ſed decente per ipſum factum eſt ad genus humanum, pro quo neceſſario & opportunè omnia in carne fiebant. Solicitudinem ſuam enunciat, quia nihil pro ſe aut pro Filio, ſed pro nobis omnia vult, quæ agit in Filiu Deus Pater. Verumtamen morum directiones præordinat Chriſtus, aut Deus homo, ut duntaxat illa opportuna inevitabili opportunitate dicamus, quæ Deus Pater fieri mandat, quæ facta in æternum ſubvehunt regnum, contempta verò demergunt ad loca tartarea. Nulla in agendis opportunitas major, quàm Creatori ſubjectum per omnia fieri, & ſolicitum ambulare in directionibus atque juſſionibus ejus. Nihil tam hominibus opportunum, quàm ut unusquisque pro ſe ipſo per ſeipſum curet evitare gehennam, atque cum larvali turba concludi, à qua egreſſus nullus, & mora perpetua. Nulla quippe cogitatio, nulla locutio, nullus actus tam opportunè peragitur, aut importunè omittitur, quàm quibus ſalus propria & æterna conquiritur. Quapropter ſi membra reſpiciunt, quæ tenellum ætate adhuc loquitur caput, ſed quia Deus æternum, divina requiſita per mores in intelligendis, amandis atque faciendis, penitus magis arctant, atque opportunè conſtringunt. Cætera verò humana ſeu voluntaria ſunt, humana propter vitæ neceſſitatem, voluntaria propter liberam actionem. Sed tantùm in his, quæ Dei ſunt eſt dilectionis & actionis ſancta opportunitas, in aliis verò humanè mota voluntas, quæ ſeipſam haberet, niſi adſit inexcuſata neceſſitas.

Cap. III.

De perfecta & totali juſtitia, quam Chriſtus in carne venerat impleturus, ſecundùm Matthæum tantùm.

Factus ætate perfectus, non tamen virtute, quia in hac ſemper erat, eo tempore, quo ætas ſenaria vergit, excutiens à ſe incognitionem, qua mundo celabatur, palam fieri voluit, relictis parentibus in Galilæa, ſolus, ubi Joannes baptizabat, advenit, à quo baptizari omnino poſtulat, novæ Legis Sacramenta initians, quorum in ſe baptiſmum primò ſuſcepit, ex virtutis humilitate renitente Joanne, verſa vice ſe ab eo tale baptiſma debere ſuſcipere aſſerente, ſic Chriſtus fatus eſt:
Matth. 3. *Sine modo: ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Tranſcendit loquendi uſum, & omnem intelligentiam hominis ſupergreditur, quod tota & plena juſtitia omnem juſtitiam venerat ſic impletura. Tota juſtitia Chriſtus eſt plena atque perfecta. Quid ergo reſtat implendum perfectiſſimè plenum? Sì autem reſtat implendum, omninu non plenum. An iſta præſinita & palmaris ſententia, quòd in baptiſmate omnis impleatur juſtitia? Nam ſi Chriſtus ſubjiciendo ſe aquis omnem implevit juſtitiam, ut noſtræ redemptionis debitum ſit ſolutum, & quod per juſtitiam Filii Dei in baptiſmo impletam, reconciliationem cum Patre genus humanum accepit, ad quid deſertum adhuc adiit quadragenam dierum jejunio impleturus? Cur ſe ad diaboli luctam expoſuit? Cur adjecit tantam operum verborúmque doctrinam? Cur paſſus eſt? Crucis mortem cur ſubiit? Cur ſanguinem fudit? Ad quid anima ejus deſcendit ad loca tartarea? In admirationem atque incomprehenſibilitatem quandam ſuſpenduntur hominum intellectus, cùm videatur Chriſtus aſſerere, ſic omnem implere velle juſtitiam, ſi à Joanne immergatur aquis, ſi abluatur elemento fluxibili, ſi duntaxat intingatur corpore proprio in Jordane. Sed ad propenſionem iſta verba protrahunt hominis intellectum, ut capiamus ex eis plus, quàm continetur in ſyllabis. Poſtquam Chriſtus propter nos homo factus erat, decebat, ut quia homo per opera propria vitæ agendæ præberet exemplum verborum, adderétque doctrinam. Quamobrem dicit: Sic decet nos. Non tamen dicit, oportet, ne credamus neceſſitatem aliquam Chriſto fuiſſe dominatam, ſed illam intelligamus decentiam, qua

qua Verbum caro factum pro redemptione noſtra in terris degens, matrem Eccleſiam ab ipſo noviter initiatam, tendentem in ſuperiora monſtrabat, quam ipſe juſtitiam voluit appellare, ut ipſe caput cum toto futurorum corpore ſubjiciatur elementis, intingatur aquis, ut contra injuſtitiam primorum parentum damnatæ ſuperbiæ, juſtitia humilitatis obveniat. Quia verò Deus erat, conferebat remedium, quod ſuo ineffabili atque inviſibili modo viſibilibus tradebat elementis, ut fierent Sacramenta juſtitiæ, atque virtutis pro ſuſcipientibus liberandis. Sed in hujuſcemodi abyſſum non ingredimur, juſtitiam à Chriſto impletam, & Sacramentis novæ legis inſertam, ſed illam ſacram intelligentiam ab iſto verbo ſuſcepimus, qua Chriſti membra voluntate atque moribus ſibi conformia, omnem juſtitiam ſuo modo implere tenentur. Omnis namque virtus ſub juſtitia militat. Et omne gratum æterno Regi Regum, aut amor, aut opus eſt juſtitiæ. Suadet & præcipit ipſa inevulſibilem amorem in Deum, & in ea, quæ ſunt ejus, & in illa, quæ mandavit diligi ſancto mandato. Jubet verò penitus illa opera fieri, quæ decet primos, aut ſecundarios profeſſores, prout ſe offert poſſibilitas & edicti neceſſitas. Sed omne, quod in Evangelio negativè præcipitur, aut omne quod prohibet, exceptionem non recipit corde, neque corporis actu, etiamſi mens intentata ſequeretur. Quæ verò traduntur aſſertione ſpecifica, corde nunquam, corpore interdum exceptionibus gaudent. Ac per hoc, cùm Chriſtus ſe aſſerit omnem juſtitiam per decentiam impleturum, futurum corpus ipſe compellat, nec ſe præter corpus futurum enunciat; Plurali enim numero ſe poſuit, quod in aliqua Evangelii parte ſimile genus loquendi nunquam reperimus. Sed propter corpus creandum de novo per gratiam, & membra in virtute naſcentia, cohærentia ſibi, Chriſtus tali loquendi genere fatus eſt: Sic decet nos implere omnem juſtitiam. Nec ſolùm referantur hæc ad Chriſtum, & ad ſolum Joannem, ſed ad Chriſtum & ad corpus ſibi denuo coaptandum. Quam Chriſtp in ſe implente, qui factus eſt nobis à Deo juſtitia, per quam & non aliter ſalvi fieri poteramus, ſubſequentia membra quæ ſalvanda erant, ſic omnem juſtitiam virtutis & operis impleverunt. Nulla namque virtus, aut virtutis actio defuit, aut deeſt in Eccleſia ſancta Dei, quæ in multis corde ſimiliter & corpore ſplenduit, & quæ non aliquibus in corpore, ſaltem in corde præfulſit. Nam omnibus electis Dei hoc eſt, eſſéque debet maximè proprium in animo, virtutem omnem diligere, quamvis omnem geſtu corporis non ſequatur. Et opportunè factum omnibus cupientibus captare cœleſtia, illi virtuti fieri pec amorem, cui eoaptare noluit corpore, vel nequivit. Sic enim impleta eſt omnis juſtitia in membris ſequacibus Salvatoris, quoniam in corpore verè myſtico fuit virtus actúsque virtutis. Et tam perfectè in Eccleſia omnem juſtitiam invenimus impletam, ut etiam pro devitandis vitiis, tenendáque virtute, omnia ſint tormentorum genera tolerata. Singuli verò ad ſupernam civitatem ex prædeſtinatione tendentes, ſic omnem juſtitiam impleverunt, ut mente pariter & corpore, ſi verò non corpore, ſincera mente ad omnes virtutes amore indiſſolubili atque invincibili ſint facti. Corpore ſine mente nunquam, & nuſquam fuit, aut erit omnino impleta juſtitia.

Cap. IV.

De forma vincendi adverſarium, quam in tribus tentationibus ſatanicis Chriſtus omnibus oſtendit: Et de primo verbo tentatori objecto, ſecundùm Matth. & Luc.

PEracta quadragena deſerti, tria verba tentatori tradidit in reſponſum. Primum ſiquidem ſuggerenti lapides panes fieri, virtutem divinam ad hominum ſaturitatem atque vitam non panem ſolum

Matth. 4. Luca 4. Marc. 3. Deut. 8. appoſuit, qui reſpondens dixit: *Scriptum eſt: non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Authoritate ſacræ Scripturæ utitur, non humana ratione. Idcirco ipſam malè ſuggerenti opponit primo in congreſſu, nec de novo reſponſionem fingere voluit, ne reſponſio notaretur in crimine, aut priſcæ legi aſſeverare contrarium, aut ſibi non fieri uniformis. Non in ſolo pane vivit homo, qui non ſolùm ex corpore aut ex carne compoſitus eſt, ſed ex anima, quæ alitur non corruptibilibus, non materialibus rebus, ſed corrumpi neſciis, & à materiis alienis. Panis materialis carnis ſubſtantiam fulcit, verbum Dei animam reficit. Panis nomine intelligitur omne, quo alitur corpus

pus, nomine verbi Dei omne, quo vegatur inviſibiliter inviſibilis animus. Vita panis cum omnibus ſenſibilibus eſt cõmunis, vita qua ſpiritus vivit tantùm rationabilibus adeſt. In vita panis boni & mali participant, vita verbi Dei per fidem tantùm bonis adjungitur. Si verò ad Chriſtum ſolum ſua verba referuntur, homo & Deus erat, qui duntaxat non vivebat ex pane, imo nec pane indigebat etiam in terris degens & viator exiſtens, quamvis ad inſinuationem veritatis aſſumptæ carnis, non ad neceſſitatem, ut homo comederit. Diſtinxit porro JEſus utriusque hominis vitam, & quod una præter aliam, non altera præter reliquam toti compoſito poteſt præſtare alimenta vivendi, & quod vita gratiæ ſuperfertur vitæ naturæ. Proinde dixit ſolerti verbo: Non in ſolo pane vivit homo, non caro, quia caro præter animam, & præter carnem anima non eſt homo, quamvis in Scriptura totum apertè dicatur. Vita igitur humanæ carnis eſt anima. Illa verò, quæ ore ſumuntur ſunt alimenta, & non vita. Vita ſiquidem animæ non eſt caro, neque aliud corporale alimentum, ſed ſic facta eſt, ut etiam extra corpora poſita non careat vita, non ex natura, qua creata eſt, ſed ex eo, quod ſic creata eſt, videlicet ut Deus ſic faciat illam vivere in corpore, privatámque corpore. Et prout, quod corpus facit vivere, omne corpus præcellit, ita, quod animæ jugem infundit vitam, omne ſpirituale præcedit. Corruptibile corpus hominis ex corruptibili alimento fovetur, incorruptibilis ſpiritus incorruptibili vita vivit. Corporale alimentum præſtare animæ vitam nequit. Vita qua verè anima vivit, poteſt & corpus ſine alimentis corporalibus ſuſtentare, ut valentius ſit omne illud, quod in nobis agitur per gratiam, quàm omne, quod agitur per naturam. Et multa de hac re exempla nobis tradit antiqua memoria, quod præter omnem naturæ potentiam, atque etiam uſum multos invenimus anima exiſtente in corpore ſine alimento corporis, anima & corpore incolumes permanſiſſe, ut Moyſen & Eliam quadraginta diebus & multos poſt Chriſtum ad ſimilem perveniſſe menſuram. Et vera quædam paulò ante geſta nunc referam: Juvenis quidam ſedecim annorum repertus eſt, qui hanc gratiam à Domino meruit, ut ſumpto tantùm omni die dominico Chriſti corpore, reliquum totius vitæ tempus ſine corporali alimento tranſigeret. Et ne diabolica crederetur illuſio, ad omnem virtutis experientiam adauctus eſt, & repertum eſt Chriſti gratia, quod corpus illius omni pulſa deceptione, ſine corporali alimento vita communi, qua vivunt edentes & bibentes, innocua exiſtente natura poſſet ſubſiſtere. Unde protinus tota vita hominis non eſt panis, ſed gratia inviſibilis verbi Dei. In rememoratione beneficiorum Dei, quam Moyſes fecerat Iſraëli trans Jordanem in ſolitudine tempeſta hujus ſententiæ figura & ſimilitudo præceſſit. Dicebat enim de Deo Moyſes populo: Afflixit te penuria cibi, cibum dedit manna, quod ignorabas tu & patres tui, ut oſtenderetur tibi, quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. *Deut. 8.* Affligebat nempe Deus populum, quem eduxerat de Ægypto, penuria corporali, eorum ſcilicet, quæ artis humanæ peritia in uſum hominum ſunt, atque illarum rerum eſibilium, quæ ſponte naſcuntur. Sed nec ipſum populum expugnari permittebat inedia, quin ei plueret manna de cœlo, inſolitum atque incognitum à mundi origine cibum. Cujus penuriæ atque ſupernæ conceſſionis cauſa ſubrogata eſt, cùm Moyſes populo ſuo dixit, ut oſtenderet tibi, quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod egreditur ab ore Dei. Volebat enim Deus populum illum rudem inſtruere, quod non in ſolo pane vita hominis eſt. Et quoniam omnia in figura contingebant, altius penſanda ſunt verba. Duas quippe oportet præintelligere vitas, unam agendam, alteram expectandam. Bipartitur etiam agenda in illam, quæ divinis ſpeculationibus tantummodo ſervit, & in illam, quæ in manifeſtis atque corporalibus actionibus ſatagit. Illa vita vivit inviſibiliter omnis anima Deo dicata, quæ tantùm divinis verbis paſcitur, & educatur ſuper menſam cœleſtium ſecretorum, inviſibiliúmque virtutum, & ſemper meditatur Verbum increatum, quod æternè à Patre proceſſit, & reflectitur, & recogitat Verbum incarnatum, quod ab eodem Patre æterno procedens, carnem, vitámque in plenitudine temporis induit, & ſedulò, & jugiter in ſeipſa contuendo reſolvit, quod fecit vivens, quod implevit moriens, quod reſurgeas pro nobis feciſſe oſtendit, quas manſiones in cœlum aſcendens verè credentibus præparavit. Iſtud eſt Verbum abſconditum, quo in abſconſo nunc homo interior alitur, & fovetur, & ex quo ad vitam immortalem, ubi ſemper vivitur, pervenitur. Non eſt vera vita, quæ delectationibus caret internis. Vivunt etenim beſtiæ ſenſu corporeo & corporalibus alimentis, ſed ratione privata interna & ſupernaturalia bona non norunt. In qua ſimilitudine vivunt omnes divinorum bonorum delectatione carentes. Unde

de

de vita delectabilis non eſt in pane, ſed in verbo Dei, quod non percipit aut ſentit corporeus ſenſus, ſed inviſibilis & interior Spiritus. Eſt autem Verbum Dei non ſolum illa perſona terna exiſtens ab æterno in unitate divinæ ſubſtantiæ, ſeu quæ ad nos proceſſit in tempore, ſed omne, quod animam rationalem inſtruit, dirigit, jure delectat, à viſibilium delectatione ſuſpendit, quod tantùm redditur amicis, tuetur à ſatana, & in ſuperna defigit. Sed Verbum Dei paſcens internè rationem ſeu rationabilem hominis mentem, etiam dirigit in exterioribus actionibus corpus, & quodammodo activam contemplativa præcedit vita, quamvis in perfectione poſterior ſit. Non enim eſſe poſſet activa juſta, & ordinata, niſi præcognoſceretur dirigens verbum, quod mente conſpicitur antequam actio peragatur. Quæ tamen actio juſta vita eſt rationalis animæ, prout delectatio animæ naſcitur, cùm divina juſſa implentur. Et mandata Dei vita æterna ſunt, quia in illam agentem impigrè introducunt, in qua vivendum, non tamen intromittit cibus, qui vitam corporalem hominis fulcit.

Cap. V.

De verbo ſecundo Chriſti tentatori objecto, ſecundùm Matthæum & Lucam.

Secundum verbum, quod Salvator dixit improbo tentatori, cùm detuliſſet eum ſupra templum, fuit: *Scriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Math. 4. Lucæ 4. Deut. 6.

Magna datur nobis ab inſidiis, & fallaciis diaboli evadendi forma, cùm Chriſtus malè ſolicitatus ab eo, ſacræ Scripturæ teſtimonium ſibi oppoſuit. Cui, ſi diligens intelligentia præſtaretur, nihil doli habeot etiam acutiſſimi dæmones, quod Scripturæ veritas non refellat, nec tam alta deceptionis argumenta ſeu numeroſa ad ſubvertendum animas poſſent adinvenire maligni, quod ad effugiendum majora, ſeu plura non conceſſerit bonitas Spiritus Sancti. Habet Scriptura ſacra, quid deceptionibus fidei opponat, habet, unde reprimat ſpei altiſſimæ ſubverſores, habet, quod objiciat æmulis charitatis, habet, unde omnium virtutum inſidias noſcat, habet, unde detegat pedicas peccatorum, habet, unde ſciat, ubi ſit ſatanica ſedes, habet, unde reſiſtat dæmonum feritati, habet, unde leonis rugitum audiat, habet, unde caveat ipſius caudam draconis, habet, unde devitet ipſius blandimenta ſerpentis. Ejus luminaribus ductus ſemetipſum agnovit, vitiorum perpendit introitum, egreſſúmque virtutum. Et virtutem, cùm ingreditur aut regreditur novit, & vitium conſpicit, cùm aufugit. Docet ipſa cum hominibus converſari, interdum ſecedere. Et menſuram atque modeſtiam omnium rerum docet. Fruſtra ſibi de quacunque alia facultate blanditur, ſi non novit ipſe divinam. Et incaſſum capitur lucta contra inviſibiles poteſtates, & fragilitates proprias inhærentes, niſi ex his, quæ ſacra Scriptura determinat. Et ſuperba mente attollitur, qui ſi novit illam, dedignatur inducere, ſi verò non novit, nolit ad illam in menſura ſuæ capacitatis intendere. Proinde tota mente curramus in illam, & obſervemus ad lucidiſſimas portas ejus, & pulſemus ingredi in atria ſancta ejus. Ecce Salvator omnium Chriſtus potens diabolum ſola voluntate, aut uno verbo conterere, ſed nec fecit, uſus eſt autem ad ſuam calliditatem reprimendam teſtimonio Scripturarum, ſcriptum eſt dicens: Non tentabis Dominum Deum tuum. Jure certandum eſt, non potentia, ſeu tergiverſatione fugaci, & ratione, non clamoribus eſt vincendum. Opponit Scripturam Chriſtus ſuggeſtioni ſatanicæ, qui ſibi perſuadebat ruinam, quamvia, quod diabolus dicebat, ſine ſua læſione potuiſſet Chriſtus efficere. Sed quia tentabatur ut homo, per Scripturam ſacram dedit reſponſa tentanti, excuſans ſe, quia nec Deum ſuum debebat ipſe tentare. Tentatur ſæpe Deus damno tentantium, cùm data virtus non exit in opus, ſed expectatur Deus, ut agenda perficiat. Omnis tentator probare credit, quod tentat, & per experientiam in cognitionem venire tentati. Cur ergo intantum præſumit humana audacia, ut velit tentare omnipotentem Deum? Probavimusne omnipotentiam ejus? Sanè mundo innotuit, cùm omnia creavit ex nihilo, cùm in eſſe produxit ſubſtantias ſeparatas, cùm magna & cœleſtia corpora condidit, cùm incorruptibilem lucem & incontaminabilem fecit, cùm mari terminum dedit, cùm cæte-

grandia intromiſit, cùm terram implevit varietate viventium, cùm cuncta tam nobilibus differentiis præſignivit, cùm animam univit ad corpus. Quis enim enarrabit per opera omnipotentiam creatoris? Quid ergo tentatur omnipotentia ejus, cùm omnia, quæ velit, poſſit efficere, cùm nihil velit, quod plene non poſſit, nihil poſſit, quod non velit? Si verò ideo tentabimus, ut ejus ſapientiæ velimus aliam experientiam, quam dederit, invenire, cornibus vanitatis & ſuperbiæ ventilamur, nam ipſa creaturæ diverſitas ſatis clamat, quòd ejus ſapientiæ adeſt infinitas. Et ſi quiſpiam ad ſeipſum ingreſſus diſcuteret, reſiliret à tentatione ſapientiæ ſummi Dei, quoniam ipſa connexio animæ & corporis, & inſita potentia utriusque Dei ſapientiæ arguit infinitatem, cùm nemo in hoc mundo degens reperiatur, qui ſemetipſum apprimè deprehenderit, propter admirabilem amorem Spiritus creati ad creatum corpus, & propter animæ trinam virtutem, qua ſuper omnia creata præterquam ſuper angelos præeminet, & propter vim ſenſualium inſtrumentorum, qua comprehenduntur objectæ forinſecus qualitátes. Cæterorum verò diverſorum adinvicem miris modis facta connexio divinam ſapientiam infinitam eſſe proclamat. Et ordinatus & infallibilis ſupercœleſtium proceſſus corporum, totiúsque naturæ modulatio & diaphana & ſucceſſio atque progreſſus univerſi pulchritudo, quam particularis turpitudo non turpat, ſtudioſa & jugis gubernatio univerſi divinæ ſapientiæ infinitatem ſingulatim & in concentu ſuo modo fatetur. Quo igitur modo tentabimus & probemus infinitam ſapientiam Dei? An erant iſtis potiora futura, quæ facta non fuerint, ut in ejus novitiam experientiam veniamus? Sed ſi querimus etiam his majora fidei proceſſibus invenimus, quod ſpiritus increatus ad ſpiritum & corpus creatum ineffabili modo atque inſeparabili ſit unitus. Pelagus nempe ſubverſionis navigat, qui Deum in ſua ſapientia tentat. Sed fortè an bonus in ſeipſo ſeu ad nos bonitate feratur tentare placebit. Merito dixerim, quod hoc denuo tentaturum ſive tentantem, niſi digne pœniteat, æterna flamma cremabit, cùm omnia inviſibilia & viſibilia, ſupercœleſtia & cœleſtia & ſubcœleſtia Dei bonitatem ſempiternè atque ab æterno manentem, ſuis vocibus clament. Et quod ad nos inretrotracta bonitate refertur omnium rerum collatio, uſus rationis & corporis amplè ſuſceptus, & ipſa Verbi æterni pro nobis facta incarnatio proteſtantur. Sed nec ludibrioſè tentandus eſt Deus, aut jactare ſe in pericula licet, ut per hujuscemodi ſcire velimus, ſi curam ſedulam noſtri gerit. Nihil namque Deus fruſtra hominibus contulit, ut inexpertè marceſcat, ſed ſi qua nobis à Deo donata & accepta noverimus, prout in nobis eſt & ordo agendorum expoſtulat, proferamus ad actum. Semper Deum tentare convincitur, qui, quod habet, remittit, & in agendis tentat intendere, quod nondum perfecto ſuſcepit. Tentat Deum, qui habet humanè quid faciat, divina conquirens. Tentat prorſus inter hominis degeos, ab ipſis valens in expediendis fulcimenta ſuſcipere, ſi quærit angelica. Nunquam debent ad quippiam peragendum adeſſe divina, ſi humana ſufficiunt, nunquam angeli, ubi ſanè ſufficiunt homines, neque ſuperna, ubi inferiora ſunt præſto. Defectui enim duntaxat eorum, quæ à nobis ſunt, iſta ſubveniunt. Jure igitur Chriſtus ruinam ſuggerenti per ſcripturam reſponderat, Dominum in ruina hujuscemodi non tentare, cùm climax adſcenſionis in locum & deſcenſionis adeſſet. Tentat planè Deum, qui, quod eſt tantum naturæ officium, per artem, & quod ſolum eſt artis, quærit efficere per naturam, & quod eſt harum, per ſupernaturalia ſive per miracula petit. Tentat Deum, qui de ſeipſo duce curioſitate præſumit & expetit, aut credit ab eo fieri, quorum effectus nullus eſt fructus. Non Deus eſt tentandus, qui nulli & in nullo deficere poteſt, aut neſcit, niſi ſibi homo deficiat. Ad quid probandus eſt? Ut quid de ipſo novam experientiam quærimus? Meritò ergo dicebat Apoſtolus: Tentatio vos non apprehendat, niſi humana. (1. Cor. 10) Semper enim in periculum vergit divina tentatio. Probet & tentet ſemetipſum homo, & hominem homo, ſed non, ut trahat ad vitia. Deum verò tentare nullo modo præcogitet, nam per os David de populo Iſraelitico Dominus omnipotens conquerebatur, & præmonebat poſteros, ne incurrerent peccata priorum, dicens: (Pſalm. 49) Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in irritatione, ſeu acerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto, ubi tentaverunt me patres veſtri, probaverunt, & viderunt opera mea. Conqueritur Deus, quòd à patribus antiquis tentatus fuerat in deſerto ſcilicet utrum poſſet, quæ ipſe populus volebat efficere, & tentantes probaverunt, probantes viderunt magnalia

facta

Pſalm.77 facta ſua. Et alia Scriptura Pſalmorum dicens: Et tentaverunt Deum in cordibus ſuis, ut peterent eſcas animabus ſuis. Et dixerunt: Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo? Et ſtatim ſequitur, quia opera ejus miro modo viderunt. Et mandavit nubibus deſuper, & januas cœli aperuit. Et pluit illis manna ad mandocandum, & panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo, cibaria miſit eis in abundantia. Et pluit illis ſicut pulverem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata. Abhorrebat Deus ab hominibus quoquo modo tentari, quoniam ipſe illi populo multa mira præmiſerat, & fecerat magnalia non quæſitus, in Ægypto per plagas, & in mari rubro ſubmergendo inſequentem populum Pharaonis, in ſubvertendo currus & rotas, in columna nubis & ignis, & in multis ſignis, & prodigiis, quæ fecerat in deſerto; infidelitatem illius populi arguebat crebra vel una tentatio, cùm ipſe prævenirer opportunis ſubſidiis, atque remediis, eorum precibus non præventus. Porro deteſtanda infidelitas eſt, quæ velut amicum novum tentare præſumit Deum æternum. Quanti autem Deum tentare novimus eſſe periculi, Scriptura ſubſequens manifeſtat, cùm exaudiens tentationem effundit indignationem: Adhuc eſcæ eorum erant
Pſalm. 55 in ore ipſorum, & ira Dei deſcendit ſuper eos. Et occidit pingues eorum, & electos Iſrael impedivit. Necnon & omnem illam multitudinem de Ægypto egreſſam, in deſerto morte proſtravit, ut nullus terram promiſſionis adiſſet præter Joſue & Caleph, qui nullo pacto Dominum in aliquo tentaverunt. Et mirum, quòd ducem tanti populi ſcilicet Moyſen in deſerto peremit, quia jam in parte diffiſus prior Dominum ipſe tentavit, ſimiliter & Aaron, qui Sacerdotio in illo populo primo fungens etiam interemptus eſt. Duo enim vitia populum illum ſequeſtratum ab Ægyptiis in illa vaſta ſolitudine ſemper vexabant, quæ in tantùm pejora, quo rectè atque immediatè ferebantur in Deum, murmuratio ſcilicet & tentatio, quæ verſa vice ſe generant. Nam, cùm murmuratio ſit ex non habitis aut ex habitis cruciatibus moleſtorum, tentationem generat ad experiendum, utrum habere poſſit, quod placet, aut removere, quod diſplicet. Tentatio, cùm non exauditur, ad murmurandum ipſa regreditur, nec eſt finis aut concordia in maledictione iſtarum. Ex his quæ mala ſequantur Apoſtolus non tacuit, cautelam cæteris præferens. Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt, & à ſerpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore. Ecce vindicta omnia juſtiſſimè ulciſcentis, quod tentantes Deum ſubjacuerunt ſerpentibus, murmurantes verò angelo ferienti, ut eo turpius credatur eſſe commiſſum, quod turpioribus ſubjicitur ad vindictam. 1.Cor.10

Cap. VI.

De tertio verbo tentatori objecto, ſecundùm Matheum & Lucam.

Math. 4. Marci 3. Lucæ 4. Deut. 9. TErtium autem verbum contra idololatriam ipſi diabolo improbè ſuggerenti reſpondit: *Scriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Ecce humilitas Domini Salvatoris, ecce juſta concertatio redemptoris, qui ſe ſacra Scriptura tuetur, & ipſam velut lucem in reſponſionibus anteponit. Et ne videatur propter novitatem vitæ atque doctrinæ diſſonare à præcedentibus primis, ſcripturam veterem inducit proſequentibus cæteris, ut ille idem eſſe credatur, qui per Evangelium loquitur, & qui in Moyſe locutus fuerat & prophetis. Ter in hac concertatione Evangelium refert Chriſtum dixiſſe, ſcriptum eſt, tanquam quicquid ſit in divina ſcriptura, ſit à trinitate diſſertum. Sed nec ſacra Scriptura tantùm ordinatur in characteribus & ſuleationibus literarum, ut inde ſit Scripturæ authoritas, quòd ſit ſcriptura in pagellis; ſed ex eo, quòd exarata eſt in lumine veritatis. Et nihil ſcriptum exaratúmque literis in ſacris voluminibus invenitur, quod à divina potentia, & ſapientia non fuerit ab æterno prævifum, ex temporéque firmatum. Proinde ſcriptum eſt, cùm de divina Scriptura dicitur, non eſt ad chartas ſive membranas, ſeu ad elementa Scripturæ in quocunque fuerint impreſſa calamis ſive ſtylo referendum,

ſed ad id, quod ſic fuit ab æterno præviſum atque firmatum prout in tempore præfinito extitit ſcriptum. Neque fas eſt credere, quòd tempus ſine ars ſcribendi divinis edictis atque ſententiis authoritatem aut robur contulerit, ſed Deus æternus, qui æternè prævidit, in tempore revelavit, atque per hoc divina edicta, & conſilia, & quælibet theoriæ non ideo vera ſunt, nec ſuam authoritatem inde ſortiuntur quia ſcripta ſunt, ſed quia vera ſunt & irrefragabilia, ideo ſcripta fuerunt, quoniam ſunt ab æterno firmatæ ſive præviſæ, in tempore verò prout ſucceſſit ordo ætatis impoſitus revelatæ. Et in hoc conſiſtit ſacrarum palmaris authoritas ſcripturarum, Quamobrem Salvator tentatus ut homo, in argumentum ſuæ defenſionis Scripturam ſacram aſſumit, qui omnimodo potuiſſet aliter reiicere tentationem. Sed noverat, quòd ſecum diabolus tanquam cum homine decertabat, quamvis de ipſo ſupra omnes homines multa ſuſpicaretur, ideo maliniæ ſuæ, ſcripturæ ſapientiam atque ſententiam oppoſuit. Cui diabolus amplius non obiecit, nec nitebatur illam divertere, aut quomodolibet impugnare, nec tergiverſabatur ab illa, quam bene noverat eſſe Divinam atque æternam, quamvis Moyſi tempore revelatam. Magna profectò eſt Scriptuæ ſacræ authoritas, cui dæmones reverentiam exhibent, impugnare non audent, quæ mentes & rationes omnium ſuo imperio ſolvit, & ligat, prout ſibi aſſentiunt, ſive ab eo propria directione diſſentiunt. Quam vim in ſe contineat dæmoni obiecta ſcriptura, perſpicax hominum intellectus advertat. Adorationem impudens diabolus exigebat à Chriſto, tanquam ab homine, quem eſſe Dei Filium ignorabat, & actionem ſoli Deo exhibendam, atque ſibi æterno jure reddendam, in ſui cauſam convertere ſatagebat. Hæc enim ab initio malitia ejus eſt, prout ab initio diabolus peccat. Cui Chriſtus æternam Veritatem in tempore oſtenſam, & hominum inſertam memoriis obicem fecit, dicens: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Quod æterno jure competit creatori, temporali ratione alicui creaturæ convenire non poteſt, & quòd ſolùm eſt de Jure Divino, de Angelico vel humano, aut de quapiam creatura fieri nunquam poteſt Porro adoratio, quam damnatus diabolus Chriſtum exhibere ſibi monebat, Deo æterno jure competebat æterno, & Divini Spiritus, non Angelici aut humanitatis eſt juris. Et velut Divinum Numen à Chriſto homine ſibi exhiberi quod Divini Numinis eſt, diabolus hortabatur. Nec non illam ſervitutem ſoli Deo debitam, quæ latria dicitur, raptor ſaltem voluntate Divinorum exquirebat à Chriſto. Unde Chriſtus dixit: Et ipſi ſoli ſervies. In hoc ſiquidem adoratio, & ſervitus differre videntur, quod adoratio ſit in credulitate, ſervitus in actione. Adoratio in intentione, ſervitus in opere Nec quiſquam me mordeat, ſi comunes non ſequar in hac parte Doctores, ſi Latinam duntaxat vereor linguam, in quam noſtri prodeceſſores Evangelium tranſtulere, ſequens adorationis elogium prætermittens omnino Græcum ſive Hebræum. Angit enim me non, quòd Chriſtus diabolo denegavit, ſed quod ſoli Deo convenire reſpondit. Nec me movet, quod Chriſtus dixerit ante, quia ſcriptum eſt, ſed quia ſic palmariter conſtat, propter quod ſcriptum eſt. Parat autem mihi proinde materiam diſſerendi, quoniam Hebræa lingua ſive ſcriptura ſimiliter & Græca Latinæ, non tamen vice verſa in divinis ſermonibus ſervierunt. Nam omnia eloquia Dei ante Chriſti adventū per ſcriptiones Hebraicas & Hebraicè primò innotuerunt. Evangelium autem per Mathæum in Hebræo, per tres reliquos Evangeliſtas in Græco in radiis ſuæ veritatis intulit. Deinde per idoneos interpretes in linguam Latinam illuxit. Proinde proſequar, quod lingua Latina tenet, non diſcrepans ab ea, unde tranſlatum eſt. Et pleriq; minus debito linguam Latinam honorant, cui ferè omnes vim vocabulorum infundunt, prout hauriunt à puteis Hebræis, aut bibunt ex fontibus Græcis, ut nec velint, aut neſciant multa vocabula divinarū ſcripturarū ſecundùm Latinā linguam diſſerere plenè, niſi ad interpretationis originem revertantur. Adoratio acceſſus eſt rationis ſive orationis. Harum quidem acceſſus habent fines proprios conſtitutos, ut ratio, ne fallatur, oratio, ut quietetur, accedat. Harum profectò unum in veritate infallibili, alterum in beatitudine interminabili reperitur. Hæc penitus, quàm in Deo inveniri non poſſunt, à neminéque conferri. Servitus verò pro his dignè præterquam Deo alicui non debetur, & in caſſum tenderet, ſi exhiberetur, etenim neque ſequeretur adeptio. Proinde Salvator omnium Chriſtus, cum diabolo dimicans æterna jura producit, poſteros monefaciens, ne quantalibet ſubreptione fallantur, ne quempiam adorent præter unum verum & ſolum omnium Deum. Nam duntaxat de ipſo per Pſalmiſtam dicitur: Accedite ad Pſalm. 33.
eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Quem igitur adibit ratio pro lumine veritatis, niſi ad Deum, qui veritas tota conſiſtit? Ad quem pulſabit oratio pro fine beatitudinis, niſi ad eum, qui

in

in ſeipſo beatus eſt, & beatificat quos prædeſtinavit? Nam ipſe eſt & non alius, qui ſalvare in perpetuum poteſt. Et cui pro bonis hujuſcemodi ſervietur, niſi ei, qui valet iſta conferre? Igitur Chriſtus diabolum jure convincit, ſoli Deo tribuens adorationem & humilem ſervitutem. Excluſit in iſta ſententia Dominus noſter JEſus Chriſtus omnem idololatriam cujuſcunque creaturæ, ſoli Deo veram adorationem tribuens & juſtitiam ſervitutis. Multi tamen honores participatione Dei creaturis etiam impeccabiliter exhibentur, quibus, niſi participatione Dei, & ad ipſum facta relatione, crimen eſſet, ſi exhiberentur. Nec legentem commoveat, quod in veteri teſtamento reperimus actum adorationis à multis exhibitum, à multiſque receptum, ſicut Jacob, qui Eſau fratrem ſuum pronus ſepties adoravit. Et multa ſimilia invenimus. Sed magia irrefragabilem teneamus Salvatoris ſententiam, quæ diſcernit ſolum & unum Deum eſſe adorandum. Ille ſiquidem veteris teſtamenti adorationes aut figuræ fuerunt, aut Deus eſt adoratus in illis, ſive quædam humanæ reverentiæ ſeu ipſarum exhibitiones extiterunt.

Cap. VII.

De invitatione ad pœnitentiam & ad credulitatem Evangelii, ſecundùm Matthæum & Marcum.

EGreſſus à deſerto Salvator, regreſſuſque in Galilæam, prædicanſque Evangelium æterni regni prædicationem à pœnitentia exorſus eſt, dicens ſecundùm
Matth. 4. Matthæum: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Secundùm
Marci 1. Marcum verò plus additur: *Quoniam impletum eſt tempus & appropinquavit Regnum Dei, pœnitemini & recedite à malo.* Expleta igitur Chriſti victoria in deſerto, eo ſpiritu, quo acceſſerat venit in Galilæam, & in ejus prædicans Synagogis à pœnitentia exorſus eſt. Prima enim veritas eſt pœnitentia in his, qui peccaverunt, & ad regnum cœlorum prior motus & gradus aſcenſionis ſurſum fieri volentem initians. Niſi quis à peccato ſuo pœnitendo averſus fuerit, non initiat itinera Regni Dei. Eſt autem pœnitentia pungens conſcientiæ ſtimulus, & dolor inſatiabilis in conſideratione patratorum ſcelerum. Pœnitentia eſt diſplicentia diſplicentiæ Dei, quam quouſque quis non poſſederit, Deo placere non poterit. Pœnitentia eſt, quæ animam in pœnarum voraginem conſiderando immerſit, unde velut de ſummo evigilavit ad oppoſita peccatorum. Pœnitentia eſt, qua pene, tenetur anima, ne labatur, teneret autem validius efficax virtutis amor. Nam cùm pœnitentia tantùm initiet peccatorem & volentem ad honeſta reverti, non tamen in divinis theoriis quicquam perfectum habet. Porro, quia in doloribus volvitur, dolor verò ſicut & timor non eſt in charitate perfecta, ſed uterque ab ipſa propellitur, pœnitentia verò de virtutibus altiſſimis gaudet, ſed de peccatis infimis dolet. Eximit pœnitentia hominem peccatorem à malorum gurgitibus, cùm autem, velut pædagogia illum ducit in ſcholas virtutum, ubi audiuntur protologiæ divinarum rerum. Diſplicentia plagarum & quorumlibet morborum non eſt ſanitas eorum, aliter cataplaſmari expedit, ut ſanentur, ſic nec pœnitentia duntaxat ſanat, alia inductio exigitur ſuper vulnera peccatorum. Qui plagatum ducit ad medicum, non intulit ſanitatem, ſed præſentavit, peritus verò hujuſcemodi artis novitatem & antiquitatem plagarum aſpexit, profundè conſiderans, quàm faciliter medicabiles ſunt. Deinde produxit inſtrumenta, & deciſiones fecit & viſiones ſecundùm exigentiam morbi, & circumligavit, & fovit, & ductor plagati aſtabat, & ad præceptum medici angebat, ſi reluctabatur, infirmum. Iſta typus ſunt pœnitentiæ, quæ ducit inviſibiliter vulneratum in locum medicationis, & detinet, & angit, quouſque ſanetur, ſanare verò ipſa nō novit. Non autē intelligamus in iſtis eloquiis illam pœnitentiam, cujus partes novi Theologi trifariam diviſere, ſed illam, qua peccator punctus eſt ex ipſa diſplicentia mali & confixus pœna doloris, quia ſeparatus à Deo, niſi reſipiſcat, eſt cum dæmonibus æterna morte damnandus. Iſta ſiquidem ad illam trifariam diviſam ducit, imò illarum trium iſta principalior noſcitur pars, ut homo conſtrictus mole peccatorum ſuorum, quæ improbè contra Deum ſuo damno commiſit, confiteatur in toto corde ſuo, & quantum fas eſt, & pro poſſe pro tanto emendet errata. Sed quantum eſt poſſe, tantundem omnino eſt fas, non autem ſemper atque continuo quantum fas, tantùm fieri poſſe contingit. Veruntamen ut habilior capiatur notitia eorum, quæ Chriſtus dixit, contexatur ordo verborum. Quoniam impletum tempus ſcilicet pro-

phetizatum, & plenitudo temporis venit, quo filius Dei miſſus erat prædicaturus in terris. Erat impletum tempus ab æterno prævifum, in quo prædicandum erat regnum cœlorum & conſtituendum in terra, ut eſt Eccleſia, & promittendum in ſuperis ut vita æterna. Impletum eſt tempus, in quo erant omnia in Chriſto reſtauranda, ſecundùm quod ait Apoſtolus de Dei ad nos ſuperlato amore loquens, ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitum ejus, quod propoſuit in eo ſecundùm diſpenſationem plenitudinis temporum reſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt in ipſo. Non autem erat impletio temporis ex parte creatoris, ſed ex parte creaturæ per ipſum in carne redimendæ. Proinde poſtquam impletum eſt tempus, ad actum oportet devenire futura in tempore. Et primum quod jubebat, eſt pœnitentiam agere. Actio nempe juſtæ pœnitentiæ, ad quam rationalem mundum Salvator invitat, non ad exteriorem hominem, ſed ad interiorem ex toto refertur. Si qua verò exterius fiunt ſuaſione ipſius, non pœnitentia, ſed ſigna ſunt ejus. Corrupto modo loquendi exteriores afflictiones & ceremonias ſubacti ſpiritui corporis pœnitentiam nominamus. Illa duntaxat in mente reſidet hominis, in peccatorum ſuorum diſplicentiam venit. Ac per hoc Chriſtus in deſerto, aut in tota vita ſua pœnitentiam nullam fecit, carebat enim omnino peccato, ſuper quo pœnitentia cadat. Neque Virgo Maria & Joannes Baptiſta pœnitentiam egerunt, peccatum penitus non habentes, quamvis à Chriſto diſpariter. Egerunt autem ab extra, quod erat corporis ſpiritui ſubjugati, quod & Salvator alio loco claro ſermone diſſeruit:
Rom. 1. Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Manaſſes etiam, cùm captus eſſet ductus in Babyloniam, & poſitus ſub æneo vaſe deſuper jacto igne cujus flammis ingredientibus per plura in inferioribus ad ipſius tormentum facta foramina, oravit ad Dominum Deum, quem ultra omnes Reges Iſraël contempſerat, dicens: Et tu Deus juſtorum non poſuiſti pœnitentiam juſtis Abraham, Iſaac & Jacob, & his qui tibi non peccaverunt. Et ſe peccatorem pœnitentem conſtituens, Dei miſericordiam implorabat. Atque fulget in mente intelligentium, quod pœnitentia eſt initium converſi peccatoris, non juſti hominis, quæ tantùm in interioribus, non exterioribus agitur. Nec anguſtum eſt pœnitentiæ verbum & invitatorium ejus, non unam graditur viam, vocat enim cujuslibet generis peccatores, aut etiam infideles.

Sed quoniã nihil eſt pœnitentia nec perfectum operatur quidquam in ſalutem, niſi credulitas Evangelii ſubſequatur, idcircò continuo Salvator adjecit: Et credite Evangelio. Credebant multi Moyſi & Prophetis, ſed nec credulitas iſta ſalvabat, etenim Evangelium expectabatur, & tempus erat impletum, quo mundo reboare debebat. Quid autem ſit Evangelium, ad quod Salvator credendum invitat, alibi diffinimus ſed tantùm modus probationis innoteſcat. Multi ſiquidem credunt Evangelium, ſed non credunt Evangelio. Primum præter ſecundum, ſed alterum præter primum eſſe non poteſt. Primum eſt plurium, ſecundum eſt paucorum. Primum eſt omnium fidelium, ſecundum verò fideliter infidelium tantùm. Evangelium credere proceſſiſſe, à quo proceſſit, ad fidei habitum pertinet. Evangelio verò credere adjicitur ad opera ejus, fides enim ſine operibus mortua eſt. Perinde Evangelio credere, hoc eſt, quod fieri Chriſti formem. Evangelio credere abſque reluctatione prædicitur, ut neque per mores neque per rationes ſibi reluctetur. Ad ſupernaturalem ſcientiam ſe invitari cognoſcat, qui ad credendum Evangelio invitatur, etenim ſupernaturaliter loquitur. Omne quippe duntaxat quod ad credulitatem pertinet ſive fidem, à ratione reddibili non tantùm accedente atque viſione recedit, ſed & ab illa indigentia, qua per ſuas diffinitiones & differentias res cognoſcuntur & apprehenduntur. Creditur, non diſcitur Evangelium. Non ergo Salvator dixit, diſcite, ſed credite. Qui credit Evangelio, quievit à quæſtionibus mentis, neque labor eſt inquirere, unde per rationem improbet improbanda, ſive approbet approbanda. Cito etiam credulitas Evangelii evadit, quod proverbialiter dicitur: Qui cito credit, levis eſt corde, imo nanciſcitur uſquequaque contrarium, quia qui cito Evangelio credit, firmus & conſtans efficitur mente. Qui non credit virtuti, ſubjacet infirmitati & nutans eſt, qui verò virtuti obedit, ab infirmitate recedit. Et ſalutem æternam Evangelium præſtat. Nec ſibi credens aut prædicans deberet aliquo rubore perfundi. Hinc Apoſtolus ait: Matth. 9.
Non enim erubeſco Evangelium, virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti. Non igitur fruſtra Evangelio credere Salvator enuntiat, ſi ſalutem verè credentibus præſtat, nec ſi quam majorem virtutem habere poſſit, ignoro, ſi cœlo poteſt inferre credentes. Etiam quid humanum, quamvis non ſit humanum, Evangelium confert, ut liceat ipſum prædicantibus ex ipſo vitæ corporalis captare compendia, ut ſit

omnino decretum æternè, divina & humana in tempore pro ſola duntaxat neceſſi-
1. Cor. 9. tate naneiſci. Unde Apoſtolus ad Corinthios quandam contentionem excerpit, dicens: Ita & Dominus ordinavit his, qui Evangelium enuntiant, de Evangelio vivere, non autem ditari, aut ex ipſo ſuperfluos quærere apparatus, ſed victum & veſtitum, quo ſuſtententur, atque tegantur, quibus contenti maneant Evangelici regni præcones. Et ars ſufficiens eſt divino meritoria jure, ut ſi nihil aliud manibus operaretur annuncians, de Evangelio hujuſmodi commodum capiat. Ipſius enim meditatio & doctrina hominem diviſum à negotiis quærit, quanquam Apoſtolus Paulus hac authoritate uſus non fuerit, propter noviti os in fide, ne videretur
Ibidem. Evangelium ponere ſub mercede. Quamobrem dicebat: Ego autem nihil horum uſus ſum. Et ſubdens, dicit: Quæ eſt ergo merces mea, ut Evangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Evangelium, ut abutar poteſtate mea in Evangelio. Agnoverat protinus Apoſtolus Paulus, ſicque ab omnibus ſentiendum eſſe regni æterni, pro quo temporalem mercedem nullam quærebat, quamvis Evangelium opportuna humanæ vitæ accipere de ipſo concedat. Non autem credere Evangelio per obedientiam executioni traditam mandatorum pœnas acquirit æternas, ut etiam per juſtitiam legis & fidem Prophetarum pe-
2. Theſſ. 1 nitus non evadat. Ex hoc Apoſtolus ad Theſſalonicenſes ſcribit, dicens 1 In revelatione Domini noſtri JEſu Chriſti de cœlo cum Angelis virtutis ejus in flamma ignis, dantis vindictam his, qui non noverunt Deum, & qui non obediernnt Evangelio Domini noſtri JEſu Chriſti, qui pœnas dabunt in interitu æternas, à facie Domini & à gloria virtutis ejus, cùm venerit glorificari in Sanctis ſuis, & admirabilis fieri in his, qui crediderunt. Ecce qualis gloria credentibus, quale ſupplicium non credentibus Evangelio in fine prove-
1. Petri 4. niet. Et Petrus comparans bonos, qui patiuntur in hoc tempore, his, qui patientur æternè, Evangelium prænotans, in canonica ſua dicit: Quoniam tempus eſt, ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem primo à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? Sed quoniam ad cœlorum regnum capeſſendum pœnitentia in peccatoribus, & in omnibus Evangelii credulitas exordium ſunt, cauſam feſtinæ pœnitentiæ ſic agendæ atque credulitatis Evangelii ſine interpoſitione adiecit, dicens: Appropinquabit enim regnum cœlorum. Si enim regnum cœlorum Eccleſiam accipimus, in proximo erat, & quotidie in ſuo fundamento, quod eſt Chriſtus ipſa ſurgebat per debitos mores firmanda, & ornanda divino ſanguine, quo & redimenda, & tandem per Spiritum ſanctum cœlitus roboranda & inſtruenda, ad quam niſi per pœnitentiam & credulitatem Evangelii peccator neque prædicator ingreditur. Si verò ſupremam vitam per regnum cœlorum intelligere volumus, tantùm appropinquabat tunc temporis, quantùm Chriſtus ad paſſionem & crucis aſperam mortem, & quantùm feſtinabat ipſe ad reſurrectionem ſimiliter & aſcenſionem, quoniam ante quam ipſe, qui deſcendit de cœlo, regrederentur aſſumpta carne in cœlum, nemo præiſſet, quod ipſe prædixerat: Nemo aſcendit in cœlum, niſi filius hominis, Joan. 3.
qui eſt in cœlo, ſupple prius aſcenderit, Indignum enim eſt neque damnationem effugiens, quod ſi nobis appropinquat regnum cœlorum, quod nos non de propè ſumus ad illud. Pœnitentia ſiquidem in his, qui deliquerunt, & Evangelii credulitas in omnibus, qui ſalvari geſtiunt, regno cœlorum proximos facit, charitas pulſat, perſeverantia intromittit. Pœnitentia ſui ipſius dicitur eſſe cognitio & peccatorum pœna, cùm per cognitionem in diſplicentiam venerint, ſed obſiſtunt tenebræ, ne hujuſcemodi eſſe poſſit vera cognitio, niſi lucerna Evangelii effugentur. Proinde ad pœnitentiam ſtatim adjungitur Evangelii habenda credulitas, non enim per rationes humanas diſcitur, ſed per fidem Evangelium creditur, ut diſcatur. Ecce initia bonorum operum, ecce primitiæ ſpiritus. Adunt exordia ſanctæ vitæ, ut vera & firma pœnitentia ſit de offenſis, & credatur Evangelio pro agendis.

Cap.

Cap. VIII.

De prima vocatione Diſcipulorum ſpecialiter Andreæ & Simonis per experientiam, ſecundùm Joannem tantùm.

Joan. 1. CUm verò JEſus fuiſſet oſtenſus à Jonne Diſcipulis ſuis, aliqui venerunt ad eum ſedula & pia interrogatione quærentes: *Rabbi ubi habitas?* Quibus indiſtinita reſponſione, ſed per experientiam Salvator ipſe reſpondit, dicens: *Venite & videte.* Mira in his duobus verbis Salvatoris noſtri reſponſio, qua non ſatisfactum quæſtioni noſcitur, nec quærenti, niſi experientia quærentium ipſamet apologiam inveniat. Sed ſic reſpondit prout decebat, & prout rei condirio ſuadebat. Privatis domibus erat JEſus, & in terris proprium non habebat domicilium neque larem, neque ſibi habitationis propriæ locum in urbe aliqua, nec civitatem propriam uſquam vendicaverat, ut eis poſſet determinatam in terra ſibi oſtendere manſionem. Sed incertis ipſe certus ſedibus vagabatur, quod multo ante de ipſo Jeremias Jerem. 14 præviderat, dicens: Quare quaſi coloous futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum? Quare futurus es quaſi vir vagus & fortis, qui non poteſt ſalvaie? Colonus eſt, qui velut advena patriam alienam colit, nec firmis aut propriis ſedibus ſedet. Colonus erat Chriſtus in terra & viator, propriam non habens civitatem, neque domum, ſed declinabat, quo invitabatur ad manendum. Nam declinat ad alienas ædes, qui per impropriam graditur patriam, habens verò proprium incolatum inhabitare aut regradi dicitur in patria Vagus erat Chriſtus humanitate non Deitate: corpore non mente: habitationibus, non moribus neque vita. Et fortis deſpectivè habebatur, qui nec ſeipſum, aut alios poſſet ſalvare. Quocirca quærentibus ubi habitaret, tale reſponſum dedit: Venite & videte, ut experimentu probetis, quoniam mihi non eſt habitatio propria ſuper terram, ut ipſa rei evidentia cognoſcatis, quod non ad terrena & perfunctoria ſit vocatio veſtra, & in carentia terrenorum quem ſequimini cognoſcatis eſſe divinum. Volebat protinùs Chriſtus ſpem omnem terrenæ commoditatis ſuis auferre ſequacibus, ut ſolum propter virtutem & præmia cœleſtia ſequerentur. Plus enim debuit movere audientium & ſequentium mentes ad illam altitudinem fidei, ſcilicet JEſum eſſe Filium Dei carentia viſibilium terrenorum, quam miraculorum patratio. Et in robur fidei & in altitudinem præmii per evidentiam ſuam à terrenis volebat oſtendere nuditatem, ſi propter viſibilia non haberet ipſe ſequelam. Altiori intellectu Chriſtus ad hujuſmodi viſionem illos interrogantes diſcipulos invitabat, quoniam divina ineffabilia ſunt ſermone, niſi in mentem aut interno guſtu quis noverit. Proinde Propheta quaſi lingua enarrando deficeret, quàm ſint ineffabilia facta Dei, invitabat ad experientiam ſine guſtum, dicens: Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus, Pſalm 33. ut quod ineffabile conſiſtit effatu, mentis guſtus inveniat, & viſio intellectualis intelligat. Plus enim Apoſtoli de Chriſto experientia rei & fidei altitudine cognoverunt, quàm prolatione ſermonum. Nec ad corporis aut rerum corporalium viſionem, ſed intellectualium Chriſtus volentes ſequi eum vocabat. Sed videre velut commune officium menti & omnibus corporalibus ſenſibus attribuitur, ut id, quod ad interiores hominis vires pertinet, quaſi cum oculis ſæpe videre dicatur, & quod cæterorum ſenſuum, communi more loquendi frequenter refertur ad viſum. Proinde, cùm dicebat Chriſtus, venite & videte, hoc penitus intendebat, quod non habitaculum proprium corporis quærerent, quo carebat, ſed fide cognoſcereot & mente viderent, quod Deus & homo erat, nec ſibi opus erat propria domuncula ſuper terram, qui terrarum cœlique factor erat, & gloria ineffabilis eſt locus habitationis ejus, & lucem habitat inacceſſibilem, qui in forma humana ſive ſervili acceſſit ad homines, ut hominum ad Deum facilis poſſit eſſe acceſſus. Totos initiabat fore mentales, & remmittebat introrſum, ut mente viderent. Nam quid illis corporeis oculis oſtenſurus erat, qui corporale habitaculum non habebat? Corpus aſſumptum ipſi videbant, nec ſibi aliud unquam oſtendit, quanquam ipſum aliter in transfiguratione & reſurrectione perfecta monſtravit. Alia verò ſupplectili privabatur, eo quod advena erat, & peregrinus, egenus rebus, domibus carens, vagus per alienas ædes, nec expediebat oculo demonſtrare, ut ex hoc diceret, venite & videte, ſed intellectuali oculo

vo-

volebat eſſe viſivos. Iſto enim ſenſu alibi Pſalm. 41 Pſalmiſta proclamat; Venite & videte opera Domini. Ad corporalem viſionem rerum creaturarum non expedit invitare videntes. Ipſimet curioſi ſunt oculi, & ad videndum faciles, minusque frænabiles ad obiectas rerum varias qualitates. Sed ad intelligentiam & internam conſiderationem Pſalmiſta homines vocat, ut mente intelligant opera magna Dei. Neceſſitas pia compellit, ut ſequentes Chriſtum mente plus videant, non enim habet locum in ſequela Chriſti curioſitas oculorum, imo ab ipſis ex conſuetudine fiat receſſus, ut divina & omnia, quæ Chriſti ſunt, interna intelligentia, fide pura, mente purgata capiamus. Sive Chriſtus intromittendo in illorum animam fidem, divinum eructuando ſermonem, mente diſponebat illos eſſe videntes. Venite igitur docebo quod quæritis, pandam quod ignoratis, oſtendam fidei veſtræ habitationem, quam quæritis. Nihil igitur reſtat niſi ſequi vocantem, & in ſpiritu non in corpore fieri, & ad quæ vocamur mente videre. In hoc vocationis Diſcipulorum exordio uni ad ſe venientium, dixit: *Tu es Simon filius Jona. Tu vocaberis Cephas.* Non interrogativè protulit hoc Salvator, ſed diſſerendo quod erat, à nomine proprio hunc Diſcipulum, & à paterna proceſſione commemorans: Proprium nomen obedientiam, paternum verò gratiam ſonat. Obedientiam exhibet homo, Deus verò gratiam donat. Nequit obedientia injuncta complere, niſi gratia faveat, nec rectè incedit, niſi dirigatur ex ipſa. Semper obedientia vera ex traduce fit gratiæ, degenerat ſiquidem, ſi non ex ipſa traducitur. Non perdit generoſitatem ſi ad illam jura filiationis obſervat, & nimirum, quod una generat aliam, & utrinque multiplicantur, velut, ſi filia generoſa perſiſtens matrem faceret amplius eſſe matrem, imo majorem matrem, & ipſa mater filiam maternis affectibus plus aſtringat. Et utriusque merito devenitur in caput, ut appelletur Cephas, à tali parente traductus ad myſterium Cephalitatis Eccleſiæ. Prædeſtinatus fuerat iſte Diſcipulus, & poſt aſpectum divinum audit quod vocaretur Cephas. Myſtica ſunt hæc, in quibus mores difficillimè permodicum capimus. Sed hæc eſt in ſcriptura potius de ſcriptura regula præfigenda, ut hoc quod de Eccleſia in commune & genere, in particulari & ſpecie ad animam referatur. In caput & præſidentiam ſui ipſius conſtituitur, & nihil repugnans patitur, aut ſi patitur, quod non vincat, qui per gratiam factus eſt obediens. Qui à gratia in obedientia generatur, omnem ſuum inferius habet ſubiectum atque pacatum, dum ſubjugatum eſt regnum ejus, non propria virtute, ſed illa, qua ſuperiori per gratiam factus eſt obediens, meretur ex Divina Juſtitia caput dominans ad inferiora fieri, qui ſuo ſuperiori per gratiam ſubiectionis debitum dedit.

Cap. IX.

De vocatione Philippi & Nathanaelis ad ſequalem Chriſti, ſecundùm Joannem ſolùm.

Joan. 1. **I***N craſtinum* autem facti hujus *cùm JEſus exiret in Galilæam, & inveniens Philippum, dixit: Sequere me.* Authoritate magna Chriſtus Dominus cœpit loqui, cùm ad ſequalem ſuam homines invitabat. Unius enim ſequela excludit à cæteris, maximè Chriſti, quæ ab omnibus aliis abſolvebat. In ſequela Domini factus, ab omni imperio factus eſt liber, ſi adverſa præciperet. Et Chriſtum ſequens non tenetur ad terga parentum, etenim iſta pietas illam vincit. A ceremoniis legis libertatem accepit, qui Chriſtum in ſuis virtutibus ſequitur. Nullius alterius degentis in carne jure potuit, aut debuit eſſe verbum, ſequere me, quoniam ad perfectum nec inducere potuiſſet ſequaces. Neque Angelus, neque Patriarcha, neque Propheta, neque aliqua creatura valuit aliquando neque valet ad regnum vitæ introvehere ſequentes, ſed ſolius eſt Chriſti, cui omnium bonorum collata poteſtas, qui non ſuo, ſed noſtro commodo invitat ad regnum. Primam viæ, ſecundam patriæ dicimus eſſe ſequelam. Una virtutis, alia gloriæ viam tenet. Generat prima ſecundam, & ſecunda primæ ſe præmium facit. Qui primam abhorret, ſecundæ ſpecimen non habebit. In prima claudicans, nec in ſecunda poſſidebit validos pedes. Qui ſe totum dat, totum hominem exigit in ſequelam, nec unus eodem greſſu ſequi valet vias diverſas penitus incedentes. Juxta dictum Eliæ oportet pergere in ſequelam: Uſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum, ſi au-

tem Baal, ſequimini illum. Ut ex his verbis eliciatur iſta ſententia, quod, quem noverimus noſtrum Dominum, moribus & vita, & intentione ſequamur, mundum, diabolum, quempiam hominem, ſive Chriſtum. Quamobrem Chriſtus ſignanter loquitur, ſequere me, qui ſum, & inviſibilis exiſtens viſibilem me tribui ad ſequelam. Adſtruebat altiſſimè fidem, cùm nullo prærogato divinæ virtutis miraculo, non alia injecta diſſertione verborum, abſolutis verbis dicit, ſequere me. Magnámque illorum fidei humilitatem eſſe decebat, ſi eum ſecunda vocatione ſequerentur. Sed qui vocabat ad ſequendum ſua veſtigia, irradiabat mentibus fidem, qua in animo moti ſequerentur. Voces enim Chriſti plus interius, quàm exterius reſonabant, nec non & efficiebant in animo virtutem, cùm creabant & fidem. Cur autem non efficit in audientibus omnibus vox divinæ virtutis, quod efficit in paucis, ut corde atque corpore ſequerentur Dominum, non vox Chriſti cauſanda defectu, ſed audientium corda occultis demeritis ſolùm Deo cognitis improbanda. Dedit enim Deus juxta propheticum dictum voci ſuæ vocem virtutis, ut una tantum ſemel emiſſa omnes ad ſe potuiſſet convertere, & mutare hominum corda, infundere fidem, donare virtutem, & ſimiliter revocare de tumulis, & ab inferis liberare. Sed taliter fecit omni audienti, nec etiam omnes audire meruerunt. Quod ſi in his, qui ſecuti & ſalui facti ſunt, merita propria non ſufficerent, ſed ex bonitate vocantis, in his tamen, qui reprobi facti ſunt, mala propria meruerunt, decernente deſuper juſto judicio judicantis. Et bene, unde Philippus iſte vocatus erat, deſcribitur, *quia a civitate Bethſaida civitate Andreæ & Petri.* Qui cùm inveniſſet Nathanaelem, duxit ad Chriſtum, qui de eo dixit: ***Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt.*** Qui arcana hominum novit, ſcit qualem de eis poſſit proferre ſermonem. Et qui acceptor perſonarum non eſt, virtutem protinus in hominibus accipit. Et nemo probatus eſt ex eo, quod homo eſt, ſed ex eo, quod eſt virtutis amicus & aptus executor ipſius, pro qua Chriſtus quandoque homines commendat, & ſi non interdum verbo, beatitudine verò ſemper virtuoſos exaltat. Profectò illam virtutem noverimus Chriſto gratam, quam ipſe laudibus effert, idcirco ſic efferens, ut ad illam ſectandam audientium animus incitetur. Igitur ſolerti eſt animo intuendum, quod tam vigilanti verbo de homine iſto Salvator aperuit. Nam non dixit, ecce verus homo, aut diſtinxit ſecundùm aliam inſinuationem, ſed ecce verus Iſraëlita. Nomen gentis duntaxat poſuit, cujus Originem ſacra Scriptura commemorat: Iſraël vocatus eſt Jacob, (Gene. 32.) non à die nativitatis vel circumciſionis, quo tempore imponebantur nomina in hac vita naſcentibus, nec ſibi hoc nomen impoſitum eſt à parentibus vel cognatis, quorum decreto nomina filiis imponuntur, ſed à Deo Angelo mediante, poſt multos annos & labores & uxores & filios plures accepit. Revertenti namque Jacob Dei mandato in terram nativitatis ſuæ, cùm copias ſuas ante miſiſſet, ſoli remanenti apparuit ei vir, ſcilicet Angelus Domini, cum quo uſque mane luctanti Angelus, dixit: Quod eſt nomen tuum? Reſpondit: Jacob. At ille: Nequaquam enim appellabitur nomen tuum Jacob, ſed Iſraël. Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis? Hoc ſiquidem dixit, ut ſecurus procederet contra Eſau fratrem ſuum, quem ex ſurrepta benedictione paterna timebat. Hinc nomen Iſraëliticum primo exortum eſt, unde omnis illa natio filiorum Jacob, tam numeroſè propagata latéque diffuſa, populus Iſraëliticus eſt. Sed vim & cauſam nominis inquiramus, in notitiam venire cupientes, cur Salvator futurum ſibi Diſcipulum verum Iſraëlitam appellaverit. Fortitudinem iſtud nomen ſignificare conſpicitur, pro eo, quod Jacob fortis extitit contra Deum, quamobrem illud accepit. Unde fortis? Quia luctabatur uſque mane. Sed nunquid corpore luctabatur? Abſit. Sed in efficacia mentis & virtute orationis. Et tam fortiter præ omnibus egit, quod benedictionem, quam ab Angelo expectabat, accepit. Igitur verus Iſraëlita luctam habet non ſolùm viſibilem, ſed occultam, non ſolùm adversùs dæmones, quos non conſentiendo contemnit, & contra vitia, quæ repellit, ſed contra Deum, quem profuſis orationibus detinet, quem perſeveranti devotione ad ſe inclinat, quem forti conatu mentis inſequitur, ante quem invariabili humilitate proſtratus, valido clamore mentis ſibi clamat, & loquitur fidenti animo, Divinæ gratiæ benedictionem expoſtulat. Et cùm tale nomen imponitur, ſubinfertur: Non timeas homines, imo nec dæmones. Nihil ſit, quod perhorreſcas, nil te in hac vita deterreat. Quoniam ſi tam probiter ſategaſti, tam fortiter invaluiſti probitate virtutum, ut invincibilem Deum ſic vinci volentem devinceres, quanto magis adversùs quæque obſtantia fortis eris. Proinde hanc noverimus occultam cauſam, ſed Chriſto Domino manifeſtam, cur Chriſtus Natha-

tha-

thanaelem Iſraëlitem verum dixerit, La-
tent multa bona in hominibus multis, quæ
ſoli Deo ſunt cognita. Ac per hoc non
caret crimine, temerè aliorum judicare de
meritis. Neſcitur quid in juſtis homini-
bus lateat, ſolus Deus novit. Latuerat
fortè hujus veri Iſraëlitæ virtus, uſquequo
Chriſtus tam apertè aperuit, & quod tam
verus erat, in quo dolus omnino non
erat. Non enim aliter bonitas illius ſe
habebat, niſi prout Chriſtus dicebat, nam
ſi aliter fuiſſet, Chriſtus penitus non dixiſ-
ſet. Igitur unde verus? Quia nullus in
eo dolus. Quod de hoc dictum eſt, ſi ve-
ri eſſe volumus omnibus ſit ad normam,
ut nullus dolus ſit penitus in nobis. Quid
igitur dolus eſt, quem denegat eſſe in ve-
ro Iſraëlita Chriſtus, niſi occulta verſutia,
reſidens in animo fraus, iniqua meditatio,
arguta exquiſitio fraudis, in nocumento
proximi fictus mos, perperam compoſita,
forma, verbum blandiens & decipiens &
hypocritalis geſtus. Quo dolo carens
habitabit in tabernaculo, & requieſcet in
Pſalm. 14 monte Sancto Dei. Et de Antichriſto
Pſalm. 9 ejúſque membris dicitur: Cujus maledi-
Pſalm. 35 ctione os plenum eſt, & amaritudine &
Pſalm. 45 dolo. Et de viro impio ſcriptura comme-
morat: Verba oris ejus iniquitas & do-
lus. Et de communi hominum malitia
ſcriptum eſt: Et non defecit de plateis
ejus uſura & dolus. Quem Petrus jubet
deponere ſi ſuperna capiare contendimus,
1,Petri 2. deponentes inquit omnem malitiam &
dolum. Et cùm dixit Chriſto Nathanael;
*Unde me noſti? Reſpondit JEſus & dixit:
Priuſquam te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub
ficu, vidi te.* Mirabatur Nathanael ſic ſe à
Chriſto cognoſci, cùm nulla converſatio
corporalis præceſſiſſet. Sed nec fuiſſet
miratus, ſi Chriſtum ipſe cognoviſſet,
quem nihil latere poteſt. Sed hanc
admirationem de Chriſto ignorantia indu-
cebat, neſciebat enim quantæ Sapientiæ
Dei Filius ab æterno fuiſſet. In carne
duntaxat ejus ferebatur aſpectus, nec
quippiam ſuper hominem cogitabat. Sed
Salvator quadam determinata cogni-
tione ipſum ſe prævidiſſe aſſeruit, quod
priuſquam eum Philippus vocaſſet, ſub
ficu vidiſſet. Poteſt exclareſcere veritas
literalis, quod Nathanael erat ſub ficu, dum
eum vocavit Philippus in horto vel argo.
Quam ſub ficu conſiſtentiam, pro ſigno
cognitionis, ut adhæſio fidei ſequeretur,
Chriſtus retulit Nathanaeli. Significatio-
ne verò myſterii alia nobis ficus conſide-
randa obiicitur, ſcilicet Synagogæ, quam
in ficu ſubito areſactam deficcando oſten-
dit. Erat enim Nathanael ſub Synagoga,
ut alii conſtitutus, quem JEſus prævidit
per vocationem ſuam ab illa eximendum:
Et hujuſcemodi Chriſti viſio non refertur
ad oculos corporis, ſed cognitionem men-
tis, & ad prædeſtinationem atque appro-
bationem futurorum operum Chriſtum
ſecuturi hominis. Ampliori admiratio-
ne commotus Nathanael ſe trajecit in fi-
dem. Diſpoſitus enim erat vivificas virtu-
tes ſuſcipere. Unde diſpoſitus? Quia
in eo non erat dolus, ut vellet ad creden-
dum argumenta conquirere. Puro ani-
mo ſecutus fuerat vocantem Philippum,
pura fide nunc credit in Chriſtum dicens:
Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Iſraël. Mag-
nus aſcenſus, ut quem ante putabat homi-
nem purum, nunc Dei Filium confitetur.
Et quem aſpiciebat ut communem homi-
nem, nunc aſſerat Iſraëlitici populi Re-
gem. Simplex fides eum in illa excelſa
provexit, & quia ſine dolo doctrinam fi-
dei repentè recepit. Indiſciplinabiles ſunt
doloſi, maximè in his, quæ ſunt ſuperero-
gatæ virtutis, niſi à dolo deſiſtant, quo-
niam, ut Salomon ait, filio doloſo nihil eſt Prov. 14.
bonum. Qui verò dolo carebat, bonum
fidei repentè ſuſcepit, qua in Chriſto Dei-
tatem & humanitatem pariter fateretur.
Simus abſque dolo, ſi volumus intellige-
re per fidem, quod non poſſumus per na-
turam. *Reſpondit ei JEſus, & dixit: Quia
dixit tibi, vidi te ſub ficu, credis: majus his
videbis, Et dicit ei: Amen amen dico vo-
bis, quia videbitis cœlum apertum, & Ange-
los aſcendentes & deſcendentes ſuper filium
hominis.* Inviſibiles ſunt Angeli, & eorum
proceſſus ſimiliter non apparet, ſed ſæpe
illa quæ faciunt, conſpiciuntur. Apertum
cœlum nunquam viſum eſt à mortalibus
oculis. Et licèt Stephanus in agone po- Actor. 7.
ſitus dixerit, video cœlos apertos, &
Joannes in Apocalypſi cœlum apertum ſe
vidiſſe fateatur, non ſic intelligendum eſt,
quod apertum fuerit hoc materiale cœlum,
plenum ſideribus, ſed viſionem eorum,
quæ dixerunt, clariſſimam habuiſſe, ac ſi
cœlum materiale patuiſſet, quæ Deus ſuo
ineffabili modo abſque hoc, quod cœlum
aperiretur, oſtendit. Neque Nathanael
aut aliquis de Apoſtolis cœlum hoc vidit
apertum, neque Angelos, cùm deſcende-
runt ad Chriſtum, peracta omni tentatio-
ne deſerti. Nondum diſcipulos fecerat,
& poſt deſertum hoc Chriſtus aſſeruit.
Nec viderunt Apoſtoli trepidi & ſomno
gravati de cœlo Angelum miſſum confor-
tantem in ſuis agonibus Chriſtum, cùm
prolixè oraret ad patrem. Ad aliud viſio-
nis genus verba ſunt referenda, ut apertio
cœli claritas intellectus, ex fide bonorum
C 2 om-

omnium ſupernorum & Angelorum deſcenſus, ut ſcirent, quod non ſolùm ſibi terrena, ſed omnia cœleſtia famulantur, & quod æquè terrena & cœleſtia, homines & Angelos novit.

Cap. X.

De Lectione Iſaiæ quam Chriſtus in Synagoga legens expoſuit, & quid moris nobis inſinuet, ſecundùm Lucam ſolùm.

Lucæ 4. ET egreſſus eſt JEſus in Galilæam in virtute ſpiritus, & fama exiit per univerſam regionem de illo. Et ipſe docebat in Synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit ſecundùm conſuetudinem ſuam die Sabbati in Synagogam, & ſurrexit legere. Et traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ. Et revolvit librum, invenit locum ubi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, & prædicare captivis remiſſionem peccatorum, & cæcis viſum, dimittere confractos, prædicare annum Domini acceptum & diem retributionis. Cujus virtute acceſſerat ad deſertum, illius regreditur in Galilæam. Omnium ductor optimus ſpiritus eſt etiam Chriſti hominis, quo duce in omnia ferebatur. Et quisquis in his, quibus afficitur, & operatur, ductorem alium ſequitur præter ipſum, deviabit à tecto. Formam prærogavit, in cujus virtute feramur. Fama ejus infrænabilis erat & irretentè ferebatur. Nec mirum, ſi repleverat modicam regionem, quæ repletura erat & orbem. Væ autem ei, ad quem illius fama nondum ex auditu & affectu pervenit, diffamabitur ut contumax altiſſimæ majeſtatis. Caret bonitate olfactus, qui non percipit tam diffuſum odorem, qui peregrinam univerſam perfudit infimam regionem, in ſumma verò regione fragat in Angelis. Et docebat in Synagogis Judæorum, ut odore famæ motæ, doctrinam eorum mentes capeſſerent. Indigentibus alta doceri nova doctrina parabatur, promulgata in Synagogis terrenis, ut congregari per eum appeteretur in ſupernis. Congregare diſperſos venerat, ideo ingreditur & inſtruit per Synagogas. Porro Synagoga congregatio nuncupatur. Ad ſcientiam veram nunquam profectò perveniet, qui longè factus eſt ab hujuſcemodi diſciplina. Magnificabatur enim ab omnibus non affectu, ſed verbo, & utriuſque hominis laude attollebatur à cunctis, propter quod in eo agnitum eſt inſigne virtutis. Applicuit Nazareth, ubi nutritus more hominum erat, non amore patriæ venit, ſed eorum amore ſalutis. Et intravit ſecundùm conſuetudinem ſuam Synagogam. Nunquam deſerenda eſt agendorum conſuetudo bonorum, firmat enim naturali quadam potentia morem. Optimum in virtutibus, conſuetudine aſſumpta bonis moribus coaleſcere. Sæva tamen hoſtilitas eſt, conſuetudine contraria roborari. Nihil verò Chriſtus, niſi quod bonum eſt aut optimum in ſuam conſuetudinem ſumpſit, noſtra, non ſua utilitate, nam ſibi conſuetudo jam facta erat optimè docere ignaros. Pulcher omnino mos, cùm quis novit ex conſuetudine legitima operari. Sabbato celebravit hunc ingreſſum. Optimus Sabbatiſſimus, ubi Divinus Doctor docendo laborat. Nec violabatur Sabbatum, ſed conſecrabatur, & ad æterni Sabbati quietem audientes illa doctrina parabat, niſi contumacia in auditoribus eſſet. Et ſurrexit legere, quia eorum more aliquantulum ſederat. Et petenti aut offerentis placito, traditus eſt ſibi unus liber, Iſaiæ ſcilicet, quem revolvens more docentis, ſubitò locum, quem quærebat invenit: ſciens æternè ab æterno decretum, quod prophetatum in tempore literis Hebraicis exaratum erat. Noverat omnia, quia Deus, non indigebat libro ipſe omnium vitæ liber, mente noverat quod quærebat in libro. Abſque illo legiſſet, qui abſque chartis docuit prophetantem, locum repperit, qui de ipſo erat, & verbſcripta, quæ de ipſo longè ante revelaverat ipſe videnti, & videns graphiis mandaverat ad memoriam poſterorum. Et ſcriptum ſic erat: Spiritus Domini ſuper me. Ut homo ſic loquitur, qui ſibi ſpiritum Iſaiæ 61. prælatum facit, etenim quia Deus ſibi per omnia æqualis erat, nec una perſona in trinitate alteri ſuperfertur dignitate ſubſtantiæ, ordinis, temporis, vel naturæ. Sed quomodo ſuper eum? Ut credatur non agi humano aut alio ſpiritu, ſed divino, & quod in humanitate degens etiam divina fa-

faciebat. Et unctus erat ut homo illa
unctione ineffabili Spiritus ſancti, de qua
etiam David ante prædixerat: Propterea
unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ
conſortibus tuis. Et ideo Chriſtus appel-
Pſal. 44. latus, id eſt unctus, velut Sacerdos & Rex
figuris præeuntibus, quoniam ſolùm Sa-
cerdotes & Reges in teſtimento veteri un-
gebantur. Porro Salvator utramque per-
ſonam geſtabat, ut Sacerdos Sacramenta
nobis contulit, ut Rex vocavit nos ad reg-
num, ut Sacerdos inſtruxit, ut Rex libe-
ravit ab æmulis. Ut Sacerdos ſemetip-
ſum obtulit ſufficiens hoſtia factus, ut Rex
omnia gubernat, judicat, & diſernit, velut
Dominus omnium conſtitutus. Nam ſi-
bi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in
terra. Et ſcriptum vidit Joannes in fœ-
Apoc. 19 more ejus, rex regum & Dominus do-
minantium. Proinde qui ab ipſo non ac-
cipit ſanctitatem, nunquam ſanctus erit.
Qui ab iſto rege non regitur, regi abyſſi
malè perſundatus ſubjacebit. Sed quare
unctus? Quia ſpiritus Domini ſuper eum.
Propter quid unctus? Ut miſſus evan-
gelizaret pauperibus. Sic enim dicit il-
la ſcriptura prophetica: Propter quod
Matth. 5. unxit me, evangelizare pauperibus miſit
me. Bona porro ineffabilia ſunt nuntia-
ta pauperibus. Beati pauperes ſpiritu,
quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.
Sed nunquid divites ſunt excluſi? Si de-
venerint in ſpiritus humilitatem, ut Chri-
ſti jugo colla ſubmittant, potius admit-
tuntur. Neque divites reprobantur ab
Evangelio, ſi humiliari velint, morúm-
que corrigere pravitatem, ut pauperes
temporalium rerum ſtipe ſuſtentent, in
Evangelio partem habent. Si mente ſu-
perbiant, ſi ſemper inhiare non ceſſant,
reprobati profectò exiſtunt. In interio-
ri homine poſitum eſt, Evangelii fieri par-
ticipem vel exortem. Propterea ſequi-
tur: Sanare contritos, ut ſive ſunt divites
Pſalm. 50 aut pauperes, fortes aut debiles, nobiles
aut ignobiles, ſi corde conterantur, à
Domino ſanabuntur, quoniam ſacrifi-
cium Deo ſpiritus contribulatus, cor
contritum & humiliatum Deus non de-
ſpiciet. Ad prædicta & ad ſequentia ſe
unctum & miſſum prædixerat, ex ſpiri-
tu Iſaiæ prophetico id atteſtans, ut etiam
prædicaret captivis remiſſionem, illis ſci-
licet, qui apud limbum captivi ſedebant,
& qui diaboli viculis & peccatorum car-
ceribus tenebantur incluſi. Judæis pri-
mò, qui legis prævaricatione malè ſuba-
cti erant, & gentibus, qui à diabolo ca-
ptivati malè idolis ſerviebant. Poſtremò
his omnibus, qui claudebantur in cu-
ſtodiis quorumlibet vitiorum. Et cæcis
viſum, ſcilicet ignorantibus veritatem,
aut his, quorum mentis oculos propria
malitia excæcaverat. Et idem Iſaias re-
fert: Quis cæcus, niſi qui venumdatus
eſt? Quis cæcus, niſi ſervus meus? Quan- Iſaiæ 42.
quam iſta ſcriptura loquatur de populo
Judæorum, veruntamen ex communio-
ne vitiorum transfertur in ſimiles. At-
que ubi major cæcitas, quàm ejus, qui
ſe vili pretio diabolo vendidit, & pec-
cati ſervus in diaboli tranſivit mancipiũ?
Sed illorum cæcitas gravior & majoribus
tenebris obvoluta, quos Deus elegit in
ſervos non indigens eis, ſed ipſo indi-
gentes, qui pactum certum Domino
confregerunt. Quis cæcus, niſi qui ac-
cepit à Domino ſibi poſſe ſervire, cùm
in ſatanicum tranſivit obſequium, & le-
gem vitæ poſtpoſuit legi mortis, tyran-
num crudelem Domino benigniſſimo
prætulit? Venundatus & ſervus cæci fa-
cti ſunt. Venundatus dulcedine modi-
ca, ſervus Domini recedens à Domino,
additus verò diabolicæ ſervituti. Con-
fracti ſunt, qui in mundi amœna velut
aſpera impegerunt. Iſta enim ſunt quæ
hominem frangunt ac ab omni virtute re-
ſolvunt, necnon & ſemetipſos confre-
gerunt minus debito de Chriſto ſentien-
tes, nam omnis, qui ceciderit ſuper la-
pidem, confringetur. Sed Chriſti be-
nignitate dimittuntur, cùm commiſſa
mala dono ejus miſericordiæ remittun-
tur. Prædicare annum Domini acceptũ.
Annus acceptus tunc eſt, cùm ex ſuis
diſpoſitionibus volvitur, quando ejus
quatuor tempora ſuis qualitatibus tem-
perantur. Sed annus acceptus Domino
prædicatur, cùm verè converſis datur
venia, veréque homines convertuntur
ad veniam. Annus acceptus accepta-
bile tempus, quod in Chriſto incœpit
uſque in finem ſæculi duraturum, juxta
Iſaiæ propheticum dictum: Tempore ac- Iſaiæ 49.
cepto aut placito exaudivi te. Et Apo-
ſtolus jam completum rememorans, ut
Dei gratiam agnoſcamus dicit: Ecce 2. Cor. 6.
nunc tempus acceptabile, ecce nunc
dies ſalutis, in quo ſacrificium ſummæ
juſtitiæ ſacrificium veſpertinum ab uno
datum omnipotens pro omnibus acce-
ptavit. Quod & David de Deo miſe-
rante prædixit: Tunc acceptabis ſacrifi-
cium juſtitiæ, in illo videlicet tempore, Pſal. 50.
quo Dei Filius mundo in carne velatus
ſubvenire diſpoſuit, quo nobiſcum con-
verſatus eſt, quo pro nobis mortuus eſt
& ſepultus, quo ſpiritum ſanctum cœ-
lum aſcendens diſcipulis miſit. Hinc an-
nus cum fine ſæculi finietur. Semper
enim tempus eſt quo ſacrificia noſtræ

juſtitiæ, merito ſacrificii ſummæ juſtitiæ pro nobis per carnem in cruce oblati, omnipotens Deus acceptabit. Sed poſt annum acceptum dies retributionis proſequitur. Unde ſubjecit: Et diem retributionis. Porro retributio finem ſæculi ſequitur, ut conſtituatur divinum tribunal, unde retribuetur unicuique juxta opera ejus, & prout unusquisque geſſit in corpore, bonum recipiet ſive malum. Et cùm complicuiſſet librum, reddidit miniſtro & ſedit. Qui librum aperuit, replicavit, doctórque exiſtens authoritatem habens, doctorum aliorum noluit à moribus diſcrepare, in eo quod librum accepit, revolvit, & invenit, quod quærebat, & legit, & lectione completa replicavit, reddiditque offerenti miniſtro, ne propter inſolitum morem omnino lex redderetur ſuſpecta, & ipſe diſſentiens calumniam pateretur. Sed futurorum præſagio aliud præintendit, quoniam omni evangelico completo myſterio ſcriptura omnis plicabitur, nec lectione amplius opus erit, liber miniſtro reddetur, ut juxta ſcripturæ ſententiam omnibus Chriſti miniſtris ſecundùm merita tribuatur, & ſeſſio erit quietis æternæ. Veruntamen aliter differendi ordo ſe præſtat, ut Chriſto jam revelato prout figuratus fuerat in veteri teſtamento, à Prophetíſque prævíſus, liber divinarum ſcripturarum apud Judæos remaneat involutus & replicatus, demerito incredulitatis & iniquitatis ipſorum, ut in ſcripturis veteribus non cognoſcant Chriſti nec Eccleſiæ ſanctæ myſterium, ſecundùm illam ſententiam, quam alibi Salvator protulit, dicens: In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Et cùm ſic Salvator legiſſet atque feciſſet, omnium in ſynagoga o- Joan. 9.
culi erant intendentes in eum. Suave Chriſti eloquium erat, & lingua ſibi præ cunctis velocior & ad diſſerendum aptiſſima, ut etiam animos ſuſpenderet auditorum, & cunctorum audientium oculos in ſe provocaret, quanquam ab impietate infra eorum corda pertinaciter tenerentur, & quodammodo, quod ipſi non intelligebant, magno ſigno prodebant, quoniam omnia, quæ in veteri teſtamento erant, ſuis ſignificationibus intendebant in Chriſtum, pro eo, quod in figura omnia contingebant illis. Et mirum, quod animo impii & increduli exi- 1. Cor. 10.
ſtentes, tamen in Chriſtum oculos defigebant, ut apertè detur intelligi, quod quamvis multi non agnoſcerent, quæ in veteri teſtamento corporaliter agebantur, ipſa tamen geſta corporaliter Chriſtum ſolum, interdum verò & ejus corpus myſticum innuebant. Hanc ſiquidem propheriam ſupra lectam, in ſe Chriſtus ex toto retorſit. Nam *cœpit autem dicere ad illos, quia impleta eſt hodie hæc ſcriptura in oculis veſtris*, ſcilicet prophetia Iſaiæ, quam legerat, ex eo, quod non de alio quam de Chriſto Iſaias ante prophetaverat. Hoc ideo Chriſtus dicebat, ut ſicut oculi corporaliter intendebant, ita eorum animi per fidem converterentur in eum.

Cap. XI.

Quod audientes mirabantur de Chriſto cognitam tenentes carnis progeniem, ſed non convertebantur, ſecundùm Matth. Marc. & Lucam.

Matth. 13. Marc. 6. Lucæ 4.

ET *omnes teſtimonium illi dabant*, quia ſupra ſenſum hominum loquebatur. *Et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.* Teſtimonium quod illi dabant, retorquebatur penitus contra eos, quia mirabantur, ſed non convertebantur in verbis gratiæ, quæ ſupra ſolitéque communis. Erant penitus verba doctrinæ verba gratiæ, quia invitabant ad gratiam, ut non per juſtitiam, ſed per Chriſti gratiam conſiſtat hominum ſalus, & redemptio peccatorum. Sed qui ad verba gratiæ ab infidelitate non recedunt, non corrigunt perditos mores, ad virtutes non ſatagunt, ex verbis juſtitiæ damnabuntur. Ad hoc enim verba gratiæ procedunt ex ore Chriſti. Os enim Chriſti eſt omnium verorum lingua doctorum, quod uſque in finem ſæculi ſilentio non tegetur, quanquam pauci veraces vita, moribus & verbis inveniantur. Sed ſi ſolum unus eſſet, qui veritatem explicitè prædicaret, os dicitur Chriſti. Proinde in verbis gratiæ convertamur, ne à verbis juſtitiæ in perpetuum evertamur. Qui verò non ſtudio faciendi verbis divinis præſtant auditum, illico calumniam parant, & occaſionem quærunt, unde ſe à verbis gratiæ avertant. Proinde dicebant: *Num*

hic

hic eſt filius Joſeph? Sed hoc Matthæus amplioribus verbis aperuit, quod *omnes mirabantur, dicentes: Unde huic ſapientia hæc & virtutes? Nonne hic eſt filius fabri? Nonne mater ejus Maria, & fratres ejus Jacobus & Joſeph, & Simon & Judas? Et ſorores ejus nonne omnes apud nos ſunt? Unde ergo huic omnia iſta? Et ſcandalizabantur in eo.* Conſiderabant tantummodo iſti naturalem progeniem, nihil ſupra hominem in ipſo videntes, & mirabantur ignorantes, unde huic eſſet tam alta ſapientia eximiæque virtutes. Et quoniam de homine ſecundùm carnem aliud, quàm homo non oritur, patrem Joſeph & fabrum inferebant, quia erat fabri filius opinione videntium, & rei veritate non pater pueri erat ipſe, ſed nutricius. Sed non me fallit quoniam fortè ſpiritu prophetico eum non cognoſcentes dixerunt fabri filium, quoniam filius Dei erat, qui mundum fabricavit in arte ſua æterna, & eſſe de nihilo conſtituit univerſum, qui etiam per fabricam validi ligni in forma crucis erecti, miſit filium humanum genus liberare captivum. Inferunt etiam de matre Maria, & de ſua cognatione, quam norunt, quaſi eſſet impoſſibile huic viro tanta bona poſſe competere, malè miſeri immemores prophetarum præteritorum, quibus divinus ſpiritus infuſit, quos non natura carnis, non propinquitate generis, ſed ſua gratia fecit eſſe prophetas, qui de Chriſto quanquam non crederent id eſſe, quod erat, tamen credere debuerunt eſſe poſſe prophetam. Sed ſcandalizabantur in eo, in quem velut in offenſionis lapidem offenderunt, nolentes intelligere, quòd eos venerat liberare, atque in ſe duos populos velut duos colligare parietes. Invenerunt unde ſe ab ipſo reſcinderent, unde verbis ejus non præſtarent aſſenſum, unde non crederent, quod de ipſo expoſita eſſet prophetia. Oculis in eum intendebant, omnino attoniti erant, à perfidia tenebantur, ne intelligerent præteritas prophetias, ne crederent, quod eis velata in carne ſumma & æterna veritas loquebatur. Proprium eſt perfidorum atque reproborum firmata protervitas, ut ſemper per humanas rationes velint ſupprimere fidei & gratiæ veritatem, atque inquirere, unde non eredant, & invenire, unde à veritate reſiliant, ac cavere continuò, ne divinorum verborum retibus capiantur.

Cap. XII.

Quare Chriſtus petentibus negaverit miracula facere, ſecundùm Lucam ſolum.

Salvator autem eorum menti ſcandalizatæ ſimilitudine adjecta reſpondit: *Dicetis mihi hanc ſimilitudinem:*
Luc. 4. *Medice cura te ipſum.* Commune proverbium, quod à valde multis temporibus inolevit, ut Medico infirmanti dicatur: Medice cura te ipſum, ut qui alios curas, te ipſum non negligas: qui alios ſanas, in te infirmitatem perdurare non ſinas. Quaſi Nazaræitæ ſibi dicturi eſſent. *Quanta audivimus facta in Capharnaum*, ſcilicet in civitate Samaritanorum. *Fac & hic in patria tua*, velut Medicus, qui alios curat, ſeipſum non contemnat. Quibus Salvator reſpondit: *quia nemo in patria ſua acceptus eſt Propheta, ſeu non eſt ſine honore Propheta, niſi in patria ſua, & in domo ſua. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.* Sæpe fit, ut ex nimis ſolitis, quæ ſecundùm humanitatem ſunt eorum, quæ ſupra illam noſcuntur, reputatione vileſcant, & nihili pendantur virtutes, ubi crebreſcit ſenſus humanus. Ecce patria ipſi erat in cauſa quodammodò Salvatori, ut reputaretur infra, quod erat, & minoraretur in conſpectu hominum, qui Deus erat notitia in conſpectu omnium Angelorum. Eritne patria fugienda? Non, ut alibi amplius appareat, ne peregrinatio, quæ ſolet eſſe virtutis, fiat vanitatis occaſio. Eritne fugienda patria? Utique dixerim, ut virtus conſervetur in tuto, ut amplius moribus inclareſcat, ut compatriotale ſuffugium abdicetur, ut ſit vitæ ſtipes incerta, ut notorum devitentur blanditiæ, ut ignotè coram hominibus, cognitè coram Chriſto vivatur. Eritne patria fugienda? Non, ut ſe vendat ignotis, non ad capiendam famam virtute, ut non plus auctionetur nominis, quàm virtutis, ut ſit honori extraneis, ut ſibi ſtipendium tribuatur honoris, humanæque laudis. Non omnis Abraham, non omnis Iſaac, non omnis Jacob, non omnis Joſeph venditus demum factus dominus in Ægypto, qui tam in patria, quàm in ſuis peregrina-

nationibus propriam virturis conſiſtentiã ſervaverunt. Eritne patria fugienda? Non, ſed ad alios humiles & docibiles aceedendum, ut ſi eis, quibus incumbit, non poſſit prodeſſe, ad illos docendom pergat, qui ſe doctrinæ ſubjiciunt, qui credere volunt, curari quærunt. Nam ubi non eſt auditus, non effundas ſermonem. Et in Actibus Apoſtolorum legitur, quod Paulus & Barnabas dixerunt

Act. 19. Judæis: Vubis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce cunvertimur ad gentes. Et ſequitur: Audientés autem gentes gaviſi ſunt. Hæc cauſa poteſt ſubeſſe his, qui verbum Dei diſſeminare habent, qua patria nota relinquatur, qua requiratur incognita. Chriſtus non eſt acceptus in patria. Eſtne cauſa, quare virtutes in illa non fecit? Minimè. Sed ſua notitia, quaſi eis familiaris ex genere, illis fuit injuſta incredulitatis occaſio. Proinde non fecit ibi multas virtutes propter incredulitatem ipſorum. Ecce quòd miracula negantur incredulis, ſcilicet ex eis non credituris, quæ facta feruntur coram infidelibus credituris, ſimiliter & non credituris. Sed miraculorum operatio ex altiſſimo pendet, qui niſi opportunè fieri nullo modo permittit. Apud ipſum eſt ratio futurorum, ſimiliter & juſta ratio, cùm non fiunt. Nec decet homines ſemper miraculorum novitate nutriri, nec in miraculis, ſed in virtute reperitur conſiſtentia Chriſtiana. Facta fuerunt pro tempore opportuno miracula, & infidelibus dari ſigna decebat, fidelibus verò nunc jure negantur. Parum enim eſſet fidelis, qui ex miraculo augeretur in fide. Robuſtior eſt fides, magíſque meretur non fulta miraculis. Ac per hoc Chriſtus in jam ſolidata Eccleſia miracula & ſigna hujusmodi pro majori parte ſubtraxit. Virtutibus non ſignis in ſuis fidelibus Chriſtus quærit augmentum, qui, cùm neceſſarium fieri conſpicit, ſemper ſibi adeſt mira faciendi poteſtas, & per quos operari vellet, ſuæ noſcitur eſſe notitiæ reperire. Sterilis eſt miraculorum petitio, ſed fructuoſa doctrinæ, quam ſi expetiviſſent, liberè dediſſet petentibus, qui gratis non petentibus contulit. Curioſitas eſt miracula petere. Ac etiam non modica vanitas ſignis intendere. Hinc eos Salvator ex præteritis arguendo confundit.

3. Reg. *In veritate dico vobis: Multæ viduæ erant*

17. *in diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt*

4. Reg. 5. *cœlum annis tribus, & menſibus ſex, cùm facta eſſet fames in omni terra, & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sydoniæ ad mulierem viduam. Et multi leproſi erant ſub Eliſæo Propheta, & nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus.* Famoſiſſimæ ſunt iſtæ hiſtoriæ in veteri teſtamento, in quibus Salvator Nazaræis improperat. Magna myſteria intercludunt, ſcrutantibusque pandunrur. Sed quantùm poſſumus, allegorica in hoc opere devitamus, moribus potius intendentes. Extranei erant à populo vidua Sareptana & Naaman Syrus, & lege Moſaica, & circumciſione carebant. Sed aliquid Deo gratum erat in eis, quo illa prophetam recipere meruiſſet, ille verò ab alio propheta mundari, cùm in Iſrael eſſet talium ſimilitudo multorum, ac ſi Nazaræitis à Domino diceretur. Non eſt patria cauſa, non locus nutritionis, non propinquitas generis, unde divina hominibus conferantur, quoniam non in illis viduis, quæ in illis erant, eſt directus propheta, neque leproſi Iſraelitici ſunt mundati, ſed hi, qui lungè videbantur à Judaicis ceremoniis, ab obſervantia veteris teſtamenti, quamvis divinam legem in cordibus ſcriptam tenere potuiſſent. Proinde trajicientes unum in reliquum, hoc in illud ex ſimilitudine impellentes, in vidua obedientia, in Naaman ſacramentale exercitium deſignatur. Et hæc in manifeſtis. Neſcimus tamen, quid apud eos fuerit in occultis. Nec vertatur in dubium, iſtam viduam, iſtúmque Naaman virtutes habuiſſe incognitas, aut aptos extitiſſe illico divina ſuſcipere, quibus ſic corpore ſingulariter eſt proviſum. Sæpe protinus agitur, ſicque comprehenditur, quod quid inſigne corporaliter oſtenſum indicet, ſi ad virtutem perveniatur, qualis in ſpiritu perſona ſit futura. Obedientia ſiquidem erat in vidua, quia Dominus ei in ſpiritu præceperat, ut paſceret Eliam. Sic enim in libro Regum legitur, cùm diceretur Eliæ: Surge, & va- 3. Reg.

de in Sarepta Sydoniorum, & manebis 17.

ibi, præcepi enim mulieri viduæ, ut paſcat te. Quia præceperat, ut paſceret, & quem nondum viderat, nec Elias ipſam aliquando cognoverat, non miſiſſet ad eam, niſi ejus obedientiam præſenſiſſet. Quam cùm etiam Elias vadens Sareptam, juxta portam aſpexiſſet, ut piè creditur, ſpiritu indice ſtatim novit, quod illa erat, ad quam paſturus à Domino mittebatur. A qua tanquam ex itinere fatigatus, ſibi aquæ potum in vaſe poſtulavit afferri, velut probans ſi divinæ juſſioni illa paruiſſet, ſicut ipſe Sareptam veniendo paruerat. Cúmque illa pergeret, ut afferret,

ferret, clamavit poſt tergum ejua, dicens: Affer mihi obſecro & buccellam panis in manu tua. Laſſus & famelicus Propheta videbatur, qui ad primum petitum inſpiciens exaudiri, etiam panem obſecrando depoſcit, & ut afferatur poſt tergum vociferat. Si allegoricè illa decuderem, eſſet tranſitus facilior ad moralia, ſed eo difficilior, quo prætermittitur ordinata gradatio. Veruntamen illo prætermiſſo, quod moris eſt illico aggredientes, prophetam miſſum viduæ de gentibus divinum dicimus eſſe ſermonem ac prædicatorem, qui ſemper mittitur animæ, quam ab æterno prædeſtinavit omnipotens, ut paſcatur, non neceſſitatis pane premente, ſed converſionis delectatione. Nam ſicut cibus Chriſti eſt, ut voluntatem paternam perficiat, ſic & omnium prophetarum, Apoſtolorum, prædicatorum ejus eſt cibus, ut hi, ad quos mittuntur, illam inculpatè perficiant. Sed primò petitur aqua in vaſe, lachrymæ ſcilicet in menſura pro compenſatione delicti, & aqua eſt diſpoſitio ad præcepta, ſuſceptibilia enim ſatis eſt aqua formarum, & tam retentibilis quouſque impreſſæ irremotæ perdurant. Aqua in vaſe, fluxibilitàs in mente, petitur, ut ſiſtatur, & quæ decurrebat in preceps, prout naturaliter ferebatur, conſiſtat per gratiam. Aquà frigida animæ ſitienti, & nuntius bonus de terra longinqua. Aqua frigida petebatur à ſitiente propheta, nam ipſe ſitientibus refrigerium præſtat. Refrigerium eſt quærentium animarum ſalutem, cùm ſitiunt homines audire, cùm Chriſto velle obedire credentes. Et nuntius bonus de terra longinqua præſtita obedientia differentibus Chriſtianam veritatem nuntiat de ſalute, quæ terra ſine termino à peccatoribus eſt remota. Expetitur aqua in vaſe, ut obedientia ſit in uſu, nam vas ab uſu ſeu à veſcendo nomen accepit. Pergit vidua imperio, aut à petitione mota prophetæ, ſed antequam primum impuſitum faciat, reclamatur, ſibíque adjungitur, ut etiam afferat buccellam panis in manu. Buccella panis non eſt totus, ſed fruſtum eſt panis, quam Judas à Chriſto in deſignationem ſuæ proditionis accepit. Buccella eſt illa rei quantitas, quam uno receptu bucca capere poteſt. Videte, quàm parva compendia in principio ipſe propheta requirit, paululum aquæ, paniſque buccellam, ut id buccella dicatur, quod ore poſſit referre de optima fractione. Quaſi referendarij ſunt, qui docent de operibus auditorum. Etenim poſt obedientiam talia ſunt agenda, quæ ſunt ore digna referri. Reſponſum verò viduæ mulieris, & quæ geſta ſequuntur, in multa nos dicenda trajicerent, ut etiam nos facerent ab eo, quod in Evangelio intendimus declinare. Proinde noſſe ſufficiat viduatam animam à mundi honore, aut carnis dominio, ab amore corrupto, à timore perverſo, bene obedientem, agentem opera digna relatu, divinum ſermonem, theologum, prædicatorem, imo ipſum Chriſtum ſuſcipere, qui ditabit ex modico, qui mortuum viduæ filium revocabit ad vitam. Similiter & Naaman, qui prophetæ credens, in Jordane ſeptiea lotus eſt, unde morbus contagioſus abceſſit, ut etiam vita ſacramentalis & ſubjectio exhibita ſacramentia, liberet à peccatis, emundet à delictis. Ac per hoc advertendum eſt, quibus divina miracula negantur, quibuſve divina beneficia conferuntur. Hiſtorias tamen horum ex toto differendas dimittimus, ne aliud pro alio intendamus, & ne cudamus longa volumina, qui pro moribus commentari decrevimus. Veruntamen ſi quis illas hiſtorias providè conſpexerit, inveniet, quàm juſtè Salvator objecerit Nazaræis, quàm benemeritò ſimilia petita denegentur ſimilibus cæcis. Ac per hoc & *repleti ſunt ira omnes in Synagoga hæc audientes.*

Cap. XIII.

Quid mali innuat, quòd Chriſti JEſu doctrina reſpuitur, ſecundùm Lucam ſolùm.

QUi ſcire ſe credunt, difficillimè ſanæ doctrinæ ſubduntur, potius iraſcuntur infelici opportunè velut importunè doceri. Et qui ſe credunt aliquid eſſe, furiunt, cùm arguuntur. Malum hypocritale hoc ſibi proprium vendicat, ut, cùm detegitur, etiam in iram deiiciat. Turbatur nocturnus fur penitus cùm illuceſſit, & qui malè agit, inimicus eſt lucis. Et qui ab impietate detinentur, ſcandalizantur in ſermonibus veritatis. Et exardeſcunt in odium piè docentis, qui à propriis directionibus reſilire contemnunt. De quibus per Prophetam dicitur: Odio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfectè abominati ſunt. In porta corripit, qui mala publica reprehendit, occulta, ne foris proveniant, reprimit. Perfectè loquitur, qui vitium ex omnibus deteſtatur, virtutem per omnia in alta ſuſtollit, qui dicenda non tacet, tacenda non profert, qui ad veritatem, non voluntatem: pro juſtitia, non pro hominum placito verba depromit. Perfectè loquitur, qui, ubi ſeveritate opus eſt, non blanditur: ubi verò lenitate, non ſævit. Perfectè loquitur, cujus juſtitiæ verba loquentem non arguunt, cujus vita cum veritate, quam loquitur ex adverſo non diſceptat. Sed hic odio efficitur criminoſis, & pœnitere nolentibus inimicus, quamobrem hi, qui jam erant de Synagoga ſatanæ, iraſcebantur adversùs omnium Salvatorem opportunè arguentem, perfectéque loquentem. Et ut, quod eis ira
Lucæ 4. ſuadebat, perficerent: *Surrexerunt, & ejecerunt eum extra civitatem, & duxerunt eum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.* Non patitur impietas pios, iniquitas juſtos non ſuſtinet, & quietem non ſuſcipit, quoſque abiecerit, quod ſibi videbatur adverſum. Exilium patitur juſtus ab impiis, & extra reproborum conventum ſemper expellitur bonitas. Et compos virtutis non ſinitur vivere in concione pravorum. Et ut agendorum ſit cura liberior, propellitur, qui veller arguere. Sed hinc excidia civitatum, hinc ſeditiones malorum, hinc judicium naſcitur, hinc reſpublica cedit in proprium, hinc ſceptrum iniquitatis inſurgit, hinc ſcipio populi abrogatur, hinc exitia hominum, violenta perditio caſtitatis, honeſtas latet in tenebris, cùm verbum rectè loquentis contemnitur, cùm deprimitur virtuoſus, cùm expellitur veritatis amator, cùm extra mœnia ponuntur juſtitiæ zelatores, qui civitatem melius foverent conſilio quam armis bellicis milites tuerentur. O exitialis hominum pervicacia, verba juſtitiæ, atque doctrinam veritatis non ſufficit contempſiſſe, niſi addatur ira, interveniat odium. O utinam eſſet intercapedo, ne illico plura mala ſuccederent, non autem ſuſtinent, non morantur, non exquiritur in agendis conſilium, ſed ſubito eiiciunt extra civitatem. Furor ſemper adimit ſenſum, confundit diſplicentia intellectum. Et continuo reprobi mente cæca in peiora labuntur, ut non ſufficiat hominem juſtum abieciſſe à mœnibus civitatis, niſi mors etiam turpiſſima inferatur. Non ſufficit, niſi mors juſtorum impiis. Hæc in ſe pertulit Chriſtus, & tanquam hæreditarium meritorum ſuis ſequacibus dereliquit. Hoc impræternıiſsè in hoc ſæculo nequam agitur. Hoc virtus ab iniquitate devicta deplorat, hoc plangit juſtitia prætermiſſa, hoc exulans veritas, hoc quies hominum perturbata fuſis lacrymis lamentatur. Et qui contra Chriſtum militant, contra omnes virtutes ſuas acies dirigunt. Omnis enim virtus eſt Chriſtus, qui ab eis non potuit tali decreto confundi. Quoniam *ipſe tranſiens per medium illorum ibat.* Tranſiens incognitus aut inviſus, aut propria virtute tutus teneri non valens, non enim erat aliter moriturus. Et immortalis eſt virtus, quamvis homo neceſſariò moriatur. Non poteſt teneri manibus virtus, neque ab ejus æmulis in quoquam exterminium pati. Poteſt quilibet à ſeipſo virtutem repellere, necare verò ipſam non poteſt, incorruptibilis enim eſt: Poteſt quis interdum alterius corpori vitam auferre, virtutem verò non poteſt. Exilia ſæpe corpora patiuntur, virtus verò hæc damna non patitur. Væ! contemptoribus ſermonis juſtitiæ. Væ! iraſcentibus in æquitate arguenti. Væ! qui propellunt juſtum, & juſtitiam ejus. Væ! qui interimere omnino nituntur. Unde illis ſalus adveniat, deſperatur. Malus, qui con-

contemnit, iraſcens peior, expellens
utrumque per facinus ſuperat; omnium
peſſimus, qui conatur ad necem. Impius
Prov. 8. quidem cùm venerit in profundum malo-
rum contemnit. Indubitate venit in pro-
fundum malorum, qui legem ſuam con-
temnit, & Chriſtum. Impii erant hi
Nazaræitæ, impii ſunt & omnes, qui à ve-
ritate auditum avertunt, qui Chriſti do-
ctrinam deſpiciunt. De quibus per Iſaiam
dicitur: Populus enim ad iracundiam pro-
vocans eſt, & filii mendaces, filii nolen-
tes audire legem Dei. Qui dicunt viden-
tibus, nolite videre, & aſpicientibus, no-
lite aſpicere nobis, quæ recta ſunt. Lo-
quimini nobis placentia, videte nobis er-
rores. Auferte à me viam, declinate à
me ſemitam, ceſſet à facie noſtra ſanctus
Iſraël. Ecce perverſitas impiorum, quo-
rum figuram geſtabant Nazaræitæ ſic atro-
citer Chriſto Domino adverſantes provo-
cant ad iram Deum. Sibi etiam, & pro-
ximis mentiuntur, lege Dei gubernari no-
lunt, ſpernunt prophetias. Comprimere
ſatagunt omnem intellectum, ne quæ ſunt
recta cognoſcant, delectantur placitis ver-
2.Tim. 4. bis, juxta quod dicit Apoſtolus: Requi-
rent ſibi magiſtros prurientes auribus, à
veritate quidem auditum avertent, ad fa-
bulas autem convertentur. Cupiunt er-
rare, ut diſtortis moribus, quaſi in obli-
quis viis delectabilia, quæ quærunt, inve-
niant. Nolunt viam mandatorum, decli-
nant ſemitam conſiliorum. Abolere ſa-
tagunt ab ipſorum notitia Filium ſanctum
Dei. Perſpicua eſt culpa, ſed immediatè
ſequitur divina mulationis comminatio.
Propterea hæc dicit ſanctus Iſraël: Pro Iſaiæ 30.
eo, quod exprobraſtis verbum hoc, & ſpe-
raſtis in calumnia & in tumultu, & innixi
eſtis ſuper eo, propterea erit vobis iniqui-
tas hæc ſicut interruptio cadens, & requi-
ſita in muro excelſo, quoniam ſubito, dum
non ſperatur, veniet contritio ejus; &
comminuetur, ſicut conteritur lagena fi-
guli contritione pervalida. Et non inve-
nietur de fragmentis ejus teſta, in qua
portetur igniculus de incendio, aut hauria-
tur parum aquæ de fovea. Digna qui-
dem punitio, ut qui omnino totum, quod
eſt virtutis abiiciunt, quod etiam ipſi de
ſalute deſperent. Hinc etiam per Salomo-
nem dicitur: Viro qui corripientem ſe Prov. 29.
dura cervice contemnit, repentinus ſuper-
veniet interitus, & eum ſanitas non ſe-
quetur. Dura quidem cervix eſt, veri-
tatem nolle audire, illam contemnere,
Doctorem expellere, ipſumque
necare.

Cap. XIV.

De poteſtate ſermonis JEſu ſecundùm Lucam.

APeriunt intentionem, & vota, & paſ-
ſiones animorum edita verba, non
tamen efficiunt prolationis effe-
ctum. Vehiculum verbi eſt vox à corde
aliquid fieri cupientis, ad aures illorum,
qui habent aliorum vota perficere. Nul-
lius enim hominis verbum eſt ſeipſo ejus,
quod petitur, effectivum. Solus Deus
& humo verbo fecit, quæ voluit. Sic
Pſal. 148. enim David ait: Quoniam ipſe dixit, &
facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.
Geneſ. 1. Et dixit in creationis exordio: fiat lux, &
facta eſt lux. Et ſi quempiam moveat hæc
eſſe ſcripta de Deo nondum humanato,
qui antequam fieret, nullo more homi-
num loquebatur, quamquam per ſubiectam
ejus imperio aliquam creaturam credamus
eſſe locutum, ita quod ipſa quaſi de lingua
corporea in aures corporeas deveniret,
non tamen quia humanitatem ſeu natu-
ram humanam aſſumpſit, credamus adem-
ptam eſſe virtutem, & infinitam, quam ab
æterno habuit poteſtatem. In nulla po-
tentia eſt minoratus Dei Filius homo fa-
ctus, qui non ex forma ſervi aſſumpti,
ſed in forma Dei, qua æqualis eſt patri, po-
teſtatem in verbo habuit, quod protulit
per os hominis, quem aſſumpſit. Quod
verbum ſive ſermo in poteſtate efficiendi
erat omnium, quæ volebat. Nam cùm
evaſiſſet de manibus Judæorum *deſcendit
in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique do-* Lucæ 4.
*cebat eos Sabbatis, & ſtupebant omnes in do-
ctrina ejus, quia in poteſtate erat ſermo ejus.*
Sabbatis docebat doctrinam pro ultimo
Sabbato differens, & ad quietem in virtu-
te invitabat mortales. Cujus doctrinam
non apprehendunt, niſi corde quieti. Et
ſtupebant omnes in doctrina ejus, quia in
poteſtate erat ſermo ipſius. Unde ſtupor?
Ex magnis, & novis, & inſolitis rebus.
Magnum, novum, & inſolitum erat, quòd
ſermo emiſſus, quod volebat, efficeret.
Sermo per vocem eſt. Veruntamen Deus
dedit voci ſuæ vocem virtutis. Quæren-
dum quidem, in quo ſermonis ejus pote-

ſtas? In effectu miraculorum. Sermone
ſuo ſanabat univerſos, vita ejus & moribus
firmabatur, ut non eſſet repugnantia ope-
ris, & ſermonis. In quo potens? Huma-
nos illico mutabat affectus, convertens
placitum in diſplicentiam, & quod diſpli-
cebat, in placitum venire faciebat. In quo
potens? Mittebat odium inter charos,
gladium inter conjunctos. In quo po-
tens? Perſuadebat illico, quæ volebat. In
quo potens? Ex authoritate, non ex ra-
tione. Nam trahens in fidem propelle-
batur ratio naturalis. Et ſcriptum de ipſo
Pſal. 111. erat: Potens in terra erit ſemen ejus. Et
ipſe Apoſtolis interrogantibus explanans,
Lucæ 8. dixit: Semen eſt Verbum Dei. Hoc ſe-
men potentiſſimum eſt in terra, cùm ex ea
eximit homines in excelſis conſtituens.
Potiſſimum in terra, humiliavit enim mun-
di reges in illa, qua ſalvamur fide. Potens
divinus ſermo, etenim elementa ſanctifi-
cat. Et dum tangitur à corpore, ad quod
acceſſit ſermo humanus, ad virtutem aſ-
ciſcitur animus. Potens Chriſti ſermo,
liberans in moribus ſervatorem, ne dam-
netur. Quod Salvator ipſe teſtatur, di-
Joan. 8. cens: Si quis ſermonem meum ſervabit,
non guſtabit mortem in æternum. Non
ſolùm potens, ſed omnipotens eſt ſermo
Chriſti, qui liberat illum cuſtodientes ab
illo guſtu æternæ mortis, qua liberare non
potuit niſi Deus homo, qui de illius pœna
peccatores juſtè multavit. Et ſi ſermo
Moyſi & Aaron coram Pharsone in ſignis
& portentis in valida poteſtate fuit, ut om-
nia, quæ vellent, efficerent, in æthere, in
aqua, in terra, in animalibus, ut exitus de
Ægypto hiſtoria manifeſtat, ſi in conſpe-
ctu Domini, ut eum orando ligaret, & pe-
teret ab eo dimitti delinquenti populo ad
iraſcendum. Si Joſue ſermo in terra de ter-
ra proferentis ſolem ad ulciſcendum de
Gabaonitis in ſua ſphæra firmavit, ſi ſermo
Eliæ ad judicandos quinquagenarios prin-
cipes, eorúmque conſocios ignem de ſu-
pernis eduxit, ſi Eliſæi in omnibus geſtis,
ejus, ſi omnium prophetarum ſermo in
omnibus potens fuit, cur cunctandum,
quod ſermo Chriſti non erit? Sicut duo Lucæ 24.
Diſcipuli poſt mortem & reſurrectionem
aſſeruerunt, quod fuit potens in opere &
ſermone. Et ſi quis fortè parabit obie-
ctum, quod illi fecerunt in virtute Dei, in
qua loquebantur, conceſſerim quidem,
Sed hic, qui Deus eſt in cujus virtute loqui-
tur? In aliena an ſua? Inquit enim Apo- Heb. 2.
ſtolus: Multifarie multiſque modis olim
loquens Deus Patribus ſuis in Prophetis,
noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in
filio, non alterius naturæ ſive ſubſtantiæ,
aut immenſitatis aut æternitatis, aut ullius
alterius diverſitatis, excepto, quod relativè
dicitur, quàm ipſe Deus Pater extiterit. Ac
per hoc ſermo ejus in poteſtate magna erat.
Meritò mentibus audientium ingerebat
ſtuporem, & in admiratione ſuſpendebat
animos auditorum. Supra naturam & ra-
tionem & uſum hominum erat. In his
prophetico quodam ſpiritu Sponſa in Can-
ticis videbatur affecta, dicens: Anima mea Cant. 5.
liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt. Po-
tens ſermo, qui emiſſus ab ore animas li-
quefacit. Et in his Petrus illectus, dice-
bat: Verba vitæ æternæ habes, ſi à te re- Joan. 6.
cedimus, ad quem ibimus? Et Cleophas Lucæ 24.
aiebat: Nonne cor noſtrum ardens erat
in nobis, dum nobis loqueretur in via? Et
ait Apoſtolus: Vivus eſt ſermo Dei, & Heb. 4.
efficax, & penetrabilior omni gladio anci-
piti pertingens uſque ad diviſionem ani-
mæ ac ſpiritus, compagum quoque & me-
dullarum & diſcretor cogitationum & in-
tentionum cordis. Perſpicuum fidelibus
atque habentibus exercitatos ſenſus, &
his, qui ſcripturis Catholicis præſtant in-
hæſitantem fidem, quantæ poteſtatis Chri-
ſti ſermo reſplendeat. Væ! autem his, qui
huic potenti obicem poſuerunt, ut non
quod poteſt, quod novit, quod quærit,
efficiat. Etenim ſibi ex poteſtate liberi
arbitrii reluctatur, qui non efficit, ſi non
capitur, nec tenet, niſi teneatur.

Cap. XV.

Quid inſinuat aſcenſus Chriſti in navem Simonis, & captura piſcium, & doctrina verborum, & relictio navium in ſequela Diſcipulorum, ſecundùm Lucam.

QUoniam ſermo Chriſti potens erat,
ut demulceret audientes aviditate
audiendi, quia impetu quodampio
ad eum utriuſque ſexus homines undique
veniebant, virtutem juſtam attrahendi ad
ſe homines ex inſita virtute habebat, niſi
contumax ex invidia Judæorum malitia
obſtitiſſet. *Nam factum eſt, ut turba irrue-* Lucæ 5.
rent

vent in eum, ut audirent Verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezaret. Et vidit duas naves ſtantes ſecus ſtagnum. Piſcatores autem deſcenderant & lavabunt retia. Irruebant turbæ impetu corporis, voluntatis avidæ excitatæ deſiderio ex præauditis amplius audiendi. Magneticam attrahendi imaginem habebat ſermo Chriſti poteſtate plenus, ut turbas ſic irruentes ad audiendum attraheret, ita, ut nulla eſſet delatio inter eos. Sed nec debet in moribus exhibendi honoris & reverentiæ cenſura ſervari, ad capiendas divinas theorias & rudimenta ſuperna. Et ubi tributio eſt divinorum, ille urbanior, qui anticipat. Et deferri nemini acceptum eſt tribuenti, cui ille gratior eſt, qui majori aviditate anticipiat. Quædam probatio eſt amare ſcientiam, propinquiorem fieri ad Doctorem; qui amplius diligit, quem viderit ſibi appropinquare avidius, ut audiendo præcapiat. Et miles regi gratior, qui nemini defert adaſſiſtendum ſuo conſpectui, ut audita juſſa perficiat. Gratulatur pater filio confratres cæteros poſtponenti, ut ſibi poſſit eſſe proximior. Non eadem eſt urbanitas in divinis participandis, quæ in perfunctoriis rebus exquiritur. Laudabile porro erat, non culpabile, quod turbæ irruebant, ut audirent Verbum Dei, qui pro audiendo ad anticipationem nemini deferatur. Stabat ipſe ſecus ſtagnum Genezareth, lacum aut mare Galilææ ab incitatione ventorum ſic dictum. Vidit naves ſcilicet illorum, qui operabantur incertas capturas in aquis. Incerta operatio eſt piſcatio; cùm ſub aquis fortuitè linea clauſtra laxantur. *Piſcatores deſcenderant, & lavabant retia.* In cœnoſam aquæ partem retia miſerant, quare ablui oportebat. Nihil quidem in operibus hominum mundum, & purum eſt, niſi quod à ſola virtute procedit. Cujus etiam actus raro ſunt depurati non ex parte virtutis, ſed ex parte agentis in illa, virtus tamen ſemper eſt munda, nihil recipiens adverſi. At tamen in agendo difficile eſt omnem habere munditiam, ut ille, qui operatur, non ex aliqua parte turpetur, quamvis virtute nemo malè utatur. Certum dixerim, ſed in actu, in modo, in intentione eſt adhibenda cautela. Meritò lavantur retia. Expedit quidem expurgare operationes noſtras ab his, quæ maculare ſolent. Lavantur retia, quia ſæpe pro piſcibus ranæ capiuntur, & immunditiæ, quæ occultè continentur in aquis, ſcilicet in fluxibilitatibus ſæculi. *Aſcendens autem in unam navem, quæ erat Simonis Petri, rogavit eum, ut à terra reduceret puſillum. Et ſedens docebat de navicula turbas.* Duæ naves erant, ſed illam Simonis prælegit, non aliam repudiat. Non enim omne quod non eligitur, repellitur, ſive reſpuitur. Quod eligitur, in majori eſt placito, in odio eſt, quod repellitur. Myſticè atque moraliter factum eſt, ut JEſus navem aſcenderet Simonis, propter Eccleſiam in obedientia fidei ſituandam. Et obedientia ſine contradictione ab omnibus exigitur in executione mandatorum, ad captanda cœleſtia. Quam protoplaſti non ſervantes, de loco amœnitatis dejecti ſunt in hac calamitoſam vitam. Rogat Simonem JEſus, non imperat adhuc ei, velut nondum ſibi ex toto adhærenti. Rogat quidem, ut puſillum reducatur à terra, quod & factum eſt. Et de navicula exiſtenti in mari dabat ipſe populo ſitienti doctrinam. Vult Chriſtus à terra reduci per obedientiam fidei, ut nulla terrena ratione credatur eſſe, quod eſt. Nec ob meritum terrenorum credatur in eum, aut virtus Chriſtiana ſeu aliqua conditio actionis & ſtatus pro mercede terrena in Eccleſia Catholica inquiratur. At potius eligatur vexari velut procelloſis undis in mari, & undique agitari in periculis, in obedientia fidei, quàm in terra, ſeu terrenis ſolidari ad tempus, fidei morumque ipſius abiecto regimine, juxta illam ſententiam: Elegi abiectus eſſe in domo Pſalm. 83
Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Et magis vexari undis hujus ſæculi elegit Chriſtus, quàm quieſcere in terrenis delectationibus in ſocietate malorum. Sic formam omnibus ſequacibus dedit, ut potius eligant agitari turbinibus ſæculi quam ejus foveri ſubſidiis. Et hi, qui cathedram tenent inferendo doctrinam, potius eligant de tribulationibus & tentationibus tolerandis audientes inſtruere, quàm terrenarum rerum ſoliditatem aſſignare labentibus. Hinc ipſe Salvator reductus à terra, ſedens in navicula docebat de ipſa turbas. Sedet in navicula in mari lata, quoniam ipſe quieſcit, ubi nemo quieſcere poteſt. Et imperium habet in viſibilibus & in inviſibilibus undis. Nulla ſibi aliunde moleſtia, niſi quando quati voluit. Et docet turbas, inde dictas, quia facilè turbantur, & turbant, ne turbentur exemplo ſui, qui ſedet in turbata navicula non turbatus. Jam ſe ordinabat ad crucem, in qua quieto animo pendens, etiam magna verba doctrinalia auditoribus protulit. Sed ubi ceſſavit de navicula loqui, *dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia in capturam.* Cognoverat JEſus, quod ad piſcandum illi in navicula ſe contulerant, & quod nec cœperant, laxantes inaniter retia. Nunc ad altiora maris hortatur duci naviculam,

ut piſcaturâ fiat quæ facta non erat, & nunc
uberior ſolito. Altitudo maris non eſt ex
montibus aut ex collibus, ſed ex inviſâ
profunditate. Sed cur petitur altitudo
maris, in quam, cùm propheta veniſſet, la-
Pſal. 68. mentatur ſe fuiſſe ſubmerſum, dicens: Ve-
ni in altitudinem maris, & tempeſtas de-
merſit me. Ac etiam ab Apoſtolo prohi-
Rom. 11. betur altum ſapere, cùm dicit; Noli altum
ſapere, ſed time. Sed nec hoc altum pe-
tere ſuadebatur à Chriſto, ſed altum ma-
ris pro futuro myſterio, altum ſcilicet fi-
dei cæterarumque virtutum. Altum ſcili-
cet profundum intelligentiæ ſcripturarum,
in quibus, velut in figuris profunda & re-
velanda myſteria latitabant. Altum ſcili-
cet humanæ potentiæ. Nam humanum
imperium altè premebat orbem terrarum,
quo Petrus divino mandato ſe tranſtulit
piſcaturus, ubi piſcatus eſt homines, ubi re-
liquit ſummo pontifici ſedem, ubi ad ca-
piendos homines continuè laxata ſunt retia
fidei, quouſque tota Roma venerat in cap-
turam. Etiam ipſi Imperatores Romani,
velut cete grandia infra fidei & divinorum
verborum retia devenerunt. Sed cùm
audivit Petrus de laxatione retium in cap-
tura, ex nullo effectu, & labore caſſo prio-
re, ad futurum quaſi reluctatus eſt effe-
ctum, tandémque jubenti conſenſit, præ-
dicens: *Præceptor per totam noctem labo-
rantes nihil cæpimus, in verbo autem tuo la-
xabo rete.* Præceptorem vocat, ad cujus
eſt paratus parere præcepta, enuntians caſ-
ſo labore ſe cum ſociis totam noctem præ-
teritam tranſegiſſe, cùm nullus piſcis ve-
nerit in capturam. Sed rectum loquitur,
cùm nihil præterquam in promiſſione cœ-
piſſent homines ab Adam uſque quo Sal-
vator omnium adveniſſet. Tota enim
nox fuit omne intermedium temporis. Et
in nocte peccati, aut ignorantiæ nihil boni
capitur, præter averſionem, & culpam dig-
nam gehennalibus & tetralibus flammis.
Laxatur rete ad jubentis verbum, in ſpe
meliuris effectus præſtita fide, quod caſ-
ſus labor, atque nocturnus ex diurnu exer-
citio ſuppleretur, & ex effectu jam vera eſ-
ſet illa ſententia, quam nondum Salvator
protulerat, quam in receſſu temporis
Joan. 15. protulit: Quia ſine me nihil poteſtis fa-
cere. Proinde nihil cœperunt nocturni
exercitatores Mundo infidelitatis nocte
pallente, nondum verus dies Chriſtus
mentibus humanis illuxerat. Implevit
juſſum: *& cùm hoc feciſſent, concluſe-
runt multitudinem piſcium copioſam.* Non
eorum peritia, & virtute, ſeu eo fortui-
tu, quo ſolent piſces devenire in linea
clauſtra, ſed in virtute Verbi JESU,
in quu laxata ſunt retia. Hæc copioſa
multitudo erat ad præſagium futurorum
pro piſcatione credentium, prout dictum
eſt Petro, quod eſſet homines piſcaturus.
Non enim facta eſt ad eſum, nec ad com-
mercium, cùm neque comeſti fuerint hi
piſces, neque venditi. *Rumpebatur autem* Num. 16.
*rete eorum præ multitudine piſcium, & annue-
runt ſociis, qui erant in alia navi, ut venirent,
& juvarent eos.* Si in virtute Domini eſt
captura, cur rumpitur rete? Schiſma ipſe
non diligit, & ſchiſmaticos ab hiatu terræ
fecit abſorberi. Extra debitos terminos
ipſe non operatur, odit ſuperflua, pondus
omnibus ſtatuit, numerum & menſuram.
Fit tamen ſæpè in arte piſcandi quod piſ-
cium ſupra ſperatum concluditur multitu-
do, & interdum nullus venit in retia. Sed
aliquid magni Chriſtus volebat innuere ex
piſcium tam magna captura, ut cita & fir-
ma præſtaretur ex miraculo fides, & mul-
titudinem hominum in exordio naſcentis
Eccleſiæ credituram, ut liber Apoſtolica-
rum actionum inſinuat. Quòd rete rum-
pebatur, pertinet ad non credentes perfe-
ctè, & ad in fide ſchiſmaticos. Vel oſten-
dit magnam Chriſti cuſtodiam electorum
ſuorum, ut etiam eos inter perſecutores,
tribulatores, tentatures & ſchiſmata, & di-
viſiones, & hæreſes elabi à fide, defluere
à virtutibus non ſinat, pro eo, quòd ſcrip-
tum eſt, quod rumpebatur rete præ mul-
titudine piſcium, nullus tamen extra reti-
nata clauſtra prodibat. Ex proprio motu,
vel alia violentia extrahebatur. Sicque
intra retia Salvatoris incluſi non exeunt,
aut excluduntur inviti, nec ab aliquo ad-
verſo ſuperari permittuntur, ut excludan-
tur, neque Chriſtus ſuos omnino cuſtodit
impaſſos, ſed ne, quod eſt ſatanicum op-
primat preſſos. Non patitur unitatis ama-
tor, pacis & concordiæ author, quod à
ſua unitate, ac potius unione aliquis reſ-
cindatur invitus. Voluntas quidem libe-
ra veniendi per Dei Donum intra domi-
nica retia, eadem eſt manendi, ut ſicut ali-
quis non fuit, aut manſit incluſus invitus,
ſic nec excluſus. Adjutorium autem al-
terius advocatæ navis ad retia Petri, & ad
naviculam in qua Chriſtus erat, in qua in-
ſignis eſt celebrata captura, advocationem
omnium Apoſtolorum ad confeſſionem
Petri & ad authoritatem regiminis mon-
ſtrat, ut cùm in omni plenitudine autho-
ritatis conſtitutus ſit vertex, cæteri ad par-
tem regiminis & adjutorii ſunt adacti. *Et
venerunt & impleverunt ambas naviculas, ita
ut pene mergerentur.* Duæ naviculæ non
duæ ſunt Eccleſiæ, una tantum eſt ortho-
doxa Eccleſia. Sed duæ naviculæ, autho-
ritas & ſcientia, fides actio, activa & con-
templativa, duæ leges, Moſaica & Evan-
geli-

gelica, prædicatio & oratio, prælatura & Subiectio, juſſio & obedientia, duæ Chriſtianorum partes, eorum, qui dixerunt: Pſal. 13. Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi, & eorum, qui abiecta terrenorum ſarcina in mandatorum cuſtodia ſervire altiſſimo decreverunt. Et omnibus his una eſt Eccleſia. Quòd pene mergebantur, vexationem, tentationem, tribulationem, & tempeſtatem in omni ſtatu & negotio adeſſe declarat. *Quod, cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua JEſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant in captura piſcium, quam ceperant. Similiter autem Jacobum & Joannem filios Zebedæi, qui erant ſocii Simonis.* Petrus ab Evangeliſta poſitus eſt cùm Evangelium ſcripſit, nondum quando iſta facta ſunt, hoc nomen Petrus impoſitum Simoni fuerat. Procidit ad genua JEſu Simon in humilitate deiectus, in admiratione factus ex effectu verborum Chriſti. Simile nondum viderat. Profitebatur in Chriſto magnam eſſe virtutem, procliuus ad genua ſe peccatorem confeſſans, maximè, ſi componeretur ad Chriſtum, cujus conſortio ſe judicabat indignum. Petebat ex hoc JEſum, ab eo egredi, non tædio ſui affectus, non odio, non invidia motus ad ipſum, non aliquo dolo vel fraude, ſed inæqualitate virtutis, cùm JEſum virtute pollentem, ſe peccato palleotem agnoſceret. In animo delectabatur jam Chriſti habere conſortium, ſed eum ſui cognita indignitas prohibebat, ne quæreret, magis autem, ut diceret, quàm ab eo pararet egreſſum. Initium cito habendæ bonitatis ac divinæ potiendæ virtutis eſt propriæ vilitatis & indignitatis cognitio, & humilis conſideratio, quanta noſtri inæqualitas eſt ad Chriſtum, & eo ipſo nos dignos ſuo conſortio facit & appropinquat nobis, quo nos ipſo judicamus indignos, & ex humilitate longè eſſe ab ipſo credimus. Stupor enim circundederat eum, & omnes qui erant cum eo, admiratio, ſcilicet rei geſtæ, quæ ſupra omnem uſum evenerat. Excedunt omnem hominum intellectum & ſenſum etiam minima facta Salvatoris, nec in eis verè poſſumus plus comprehendere, quàm mirari. Sed nec melius laudare, quàm gratias agere, quod ſic dignatus eſt cum hominibus operari & converſari, & opera ſuæ infinitæ virtutis oſtendere. Et cum ſtupor Simonem velut inſenſibilem reddidiſſet, & timore perculſum, ait ad eum JEſus confortans eum cum pollicitatione meliorum. Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens. Fecit JEſus in illa captura præſagium datum Simoni atque complicibus ſuis, quod homines erant divinorum verborum retibus capiendi, & per humanas, atque mortales hominem linguas promulganda erant cœleſtia, & immortalia danda fidei rudimenta, & documenta virtutum, quibus homines caperentur, ne vagarentur ſub undis fluidæ amœnitatis, malæ libertatis in moribus perdins. Nec anceps animus præſto ſit, quod ſoli Simoni hominum prædicitur de captura, cùm Paulus amplius laboraverit, pluresque converterit, & concluſerit, velut piſces in reti dominico. Similiter & alii Apoſtoli per univerſum orbem ad prædicandum diſperſi, plurimíque ſequaces. Sed dictum eſt præſertim Simoni, velut in authoritate primario, & Apoſtolorum capiti conſtituto, ac ſi ad unum ſit ordinata licentia docendorum, & ab eodem dependeat authoritas prædicandi, ne fierent hæreſes, ſicut factum eſt in illis, qui authoritate propria docere in populis præſumpſerunt, non referentes dicta & interpretatiooes ſcripturarum ad unam Catholicam Fidem, & ad unum infallibilem intellectum ejus, datum in Eccleſia præconibus Chriſti ex magiſterio Spiritus ſancti. Expedit quidem, ut divinus ſermo capiatur, & capiat, quòd ex authoritate procedat. Quomodo enim prædicabunt niſi mittantur? A quo mittentur, niſi ab habente authoritatem? Quis habet authoritatem, niſi qui accepit à Chriſto? Quis accepit, niſi cui Chriſtus dedit? Cui dedit niſi Simoni, quem verticem fecit Apoſtolici chori, cui tradidit claves regni authoritatem ligandi atque ſolvendi? Nam & Paulus, qui acceperat authoritatem à Chriſto, non ut caput, ſed cum capite Petro, poſt multos ſuæ prædicationis annos de Evangelio voluit conferre cum ipſo, & cum cæteris, quos invenit, ne videretur in vacuum currere, aut aliqoid dicere præter fidei unitatem. Ideo uni dictum eſt, quod per multos miniſtros verbi coadjutores Chriſti erat implendum, ut unitas veritatis, intentionis & interpretationis ſcripturarum, cùm piſcationi hominum intenditur, à piſcatoribus hujuſcemodi attendatur, teneatur, & habeatur, & ſervetur in verbo. Et tali præſagio præſcito, *ſubductis in terram navibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum. Et Jacobus & Joannes, relictis omnibus retibus, & Patre cum mercenariis, ſimiliter ſecuti ſunt eum.* Naves operationes marinæ ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Qui Pſal. 106.
deſcendunt mare in navibus, facientes operationes in aquis multis. Et in introitu ſæpe velificant adverſitate ventorum, ut non quo voluntas appetit, ſed quo flatus impellit, applicent. Et ſi piſcationi detur actio,

actio, ſæpe deluditur. Qui ergo ſequi volunt Chriſtum, declinent ad terram, & operationes ex ſolidis faciant, & ex certis. Non caſu, non eventu, non fortuna, non ſorte ſerviendum eſt Chriſto, ſed electione, ac etiam omni rationis judicio imitandus. Proinde ſubducendæ ſunt operationes incertæ ad ſolidam terram. Et relinquere debemus operationes in fluidis, & in rebus ſtabilibus Chriſtum ſequi. Non autem ſequi poſſunt nihil terrenum habentem onerati terrenis. Diſſimilitudo habendi, & non habendi diſſociat, rerũ verò ponderoſitas non permittit implicatum terrenis curis, & ſollicitudinibus animum ad expeditam ab hominibus, imo prohibet omnino ſequelam. Ac per hoc morum convenientia docet, ſuadet ratio nova, quam initiavit, vita exigit, ut omnia relinquantur, quæ ipſe contempſit. Nihil habeamus eorum quæ noluit. Nihil amemus eorum, quæ odit. Sequamur ſuo modo, non judicio noſtro, qui ſe nobis imitabilem præſtitit. Reliquerunt naves, reliquerunt retia, reliquerunt artem, patrem, mercenarios, quos mercede conduxerant in arte piſcandi. Omnibus relictis ſecuti ſunt omnia feliciter poſſidentem, omnia bona æternè habentem, & ſuis ſectatoribus retributionis tempore largientem. Quid autem eſt ſequi Chriſtum, cùm ipſe ad hoc invitet, & toties ſcriptura comemmorat, ſequi Chriſtum ex humanis moribus ſuadetur. Etenim quiſpiam amicum utique charum habens, ſequitur præeuntem, dum poteſt corpore, cùm nequit ultra, viſu quoadusque valet, inſequitur. Cùm verò ab aſpectibus aboletur, ſe traiicit in amoris equum, quem quantum poteſt calcaribus urget, ut attingat dilectum. Sic præcedentem dilectione, in fide ſequamur in ſuis operibus Chriſtum, in mortalibus, non in mirabilibus, ut ſuppetit ipſa facultas, qua progredi amplius non valemus. Intelligentia clara factorum ejus in memoria fiat, generabit quidem gratiarum actionem. Et cùm fuerit in ſuo inviſibili fangata motu, ut amplius ſequi nequeat, ad ſequelam amor indefeſſus accedat. Et qui ſequitur præeuntem, ingredientem indubitatè ſemitas æquitatis, non præcedat in via. Non expedit, aut decet ſequentem Chriſtum, aliquando præire JEſum. Satan etiam poſt enuntiationem beatitudinis appellatus eſt Petrus, tantùm quia voluit in confitendo præire JEſum. Totus ad Chriſtum, nihil ad ſe debet fieri verus ſequens. Nec declinet ad dexteram, aut lævam, ſed ſicut viderit ante iter pandere, poſt ſequatur ducem nunquam præeuntem in præceps, ſed ducentem per ſemitas & itinera claritatis,

Cap. XVI.

De ſequela Domini in tribus hominibus, à qua quidam repellitur, quidam invitatur, ſecundùm Matthæum & Lucam.

POſtquam Dei Filius in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, diſpariter animi hominum affecti ſunt ad eum. Non ex objectu Chriſti, qui talem ſe hominibus exhibebat, nullo modo acceptor perſonarum exiſtens, ſed ex affectibus hominum, qui in eum variè ferebantur. Et dux humani generis nobis de cœlo demiſſus in ſorte meliori, quàm Adam aut Noë, aut Abraham aut Moyſes, qui fuerunt utique magni duces, aut quorumcunque populorum principes novam facturus militiam, quærebat ſequelam. Inanis dux, inaniſque ducatus, niſi qui ducantur, exiſtant. Et omnes iſti ſuperno duce indigebant. Nam in terrenis ducibus jam defecerat omne hominum genus. Verumtamen multi æſtimaverunt contemptibilem hunc ducem, nulla humana potentia refulgentem, & privatam honoribus, divitiis, ſocietate procerum, potentatu civium, & his, quibus maximè inhiat affectus humanus exiſtens vanus. Amplius quidem, quod in ſuo bello conflictum in corpore accepit in cruce, & impotens, & improvidus, & invalidus judicatus eſt, ut etiam à tali ſequela plurimi abſtraherentur terrore tyrannorum, metu pœnarum, & aſpernatione ignominioſæ mortis, timentes damna rerum, ſi venirent ad crucifixi ducis ſequelam. cùm ipſe dixerit: Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Cujus ſermo, ab his omnibus, præſertim, qui in Chriſto amplius, quàm quod erat humanum, cognoverunt, cognitione

ne quidem fidei, ſed non altera. Et cùm variè, & differenter à cordibus eum videntium caperetur, *factum eſt, ut ambulantibus illis in via, accedens unus ſcriba, ait illi: Magiſter ſequar te, quocunque ieris. Et dicit ei JEſus: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet.* Ecce ſe offert ad ſequendum Chriſtum ſcriba non requiſitus. Et magiſtrum vocat velut cupiens erudiri, & ſine exceptione pollicetur ipſe ſequelam, ut nihil ſit, quod eum poſſit avertere, nullúſque ſit tædio aut timori locus, nullus amor patriæ, nullus pavor peregrinari cum illo. Præcedat ipſe dux, ſequetur ipſe, quo ierit. Optima pollicitatio ſequentis ad ducem, cùm nihil excipitur. Utinam & nos ſequamur ſine exceptione, quocunque præire noverimus ducem omnium Chriſtum. Sed huic talia promittenti intentiò non erat ſana, quanquam optimè verba ſonarent, quam ex reſponſione Chriſtus culpabat, dicens: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos. Aliquid iſte ſcriba temporalis emolumenti ſperabat ex Chriſto, aut dolo iſta protulerat. Propterea hujusmodi reſponſionem accepit, non quòd ſequeretur, ſed quòd Chriſto nihil adeſſet commodi temporalis. Fruſtra igitur ſe parabat ad ſequelam Chriſti terrenorum intuitu, cùm ſe à talibus abdicaverit, nec ſequaces ſuos præmiari terrenis diſpoſuerit, ſed ſupernis. Neque Salvator de cœlis pro nobis veniens, in hunc mundum ſequi eum volentibus in moribus ad cœleſtia facturus ipſe ducatum, deſinit eſſe, quod erat. Neque virtutis ſuæ præmium voluit eſſe terrenum. Ex forma ſervi ſe imitabilem præbuit, quæſivítque ſequelam, ex forma Dei præmium promiſit, invitans ad gloriam, non perfunctoriam, ſed ſupernam. Non igitur in hoc mundo, aut in rebus hujus ſæculi ſperandum in Chriſto, ut ait Apoſtolus: Quoniam ſi in hoc mundo in Chriſto tantùm ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Non eſt temporale commercium ſequi Chriſtum. Et ſi ad tempus ſit ſequela, in æternum eſt præmium. Et æternus Dominus dignum æſtimat ſibi, ſuis ſequacibus æterna largiri. Non receſſit ab imis, non aſſurgit ad potiora, qui ſequitur Chriſtum, aut operatur in virtutibus ſuis, volens ex hoc adipiſci labentia. Aſſerit ergo ſe pauperem Chriſtus, cùm ſit Chriſtus Dominus omnium, & omnium intentionem avertit à ſequela ſui reſpectu commodi temporalis, dicens animalia terrena, & volatilia cœli habere in terra proprias manſiones, ſe verò nullum diverticulum ad manendum. Hinc de Chriſto David prædixerat: pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea. Et Apoſtolus de- Pſal 78.
clamat: Scitis enim gratiam Domini no- 2. Cor. 8.
ſtri JEſu Chriſti, quoniam propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis. Non vult ſequentem JEſus decipere, ſi temporalem ex ſequela ſperat mercedem, imò nec recipere, ſi ex ipſo non ſperat æternam, propter ipſum deſpiciens terrenam, abdicatus mundo, alienatus mente à charis ſecundùm carnem, ſeipſum odiens odio ſancto, & ingrediens illam arctam viam, quæ ducit ad æternum, & fundatiſſimum Dei regnum, illam latam aſpernatus, qua itur in æternum ſupplicium. Sed illa paucos, iſta plurimos habet viatores. Si verò in exiliorem ſenſum verba trajicimus, Chriſti ad homines maxima eſt querela, videlicet, quòd volucres cœli, ſcilicet dæmones, haberent receptaculum in cordibus hominum ad manendum, & vulpes videlicet exquiſitæ malitiæ atque verſutiæ, & Chriſtus non inveniat, ubi caput reclinando deponat, ſcilicet ut quia Deus eſt, ab hominibus credendo rapiatur. Caput enim Chriſti Deus, dicit Apoſtolus. No- 1. Cor. 12
lebat enim Chriſtus, ut eum ut purum hominem homines ſequerentur, ſed etiam tanquam Deum, ut hominem in exemplo, ut Deum pro præmio, ut hominem in agenda vita, ut Deum in ſperanda, ut hominem in doctrina, ut Deum pro gloria. Iſte autem, qui nec receptus eſt ad ſequelam, aut aliquid boni temporalis ſperabat à Chriſto, aut aliquam fraudem geſtabat in animo, quamvis eſſent verba decentia prolata ſine exceptione protinus in ſequelam. *Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte me primum ſepelire Patrem meum. Dixitque ei JEſus: Sine, ut mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, & annuncia regnum Dei.* Scriba repellitur à ſequela, iſte invitatur. Repellitur ſcriba, quoniam difficillimè plurimum eſt, ut alta ſapiens & prudentia carnis imbutus, in veritate velit dejici, & in humilitate Chriſti veſtigia ſequi. Repellitur ſcriba, qui ſe obtulit ad ſequelam, hic invitatur; nec permittitur in patrem exercere officia pietatis, ad officium majoris deſtinatus, ut annuntiet regnum Dei. Huic dicitur, ut ſequatur, paternam pietatem ille allegat, curare vult patrem, nec eum deſtituere dimittens, expectare diſponit, quouſque moriatur, ut eum ſepulturæ commendet, neſciens ſi fortè ipſe ante moriatur. Non erat hujus pater in infirmitate, ut moriturus in proximo vi-

deretur, ſed fortaſſis in ſenectute. Attamen expectare iſte diſponebat, melius agere ratus, quàm ſi Chriſtum ſequeretur, ignarus adhuc, quòd pietas pro pietate dimittenda eſſet. Præceptivo verbo hic eruditur à Chriſto, quòd ipſe ſufficiens & debita cauſa eſt, qua parentes dimittendi ſunt, & etiam quicunque propinqui. Et relicti ſunt parentes à diſcipulis, & à multis bene fidelibus Chriſtianis. Et JEſus ſibi aſſeruit in ejus non poſſe venire diſcipulatum ſive ſequelam ſine ſancto odio propinquorum. Impietas neceſſaria eſt ad ſuos, cùm ad ſuam vocat ſequelam Salvator omnium Chriſtus. Et impietati damnabili adſcriberetur Chriſto vocante contempto, ad ſuos pietas cuſtodita. Ad plenum optimè pius eſt, qui divinum perfecit imperium, etiam omni obſecundatione denegata parentibus. Præfertur hominibus Deus, genitori creator, parientibus ad mortem vitæ largitor, nutritoribus redemptor, viventibus cunctis in hac vita mortali, qui, ut omnibus vita beata daretur, & immortalis ſe donavit in mortem. Et omnium vitam, & mores emit, qui pro omnibus in anima in peccato mortuis, & ex natura corruptibili in corpore morituris, ſuam vitam morti expoſuit, non taliter qualiter, ſed ignominioſiſſimo genere moriendi. Exigit jure ſequelam, parentes & cognatos dimittere perſuadet, qui gratis omnia fecit, & in uſum hominibus dedit, & gratis ſemetipſum in redemptionis pretium contulit. Sed tremendè contemplandum, quòd mortui ſepeliant mortuos. Nam ſi mortui, quomodo ſepeliunt? Si alios mortuos ſepeliunt, quomodo ipſi mortui ſunt? Si unum horum aſſeritur, alterum, ut removeatur, neceſſe eſt. Attamen alia ſententia, quod dicitur, innoteſcit. Quoniam qui vult vocatus ad Chriſti ſequelam accedere, illico factus eſt juſtus, quia illum ſequi, imò velle firmiter ſequi, juſtitia eſt. Et qui non ſequuntur, & nolunt, injuſti ſunt. Injuſtitia quidem mortem in anima facit, etiamſi adhuc corpus vita perfunctoria perfruatur. Mors autem corporalis, quæ mutatione divina in omnes homines venit, omnes interimit; neminem ſui relinquens inexpertum. Erunt igitur, atque ſunt in anima mortui, licèt corpore vivi, fortaſſis citò in corpore morituri. Sunt etiam mortui in altero, & ſæpius in utróque. Quorum omnium nulla conventio ad eos, qui Chriſtum voluntate, atque morum imitatione ſequuntur. Igitur ſequens recta intentione Chriſtum, juſtus eſt, & juſtus ex fide vivit, ſcilicet ex illa, quæ ex Deo eſt juſtitia in fidè. Et ipſe Salvator ait: qui ſequitur me, non ambulat in tene- Joan. 8.
bris, ſed habebit lumen vitæ. Vitæ por- Joan. 14.
ro lumen tenebras mortis excludit. Et iterum: Ego ſum via, veritas, & vita. Totus ergo à vita, totus de vita, totus ex vita, totus in vita, totus pro vita, qui non obliquè ſequitur Chriſtum. Qui autem non ſequuntur, totis propriis itineribus tendunt in mortem, quoniam non eſt aliud iter rectum ad patriam, niſi ſequendo ducem, qui de illa æterna patria venit ad peregrinationis noſtræ miſeriam. Sed quia ſic eſt, quòd ſequentes Chriſtum vivi, non ſequentes mortui ſunt, non illa morte inſpecta corporia, quæ omnibus eſt communis, ſed illa conſiderata, ſcilicet rationalis animæ per culpam, quæ non competit niſi reprobis, quid ergo fœdus vivorum ad mortuos, ſenſibilium ad inſenſibiles, obedientium ad contumaces, ſequentium ad non ſequentes, diligentium ad non diligentes? Profectò juſtiſſimè dictum eſt invitato ad ſequelam Domini Salvatoris: Dimitte, ut mortui ſepeliant mortuos ſuos. Ac ſi diceret: Explicitum te fac, implicare te noli. Reprobi ſint cum reprobis, electi cum electis, vivi cum vivis, mortui cum mortuis, ſequaces Chriſti cum eorum ſimilibus, ſectatores diaboli cum complicibus ejus. *Tu autem vade annuncia regnum Dei.* Non expectandus eſt parens, citò aut tardè moriturus, ubi auditur Chriſti vocatio, qui factis, dictis, & omni actione ſua nos vocavit in aliam vitam agendam atque ſperandam. Ubi percipitur ſive præcipitur annunciatio regni Dei, Evangelii ſancti, non curandum de dimittendis non cunctandum penitus de agendis. Vox divina cùm clamat, ab omnibus humanis atque mundanis rebus abſolvit. Rex terrenus habet in moribus, cùm militem ſuum ad ſignatam militiam ordinat, & Dominus, cùm ſervum uni rei agendæ ſubjicit, pro illo tunc à negotiis cæteris liberum facit, neque à ſe ipſo in ſua mente culpandus, ſeu ab aliis arguendus eſt, ſi ſpretis omnibus atque dimiſſis juſtè præcipientis exequitur voluntatem, is cujus conditionis eſt, incontradicibiliter ſubjacere. Voluntate ſive neceſſitate ſubjacemus divinè præcipienti, ut nil ſit noſtri arbitrii, cùm vocaverit, nil, cùm præceperit, noſtræ directionis, etiamſi noſtro judicio melioribus actionibus poſſe videretur intendere. Qui ſe ſubjacere juſtè cognoverit,

rit, & infallibilem præceptorem ad ſefactum, aſpernabitur etiam bonum electionis ſuæ decretum. Proinde iſto fortè non cognoſcente pietatem à pietate diſcernere, parentibus ſecundùm carnem illam impendere ſanius æſtimabat. Corripitur ipſe, atque in ipſo corrigitur, & inſtruitur omnis fidelium multitudo, ut, cùm præceptum divinum, aut conſilium inſpiratum illuxerit, omnis propinquitas relinquatur, & quælibet actio alia pietatis. Amplius annuntiatio regni Dei, & Evangelii Chriſti ejus, quæ in animarum ſalutem peragitur, quæ in perpetuum ſunt victuræ, præponenda eſt obſequiis corporum neceſſariò moriturorum, in quocunque gradu propinquitatis exiſtant. Nam vox paterna de cœlo delapſa eſt, hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. Cùm Chriſtus loquitur, omnis anima in ejus obedientia cunctis poſtpoſitis liquefiat. *Et ait alter: Sequar te Domine, ſed primum permitte me renunciare his, quæ domi ſunt. Ait ad illum JEſus: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Præſtanda homini potiori ſequela non erit in voluntate ſequentis, ſed in arbitrio præcipientis, ut tempus & modus ab ejus arbitratu dependeant. Diſpoſuiſti ſequi Chriſtum, cur moras innectis? Quid cunctandum, ſi fides, quid ſi Chriſtus cordibus inſit? Ad quid domus repetitur, ut his, quæ in ea ſunt, renuncietur? A nullo eſt expectanda licentia, parato animo ad ſequelam. Omnis authoritas in illa ſequela conſiſtit, nemini valedicere obligatur. Summi conſilii eſt Chriſtum ſequi, omnibus inconſultis. Ars eſt artium & ſcientia ſcientiarum infallibilis eſt, ſimpliciter ipſum ſequi nemine requiſito. An fortè conſulendi ſunt parentes, aut ab eis commeatum accipere, aut diſponendum cum eis, ſi & quando, & quomodo, & in quo quis debeat Chriſtum ſequi? Negaverim. An ad renunciandum pacto ſeu juramento quod ulterius nolit converſari cum charis, neque uti dominio in terrenis, quis ratus fuerit domum repetere? Sed ad hoc nulla neceſſitas urget. Ipſa enim Chriſti ſequela totum gerit, & agenda omnia ſecum portat, omnem expeditionem habet, & divortii cum mundo chirographum, & licentiam, & abdicationem, & ſegregationem à diſſimilibus, & abſolutionem ab humanis decretis, & à naturæ legibus, & à legum, & Regum imperio, quoniam JEſus Deus homo eſt, quem ſequimur, Deus in omnibus ineffabilis bonis, homo in omnibus moralibus peragendis. Ac per hoc importunum dictum à volente ſequi, primùm permitte mihi renunciare his, quæ domi ſunt. Ad quem JEſus: *Nemo mittens manum in aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Aratrum inſtrumentum eſt, cui appoſito vomere tractu boum terra proſcinditur, ea intentione, ut jaciatur ſemen ad mortificandum, & fructificandum, atque fructum augmentis adhibitis, ad ſuſtendandam vitam in corpore aſſumendum, ea quidem imagine aratri ſequela Chriſti appellata eſt. Ad quam, ſi quis ſe dederit, ad alia quæcunque converſus, regno Dei fit ineptus. Cui ergo aptus? Regno diaboli, quia in illa veritate, qua creatus eſt, non ſtetit, quamobrem regno Dei factus ineptus, tetro regno factus eſt aptus. Non eſt reperire tertium regnum, quoniam qui non eſt Dei, traditur dominationi ſatanicæ. Et qui regno Dei non congruit, non ſe fallat exiſtimans regno diaboli non competere, credens ſuum aliquem dominatum ſeu regnum, in quo ſi non glorificaretur cum Chriſto in Dei regno, nec ſociaretur in pœnis in regno ſatanico, velut eſſet aliquid aliud, cujus nulla participatio fieret cum utroque. Itaque ab aratro reſiliens, non aptus regno Dei, aptitudinem habebit adverſam. Nec obſtat, quod de pueris non baptizatis ex hac vita nihil perperam cupito, dicto aut facto egredientibus quis poſſet objicere: quoniam non ſpectant ad regnum Dei, quia in fide trinitatis baptizati non ſunt, nihil quoque boni fecerunt, unde mererentur, nec ad regnum diaboli, quia nullam maculam voluntate aut opere contraxerunt. Et hoc ſingulare habet divina & humana juſtitia, ut nemo abſque crimine proprio in propria perſona puniatur. Relinquitur ergo eis aliquis locus tertius, in quo Deo non fruantur, nec ſenſibili pœna plectantur, ubi non ſunt illa ſumma bona, & infima illa mala. Et ex eadem procedit juſtitia, non coronare immeritum, & non punire inſontem. Illa verò culpa originalis per lavacrum regenerationis non abolita, quæ contracta eſt à parentibus primis, pœnam ſenſibilem non meretur, quoniam involuntaria & inactualis eſt in naſcentibus poſteris.

Cap. XVII.

De vocatione publicani ad ſequelam Chriſti, qui peccatores ad pœnitentiam vocaturus advenerat, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

QUi hominem ad ſimilitudinem & imaginem ſuam ſic fecit prout ab æterno prævidit, prænoſcit hominum voluntates, & earum diſpoſitiones, quàm faciles ad averſionem & converſionem, quámve difficiles, quàm diſciplinabiles, quàm tardiores, quàm duræ cervicis, quàm conſentaneæ ad ſupernas directiones. Et ſicut noverit animam ſuæ vocationi abſque contumacia in obedientia fieri, ſic vocat. Etenim cum univerſo humano genere ſic egit, quod non ante, ſed eo tempore mundo in carne apparuit, quod mundus jam erat in diſpoſitione factus ipſum recipere, quamvis eum abjeciſſet populus peculiaris ejus, ſicut ſcriptum eſt: Et ſui eum non receperunt. Et cùm ſæpe mens hominum hæſitat, cur iſte vocatur, ille non vocatur: iſte recipitur in ſequelam, ille reſpuitur: nemo queruletur, nemo præſumat in Deum, nemo temerariè judicet. Nulla reſponſio verior, niſi quia Deus omnium corda novit & voluntates, quæ homines latent. Et æquè, ut nec acceptio perſonarum, ſic nec eſt iniquitas apud Deum. Si ſpiritus Dei ubi vult ſpirat, & quando vult, & quomodò vult, & nunquam, niſi quod juſtum eſt, vult, novit ergo quem vocat, quod omnino futurus ſit in ſequelam, & quem ad ipſam futurum non prænovit, vocatione non excitat. Mira etiam ad reprobos utens pietate, ne ampliori pœna plecterentur, ſi vocati venire contemnerent, quàm ſi deſpicerent non vocati, quoniam ſervus contumax, & conceptu judicio ſubjacet, ignorans verò miſericordiam aptè conſequitur, velut ſervus ſciens voluntatem Domini ſui, & non facit, plagis amplioribus, neſciens paucioribus vapulat. Ex hoc quidem dictorum contemplatio naſcitur, quod JEſus ſignanter vocaverit publicanum. Nam *vidit JEſus publicanum hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine ſive Levi, & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum.* In Capharnaum hunc hominem comprehendimus à JEſu fuiſſe vocatum, nomine Matthæum ſive Levi Alphæi, uno ſcilicet proprio nomine ſeipſum expreſſit, alio ſcilicet Levi, duo alii expreſſerunt. Capharnaum civitas marina erat apta commerciis, ubi Matthæus Reipublicæ agebat officia. Nam Matthæus ex nomine, Levi ex genere, de tribu Levi enim erat. Publicanus ex officio, quod à Scipione Publio habuit originem & ordinationem, qui pro Republica ordinavit publica telonia. In quorum numero Matthæus pro Republica conſtitutus, ſedebat exactor, inde captans inopem atque vilem corporis ſui victum, neſciens fortè, quid melius ſeu aptius ageret pro ſtipe quærenda, quàm exigere, calculare, reaſſignare in Cæſareum fiſcum numiſmata imagine Cæſaris inſignita. Sed aptè per imaginem quandam à publico ad magis publicum tranſivit officium, cùm vocaretur à Chriſto Rege Regum, & Domino dominantium, qui non unius civitatis aut provinciæ, ſed totius mundi Rempublicam reparaturus advenerat, miſſurúsque hunc publicanum per mundum in cedentem ſibi ſortem, ut ad firmiſſimum & ſolidiſſimum ſtatum Reipublicæ de novo per Deum & hominem, hominum legitimum Regem in vera virtute aſtruendum, ſine qua non eſt Reipublicæ firmus ſtatus, & in æterna beatitudine conſumandum, homines Evangelica prædicatione invitaret. Sicut enim piſcatores hominum fecit arte non abolita, ſed in meliora mutata, ſic Matthæum fecit deſerere teloneicam factionem agentem pro terrena Republica, ut ageret pro æterna. Et velut numiſmata ſignata imagine Cæſaris exigebat pro Cæſare, ſic homines ad imaginem Dei factos invitaret ad unum Deum, & ſummum Deum, ut homines agnoſcerent creatorem ſuum ab æterno Deum, ſed in tempore pro ipſis hominibus incarnatum, ut eſſent Dei, quæ ſunt Dei, & ſua jura juſtitia Cæſarea ſortiretur. Nam abraſam artem iſtam exigendi, calculandi, ditandi fiſci Cæſaris, novimus à Matthæo, ſed conditione nobiliore donatam, cùm derelicta eſt illa ſeſſio quotidiana, nautica emolumenta expectans, & Chriſti ſequela facta, & in diſcurſu laborioſo per orbem in annunciatione Evangelii æterni pro æterno regno Dei. Sed ad geſtorum ſeriem redeundum eſt. *Vidit JEſus hominem ſedentem ad telonium.* Determinatur Chriſti aſpectus ad unum hominem, cùm dicitur, vidit: qui omnes æquè æterno prævidit, ſed propter unum ſignanter dicitur, vidit, cùm aſpectum

Chri-

Prov. 15. Chriſti nemo poſſit effugere, quoniam in
omni loco oculi Domini contemplantur
bonos & malos. Sed illa viſio defixa in
hominem, electionem ejus à Chriſto jam
factam oſtendit, quem præſciebat voca-
tioni, ſeu electioni ejus piè præſtaturum
Rom. 8. eſſe conſenſum. Nam quos prædeſtina-
vit, hos vocavit: quos vocavit, hos ju-
ſtificavit: quos juſtificavit, hos glorifica-
vit. Sed ubi vidit? Sedentem ad te-
lonium. Quietem corporis habet nego-
ciatio illa, mentis autem plurimam ſolici-
tudinem. Et Diſcipulus Chriſti factus ſi-
ve futurus, deponat ſæculariter implican-
tia mentem, oportet enim illum non cor-
poralibus, ſed ſpiritualibus occupari. Ima-
go Dei eſt homo, in anima non in corpo-
re. Igitur anima divinis intendat, & ſi ali-
quando vilis facta, reptans in imis, aſſue-
facta caducis, reſipiſcens turpitudinem il-
lam abſtergat, intendens ad quod, & ſe-
cundùm quod facta erat. Corpore verò
tantum implicandum eſt quantum virtus
in animo reſidens in ſuum inſtrumentum
compenſata ipſius valetudine voluerit aſſu-
mere, aut quantum ipſius corporis non
voluptas, ſed neceſſitas coegerit. Non
competunt ſectatoribus Chriſti artes aver-
tentes à ſpiritualibus, atque divinis ſpecu-
lationibus mentem, ſed illæ, quæ corpus
ſolicitent amplius, mentem minus. Atqui
proprium nomen ejus, & generis, atque
patris ſi ducantur ad interpretationem, vo-
cationi ſuæ, imo ad id, ad quod vocatus
eſt, conferunt. Qui ſurgens ſecutus eſt
eum. Non ſurdus auditor, non tardus
ad verbum. Non expectavit exactionis
ſuæ vicariis Cæſaris reddere rationem, pro
eo, quod telonium relinquebat indemne.
Aliter quidem nec Chriſtus ejus accepiſ-
ſet ſequelam, Nemo, cum re, ſeu damno
proximi, aut fraude Reipublicæ recipitur
in familiam Chriſti, niſi ad poſſe cuncta
Matth. 3. primo errata correxerit. Non venerat
Chriſtus legem ſolvere præceptorum ve-
terum, ſed adimplere: quamvis initians
viam novam, nova mandata, novaque
conſilia indiceret. Porro relictis omnibus
Matthæus ſequitur Chriſtum. Nulla tem-
poris intercapendine data, ut vocatus con-
feſtim obedientia eſſet ad verbum, miſero
ſedili relicto & ſacculo pecuniarum &
ceraminibus & ſcriptionibus receptorum
& mercede ſibi debita pro officio, ad Ver-
bum Chriſti effectivum, ipſe ipſius factus
eſt per omnia effectivus. Nam non ſolum
Chriſti Verbum in Matthæi auribus ſonuit,
ſequere me, ſed ad ſe traxit animum, mu-
tavit affectum, illuminavit intellectum, id
omnino efficiens, quo ſicut vocatus, ſic ſe-
queretur. Quod illico Matthæus effecti-
vi verbi fecit effectum, qui relictis om-
nibus ſecutus eſt eum, omnia ſibi meliora
facturum. Reliquit quidem omnia, quæ
erant ad telonarius officium, in illa prima
vocatione, qua dictum eſt ſibi, ſequere me:
non illa, quæ domi habebat, attamen in
poſterum relicturus. Nam fecit ei con-
vivium in domo ſua. Fecit publicanus
ex officio publico in domo ſua publicum
Chriſto convivium, ut in evidentia rei fie-
ret, quod dimiſerat, & cujus volebat ſe-
ctari veſtigia. Reliquerat telonium, ubi
merces navium & nautarum emolumenta
redduntur, ubi & telonarius ſederat, pre-
tium mercibus ipſe facturus. Et ſequeba-
tur Chriſtum, qui mercedes ſuis ſequaci-
bus reddet, ipſe factus omnibus merces,
quia hæc eſt hæreditas Domini filii merces
fructus ventris, non impoſiturus amplius
venalibus mercibus pretium, ſed ejus, quod
in Chriſti ſequela meruerit præmium, re-
cepturus. Facit convivium leve majori,
quam rerum, fidei apparatu, exultans JE-
ſum recepiſſe hoſpitio, & quod de ſub-
ſtantia ſua tanto & tali hoſpiti miniſtrare
meruiſſet, indignum omnino ſe arbitrans,
quòd vocaretur à Chriſto, & quòd ad do-
mum ſuam corporalem ſumpturus anno-
nam tam humiliter divertiſſet. Ex cujus
humilitate Matthæus in Domino humilior
reddebatur, & eo efficiebatur Chriſti ca-
pacior, quo in humilitate profundior. Ne-
que Chriſtus ob cibi cauſam ad domum
ejus acceſſerat, ſed ad erudiendam & con-
firmandam animam ejus in relictione re-
rum, quam fecerat, & ſequela, quam cœ-
perat, adaugens ad inceptum, ut etiam do-
mum, & cunctam ſupellectilem, & ſi qua
vendicaſſet in proprium, ex toto dimit-
teret, quærens eum magis pauperem fieri,
egere cum Chriſto, quam abundare terre-
nis, etiamſi ſibi & cunctis egenis juxta
ſumptibus in poſterum de habitis mini-
ſtraret. Neque volebat Chriſtus illum re-
linquere quantalibet implicatum, quem
tanto ſtudio ſuam vocaverat in ſequelam,
quem aptum prænoverat diſcipulatui &
apoſtolatui ejus, Evangeliſtam verbo &
ſcripto futurum, tandem pro ipſo ſubiturum
& mortem. Sumit ore Chriſtus à Matthæo
partis, & ab ipſo paratis, cui & licitum erat
ſumere non tantum de bene parto, ſed etiam
de perperam cunctorum hominum, cùm
ipſe ſit Dominus univerſorum, cui præter
peccatum nihil eſt alienum. Cui non præju-
dicabat nequiter, acquirendo malitia ho-
minum in bonitate naturarum & rerum,
quarum omnium habebat verum domi-
nium, non lege cæſarea, vel humana, ſed
divina: quamvis homo factus pro nobis
egere voluiſſet, & nihil ſibi mercatus tem-

poralium legum ſn proprium vendicare, ſed velut egenus voluntate captabat ab hominibus opem, omnem proprietatem, & ſolicitudinem, & curationem in rebus temporalibus aſpernatus, velut à cœleſtibus veniens, cœleſtibus intendens, ſuper iſta cœleſtia in cœleſtibus majoribus citò futurus, dans nobis in paupertate formam, qualiter contemptis terrenis cœleſtia capiamus. Hæc pro tanto dixerim, ſi cujuſpiam animus moveretur, ſcilicet cur Chriſtus accipit convivium à Matthæo, cui fortè in tali officio aliquid non bene partum inhæſerat. Eſt etiam aliud, quod hujuſmodi querelam, ſi fieret, refellit. Cùm quis ſtudet ſaluti animarum, & earum intendit mederi languoribus duntaxat, quod neceſſarium eſt, in licentia eſt ſumendi, etiamſi de mammona iniquitatis exiſteret. *Et factum eſt, diſcumbente eo in domo illius, ecce multi publicani & peccatores venientes diſcumbebant cum JEſu, & Diſcipulis ejus. Erant enim multi, qui ſequebantur eum.* Cùm ad unum publicanum, & peccatorem Chriſtus divertere dignaretur, multis ad eum veniendi præbuit audaciam, ut venirent. Non enim ad aliquem magnum potentia ſive virtute, homo abiectioris conditionis præſumit accedere, niſi ad ſimiles abiectos ipſius dignatione præcognita. Quis præſumpſit ad Chriſtum accedere, qui nil reprehenſibile habebat, ſed omnem virtutem oſtendebat in majoribus, niſi peccatoribus loqui, & converſari, & comedere dignaretur? Magna prorſus Chriſti dignatio, qui peccatoribus etiam converſatione omnia factus eſt, ut eos ad pœnitentiam invitaret. Advertant igitur, qui ſtudent profectibus animarum, ne dedignentur in converſationibus peccatores, ne ſubſtomachentur eiſdem, ne deſperatione frangantur, ut eis claudatur opportunitas veniendi. Ecce præfert formam JEſus, divertit ad unum publicanum, & peccatorem, & multos ex uno trahit, & ad ſe venire invitat, incentivum cunctis tribuens veniendi. Recipit ad verbum, recipit ad diſcubitum, ſed nec mirum, ſi eos venatur ad æternum regnum. Oſtendit ſe domeſticum, divinè humanum, & humanè divinum. Rapit animas cunctorum rectè, non æmulè intendentium in eum amore & delectatione ſui. Et diſcipulatum ejus in hanc converſandi formam induxerat. Nam diſcumbebant publicani, & peccatores cum JEſu, & Diſcipulis ejus, qui magiſtri eorum dignationem humilem contemplantes, in alium zelum ſe tollere non audebant: erant enim multi, qui ſequebantur eum. Nec mirum. Magis autem mirandum, quòd aliquis remanebat, quoniam magna gloria eſt ſequi Dominum, longitudo hominum ſcilicet dierum ab eo. Sed ſemper è regione contradicitur operibus bonis, aut operibus malis inſiſtitur. *Nam & ſcribæ & phariſæi videntes quia manducaret cum peccatoribus & publicanis, murmurabant dicentes ad Diſcipulos ejus: Quare cum peccatoribus manducatis, & bibitis vos & magiſter veſter?* Conſurgit ex adverſo æmuloſa juſtitia, propellens ſuperbiæ faſtu animam de finibus ejus, imo judicium temerarium in alios, & de ſeipſis damnata præſumptio, cum ſcribæ & phariſæi ſub pallio juſtitiæ murmurant, judicantes alios peccatores, quos fortè ignorabant quales eſſent. Etſi erant procul dubio peccatores, non ſubjacebant ſic eorum judicio judicandi. Et ſe fatebantur ex hac ſententia juſtos & mundos, quod non eſſent, aut reciperent peccatores. Sæpe hoc inter homines agitur, ut qui ſe peccatores exiſtere non conſiderant, aut ſi ſunt, ſe palliare noverunt, ut murmurent, ut judicent, ut præſumant, & ſe obtegant pallio, ſeu virtutis imagine, non juſtitiæ veritate. Maximè ſe immunem reddit à crimine, qui à converſatione hominum reppulit criminoſos. Nemo eſt qui graviter non deliquerit in lege Dei noſtri, aut commiſerit, quod prohibuit Dominus Deus noſter. Et ſi non fecit frænatus impotentia, ſeu gratia retentus, tamen voluit, ſi non potuit, & ſi potuit, voluit. In ſui conſideratione omnis factus etiam juſtus pavebit, peccatoribus condeſcendet. Affectabit illos miſericordiam invenire, non repellet eos, cum quibus habet omnimodam ſimilitudinem in natura, ſi fortaſſis diſſimilitudo conſiſtat ex gratia, de ſuperis, non de meritis propriis præſuſcepta. Ac per hoc ſcribæ & phariſæi, eorumque conſimiles, in alios tam ſeveriter decernentes juſtè reprobandi ſunt, dum nituntur peccatores per cenſuram juſtitiæ removere ab eis, à quibus poſſunt pro abſtergendis peccatis juvamen ſuſcipere. Proinde JEſus velut Doctor ſupernus ex authoritate docens hanc quæſtionem determinat. *At JEſus audiens ait: Non eſt opus bene valentibus medicus, ſed malè habentibus.* Sententia iſta non ampliorem declarationem recipit, quàm portat ex verbis. Attamen tangit illorum præſumentium mentes, velut diceret: Vos creditis bene valere, ſicque vobis videtur, ideo medico non indigetis: ſed infirmi eſtis, & contumaci ſuperbia me veſtrum medicum oditis. Iſti verò infirmos ſe eſſe fatentur, medico indigent, medicum quærunt. Et remittit eos JEſus ad Scripturam ſacram, quam ſi ſcribæ & phariſæi intellexiſſent, ſubticuiſſent: non quæren-

pentes quare miſericordia recipit miſeros, pietas impios, juſtitia iniquos, bonitas malos. Quamobrem dicitur: *Euntes diſcite, quid ſit, miſericordiam volo & non ſacrificium. Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Nullum ſacrificium in veteri teſtamento Deo tam extitit gratum ex parte offerentium & oblati, nec in novo ex parte offerentium gratius extat, quàm miſericordiam inferre miſeris, indulgentiam præſtare poſcentibus, in peccatis relevare jacentes, & animarum mederi languoribus, & in viam ſalutis inducere illos, qui infami gradiuntur via. Præferenda eſt miſericordia, poſterior eſt omnium juſtitia, ſi ad conſervationem tenditur rationabilium creatorum. Nam ſi authoritas præſtaretur juſtitiæ, ut poſſet ſecundùm ſua jura in criminoſos decernere, humanè quidem pauci à juſtitiæ framea impercuſſi remanerent. Si divinè, ſatis brevi numero calculabilis eſſet numerus electorum. Miſericordia verò, cùm utitur juribus ſuis, parcit indignis, parcit contemptoribus. Suſtinet, expectat, remittit, donat, conſervat, præſervat, & quomodò extinguat perperam agentem ignorat. Et miſericordia Dei JEſu Salvatoris noſtri incepta, & aucta eſt, & augetur civitas illa ſuperna, qua juſti confirmantur, & detinetur, ne in pejora, & majora labantur, prolapſi verò eriguntur, & peccatores expectantur ad veniam, & ſupra condignum, ſupra meritum, ſuprà ſperatum omnibus providetur. Meritò ergo dicitur: Miſericordiam volo, & non ſacrificium, quoniam vult potius per ſuam miſericordiam peccatoribus pœnitentibus miſereri, quàm per juſtitiæ officium ſacrificium exhiberi. Non delet miſericordia homines ſuper terram, ſed illos ultrix juſtitia ferit. Per miſericordiam plurimum tamdiu expectatur iniquus, donec efficiatur pius: quem ſi gladius juſtitiæ poſt peccatum illico inveniſſet, pœnam ſubiret, à qua non ad pietatem poſſet eſſe regreſſus; nec ex iniquis boni futuri, ut ſolitum eſt, naſcerentur, & fraudaretur illa ſuperna civitas numeroſitate ſupernorum civium, quos juſtitia in locis infimis & tetralibus adſcripſiſſet. Non veni vocare juſtos ad pœnitentiam, quia fortè juſtus nemo erat, ſed peccatores, quia omnes peccato amplius & minus irretiti erant. An fortè quia juſti vocatione non indigebant, pro eo, quod jam acceſſerant, unde juſti erant. Et ideo juſti, quia egerant pœnitentiam ſuper his, in quibus delinquerant, & in ſeipſis originale malum horrebant, quod ex traduce carnis, non ex voluntate contraxerant. Et hoc fortè plurimi, qui ſervaverant in moribus & in voluntate innocentiam, præter illam maculam ex traduce contractam. Sed quoquo modo iſta ſerientur, ad retunſionem illorum murmurantium dictum eſt verbum: Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam, quæ ſola facit de peccatoribus juſtos, de impiis pios, de alienis filios, de extraneis cives, & terrenos facit eſſe cœleſtes. Et per eam ſibi cogniti peccatores in cognitionem divinam tranſire merentur. Ipſa ſola eſt, quæ poſt ignorantiam ſui ad propriam cognitionem inducit, & poſt oblivionem recordationem facit propriam, deinde ſcientia & amore tranſitur in Deum. Et peccator vocatus ad pœnitentiam, ſed non peccator, ſi ad illam acceſſit cognoſcens ſeipſum, cognoſcit & Deum, & illum diliget cognitum. Et regulatè ſic agitur, ut ſciens ſciatur, amans diligatur, & neſciens neſciatur, & non diligens non amabitur, & non operans protinus eiicietur, & agens perperam condemnabitur. Et perſpicuum eſt ad quid boni pervenit, qui ad pœnitentiam vocatus acceſſit, & cur amator hominum Chriſtus ad pœnitentiam homines mortales accerſierit.

Cap. XVIII.

De nominatione duodecim Apoſtolorum, & authoritate conceſſa, & eorum miſſione per mundum, & forma vivendi, converſandi & prædicandi, ſecundùm Matthæum & Lucam.

Math. 10 VOcare venerat JEſus ad pœnitentiam homines peccatores, ſed nec omnes ſua voce, ſed in ſua, & de ſua voce.
Lucæ 9. Quocirca primò elegit illos, per quos vocaturus erat cæteras nationes, non literatos, non imbutos terrenis, & humanis documentis, non divites, non potentes, non nobiles hujus ſæculi, ſed plebeos, ne virtute humana homines ad divina cœleſtia vocarentur. Et primò eos fecit idoneos

neos Evangelicæ prædicationis, quàm mitteret, ut tales eſſent vita, quibus fides daretur ex doctrina, tales in moribus, ut eorum ſermonibus crederetur, ut ſi ad pœnitentiam alios invitarent, notum eſſet ipſos pœnitentiam jam egiſſe, ſi ad abdicationem rerum viſibilium, perſpicuum eſſet jam eos eſſe à terrenis omnibus abdicatos, ſi ad cœleſtia, & ipſos decebat eſſe cœleſtes, ſi ad divina, & ipſos tranſcendiſſe humana congruum erat, ſi ad quæcunque honeſta, bona, pudica, utilia pro ſuperis, contemptibilia pro imis, alios invitarent, eos oportebat his eſſe redimitos. Nec prompta facie quis alios invitat ad bellum, à quo ipſe terga diverterit, nec ad illam actionem, quam aggredi recuſaverit. Hoc ſiquidem jure illos fecit idoneos miniſtros novi teſtamenti, non tantum littera, ſed ſpiritu, videlicet quod eorum ſermo non eſſet contemptibilis ex poteſtate, aut deſpicabilis ex virtute. Poteſtatem quidem dedit in omnibus opportunis ſupra naturam, ad neceſſitatem & utilitatem duntaxat faciendo miracula. Et de virtutibus actuoſis inſtruxit, ne converſatio eſſet oneroſa cuilibet, ne amicabilis malis, nec tædioſa bonis. Hic Evangeliſtæ referunt rei geſta non eodem ordine, ſed diverſimodè retexentes. Sed nec hoc ſit curæ tractatoribus ſcripturæ, dum ex ſcriptura debita & vera ſententia habeatur. Conſtitutus quodam in tempore JESUS inter turbas de octoginta quatuor Diſcipulis, quos elegerat, prærogativa quadam duodecim ex eis Apoſtolos nominavit, ſive cum nominibus circumciſionalibus, ſive cum his, quæ imponere voluit, cùm certum ſit, quod aliquibus mutavit, incertum tamen ſi omnibus. Sed Evangeliſtæ, qui ſcripſerunt incarnati Verbi hiſtoriam, ita tradiderunt, quemadmodum audierunt à Chriſto, & de Chriſto, & quæ ipſum agere, aut dicere perceperunt. Nec aliter à nobis ſentiendum tam de geſtis, & dictis à JEſu ad alios, & aliorum ad ipſum, & de geſtis ab aliis quomodolibet aliter, & etiam de factis in illum, quàm ut Evangeliſtæ per Spiritum ſanctum ſcribentes in memorias poſteras tradiderunt, & Eccleſia orthodoxa ſuſcepit, ſicque libros cuſtodivit ſolertia prælatorum & verè ſuperintendentium in Chriſtianam Religionem, ut nec aliqua mendoſitate potuerint aliquando maculari. *Et convocatis duodecim Diſcipulis ſuis, dedit eis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Duodecim Apoſtolorum nomina ſunt hæc, primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus: Philippus & Bartholomæus, Jacobus Zebedæi, Joannes frater ejus, Thomas & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi & Thadeus, Simon Cananæus, & Judas Iſcariotis qui tradidit eum.* Nemo in exordiis Chriſtum elegit, ſed ipſe elegit eligendos. Ipſe porro dixit: Non Joan. 15
me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Et noverat eos, qui ad Apoſtolatum aſſumendi erant, & prærogativa hujuſcemodi nominandi. Nemo tamen præſumat ex hoc acceptorem Chriſtum dicere perſonarum, virtutum & diſpoſitarum mentium erat duntaxat acceptor. Et veteris amor legis & pura cuſtodia, & Prophetarum fides egit, ut qui iſta tenuerunt in cognitionem Chriſti meruerunt pervenire. Diſpoſitiones mentium Chriſtus porro infabiliter intuetur, ut ſæpe vocet ad gratiam agentem totaliter perperam, nondum eruditum, & aptum ſuſcipere divinorum formam. Ad hæc idoneos iſtos, quos nominavit Apoſtolos ante præviderat, & cæteros quos elegit gradatos ſtatus officiorum & virtutum. Nec animum moveat, quod nihil boni in hominibus eſſe poteſt, niſi gratia largitoris: quoniam & hoc prævidit, ne in vacuum gratia præſtaretur. Porrò quamvis ſint omnia Divinæ gratiæ tribuenda, nihilominus poteſtate liberi arbitrii non fruſtra conceſſi, aliquid ab hominibus impenſum eſt, unde fuit electio ſubſecuta, ut ſequatur hujus, & non illius. Sed neque abyſſum hujuſcemodi penetrare contendimus, ſed intendere in illam modicam hominum claſſem, quam Chriſtus elegit, & quid per eam fuerit operatus, quam & ordine alio Lucas videtur retexere. Vocavit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit. Simonem quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum & Joannem, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Jacobum Alphæi & Simonem, qui cognominatur Zelotes, & Judam Jacobi & Judam Iſcarioth, qui fuit proditor. Non cauſat differentiam ſeries nominum eadem non ſervata, ſed ad hoc iſti duodecim prærogativa officii Apoſtolici à Salvatore vocantur, ut peragant, ad quod figurati ſcriptura referente fuerunt. Apoſtoli quidem miſſi dicuntur, quia miſſi ſunt, ut duces ad docendum populum Chriſtianum. Nam dictum eſt, quod Iſmael Gen. 17.
duodecim duces generaturus eſſet, non quod ex ſemine illius Apoſtoli prodierint, ſed in figura, quod duces duodecim ſcilicet Apoſtoli duxerint in viam rectam populũ paganum. Qui etiam & principes duodecim appellati ſunt. In novitate Evangelicæ vitæ in omni orbe terrarũ. Confirmat, quod dicitur multo poſt propheticum verbum: Conſtitues eos principes ſuper omnem ter- Pſal. 44.
ram.

ram. Necnon & more paterno miſſi erant tractare ſubjectos. Qua imagine duodecim filios Patriarchas Jacob Patriarcha ge-
Exodi 15 neravit. Et propinare debebant potum aquæ ſapientæ ſalutaris, his, qui aqua cœnoſa hujus ſæculi potabantur. In cujus typo fontes duodecim inventi ſunt in deſerto, ex quibus velut potatus populus Iſraëliticus veniens de Ægypto, ſic ex duodecim Apoſtolis populus nationum. Et intitulare debebant canonicis ordinationibus Eccleſiam ſanctam Dei, prout habuerunt à Chriſto, & docti fuerunt inviſibiliter à Spiritu ſancto. In cujus præſagium, cùm Moyſes ſacrificare Deo vellet, pro duodecim tribubus duodecim altaria erexit in titulos, præfecti facti ſunt in univerſa ſancta Eccleſia Dei, velut viri profectò omnem habentes perfectionem decentem ad præfectionem, prout Salomon duodecim viros voluit habere præfectos, ſic Chriſtus duodecim prælegit Apoſtolos. Duo-
3. Reg. 1. decim boves portabant mare ſecundùm ordinationem ſapientiæ Salomonis, & Chriſtus infallibili ſapientia per duodecim Apoſtolos baptiſmum fecit ubique deferri. Et ut leones eos contra cunctas adverſitates fortes eſſe decebat. Ad quorum figuram Salomon in gradibus ſolii duodecim leunculos ordinavit. Electis & nominatis duodecim Apoſtolis authoritatem agendorum in magna virtute conceſſit, prædi-
Lucæ 10. cens eis quod *meſſis multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.* Meſſis multa, omne genus humanum. Pauci operarii ad metendum ſcilicet paratos, & albeſcentes ad fidem, maximè in exordio naſcentis Eccleſiæ, ſcilicet duodecim viri Apoſtoli nominati, cùm ſeptuaginta duobus Diſcipulis nominaliter non deſcriptis Quoniam modica claſſe hominum invitandum, convertendum, in moribus immutandum erat genus humanum, ut adverteretur, quod agebatur omnino eſſe divinum. Et precibus pulſari oportebat, Dominum tantæ meſſis, ut operarios mitteret idoneos ad metendum, quoniam Ipſe ſolus novit mittendos, novit & neceſſarios. Et malè prædicabunt, niſi à Domino meſſis humanæ mittantur. Datur poteſtas expediens ad confirmationem verbi, & ut poſſint ſigna facere coram his, qui ſimplici verbo non credituri erant, oblectati novitate ſignorum, prout extitit populus Judæorum, & ad concidendam ſapientiam gentium, ſi voluiſſent quidpiam ex naturali ratione obiicere, quoniam, ut ait Apoſtolus Judæi
1. Cor. 1. ſigna petunt, Græci ſapientiam. *Unde dedit*
Math. 10 *illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Adiiciens *infirmos cu-* Lucæ 9.
rate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite. Ideo corporibus & corpo- Marci 6.
raliter talis eſt conceſſa poteſtas, ut fides daretur ad verbum annunciantis regnum cœlorum, pro eo, quod dictum eſt ad eruditionem prædicationis: *Euntes autem prædicate, quia appropinquavit regnum cœlorum.* Intromittendi etiam erant homines introrſus ex ſignis exterioribus ad conſiderationem inviſibilium & meliorum bonorum, cùm inſpicerent, quod tam inſolita in corporibus agebantur illa divina virtute, quæ humana eſſe nullo modo poſſent. Et à viſibilibus ad inviſibilia traiiciendus erat amor contemplatione ſignorum. Necnon & invitatoria erant ſigna talia, ut ad curandum ab infirmitatibus animarum ſe homines præpararent, ampliùs quidem in anima quàm in corpore homines ægrotabant. Sed aut ignorantes infirmitatem, aut peritum animarum medicum non invenientes, non quærebant, unde curarentur, ſed perniciosiùs languebant. Mittuntur bini ob teſtimonium uniùs ad alterum, ob ſolamen, ob adjutorium, ob conſilium, ob collationem agendorum, ob gravitatem, ob ſupplementum, ſi horum alter deficeret, ob inſinuandam charitatem inter proximum & ſe habendam. Prohibentur declinare in extraneas partes: *In viam gentium ne abieritis, & civitates Samaritanorum ne intraveritis: ſed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Iſraël* Prohibitio iſta facta eſt ſecundùm prius & poſterius, & ſecundùm magis & minus, non ſecundùm aſpernationem gentium & Samaritanorum. Non in mentem cujuſpiam veniat, quod JEſus nationem aliquam aſpernaretur, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, omneſque prout in ipſo promptum erat, ſalvaturus advenerat. Nam ipſe de ſeipſo dixit: Venit nempe filius hominis quærere & ſalvum
facere quod perierat. Et omnes perie- Lucæ 19.
runt, omnes peccaverunt, & egent miſericordia Dei. Sed congruum erat, ut ille populus primo invitaretur ad veniam, qui Dei cultum magis honeſtè ſervaverat, quamvis aliquis eorum aliquando deliquerit, & cujus patribus merito unius Dei cultus facta erat de Chriſto ſervanda & complenda promiſſio, & ſuſcepit circumciſionem, peregrinatúſque fuerat in Ægypto, ſervans inter adverſos unius Dei cultum, transductus in prodigiis & ſignis mirificis ex Ægypto, qui primus accepit eloquia Dei, in quo fuerunt Patriarchæ ſanctiſſimi, Prophetæ veraciſſimi, viventes & morientes in fide Chriſti futuri, pro primo ſaluti ejus intenderetur, ut per-

doctè Chriſtus à populo fideli ad populum infidelem in notitiam deveniret, Quocirca cum ad gentes & Samaritas prohiberetur acceſſus, & ad oves Iſraëliticas indicitur, hoc ſenſu tenendum eſt, ſcilicet, ne prius, aut magis ad illos, quàm ad Iſraëlitas, ne fortè ipſi Iſraëlitæ indignarentur, ſi prius eſſet vocatio idololatrantium nationum, quàm ipſorum, qui tenuerant cultus divini cenſuam. Et Samaritæ Iſraëlitæ erant, Cur ergo ad eos prohibebat acceſſus? Porro ex multis temporibus ritus gentium retinebant & idololatrabantur in montibus, & diviſi erant à Judæis, ex quibus & inter quos natus eſt Chriſtus. Eruditio ſani, & opportuni conſilii pro tempore fit, non præceptum omnino invariabile. Nam & Chriſtus fuit in Samaria & in finibus populi nationum, ut clamat famoſa hiſtoria ſanationis filiæ Chananææ, & Apoſtoli Dei, ut legitur in Actibus Apoſtolorum, dixerunt: Quia repuliſtis, ecce revertimur ad gentes. Non eſt autem credendum, quod ſi Judæi recepiſſent Chriſtum, & Apoſtolos, & per omnia in fide, ſpe & charitate Chriſti fuiſſent ſecuti veſtigia, quod non ſubſequenter fuiſſet vocatio nationum, ſed Iſraëlitica prius, illa poſterius. Etiam ipſi Iſraëliticæ converſi ad fidem per charitatem alios invitaſſent. Hoc quidem habent in virtutibus proprium, qui verè Chriſtiani ſunt, quod omnes vellent ad Chriſtum converti, & gaudent de converſis, & dolent utique de averſis. Admonentur, ne ſub aliqua mercede rei temporalis Evangelium ponant, ſed ſine omni ſumptu Evangelizent. Inquit enim: Quod *gratis accepiſtis, gratis date.* Non potuit aliquando neque poſſet fieri, quod æqua rerum permutatione ipſum Evangelium haberetur. Virtus enim Dei eſt. Infunditur ſiquidem, non acquiritur: gratis datum à Deo non meritis, gratis protinus in alios refundendum, ſimiliter & ſanitates donandæ. Lex divina omnino ſic deſanxit, ut quod humanis & corporeis laboribus non acquiritur, nulla mercede vendatur. Ac per hoc in Evangelio omnem commercii abſtulir cauſam, cum adjecit. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Dignus enim eſt operarius cibo.* Cogitur gratis impendere, aut nequit retinere quod habet, qui prohibetur terrena emolimenta recipere. Quamobrem, ut gratis eſſet Evangelizatio regni Dei, & curatio paſſionum, nihil terrenorum ex his recipere viri Evangelici jubentur. Neque debent ferre illa, quæ mundus inquirit qui

Act. 13.

Evangelizant, nec talia videantur quærere, quæ videntur habere. Magis autem prædicatores, mundi contemptus in ſeipſis oportebat exempla præbere, ne increduli-tatis occaſio Evangelio præberetur. Prædicantes cœleſtia, terrena contemnant. Annunciantes æterna, temporalia omnino faſtidiant. Non gerant illa moribus, à quibus per verba excelſa tonantia homines nituntur avellere. Neque ornamentum exterioris corporis ferant, plus referti virtutibus, & jam cœleſtibus refulgentes. Neque curandum eſt proprio apparatu, unde alantur in corpore, qui aliis animarum alimenta miniſtrant. Et prohibetur ſuperfluitas veſtium, non opportunitas menſurata. Nam ideo in tunicis, etiam in omnibus aliis dualitas prohibetur, ſi unitas ſufficit. Omne, quod opportunè, aut jure naturæ ſufficit, etiam ſi plura numero eſſent, tantùm arguit unitatem, dualitatem, verò prohibitam, id quod ſuperfluum ſive numeroſitate, ſive precioſitate aut valore, ubi confert, quod minus eſt. Laborioſos vult eſſe Evangelicos pedes, quos etiam Chriſti manus abſterſit, ut poſſint ex laboribus ſecurius auditores ad Evangelium invitare, pro eo, quod laboraverunt pro eis pedibus non ſuffultis, neque protectis pellium tegumento. Prohibetur & virga correctionis, non baculus ſuſtentationis, ſi corporis laſſitudo comprimeret, aut ſenectus, ſive aliqua ægritudo gravaret. Non decebat eos virgam in percutiendo habere, neque geſtu virgæ oſtendere principatum, quamvis totius mundi ſpirituales principes facti eſſent. Conſuetudo apud plures irrepſerat, quod aliqua præminentia honoris vel officii refulgentes virgam manu geſtabant. Perſpicuum eſt, quod Evangelizatores incarnati Verbi & Evangelii ſui & æterni regni, à terrenis & perfunctoriis, & curis ſæculi & corporis ornamentis eſſe oportet penitus abdicatos, Quòd autem adjecit, dignus eſt operarius cibo ſuo, ad id refertur, quod pecuniam & peram in via ferre prohibuit. Indecens protinus eſt, quod pecuniam portet in zonis, & edulia præparata in peris, qui poteſt apud Evangelizatos jure mercedis alimenta ſuſcipere. Necnon divinæ curæ totum ſe ſe debet exponere, qui divina eulogia cordibus hominum ad credendum inſerit. Et audacter dixerim, quod neque in miraculis, in expulſione dæmonum, in donatione ſanitatum, in ſuſcitatione mortuorum, Apoſtoli ſæculo ita mirabiles apparuerunt ſicut in contemptu rerum. Neque in efficacia verbi tam homines commoverunt ad novitatem vitæ ſive doctrinæ, ad præſtandam fidem dictis, ſicut à viſibi-

libus

libus & à communiter appetibilibus tota
libertas. In hoc ſolo amplius cogniti fue-
runt eſſe divini, Chriſtiferi, cœleſtes, &
creditum eſſe aliam vitam fuit, quo iſtam
verbis & moribus deſpexerunt. In hoc
auditores nobiles & plebei non poterant
deceptionis calumniam invenire, aut ipſos
judicare falſidicos, ſi de hoc nequam ſæcu-
lo excepta neceſſitate jure naturæ, jure vi-
vendi, quæ omnibus convenit, nil aliud
capiebant.

Cap. XIX.

De forma hoſpitandi data Apoſtolis Evangelizatoribus Verbi Dei, ſecundum Matthæum.

DEcebat Apoſtolos, decet quoſque
docentes ſanam doctrinam, ſive in-
cedentes peregre, ſive manentes in
aliqua civitate inquirere hoſpitii honeſta-
tem, ne ſi primo ingrederentur indiſcipli-
natorum aut perperam agentium hoſpitia,
fortè aut reciperentur, aut ex illo contu-
bernio quamvis modico offenderent corda
ſimplicium, & præſtarent cunctis ſcienti-
bus indebitæ converſationis exemplum,
ut daretur offenſio Evangelizandi vitupe-
rando miniſterium. Ex hoc poſt Evan-
gelium cognitum, vel Evangelii cognitio-
2. Cor. 6. nem ſcripſit Apoſtolus. *Nemini dantes*
ullam offenſionem, ne vituperetur myſte-
rium veſtrum. Quocirca ſuos Apoſtolos
Matth. 10 Chriſtus inſtruxit dicens: *In quamcunque*
Marci 6. *autem civitatem aut caſtellum intraveritis, in-*
Lucæ 9. *terrogate, quis in ea dignus ſit, & ibi manete,*
donec exeatis inde. Quis niſi ſolus Deus
novit hominum dignitates, & quibus vir-
tutibus fulgeant, quibusve criminibus de-
turpentur? Quis novit hominum corda,
niſi ille, quem latère nihil poteſt? quis
ſcit apud quem ſint manſuri ex digno le-
gati divini, & Apoſtolici viri Chriſti Diſ-
cipuli? Etenim exploratores Moyſi ad ter-
ram, promiſſionis miſſi, ſuſcepti ſunt in
Jericho meretricis hoſpitio, non interro-
gantes de meritis, ſed quærentes commo-
da hoſpitalitatis. Quis novit, quis ſit dig-
nus ſuſcipere præcones altiſſimi regis,
quando vidua de gentibus in Serepta ſydo-
3 Reg. 17 niæ hoſpitio ſuſcepit Eliam, cùm magis
veriſimile videretur apud viduas Iſraëlis
Matth. 8. invenire debuiſſe hoſpitia? Et Centurio-
ni de gentibus Chriſtus ſe obtulit ad do-
mum ejus iturum, qui ſe aſſerebat indig-
num. Quæ dignitas eſt in hominibus ex-
quirenda, ut liceat cùm eis Apoſtolis ho-
ſpitari? Illam profectò dixerim pro illo
tempore, quo mundus infra obſcuritatem
idololatriæ tenebatur incluſus, & hoc in
gentilibus, aut lege vetuſta imbutis, & in
hoc populo Judæorum, credulitatem jam
ſuſceptam per aliquem, ſeu vitam verè le-
galem in Judæis, quæ maxima dignitas
erat, in illa lege bene fuiſſe moralem &
bene propheticum ad credendum. In
populis nationum dignus ille meritò cen-
ſendus erat, qui naturalis legis extitiſſet
amator pariter & ſervator, & ſi non pieta-
tem, ſaltem humanitatem noviſſet pere-
grinis & indigentibus exhibere. Apud
hunc compertum firma oportebat jura ho-
ſpitii retinere, nec ſub prætextu vitæ, pro-
lapſioris aut delicatioris hoſpitii nota ne-
quam imponeretur Apoſtolis ex diſcurſu.
Omnis levitas pervagandi eſt tollenda à
prædicantibus ſtabilitatem æternam regni
Dei. Sed tantùm cum digno mora cele-
bretur hoſpitii, donec egrediendi compel-
lit neceſſitas aut utilitas in regionem aliam
peregrinandi. *Intrantes autem domum ſa-*
lutate eam, dicentes: Pax huic domui. Pax
erat præferenda in verbo, ut ſequeretur in
facto. Rectè ille, qui veniens Evangeli-
zavit pacem, his qui propè, & his qui lon-
gè, in cujus etiam ortu cœlici & ſuperni
cives pacem adeſſe in terris bonæ volunta-
tis hominibus cantaverunt, morti proxi-
mus pacis hæredes inſtituit. Dignum
erat, ut non aliud primo Apoſtolis impo-
neret, quàm pacis exordium: *Et ſi fuerit*
quidem domus illa digna, veniet pax veſtra
ſuper eam. Si autem non fuerit digna, &c.
Digna domus ex ſuperioribus claret. Pax
verò Apoſtolorum ventura ſuper illam do-
mum, eſt illa in qua ipſi erant, ſcilicet bo-
na voluntas, ſequela Chriſti, obedientia
prompta, terrenorum abdicatio, patientia
mentis inter adverſa, temperantia inter
proſpera, libertas in agendis, reconciliatio
cum Deo facta, & cognita, finis appeten-
di ſummi boni & virtutis certiſſimus amor,
malignitatis odium & fuga, concordia
cum expedientibus & pertinentibus, &
cum veritatis & bonitatis amicis, diſcordia
cum oppoſitis ſupradictis. *Si non fuerit* Lucæ 9.
digna, pax ad vos revertetur. Non ſic in-
telligendum, quod pax annunciata homi-
nibus etiam dignis, ut ab annunciatore

recedat, neque quod acceſſum ex denun-
ciatione faciat ad indignos, ut non recep-
ta revertatur ad proximos : ſed quod fa-
cta denuntiatione pacis, ſi aderit indigni-
tas ad receptum, ad denunciatores nihilo
minus revertetur & meritum. Sequitur
deinceps comminatio terribilis his, qui
non recipiunt Evangelicos viros, & eo-
Gen. 19. rum ſermones contemnunt. *Et quicun-
que non receperint vos, neque audierint ſermo-
nes veſtros, exeuntes foras de domo vel de ci-
vitate, excutite pulverem de pedibus veſtris.
Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ So-
domorum & Gomorræorum in die judicii,
quàm illi civitati.* Si quis legeret tempore
Loth infamen hiſtoriam juſtamque vindi-
ctam in quinque civitatibus factam, intel-
liget contumax ad divina, quanta ſit pœna
plectendus. Alibi etiam iſta tractata ſunt
in hoc opere, idcirco hic non prolixius
differuntur.

Cap. XX.

Prædicatio eorum, quæ Apoſtoli paſſuri erant, & ſpiritus adjutorium in loquendo, & confortatio in patiendo, ſecundùm Matthæum.

NE turbarentur Apoſtolorum corda,
quod à Chriſto miſſus adversùs
eos perſtrepens mundus inſurge-
ret, & iniquorum cruda perverſitas flagel-
laret, & ut crederetur Deus omnia eſſe præ-
videns qui mitteret; eis futura mala præ-
nunciat, exhortans illos in omni bonitate,
neceſſaria pro tanta preſſura hominum ſu-
Math.10 ſtinenda dicens : *Ecce ego mitto vos ſicut
oves in medio luporum.* Ad probandam
omnipotentiam Deitatis in perſona Filii car-
nem aſſumentis ; ad oſtendendum Chri-
ſtum non tantùm hominem, ſed verum
eſſe Deum, authoritate mittit modicam
virtutem cum multis vitiis pugnaturam,
homines virtuoſos cum vitioſis, ſimplices
cum duplicibus, benevolos cum malignis,
plebeios cum divitibus, pauperes cum no-
bilibus, indoctos cum in carne prudenti-
bus, impolitos eloquio cum rethoricis, pe-
ritos in gratia cum philoſophis, humiles
cum ſuperbis, abjectos cum tyrannis, ſub-
ditos Chriſti cum principibus mundi, pa-
cificos viros cum adverſariis pacis, alum-
nis diaboli, cultores Dei cum cultoribus
idolorum, ſed cœleſti virtute pugiles cum
terrenis athletis, cives Jeruſalem cum ci-
vibus Babylonis, non cum armis, ſed cum
virtutibus, non humana, ſed divina virtu-
te pugnaturos. Inquit quidem Apoſtolus.
Arma noſtra non ſunt carnalia, ſed poten-
2.Cor.10 tia Deo, Iſte congreſſus ex novitate bel-
landi videtur ſatis anceps ex bellatoribus
bellum, ex armis, ex ſignis, ex ducibus,
ex tubicinio, ex loco, ex tempore, ex trium-
phis in triumphantibus, ex conflictu in
conflictis, ex præmiis apparentibus & cre-
ditis. Et ut perſtringam, ex omnibus an-
ceps erat maximè, quoniam in hujuſcemo-
di bello, qui corporaliter vicerit, nil ob-
tinens ſuccumbit, & confligens confligi-
tur, & victus, cùm vincere videtur, trium-
phat, cùm vincitur. Videte agonum po-
ſitorem, ad quanta pericula ſuas acies ex-
ponat, & cùm talibus hoſtibus, cum qui-
bus ſemper præliares dies feriales autem
nunquam, *Ecce mitto vos inter lupos.* Igi-
tur ſervata manſuetudine abſque queru-
la voce, eorum morſibus vos exponite.
*Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices
ſicut columbæ.* Prudentiam ſuadet habere
ſerpentum, non anfractus, ſive venenum,
non bifurcatam linguam, aut variam pel-
lem, non greſſus pectoris ſuper terram,
quæ omnia vitio aſcribuntur : ſed pru-
dentiam ad cavendum lædentia, in capitis
cuſtodia expoſitionem corporis, ad re-
movendum veterem pellem, inventionem
anguſtorum, inter quæ arctati exuantur.
Indicitur & columbina ſimplicitas, ut ſem-
per ſit animus abſque amaritudine, inva-
riatus in ſeipſo, neque multiplicatus ad ſo-
licitudinem evadendi, nec imaginetur,
etiam ſi poſſet, rependere ultionem. *Ca-
vete autem ab hominibus* quoniam multi ſe
fingent ſentire, quod ſentitis, credere quod
creditis, audire quod dicitis, diligere quod
amatis, à quibus velut Chriſtus à Juda tra-
dendi erant per delationem in amara ſup-
plicia. *Tradent enim vos in conciliis, & in
Synagogis ſuis flagellabunt vos. Et ad reges
& præſides ducemini propter me, in teſtimo-
nium illis & gentibus.* Ecce proceſſus bel-
li, ſed ad optimam ſuppoſitivam cauſam,
cum propter Chriſtum, propter redden-
dum de ipſo teſtimonium coram regibus
& ſubjectis, quod ſit Dei Filius, quod poſ-
ſidet intrepidos ſervos, qui ſine peritia &
arma-

Google

armatura humana concertant, quod ipſe ſolus ſit Rex regum & Dominus dominantium, qui pro omnium ſalute mortalium in vitam hanc calamitoſam advenerit. *Cùm autem tradent vos nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Ineruditi erant Apoſtoli terrenis, & humanis documentis, ex ſeipſis ad reſpondendum ſufficientiam non habentes, ſi quærerentur in aliquo, nec ad ſuadendum ſanam doctrinam ſapientibus ſecundùm carnem. Quamobrem quod ſic mitterentur meritò poterant hæſitare. Quos remota penitus omni humana virtute, divinè confortat, & abigit cogitationem dubiam ſeu prævifam, aut ex ſe ipſa componere volentem, quid loquendum ſive agendum in his, quæ ipſis improvisè aut repentè contingerent, cùm dicit: Nolite cogitare modum & verbum, quoniam in illa hora, qua contigerit improvisè atque inopinatè coram regibus ſiſti, vobis providebitur ſicut extitit ab æterno prævifum, & dabuntur illico modus & verbum. Igitur nolite cogitare, quomodo, quoniam dabitur modus, ut ſic moderatus ſit ſermo, quod neque culpetur ex modico, neque de ſuperfluo condemnetur, ut nulli oratores, ſeu rethoricis diſciplinis imbuti modificato veſtro ſermoni prævaleant. Nam ut ex Apoſtolicis ſententiis percipitur, non in ſapientia verbi aut ſublimitate ſermonis Evangelizare Apoſtoli miſſi ſunt. Et ſtulta mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes. Non decet Evangelium æternum habere oratoriam artem. In authoritate protinus eſt,
1.Cor. 1. non in politione verborum. Seipſa non ex ornatu ſermonum veritas Evangelii placet. Nolite cogitare, quid loquamini; quoniam verbum proferendum ex authoritate majoris mittentis eſt, & non miſſi; quia non eſtis vos, qui loquimini ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Nolite cogitare quid loquamini ex propriis veſtris, quia omnis homo mendax, ſed patris ſpiritus, nolite cogitare quid loquimini.
1.Cor. 4. Nam & Apoſtolus ait: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Spiritus quidem patris præter humanam aut habitam in corde cogitationem ſeu prævifionem, infundit in lingua, quod expedit, & inſpirat quod vult, quando vult, quibus vult, ubi pro quibus vult, & erudit, ne in verbis erretur, & agit in auditoribus, ut delectet. Non ergo præmeditandum de modo, neque de verbo, ut nemo in ſeipſo aliquid boni feciſſe glorietur, neque animas commoviſſe politione verborum aut efficacia præcogitandi, quoniam agit ſemper veritas Spiritus ſancti, ut plus in cordibus audientium ſermo incultus faciat quàm exactus. Ad ineffabilem altitudinem pertinet dignitatis, quod Spiritus ſanctus in humana lingua loquatur, & non ſeipſa, ſed ipſa per ipſum, à quo eſt omnis bonitatis effectus, ſine quo nullus profectus. Domeſticam perſecutionem poſt iſtam denuntiat affuturam, quæ cunctis videtur eſſe crudelior, & difficilior ad cavendum, & pœnoſior ad tolerandum. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium. Et inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient* ſcilicet qui remanſerint in infidelitate, alios quos viderint ad fidem Chriſti converſos. Et tantum in exordio naſcentis Eccleſiæ odium Chriſti fuit, ut perſecutorem, nec naturæ ſeu nexus ſanguinis prohiberet in eos, qui Chriſtum in fide ſuſceperunt. Hinc ſubinfert: *Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Omnibus hominibus videlicet non credentibus. Malum tale odium, ſed væ! habentibus, euge! patientibus, ſed nemò in tali odio conturbetur, ſi Chriſtus eſt cauſa. Ubi vitium non eſt odii cauſa, ſed veritas ſecurius & fida mercede toleratur. Sed talibus agonibus caveat, ne deficiat agoniſta, non enim præmium ſequeretur, ſi commutaretur odium propter Chriſtum in dilectionem hominum propter ſæculum. Proinde ſubjecit: *Qui autem perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit.* Non veritus terrores regum & principium, non perſecutiones & odia propinquorum, non concupiſcens omne amœnum & delectabile hujus ſæculi, quod reliquerat, ſed arbitratus ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciat firmam abdicationem tenens, ad anteriora proficiens, in perſeverantia factus, quæ cæteris agonizantibus virtutibus ſola capit palmarem palmam.

Cap. XXI.

De conceſſione fugæ perſecutionis tempore, & comparatione perſecutionum Chriſti & Apoſtolorum, ſecundùm Matthæum.

OB infirmitatem propriam, ob cautelam ſuæ præſervationis, in utilitatem proximorum ſævæ perſecutionis tempore fuga permiſſa eſt, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum, recordatus quoniam pulvis ſumus. Quod figmentum? Fragilitatem quidem noſtram ut agnoſcamus, ne in nobiſipſis ſimus cunfidentes. Non ſemper in cordibus hominum ponit conſtantem audaciam, aut peopellit patiendi & moriendi timorem, & præſtat ſecuritatem, ſed concedit fugam, cùm ex cauſa horrenda timor invaſerit. Ut autem in quibus ſit ſufficiens eſſe unusquisque cognoſcat, humanè ſe Chriſtus contrahit nobis dum
Matth. 10 fugam concedit, dicens: *Cùm autem perſequentur vos in civitate una, fugite in aliam.* Fugite, ſi patet copia evadendi, ſi autem inevaſibiliter includimini, eſtote in animo fortes, in confeſſione veraces, in corpore omnibus applicatis verberibus patientes. Fugite dum perſona propria quæritur, ſi fidei periculum non timetur, ſi non ſit articulus inevitabilis animæ ponendæ pro fratribus adhærentibus. Fugit namque Jacob à facie Eſau, timens perſecutionem ejus. Et Moyſes fugit Ægyptum interfecto Agyptiu, veritus ad horam faciem Pharaonis. David fugiendo declinabat Saulis aſpectum. Et Elias à facie impiæ Jezabelis. Et JEſus fugiens è facie Herodis, vectus eſt in Ægyptum. Et nunc, ſi talis irrepſerit timor diſcipulis ſuis, tradit licentiam, imo conſilium fugiendi. Melior quidem eſt humilis fuga, quàm temeritatis conſtantia, ſeu temeraria fortitudo. *Amen dico vobis, non conſummabitis civitates Iſraël, donec veniat Filius hominis.* Ad ſecundum adventum pertinet verbum dictum, ante quem non videbunt Apoſtoli civitates Iſraëliticas conſummatas, aut in bona parte converſas ad fidem, aut perfectas ſecundùm intentionem hominum, qui mundi hujus augmenta quærebant ſive deſertas, quod uſque ad finem ſeculi reliquiæ reperiantur populi Iſraëlis. Vicinior tamen videtur animo ſubſequens intellectus. Non conſumsbitis civitates, ſcilicet prædicando per omnes, donec veniat Filius hominis in auxilium veſtrum, ut liberi evadentes de manibus Judæorum ad gentium populos transmigretis. Si ad alios ſequentes Apoſtolos ſententia transferatur; adventus ejus ad judicium extremum refertur, ut etiam antequam fiat non per prædicationem, ſed per alium modum ſoli Deo cognitum Iſraël Chriſtum jam veniſſe in veritate cognoſcat, quem adhuc deceptus expectat, non ut veniat, prout venit, ſed in alia forma potentioris majeſtatis. Tanta eſt enim uſque in præſens Judæorum ſuperbia, quod expectatum Meſſiam non ſuſciperent, ſi in contemptibili forma veniret. Et cùm omnino non veniet, quibus datum eſt, fide pura regredientur ad Chriſtum.

Cap. XXII.

Quod contemplatione majoris diſcat patienter pati inferior, ſecundùm Matthæum.

NOn dedignetur pati ſervus, ſi patitur Dominus, neque diſcipulus erubeſcat ſubjacere periculis, ubi magiſtrum ſubjacuiſſe cognoverit. Propterea Salvator ſubjecit exemplum ad to-
Matth. 10 lerantiam paſſionum, dicens: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, neque ſervus ſuper dominum ſuum. Sufficit diſcipulo, ſi ſit ſicut magiſter ejus, & ſervo, ſicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quantò magis & domeſticos ejus. Non ergo timueritis eos.* Ipſe Salvator eſt Magiſter Joan. 13.
& Dominus, ut alibi ſcriptum eſt: Vos vocatis me magiſter, & domine, & be-

nè

nè dicitis. Sum etenim. Ipſe paterfamilias Beelzebub vocatus eſt, eo quod in nomine Beelzebub dæmonium ejeciſſet, & dictum audierit. Nonne benè dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Ex hoc quidem inexcuſabiliter opponitur patientia in adverſis, ut ſi dolor in corpore, turbatio non conſiſtat in animo, cùm potior non ſit minoris quàm majoris conditio. Ad indelebilem verecundiam adſcribitur militi illæſo recedenti de bello, Rege percuſſo, ac ipſo in tentoriis quieſcente, domino pugnante cum caſtris. Omnes ſervos condemnat æqua juſtitia, ſi cum patrefamilias bellorum pericula non ſenſerint. Non eſt honeſta militum vita, ſi terga vertant, Rege proficiſcente ad bellum, neque ſi delicatius ſe palpaverint. Sufficere debet omnino ſubjectis, ſi ſimilea ſuperioribus fiant. Non eſt unde turbatio, cùm impatientia in animo oriatur, cùm domini & ſervi eſt æqua conditio, magiſtri & diſcipuli, patrisfamilias & domeſticorum ejus, quàm capitis melior conditio non debet eſſe membrorum. Jure ad patienter tolerandum adverſa diſcipulos ſuos, & cæteros Salvator inviſet, cùm ipſe fuerit primò perpeſſus, hec non ex hoc timorem removet patiendo adjiciens; Non ergo timueritis eos.

Cap. XXIII.

Exhortatio & ratio, quòd Evangelium ſine omni timore humano prædicetur, ſecundùm Matthæum & Lucam.

SUpra comprehenſibile ab homine carnali ſeu naturali, niſi fides accedat, Evangelium eſt. Stupori erit, cùm dicitur, pauci credent, cùm enarrabitur. Quia myſteriis, & intelligentiis eſt opertum, expedit quod reveletur. Quia occultum eſt ex omni myſterio, ſua ſit opportunitas, ut ſciatur, quia dictum eſt in tenebris, quæ eum non comprehenderunt, in lumine producendum eſt. Et quod aliquando dictum eſt in conclavi, apertè prædicandum eſt. Anceps in evangelizando negotium, terroribus tyrannorum ſuperpoſitum eſt, in timore agenda res geritur. Conflabuntur undique minæ, tormenta omnia pœnalia inferuntur, cùm prædicabitur res ſupra naturam, negotium ſupra uſum, inapprehenſibile per rationem, indocibile per ſcripturam, indemonſtrabile per argumentum, admirabile dictu, inæſtimabile cogitatu. Quod prævidens Salvator, coram multis circumſtantibus turbis ita ut ſe invicem conculcarent, cœpit dicere ad diſcipulos ſuos: *Attendite vobis à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Antequam ex toto timorem in evangelizando depellat, cautelam à perſonis ſimulatis inducit, ne decipiant. Difficilius enim cavetur ab hypocritis, quàm à perſecutoribus manifeſtis, quia iſti ſub palliatione decipiunt, illi apertè perſequuntur. Iſti ſuadent, illi verberant. Iſti ſe oſtendunt eſſe, quod non ſunt, illi ex oppoſito adverſantur. Iſti ſimulant ſocietatem in fraudem, illi apertam exhibent hoſtilitatem. Iſti velut fermentum totam corrumpens maſſam, mixtim nituntur animam ſubvertere, illi tantùm res auferre, & corpora diſſipare conantur. Sed ſciatur, quod eorum hypocriſis revelabitur, quia *nihil opertum, quod non reveletur, neque abſconditum, quod non ſciatur.* Quod fictum & ſimulatum eſt, diu latere Matth. 10
non poteſt, aut ſua proditione aut alterius. Sed ſi ad Evangelii verbum trajicitur, alia intentione noſcamus eſſe prædictum. *Nihil enim opertum, quod non reveletur, & occultum, quod non ſciatur. Quod dico vobis in tenebris: dicite in lumine; quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Non fruſtra Verbum increatum ſe fecit incarnatum, nec fruſtra Verbum incarnatum eructavit verbum bonum ad omnia utique bonum. Ad illuminandum, quia lucerna pedibus Pſal. 106.
meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Ad ſanandum, quia miſit verbum Pſal. 118.
ſuum, & ſanavit eos. Ad accendendum in amorem inviſibilium & ſupernorum, nam ignitum eloquium tuum vehementer, & ſervus tuus dilexit illud. Igitur non otioſè conditum eſt Evangelium. Editum eſt, ut prædicetur, prædicatur, ut ſciatur, ſcitur, ut perficiatur, perficitur, ut tendat in omnium verum, & ſummum, & æternum bonum. Et ideo eructatum eſt verbum bonum, *Propterea dico vobis amicis meis, ne terreamini ab eis. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius, quid faciant. Animam autem non poſſunt occidere. Sed oſtendam vobis, quem timeatis, potius eum timete,*

mete, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam. Difficile quidem eſt, & ſupernaturale, quod interminatis pœnalitatibus & morte, ſenſibilis & paſſibilis natura non timeat. Etſi omnino timendi ſunt illi, qui poſſunt eſſe terrori, pœnáſque inferre, ille potius eſt timendus, qui majora & diuturniora poteſt tormenta conferre. Nam ultra corpus nemo poteſt aliquem applicare tormentis. Poſſunt quidem homines per eum, quem habent aſperſum ſenſum, tantùm deſævire in aliorum hominum tenerum ſenſum, ut anima exuatur à corpore, cùm autem anima à corpore exierit, cadaver ulterius illata tormenta non ſentit. Inviſibilem autem animam, & à corpore ſegregatam & incorpoream nullo modo poſſunt perſequi, ut per tormenta diverberent. Deus autem utriusque creator & dominus, utrumque poteſt, quod ſibi placuerit pœna confodere, à quo inviſibilis anima nullibi ſe poteſt abſcondere. Proinde dicitur: Etſi omnino timendum eſt, nolite timere eos, qui occidunt corpus, quo interfecto nequeunt ulterius pœnas inferre. Sed potius eum timete, qui animam & corpus diviſim & conjunctim poteſt perdere in gehennam, in locum ſcilicet ignis & ſulphuris, & omnis generis tormentorum. Huc quidem nomen primum à Salvatore innotuit. Satagit aptè JEſus à cordibus Apoſtolorum timorem excludere, primum quidem ut ſupra egit, ex nobilitate agendæ rei, quia prædicandum eſt & notificandum Chriſti Evangelium. Excludere debet omnino timorem nobilitas actionis. Quid autem in actione nobilius, quàm evangelizare Dei regnum hominibus præparatum, prædicare Dei Filium pro hominibus incarnatum, & ejus pro nobis mirabiles actiones? Etiam compoſitione timoris, timore majore minorem excludit. Nunc & comparatione divinæ curæ atque ſolicitudinis inter irrationabilia & nos, ipſum timorem depellit, dicens: *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & unus ex illis non cadit ſuper terram ſine patre veſtro?* ſeu ut alibi ſcribitur: *Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio?* Componit Salvator divinam curam, quam irrationabilium & vilium avium habet. Quod ſi curat paſſeres tam viles, ut duo uno aſſe poſſint emi, aut quinque dipondio, quanto magis & nos, qui ad ejus imaginem & rationabiles facti ſumus, ſanguinéque redempti. Aſſis genus eſt ponderis aut moneta, dipondium duo pondera aſſis. Nam ſi tanta cura de creatura tam vili Deo eſt, ut unus ex illis, qui tam vili venduntur & emuntur pretio, non cadet ſuper terram ſine patre veſtro, aut erit in oblivione coram Deo, quoniam nihil eſt in hac vita tam abjectum, tam parvum, quin divinâ providentiâ gubernetur, multo magis & homo, propter quem hæc omnia inferiora facta ſunt. Hinc & dicitur: *Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Si minima humani corporis ſunt in divina mente, ſi curam illorum penes ſe omnipotens habet, quanto magis & potiora veſtra. Supervacuum eſt de anima hæſitare, ſi corporum curam gerit. Omnino reprehenſibile dubitare de toto humano corpore, ſi capillorum vilium determinatum numerum tenet. Certum eſt, quod majora non deſpicit, qui ſolerter minora cuſtodit. Promiſſione præmii & interminatione ſupplicii à cordibus Apoſtolorum atque virorum fidelium Salvatos propulſat timorem, cùm dicit: *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Deo Patre meo.* Actio bona præmium meretur bonum. Laudabilis eſt actio Chriſtum coram hominibus confiteri, non ſolùm lingua, ſed vita: non ſolùm ſermonibus, ſed moribus: non tantùm verbis, ſed factis. Major quidem operum confeſſio, quàm verborum. Multorum quidem eſt Chriſtum verbis & diſertis ſermonibus confiteri, moribus verò paucorum. Confitentur ſervi ſuos dominos temporales verbis & arduis factis, etiam cùm eos in periculis, bellis, terrâ maríque non deſerunt, cùm pro eis acriter pugnant, pericula tolerant, ictus excipiunt exhibentque telorum. Et multa ſunt, ſed non diſcurienda per ſingula, quibus perſpicuum eſt minores ſuos majores, ſervus dominos, filios patres, amicos amicos, amplius quàm lingua moribus confiteri. Et ſic geſtus expedit eſſe verorum adhærentium Chriſto, ut ex omnibus moribus, atque verbis, etiam corporis geſtu eſſe tantùm Chriſticolas innoteſcat. Et huic virtuti laudabili præmium repromiſſum. Confitebor & ego eum coram Patre meo. Neminem Pater ad ſupernam patriam introducit, nemo ſibi gratus exiſtit, niſi quem ante ipſum Filius confitetur. Quæ autem, ſive qualis iſta confeſſio eſt credenda, quam pro ſuis ſervis Filius facturus eſt coram Patre, qui legit, intelligat. Nun verbo, aut ſono vocis, aut ſcripto fiet, nec nova de ſalvandis aut cauſæ ſalvationis ſcientia patri accedet, nec aliquid accipiet à filio, qui omnia habet à patre.

Sed

Sed liber vitæ Chriſtus eſt, in quo per veram confeſſionem fidei non mortuæ præter opera, ſed operibus fultæ quis ſcribitur, ſi perſeverantia non deletur. Igitur inſpecto præmio, nolite timere Chriſtum Dei Filium factis & ſermonibus confiteri. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Non tantùm negatio ſicut & confeſſio eſt à verbis, neque in perſecutionibus ſub terroribus tyrannorum & applicatione verberum & laniatione corporum, cùm quis lingua negat Chriſtum ſive veritatem, aut conſentit in aliud vitium, cùm in ſuo corpore ſuſtinere nequit aſperum ſenſum, ſed negatio eſt ſecundùm Apoſtolum, confitentur ſe nôſſe Deum, factis autem negant, ut lapſus in vitium, derelictio virtutum, penitus negare ſit Chriſtum. Sed horrende timenda iſta negatio, quam Dei Titum 1.
Filii coram Patre negatio conſequitur, ut negans Chriſtum, negetur à Chriſto, negatus à Chriſto, ab ipſo diviſus, & in æternum cum ſævis dæmonibus & irremediabilibus ſit pœnis æternè ſociatus. Ergo nolite timere. Nolite aliquo terrore terreri Evangelium notum facere, ne ultio iſta ſuccedat. Eum ſolum timete, qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam. Non tamen quia poteſt, ideo facit. Multa enim Deus poteſt, quæ non facit. Sed cùm juſtitia merito delictorum exigit, & peccatorum demerito, debet pœnam infligere criminoſo, tunc judicabit judiciaria poteſtas, & detrudet in gehennam, quia ſcit delinquenti & peccanti adverſam eſſe juſtitiam.

Cap. XXIV.

Quòd JEſus venit in hunc mundum mittere ſanctum odium, ſanctum gladium, ſanctum ignem, & ſolvere malam pacem, ſecundùm Matthæum & Lucam.

EA, quæ Dominus ad corporis uſum creaverat, in mentis amorem tranſierant & colligabatur anima viſis, & nectebatur amœnitatibus ſæculi, ut non intelligeret, à quo, & cum quo, & ad quid facta erat, nec conſideraret imaginem, quam acceperat, & maximè amicitia charorum tenebatur, ne ſuſpiraret in creatorem ſuum, & hoc omne temperamentum ejus, ſi diligeretur, atque diligeret, & ſtudio ſolerti ſe trajciebat in explicabiles nodos, eo læta magis, quod nodoſius ligaretur. Non erat in amando modus, ſic conjungebat amicitiarum nodus. Et converſio ad creaturam ſumptam in placito, à creatore fecerat averſionem. Et hæc magna, imo maxima, ſed inviſa & incognita miſeria erat à ſummo devoluiſſe ad ima, ubi non reperitur, quod quæritur, ſcilicet illa beatitudo, quàm habere omnis rationalis anima delectatur. Et hoc maximus in intellectibus error, & in affectibus dolor, cùm quæritur, quod juſtè deſideratur, ubi non invenitur. Et niſi dividatur affectio colligata, & dimittatur, quod deficit, quod decipit, quod non ſatiat, quod non expedit, quod obvelat interius animum non itur, non reſpiratur in verum, non quæritur, ubi reperitur hominis bonum, Quocirca Salvator omnium Chriſtus noſtram miſeratus miſeriam, ut redeamus à quo per impietatem abſceſſimus, & primo abſolvamur à vinculis, quibus nectimur, quod hoc venerit facturus ſe enuntiat, non pacificare homines cum ſæculo, ſed ab ipſo ipſos avellere dicens: *Nolite arbitrari, quia veni mit-* Matth. 10
tere pacem in terram. Non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem adverſùs patrem ſuum, & filiam adverſùs matrem ſuam & nurum adverſùs ſocrum ſuam. Et inimici hominis domeſtici ejus. Cantaverunt Angeli in ortu Salvatoris annuntiantes pacem in terra, ſed hominibus bonæ voluntatis. Quid igitur eſt, quòd Salvator prædicans & docens ignaros, pacem in terram miſſurum denegat ſe veniſſe? Ac etiam cùm eſſet proximus paſſioni, quaſi hæreditario jure ſuam pacem ſuis Apoſtolis reliquit, & dedit, dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Sed ſoluit quæſtionem hoc verbum, quod ſequitur: Non quomodo mun- Joan. 14
dus dat, ego do vobis. Igitur non venit Salvator mittere mundi pacem in terram. Erat enim & jam talibus firmata fidelibus, ut ex ipſa inſimul confœderatione mortalium, bellum, imo rebellio Deo & virtutibus pararetur. Igitur illam pacem Salvator mittere non vult in terram, qua ſic homines colligentur, qua huic ſæculo conformentur, & obliviſcantur Domini creatoris. Sic & ſpiritu prophetico Moyſes ar-

guit populum Judæorum, cum ipſum ſæculo conſpiceret conformare dicens : Incraſſatus eſt dilectus & recalcitravit. Incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Et inde iterum arguitur : Deum, qui te genuit dereliquiſti, & oblitus

Deut. 32. eſt Domini creatoris tui. Ac per hoc mundi pax inter Deum, & hominem eſt hoſtilitas conſtituta. Hoſtilitas ad Deum, conflictum æternum habet. Igitur amator omnium Chriſtus non illius tecialis adductor eſt pacis, qua ſæculo conformati ab ipſo dividamur. Sed illius inductor eſt gladii, quo dividamur à ſenſualitatibus propriis, à blandimentis charorum, ab amœnitate ſæculi, abſcindamur, & ſeparemur, & per omnia retrahamur. Gladius hic Verbum

Epheſ. 6. Dei eſt, ſicut ſcriptum eſt : Et gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei. Et alibi:

Hebr. 4. Vivus eſt ſermo Dei, & efficax, & pene-

Gene. 27. trabilior omni gladio ancipiti. Et Eſau poſt omnem perditionem primogenituræ, & benedictionis, accepit à patre, vives in gladio. Vita gladii eſt ſecari à mundo & à carne, ut & ſpiritu vivamus, & ſpiritu ambulemus. Et in ore filii hominis viſus eſt gladius ex utraque parte acutus, ad diviſionem duplicem faciendam, affectus, & impertinentes rerum uſus. Hinc Joannes

1. Joan. dicit : Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia oculorum concupiſcentia carnis, & ſuperbia vitæ eſt. Et

2. Cor. 4. Apoſtolus : Nolite diligere, quæ videntur, ſed quæ non videntur, nam quæ videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna. Ipſe autem Salvator ad quid miſſus gladius ſit ſecaturus inſinuat. Veni enim ſeparare hominem adversùs patrem ſuum, & filiam adversùs matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam. Lucas verò in hac parte aliter plus adjun-

Lucæ 12. xit : Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut ardeat, ſeu accendatur? Baptiſmo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor uſquedum perficiatur? Putatis, quia pacem veni mittere in terram? Nolo, dico vobis, ſed ſeparationem. Erunt enim ex hoc quinque in domo una diviſi, tres in duos, & duo in tres dividentur. Pater in filium, & filius in patrem, mater in filiam, & filia in matrem ſuam, ſocrus in nurum, & nurus in ſocrum ſuam. Et inimici hominis domeſtici ejus. Ecce quod alter Evangeliſtarum declaratur ex altero, quod gladius ſeparatio domeſticis eſt, non hoſtili odio, ſed adhæſione potioris. Separari porro jubemur ab his, quos ſanguinis nexus nectit, aut conceſſa neceſſitudo conjungit, non tanquam à malis ex natura, cujus omnes ſunt homines, neque illos nodos conjunctionis abſolvere, qui licentia divina ligantur, tanquam malos, ſed ne potioribus nodoſius alligemur. Et omnis humana neceſſitudo pro quanto adhæſionem ad potiora impedit, pro tanto ſolvenda cenſetur. Et judicantur tenaciores colligationes ſolvendæ, ac decidendæ ſeparationis gladio, ut quæ minores exiſtunt, etiam diſſolvantur propoſito nodo connexionis ad melius. Propterea & ignis cum gladio miſſus dicitur, ut gladius dividat, ignis ſcilicet divinus amor cum virtutibus, & ſuperioribus inſeparatè conjungat. Vim copulativam habet in aliquibus rebus ignis etiam & combuſtivam ſcilicet criminum, & vinculorum ligantium noſtras animas cum peccatis & materiebus ſæculi. Aſcendit ſemper ſua proprietate ignis, & divinorum amor ſemper tendit in alta, ſed proprium locutionis Salvatoris reſtringit, ne in multa differenda vagemur. Ad hoc quidem ignis miſſus eſt, ut ardeat, ſive accendatur. Ardeat faciens ardentes ad divina quos accendit. Et illuminans, imo fugans cùm accendit tenebras noſtræ mentis, ut videamus, à quibus diſſolvendi ſunt animi colligati, quibuſque copulandi. Equidem ignorantia periculi latentis inſuavitate rerum, multos ad æternum interitum duxit, & potiorum ignorantia conſtituit in numeros neſcientes, ſeu nolentes agere propter præmium. Vult ergo ut ignis miſſus ardeat ad amorem, accendatur ad lumen, ardeat ad vitiórum combuſtionem, & fiant inimici hominis domeſtici ejus. Et contemplandum verbum. Nam prohibentur inimicitiæ inimicorum his, qui ad Evangelium tranſierunt, nunc ex Evangelio Salvatoris decreto, domeſticorum inimicitiæ ſtatuuntur, ſed eo inimicitiæ, quo ad Deum amicitia ſolveretur, non ex hoſtilitate aut lædendi libidine, ſeu vitioſitate naturæ. Profectò majori vallo cautelæ firmandum eſt inter domeſticos, quàm inter extraneos ſeu inter inimicos, cùm nulla valentior ſagitta corda humana diverberans quàm domeſticorum blanditiæ, qui ut inimici ſunt cavendi & reputandi homini, cujus fuerint antea domeſtici, cùm collum Evangelio ſancto in veritate ſubjecerit. Levius quidem reſiſtitur armis, furoribus, terroribus, & quibuscunque tortionibus corporum, quàm lenientibus verbis domeſticorum ſeu ipſorum blandis amoribus reſiſtatur. Falluntur, & fallunt, qui mundo ſe copulant, aut cum ipſo ſuadent imperitioribus copulari, afferentes aliam ſuavitatis doctrinam, quàm Evangelicus ſermo pronuntiet, qui gladius ſeparatorius eſt, & deſolatorius ignis.

ignis. Hinc aſſerebat JEſus ſe alio baptizari baptiſmo, ſcilicet aſperſione undæ crucis, & abluitivo lavacro ab omni delectatione viſibilis & laudatæ materiei. Et coarctabatur à deſiderio in animo perficiendi quouſque perficeret, prærogaturus in ſe formam per crucem qualiter baptizemur, atque lavemur a ſordibus hujus ſæculi. Proinde nec putandum eſt, quod pacem venit in terram mittere, ſed ſeparationem. Niſi ſeparemur à ſæculo, non copulabimur Chriſto. Igitur ſeparari neceſſe eſt à viſibilibus, ſi volumus inviſibilibus ſociari, & ab homine, ſi Deo conjungi ſatagimus, non odio, ſed ſpe conjunctionis ad melius, quod & amoris compoſitione declarat, ne videretur laudabilis naturæ jura diſſolvere. Sicut enim non venit ſolvere legem, ita nec condiam damnare naturam. Amor eſt à natura in propagatis à propagatione traducis, ſcilicet patris ad filium, filii ad patrem, & animæ ad corpus, & corporis ad animam, quem non condemnat, ſed poſtponit: non dirimit, ſed ſupprimit, dicens: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus. Et qui amat filium aut filiam ſupra me, non eſt me dignus.* Perſpicuum eſt quod non damnat amorem, ſed ipſe non vult in amore eſſe poſterior, ſed præferri. Ordo quidem eſt naturalis & originalis juſtitiæ, ut potiora magis, minora minus diligantur. Ac per hoc non eſt dignus Deo, qui quoscunque conjunctos ſibi diligendo præfert. Non tollitur charorum amor, ſed ordinatur. Et amoris ordinem habere à ſponſo ſuo ſe fatetur Ecclesia, in canticis dicens: Ordinavit in me charitatem, ſcilicet, ut non diligenda non diligerentur, ut amarentur amanda, minora minus, majoraque magis. Nec vita propriè Dei dilectioni præferenda eſt, ut etiam, ſi neceſſitas exigit, propter Chriſtum morti vita corporis exponatur.

Cant. 2.

Quamobrem adjecit: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* In hac ſiquidem ſequela per crucem omnis colligitur abnegatio voluntatis & carnis, ut nec anima neque corpus Chriſto in aliquo præferatur. Quoniam non eſt dignus Chriſto crucem accipienti propter nos, ſi & nos non accipimus crucem ſequentes ipſum, ſed propter nosipſos, qui nihil ſibi adiicimus ſequentes ipſum, ſed pro nobis componitur cumulus præmiorum. Et ut omnem perſtringeret gladii ſeparationem, ignis aduſtionem, ad uniuſcujuſque perſonam propriam ſententiam convertit, cùm adjunxit: *Qui invenit animam ſuam, perdet illam, Et qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Videntur adverſari verba, ſed unica eſt ſententia invenire & perdere, perdere & invenire. Qui perdit invenit, qui invenit perdit. Quid neceſſe ante aliquid invenire, ſi expedit perdere, ad quid etiam perdere, ſi oportet iterum invenire? Quid ſibi vult controverſa locutio? Contraria omnino invenire & perdere ſunt, perdere & invenire. Duplex invenire, unum quod inſinuatur & perdere. Primum invenire in via, reliquum in patria, ſed totum perdere ſit in via. Invenit animam ſuam, qui dignitatem ſuæ creationis agnovit & intellexit redemptionis officium, atque per fidem vidit, quanta poſſit felicitate in æternitate veſtiri, & hoc in via. Perdidit aut perdit, qui viator exiſtens mundo utitur, acſi non uteretur, & omnia viſibilia terrena, & omnem corporis ſui vitam arbitratur ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciat, & ſic perdita æterna reperiet in patria. Hæc ſiquidem perditio grani ſati imaginem habet, quod primò perditur, poſtea multiplicatum reinvenitur, ſic anima mundo mortua, æternaliter & beata viva invenietur in patria.

Cap. XXV.

Aſſerit ſe Chriſtus in ſuis Apoſtolis recipi, ut ipſi ſint prompti ad docendum, auditores benevoli ad recipiendum, ſecundùm Matthæum Lucam & Joannem.

EX ſuperioribus pendet ſubjecta ſententia quod non timerent, & quod Chriſtum Apoſtoli coram omnibus confiterentur, quia recipitur, aut ſpernitur in eis. Ait enim: *Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit.* Et qui vos audit, me audit. Et qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui me miſit. Parabatur Apoſtolis humilitas cum promptitudine prædicandi, quoniam ſi recipiebantur, Chriſtus recipiebatur, & audiebatur in eis. Providetur humilitas, ne ſibi boni aliquid arrogarent, etiam & promptitudo, ut

Matth. 10

Marci 9.

Lucæ 10.

Joan. 13.

ut promptiores fierent ut Chriſtus hono-
raretur, reciperetur, audiretur in eis. Et
ipſi propter eum animabantur etiam audi-
tores ad recipiendum, cùm non tantùm
homines, ſed Chriſtum unigenitum Dei
Filium reciperent, & audirent, ſi nuntios
ſuos animo grato ſuſciperent. Nec puta-
rent puros homines vocibus carnis auribus
inſonare, ſed ipſum Chriſtum in eis, qui
eos cœleſte regnum novámque vitam
prædicare mittebat. Et qui vos audit, me
audit. Dixerat enim alibi ipſe Salvator:
Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed
ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.
Spiritus quidem & Filius unum ſunt in ſub-
ſtantia, quamvis ſit diſtinctio in perſona.
Et Apoſtolus affirmat ſententiam, dicens:
An experimentum quæritis ejus, qui in
Matth. 10 me loquitur Chriſtus? Non igitur in au-
thoritate propria ſeu ex propriis loque-
2. Cor. 13 bantur Apoſtoli. Neque ſic loqui debent,
qui veritatem volunt auditoribus indicare.
Quoniam qui ex propriis loquitur, men-
dacium loquitur. Ipſi quidem auditores
dignanter & abſque rubore, fidenter &
devotè audire debebant illos, in quibus,
& per quos Chriſtus Dominus loqueba-
Joan. 8. tur. Et ne ſperni expaveſcerent, Chriſtus
ſe in eis ſperni aſſeruit, ut pariter prædica-
toribus auferetur opprobrium & contemp-
tus, nec ſibi adſcriberent injuriam, ſi ſper-
nerentur, cùm ipſe ſperneretur in eis, à
quo mittebantur. Et auditoribus, ſeu
his, ad quos mittebantur, pœnalis com-
minatio ſuperſtabat, Chriſtum in ſuis præ-
dicatoribus ſi ſpreviſſent. Nam honor ex-
hibitus miſſo, adſcribitur ex toto mittenti,
& ſpreviſſe miſſos, manifeſtum eſt ſpreviſ-
ſe mittentem. Practici hominum mores
clarius, quàm dixerim hanc ſententiam
eloquuntur, ſi ſervos & legatos miſſos à
mundi principibus, receptos, auditos, ſive
ſpretos volumus contemplari. Receptio
quidem & ſpretio ſunt in gradibus con-
ſtitutæ, ut uſque ad ipſum Deum Patrem
perveniant, quoniam, qui recipit Apoſto-
los, Diſcipulos ſive prædicatores à Chriſto
miſſos, recipit Chriſtum. Nec in hoc ſe-
cundo receptionis gradu eſt terminata re-
ceptio, ſed qui recipit Chriſtum, recipit
& ipſum Patrem Deum, à quo ſe miſſum
ſæpe in ſuis ſermonibus affirmavit: Et qui
ſpernit ipſos, ſpernit & Chriſtum. Sed
nec in iſto ſecundo ſpretionis gradu termi-
natus eſt, ſed Deus Pater ſpretus indicitur.
Qui vos recipit, me recipit: & qui me re-
cipit, recipit eum, qui miſit me. Et qui
vos ſpernit, me ſpernit: & qui me ſper-
nit, ſpernit eum, qui me miſit. Eadem
ſententia conſtituitur de auditu, quamvis
ſeriem loquendi Evangeliſta non explicet.
Animat expoſitio merito propter futurum
præmium omnes, ad quos Chriſti legati
perventuri erant, dicens: *Qui recipit pro-
phetam in nomine prophetæ, mercedem pro-
phetæ accipiet. Et qui recipit juſtum in no-
mine juſti, mercedem juſti accipiet.* Non ſic
accipiendum eſt, ut recepti merces ipſum
receptum deferens in recipientem ſe totam
diffundat, neque quod æqua ſemper in
utroque perſiſtat, ſed quia mercedem ha-
bebit, qui prophetam miſſum & juſtum
accedentem recipit contemplatione mit-
tentis. Ad Doctorem ſive Prædicatorem
Propheta refertur, ad verè fidelem indigen-
tem juſtus, etiamſi non valeat inferre do-
ctrinam. *Et quicunque potum dederit uni de
minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantùm in
nomine Diſcipuli, amen dico vobis, non per-
det mercedem ſuam.* Liquidum eſt omni-
bus perſuaderi Chriſti ſervos cujuſmodi
exiſtant, debere recipi, ſub pollicatione
ſolemni, quod ex minimis benè actis apud
Deum merces non deperit. Multò magis
credendum eſt ex magnis actionibus al-
tiora præmia obvenire, ne fiat in animo
tædioſum, etiam ſi in corpore laborioſum
atque pœnoſum fuerit id, quod agitur, ſive
toleratur, ſi omnia parva & magna in con-
ſpectu Dei pia retributione trutinantur.

Cap. XXVI.

De deſignatione & miſſione ſeptuagintaduorum Diſcipulorum, & regula prædicandi, & ordine vivendi, ſecundùm Lucam ſolùm.

SUpra diſſertum eſt, quando duodecim
Apoſtolos ſingulariter nominavit, mi-
ſit, & ordinavit ad mores. Nunc
Luc. 9. *ſeptuagintaduos Diſcipulos deſignans* eadem
vivendi forma, prædicandi regula, pote-
ſtate miraculorum, qua miſerat Apoſtolos,
in omnem civitatem, & locum, in quo
erat ipſe venturus, bina ſocietate præmiſit,
Quod deſignavit & alios ſeptuagintaduos,
ad ſecretionem factam à cæteris pertinet,
quoniam deſignatio eſt ſpecialia ſigna ſe-
cernere, ut neque communitas, neque
con-

confuſio ſit cum cæteris. Nam ſicut ſi-
gnatione ſui vultus aut divinæ imaginis
ſuper nos diſtinctio facta eſt ſpecificè à
cæteris creaturis ratione carentibus,ſic de-
ſignatione JEſu facta in Diſcipulis,facta eſt
à cæteris hominibus, non tantum infide-
libus, ſed etiam ab his, qui fidem accepe-
rant. Deſignatio quidem hominum, ſeu
rerum ideo fit,ne ſit ex communitate con-
fuſio, ne præſumptio ſit in his, qui de-
ſignati non ſunt, ut aliquid peragendum
velint propria poteſtate præſumere. De-
ſignantur velut qui ad militiam eligun-
tur, & mittuntur ad pugnam illa diſcipli-
na militari, quæ congruens fuerit, & quam
ſtatuerit Imperator. Quod bini mittun-
tur, pertinet ad veritatem & cautelam, &
ad teſtimonium ſanæ doctrinæ, ut vere-
cundia ſocii, qui loquitur, moderetur ſer-
mones, & diſponat in judicio, ne in plus,
quàm expedit, effluat, & loquatur imper-
Eccleſ. 4. tinens. Et ad fulcimentum tenendæ ſo-
cietatis, ut unus releveтur ab altero, cùm
Exod.34. ad defectum ſcriptum ſit; Væ ſoli, quia
cùm ceciderit, non habet ſublevantem.
Gene.25. In duobus etiam teſtamentis prævenitur
Chriſtus, ut niſi vetus & novum præceſſe-
Exod.25. rit, ipſe non veniat. Et duæ tabulæ teſta-
menti datæ ſunt, eo pacto, quod illa lege
Deut. 37. coleretur Deus. Et bini velut ad duas gen-
tes mitterentur ad novitatem fidei con-
vertendas. Quoniam duæ gentes erant Cant. 4.
in utero Rebeccæ, duóque populi conver-
tendi ad Chriſtum, nulla temporum diſ-
curſione peracta. Et duplex eſt ſapientia Eccl. 13.
ſpiritualis, bene agendi, & optimè con-
templandi. Ad quam præſagiendam duo
Cherubin facti ſunt ductiles ex auro puriſ-
ſimo. Et ubera ſponſæ ſicut duo hinnuli
erant, ut humilitas ſit in omnibus; ex in-
dulsis & acceptis. Et duo contra duo
ponenda erant, ad ſignificationem in facto
eorum, qua aguntur, agíque debent, non
ad ſignificationem in futuro, quaſi ad hanc
figuram & umbram alia veritas, & claritas
expectetur. Non enim erit alia lex poſt
hanc Evangelicam legem, prout non erit
aliud fidei & Eccleſiæ fundamentum,
propter id, quod poſitum eſt, quod eſt
Chriſtus JEſus. Bini Diſcipuli miſſi ſunt,
qui à Chriſto eiſdem diſciplinis erudiri ſunt,
quibus & duodecim Apoſtoli, ut quam-
vis indignitate diſtincta electione ad offi-
cia, quæ JEſus ſtatuit, Apoſtolorum & Diſ-
cipulorum omnino non ſit paritas, bini ta-
men vivendi & converſandi ſit una mora-
litas, & una forma data, ut jam diſſertum
eſt. Et ſi in aliquo diverſa eſt littera, ea-
dem tamen capienda eſt ſententia.

Cap. XXVII.

De confeſſione laudis & gratiarum actione, quam Chriſtus fecit ad patrem ſuper revelatione ſui facta Diſcipulis ſuis, ſecundùm Matthæum & Lucam.

PAr patri filius, æternus æterno, Deus
Deo, immenſus immenſo, & ſi qua
parilia poſſet ſermo diſcurrere, non
habet neque laudem, aut gratiarum actio-
nem jure ad parem. In æqualitate qui-
dem oblata ſunt ad unam jura Dominû,
necnon & ſubjectiones ab altera parte.
Igitur ad confeſſionem laudis, & benefi-
cii jam recepti in actu minoritas eſt.
Hinc JEſus non ut æqualis æqualem, ſed
ut minoratus in homine alloquitur Pat-
Matth. 11 rem, dicens: *Confiteor tibi Pater cœli &*
terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, &
prudentibus, & relevaſti ea parvulis. Ita
Pater, quia ſic placitum fuit ante te. Gra-
tiarum confeſſio iſta eſt: Non quod
tam alta myſteria ſunt ſapientibus & pru-
dentibus hujus ſæculi clauſa, ſed quæ ip-
ſorum demerito obvelata eis ſunt revela-
Lucæ 10. ta parvulis. Non enim Pater Deus in
commune revelandum ſecretum, niſi ex
cauſa voluit eſſe occultum. Igitur ſa-
pientum ſive prudentum & parvulorum
oportet ſcire diſtantiam, ne juſtitia Dei
falſo hominum judicio condemnetur,
cur hoc denegatum illis, conceſſum iſtis
extiterit, & ne peccetur ab hominibus
in illo judicio, & ne in moribus error
fiat, & ut illa ſapientia & prudentia de-
clinetur, cui denegatur commiſſio di-
vinorum, & illi parvulitati impendatur
ſtudium, cui Pater revelationem facit.
Non enim abs re Chriſtus ſic in ſpiritu
exultat, gratias agit ad Patrem, quod ne-
gata magnis ſint credita parvulis, ita ta-
men ſicut ab æterno Patri placitum fuit.
Quæ ſunt abſcondita, quibus occulta,
quibusve credita oportet inſpicere. Cùm
miſſi Diſcipuli à JEſu in omnem civita-
tem, & locum, quo erat ipſe venturus,
reverſi fuiſſent gaudentes ad JEſum, fa-
tentes quod dæmonia eis ſuo nomine,

ſuáque virtute ſubjecta fuiſſent, in ipſa
hora in ſpiritu exultavit JEſus, Patri gra-
tulans, quod jam per effectum fidei mon-
ſtrabatur ſe à Diſcipulis in fide cognitum,
quod erat ſumma myſterii, ut credere-
tur, quod eſſet Filius Dei. Nam Incar-
natio, nativitas, renovatio vitæ, & latio
novæ legis, & ipſius juſtitia & miſericor-
dia, & remiſſio peccatorum, converſa-
tio inter homines, forma Dei & forma
ſervi in unum conventa, ut non alter ex
altero, ſed alter redderetur in altero, paſ-
ſio & mors, deſtructio ſatanicæ pote-
ſtatis, & reconciliatio ad Deum in ſan-
guine, reſurrectio & aſcenſio, in utra-
que forma propria veritate ſervata, ex al-
tera natura confuſa, editio Sacramento-
rum in verbo, in virtute ſpiritus; altitu-
do poteſtatis conceſſa mortalibus in pa-
tratione tantorum, & tam innumerabi-
lium miraculorum, prædeſtinatio ab æter-
no perficienda in ipſo credito, præſcien-
tia in ipſo negato, Ipſe caput corpus
coaptatum habens, ipſe univerſorum
hæres, ipſe daturus ſpiritum, vocatio
gentium, reſurrectionem omnium factu-
rus, judicaturusque orbem terræ, hæc
erant illa myſteria, ſed abſcondita, de
Epheſ. 3. quibus Apoſtolus ait: Sed revelatione
notum mihi factum eſt Sacramentum,
prout poteſtis legentes intelligere pru-
dentiam meam in myſterio Chriſti, quod
aliis generationibus non eſt agnitum fi-
liis hominum, ſicuti nunc revelatum eſt
ſanctis Apoſtolis ejus & Prophetis in
ſpiritu, eſſe gentes cohæredes & con-
corporales & comparticipes promiſſio-
nis ejus in Chriſto JEſu per Evangelium
ejus, cujus factus ſum ego miniſter ſe-
cundùm donum gratiæ Dei, quæ data eſt
mihi ſecundùm operationem virtutis
ejus. Mihi autem minimo ſanctorum
data eſt gratia hæc, in gentibus Evange-
lizare inveſtigabiles divitias Chriſti, il-
luminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sa-
cramenti abſconditi à ſæculis in Deo. De
quo etiam idem alibi referens Sacramen-
Col. 2. tum, ait: Cujus factus ſum ego Paulus
miniſter ſecundùm diſpenſationem Dei,
quæ data eſt mihi in vobis, ut impleam
Verbum Dei per myſterium, quod ab-
ſconditum fuit à ſæculis & generationi-
bus, nunc autem manifeſtum eſt ſanctis
ejus, quibus voluit Deus notas facere di-
vitias gloriæ Sacramenti hujus. Unde
Chriſtus exultat, Patri gratias agens.
Sapientes autem, quibus abſcondita ſunt,
& abſcondentur Sacramenta Dei, ſunt
hi, quibus per Prophetam dicitur: Væ
Iſaiæ 3. qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, &
prudentes coram vobiſmetipſis. Et per
alium: Sapientes ſunt, ut faciant mala, Jerem. 4.
bene autem facere neſcierunt. Et Apo-
ſtolus: Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti Rom. 1.
facti ſunt. Et hi ſunt ſapientes mundi, Rom. 8.
& ſecundùm carnem, de quorum ſapien-
tia dicitur: Sapientia carnis inimica eſt 1. Cor. 1.
Deo, legi enim Dei non eſt ſubjecta, ne-
que enim poteſt. At etiam ſtulta eſt, ſi-
cut etiam ſcriptum eſt alibi: Nonne
Deus ſtultam fecit ſapientiam hujus mun-
di? Et paulo poſt: Sapientia vero hu-
jus ſæculi deſtruitur. Parvuli verò, qui-
bus divina myſteria creduntur, non ex
ætate aut mole corporis æſtimandi, ſed
homines in fide, ſine curioſitate creden-
tes, captivantes omnem intellectum in
obſequium ejus, alieni à malitia, juxta
ſententiam Pauli: Nolite pueri effici
ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote. Et
quo decreto ſit facta iſta revelatio, ape-
rit dicens: *Etiam ita Pater, quoniam ſic* 1. Cor. 14
placitum fuit ante te. In Labyrinthum in-
explicabilem ingreditur, ſi quis ſub aliqua
ratione comprehendere nititur divina
myſteria & operationes Chriſti ad nos,
& propter nos, quorum præter placitum
Dei nulla ratio reddi poteſt. Et placi-
tum ejus cauſam aliam & rationem ſup-
poſitam nullam habet, omnium benefa-
ctorum exiſtens primaria, & ſumma cau-
ſa. Proinde JEſus ait, quare ſit iſta re-
velatio tanti myſterii talibus parvulis fa-
cta, quoniam ſic ab æterno fuit placitum
ante Patrem, ut ipſe Filius æternus in hunc
mundum veniret, acturus humani gene-
ris cauſam. Et ab æterno elegit ante
mundi conſtitutionem, quibus hoc Sa-
cramentum à ſapientibus mundi abſcon-
ditum panderetur. Et ad ſeipſum ſer-
monem inflectit, de ſe pronuntians unde
gratias agit. *Omnia mihi tradita ſunt a Pa-
tre meo.* Quoniam nihil eſt in poteſtate
Patris, quin Filius ſubjectum habeat, &
nihil eſt Paterni juris à Filii juriſdictione
ſecluſum. Et hi parvuli etiam inter alia
ſibi tradita traditi erant, facti in cogni-
tione fidei Apoſtoli, Diſcipuli, & amici.
Myſterium hoc, & Sacramentum mag-
num erat ab aliis abſconditum, eis reve-
latum prædicaturis per orbem, ſed hæc
cognitio in nullius eſt, præterquam in
Patris, & Filii poteſtate, & quibus danda,
non aliter, quàm per eum. Hinc & ad-
jecit: *Et nemo ſcit, qui ſit Filius, niſi Pater,
& qui ſit Pater, niſi Filius, & cui voluerit Fi-
lius revelare.* Perſpicuum eſt Patris &
Filii neminem poſſe habere notitiam,
prout ad invicem mutua, & æterna, &
æquali notitia ſe cognoſcunt, quorum al-
ter ingenitus æternusque generans, alter
ſemper genitus, ab æterno ab ipſo gene-
ratus,

ratus, una ſemper eorum exiſtente ſubſtantia. Poteſt tamen in eorum venire notitiam, quamvis non æqualem, cui Filius per gratiam revelaverit de Patre, ſeu Pater de Filio, aut alter de utroque. Segregatum quidem modum cognoſcendi trinitas habet, ſicut & eſſendi, ut non virtute noſcentium, ſed ſua virtute, ut infuſionem alicui dederit, cognoſcatur.

Cap. XXVIII.

Quod JEſus omnes vocat ad refectionem, jugúmque ſuave tollendum, & qui ad diſcendum humilitatem duntaxat voluit ſe exhibere Doctorem, ſecundùm Matthæum.

HOc pacto, hac conditione, hac utili-
tate, hac æterna prædeſtinatione Fi-
lius Dei factus eſt homo, ut in ipſo
humana deſideria finirentur, & in ipſo fini-
retur ſterilis labor mortalium, & appone-
retur per eum copioſus panis, in quo in-
defectibiliter ſe reficerent famebundi. Et
prout omnia ſibi à Patre ſunt tradita, ita
cum illo dato nobis omnia data ſunt. Sic
Rom. 8. enim inquit Apoſtolus: Qui largitate Pa-
terna proprio Filio non pepercit, ſed pro
nobis tradidit illum, quomodo non enim
cum illo omnia nobis donavit? Proinde
ſi pro omnibus datus omnes vocat, ſi cum
illo nobis omnia data, reficere omnes po-
Matth. 11 teſt. Propterea inquit: *Venite ad me om-
nes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego re-
ficiam vos.* Non erat hominibus audacia,
neque ſpes, adeundi eum, ipſe prior vocat
ad hoc miſſus exiſtens Neminem à vo-
catione ſecernit, niſi ex ſecernat vocatus,
omnibus refectionis panem parat. Sibi
adſcribat periculum, qui non vadit. No-
verat quidem ipſe hominum fruſtrari ex-
ercitia, varioſque labores, & premi gra-
vibus oneribus peccatorum, & ſolicitudi-
nibus impertinentibus onerari, quos miſe-
ratus attrahit, ut accedant ad eum, ſive ma-
lo ſudore laboraverint, ſive ad debitum
finem fuerint exerciti labores, illos refice-
re vult, ſi reſipiſcunt, iſtos ad refectionem
vocat, quia ſe honeſtis laboribus dedica-
runt. Sed inditus eſt labor cunctis naſ-
centibus ex damnata propagine, illo de-
merito quo eſt damnata propago, uti ſen-
Geneſ. 3. tentiam accepit Adam. Quia audiſti vo-
cem uxoris tuæ, maledicta terra in opere
tuo. In labore comedes ex ea. Et Job
Job. 5. cognovit in poſterum: Homo naſcitur ad
laborem, avis naſcitur ad volandum. Ex-
perimento cognoſcitur, quanto ſudatur la-
bore, ut ex terra fructus valetudini aptus
proveniat, ſeu ex terra carnis, quam geri-
mus, fructus cœlo dignos in illo comeſti-
biles capiamus. Et ad laborem hujuſce-
modi eſt omnium hominum origo mor-
talium. Sed ut in laboribus non fruſtra
ſudetur, opus eſt ſapientia & diſciplina.
Unde per ipſam ſapientiam dicitur: Sa-
pientiam & diſciplinam qui abiicit infelix Sapien. 3.
eſt, & vacua ſpes illorum, & labor ſine
fructu. Quoniam ſæpe labor hominum
evaneſcit, & quo intenſior in animo & ad
plura extenſior, magis deperit. Sicque
lamentatur ille rex potens & ſapiens, qui
omnia voluit experiri, expertus, quæ po-
tuit, poſt omnem laborem & ſolicitudi-
nem dixit: Cumque me converriſſem ad Eccleſ. 2.
univerſa opera, qua fecerant manus meæ,
& ad labores, in quibus fruſtra ſudave-
ram, vidi in omnibus vanitatem, & affli-
ctionem animi, & nihil ſub ſole permane-
re. Et poſt contemplationem aliam, ite-
rum dixit: Rurſus deteſtatus ſum omnem
induſtriam meam, qua ſub ſole ſtudioſiſſi-
mè laboravi, habiturus poſt me hæredem,
quem ignoro utrum ſapiens, an ſtultus ſit
futurus, & dominabitur in laboribus meis,
quibus deſudavi, & ſolicitus fui Et eſt
quidquam tam vanum? Unde ceſſans,
renuntiavit cor meum ultra ſub ſole labo-
rare Nam cùm alius laboret in ſapientia,
& doctrina, & ſolicitudine, homini otio-
ſo quæſita dimittet. Et hoc ergo vanitas
& magnum malum Quid enim prodeſt
homini de univerſo labore ſuo, & afflictio-
ne ſpiritus, qua ſub ſole cruciatus eſt?
Cuncti dies ejus doloribus & ærumnis
pleni ſunt, nec per noctem mente requieſ-
cit. Et hoc nonne vanitas eſt? Et ite-
rum poſt aliam contemplationem fruſtra-
torum laborum adiecit: Rurſus contem- Eccleſ. 4.
platus ſum omnes labores hominum, & in-
duſtrias animadverti patere invidiæ proxi-
mi. Et in hoc ergo vanitas, & cura ſuper-
flua eſt. Iterumque ait: Conſiderans
repperi aliam vanitatem ſub ſole. Unus
eſt & ſecundum non habet, non filium,
non fratrem, & tamen laborare non ceſſat,
nec ſatiantur oculi ejus divitiis, nec reco-
gitat,

Eccleſ. 5. guat, dicens : Cui laboro, & fraudu animam meam bonis ? In hoc ergo vanitas eſt, & afflictio peſſima. Et poſt : Sicut egreſſus nudus de utero matris ſuæ, ſic revertetur, & nihil aufert ſecum de labore ſuo. Miſerabilis prorſus infirmitas, quomodo venit, ſic revertetur. Quid ergo prodeſt ei, quod laboravit in ventum cunctis diebus vitæ ſuæ ? Ac per hoc quid iſta verba, & plura, quæ ad mundi contemptum ibi ſcripta ſunt, pandunt, niſi hominum mortalium ad aliam vitam tendentium, poſt iſta fugitiva tenenda ſeu amœniter & plus debito fultè capienda ducendáque, uſquequo invitè finiatur, ſteriles fruſtratosque labores, à quibus JEſus venit revocare mortales, habens pollicensque, unde cunctorum avidi animi æternè ſatientur. Sunt & laborantes inexcuſatè in culpa, quos etiam eis daturus, ſi pœnitent, veniam, ad ſe vocat. De quibus per
Iſaiæ 56. Iſaiam dicitur. Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. Et alius prophe-
Pſal. 7. ta : Concepit dolorem, & peperit iniqui-
Jerem. 9. tatem. Et Jeremias : Ut iniquè agerent, laboraverunt. Plus enim ad vitia & iniquitatem, quàm ad virtutem & juſtitiam laboratur. Non tamen perſpicuum eſt verbum omnibus maximè tædioſis, niſi eis duntaxat, qui conditam naturam, quantum ſit amica virtutibus, conſpexerunt, quantumve virtutes verſa vice bonis naturalibus amica ſit. Nam ſecundùm naturam, non tamen ex natura ſunt virtutes, vitia verò contraria ſunt, & inimica naturæ, aliàs nec vitia dici poſſent. Labor quidem major ſemper in contrariis, quàm in competentibus eſt. Necnon & bene laborantes ad iſtam pertinent Salvatoris vocationem, qui cum Dei ſapientia operari & laborare curaverunt, ſicut expectat, qui hoc
Sapien. 9. volebat. Mitte illam, ſcilicet ſapientiam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede majeſtatis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam, quid acceptum ſit coram te omni tempore. Non fruſtatur labor cum Dei ſapientia factus, cujus is finis, ut quod Deo acceptum ſit omni labore agere ſatagamus. Et laborare in gemitu pro octava pſalmus & titulus manifeſtant, virtus opportuna eſt. Sic inquit, qui ſic egit: La-
Pſal. 9. boravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Suadet autem Apoſtolus Timotheo, qualiter oporteat inſiſtere
2. Timo. 2. non fraudandis laboribus. Labora, inquit, ſicut bonus miles Chriſti. Nam bonus miles Chriſti non militat in ventum, neque laborat, ea tantum agit, quæ ab ipſo accepit ſancto mandato, ſeu ſanctiori conſilio. Eſt quidem miles Chriſti, & eſt bonus miles Chriſti. Chriſti miles eſt, quicunque ipſius fidem animo, aut Sacramento, ſeu altero aut utroque ſponte dignéque ſuſcipit. Bonus verò miles, qui excluſo vitio ſemper ſequitur bonitatem, & ad illam perficiendam laborare non deſinit, indeſinenter in anteriora & meliora progrediens. Non enim eſt bonus miles, qui poteſt, & negligit in ſeipſo augmentum facere bonitatis. Siſtere vel reflecti defectum aut vitium habet, propterea, & iterum dictum eſt : Tu verò vigila, in om- 2. Timo.
nibus labora, ut nihil omittatur ex deſidia 2.
laborandi, quod poſſit adduci ad virtutem. Sit igitur ad additionem meliorum jugis labor. Et preſſos oneribus vocat, ut exoneretur. Nam & animalia licèt onerifera, quærunt, & cupiunt juxta naturæ inſtinctum à prementibus oneribus relevari. Sed hominibus nulla onera graviora, niſi illa, quibus ſe ſponte in animo magis, quàm corpore oneraverunt, quæ iniquitates & peccata voluntaria ſunt, quibus ſe gravatum in forma peccatorum fatebatur David,
orans alleviari ab eis ; Quoniam iniquita Pſal. 37.
tes meæ, non alienæ, ſupergreſſæ ſunt caput meum, non alterius, quoniam unusquisque à propria, non aliena iniquitate lædetur. Et ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. Quibus onerare quilibet poteſt, exonerari autem præterquam à Chriſto non poteſt, quoniam ipſe ſolus eſt Agnus Dei, qui tollit tollereque poteſt peccata mundi. Indefectibilis quidem eſt refectio, quam promittit, quoniam ipſe nequit deficere. His duntaxat deficit, qui eam aut accipere deficiunt, aut faſtidiunt. De qua refectione indeficiente David ante
prophetaverat, dicens : Dominus regit me, Pſal. 22.
& nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit. Nemo igitur quærat aliunde ventrem ſuæ mentis implere, niſi ex refectore Chriſto univerſorum hærede. Et univerſa in unum conflata deſiderio humanæ mentis appoſita ſine ipſo non ſatiant. Nec ad indignitatem, magis autem ad ejus excellentiam hoc ſentiendum eſt, quod aliis repleri anima nequit Dei capax, parvipendenda quidem eſſet, ſi poſſet. Habet in ſe JEſus, unde poſſit animas hominum ſatiare, ipſe adeps exiſtens noſtræ animæ ſatiandæ congruens, ſicut de eo David ad gratiarum actionem in figura Jeruſalem omnem invitans animam,
dicebat : Qui poſuit fines tuos pacem, & Pſal. 147.
adipe frumenti ſatiat te. Nunquam expleta refectio, niſi per pacem. Quousque appetitus hominum in aliud tendit, non eſt pax, cùm verò erit tota refectio, ut quippiam deſiderari non poſſit, pax aderit.

Igitur

Igitur finis ſalvandorum in pace termina-
tur, appoſito adipe frumenticio Chriſto
JEſu, videlicet ad ſatietatem & refectio-
nem accedentium vocatorum, ſed per
quandam juſtitiam bonarum præceden-
tium actionum oportet accedere ad refe-
ctionem & requiem. Ob quam largien-
dam Salvator colla noſtra vult ſubjecta fie-
ri jugo ſuo, & ab eo illa diſcere, quorum
experimento & ſcientia ſolus verus eſt Do-
ctor. Etenim adjecit: *Tollite jugum meum*
ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, &
humilis corde, & invenietis requiem anima-
bus veſtris. Ea imagine, qua boves ſub
uno ligno in extremitatibus inſertis liga-
minibus impoſito utriusque collo jungun-
tur innexo aratro ad ſulcandam terram ho-
minibus jugum diabolicæ ſive vitioſæ aut
humanæ aut divinæ ſervitutis imponitur.
Diabolicum quidem jugum in dominatu
regis Babylonis figuratum accepimus; ſub
quo demerito ſuarum iniquitatum homi-
nes traduntur, atque detinentur. De quo
Jeremias repetenter ait, quod Deus illud
Jerem. 28 juſtè imponat. Hæc dicit Dominus Deus
Iſrael: Poſui jugum ferreum ſuper collum
cunctarum gentium. Non autem creden-
dum eſt Deum velle diabolo colla homi-
num ſubjugare, nec ei obſequi ſub tribu
to. Sed cùm ab ipſo per idololatriam, &
per alia ſcelera fit averſio, & longa peragi-
tur, nec adjicitur, ut redeatur in illum, à
quo faſcinati receſſimus, permittit ille in-
juſtè derelictus, juſtè ſub jugo diaboli fer-
reo colla premi. Eſt autem jugum fer-
reum ipſa diabolica implacabilitas, & dura
oppreſſio, ſub qua curvatæ mentes malè
affectæ in virtutem reſpirare non poſſunt,
& ſubacta membra oneribus iniquitatum
inceſſanter ſerviunt. Et beatus cenſetur,
qui liber eſt à membris vitiosè diabolo
ſubjugatis, ſicut per ſapientiam dicitur:
Eccleſ. 28 Beatus eſt, qui tectus eſt à lingua nequam,
qui in iracundia illius non tranſivit, & qui
non attraxit jugum ejus, & in vinculis il-
lius non eſt alligatus. Jugum enim illius
ferreum eſt, & vinculum illius æreum eſt.
Et de jugo vitiorum multiplicium deplo-
Threm. 1 rabat Jeremias, dicens: Vigilavit jugum
iniquitatum noſtrarum in manu ejus, con-
volutæ ſunt, & impoſitæ ſunt collo meo.
Infirmata eſt virtus mea, dedit me Domi-
nus de manu, de qua non potero ſurgere.
Omnis iniquitas prædominans animæ ju-
gum facit. Et cùm multiplicatæ fuerint,
multiplicantur & juga, quibus collum ani-
mæ preſſum malè fatiſcit. Sed jugum ini-
quitatum vigilat in manu Domini, cùm
hæc voluntaria peſſundatio involuntariam
exigit juſtitiæ dignam pœnam à manu Do-
mini puniente. Explicat autem qualiter

jugum iniquitatum teneat, quia iniquitates
convolutæ & impoſitæ circa collum, ſcili-
cet circa illam animæ vim, qua ſe poſſet eri-
gere in ſuperna, ne recurvetur ad ima.
Proinde vim illam aſſerit infirmatam. In-
firmitas enim eſt animæ, omnis ſpontanea
iniquitas, quæ cùm multiplicatur ex nu-
mero, aut ex tempore, amplius gravat,
creſcit debilitas, ut nulla ſit potentia va-
leſcendi. Et fatetur ipſa, quod patitur.
Dedit me Dominus in manu, de qua non Threno.
potero ſurgere. Humanum jugum eſt 1.
omnis ſuperbia & importuna dominatio
principum terrenorum, ut Iſraeliticus po-
pulos querebatur ad Roboam, dicens: Pa-
ter tuus duriſſimo jugo nos oppreſſit, tu
leviora impera patre tuo. Qui malè à ju-
ventutibus conſultus reſpondit: Pater 1. Para.
meus impoſuit jugum grave, & ego majus 10.
pondus apponam. Necnon & humanum
jugum omnis dominatus regum, etiam
juſtè regnantium, ſicut Apoſtolus ad Ti-
motheum ſcribit: Quicunque ſub jugo 1. Timo.
ſunt ſervi, Dominos ſuos omni honore 6.
dignos arbitrentur, ne nomen Dei, & do-
ctrina blaſphemetur. Qui autem fideles
habent dominos, non contemnant, quia
fratres ſunt, ſed magis ſerviant quia fideles
ſunt. Jugum eſt etiam in humanitate
noſtra plus debito colligata labentibus,
ipſa ſolicitudo ſuperflua & cura non op-
portuna, ſub qua preſſa traduce carnis pro-
pagatur. Unde ſapiens in contemplabi-
libus & moralibus dixit: Occupatio mag- Eccli. 40.
na creata eſt hominibus, & jugum grave
ſuper omnes filios Adam, à die exitus de
ventre matris eorum, uſque in diem ſepul-
turæ in matrem omnium. Servitutis di-
vinæ jugum eſt, ipſa diſciplina bonarum
rerum agendarum. De quo per Jere-
miam dicitur: Bonum eſt viro, cùm por- Treno. 3.
taverit jugum Domini ab adoleſcentia ſua.
Imo quid in adoleſcentibus melius, quàm
jugo diſciplinæ in agendis colla ſubmitte-
re, ut nil indiſciplinatè, ſed omnia diſcipli-
natè fiant, & divina juſſio, & regulatio
præceptorum? Jugum eſt à Deo nobis
impoſitum de cujus fractoribus Dominus
per Jeremiam conqueſtus eſt, dicens: A
ſæculo confregiſti jugum, rupiſti vincula, Jerem. 2.
dixiſti non ſerviam. Et hoc idem de op-
timatibus & primatibus refert. Ibo igi-
tur ad optimates, & loquar cum eis, ipſi
enim cognoverunt viam Domini, & judi-
cium Dei ſui. Et ecce magis hi confre- Jerem. 5.
gerunt ſimul jugum, ruperunt vincula. Sed
nunquid fractio divinæ obedientiæ abſque
ultione divinæ juſtitiæ? Proinde ſequitur:
Idcirco percuſſit eos leo de ſylva, lupus ad
veſperam vaſtavit eos, pardus vigilans ſu-
per iniquitates eorum. Et per alium pro-

Oſe. 7. pheram dicitur: Reverſi ſunt, ut eſſent abſque jugo, facti ſunt quaſi arcus doloſus. Retroverſi ſunt homines ab eo, quod agere cœperunt ſecundùm impoſitam legem, ut pernicioſa libertate lætanter utantur. Non volunt enim ad ſeipſos converſi jugo divinæ legis aſtringi. Sed adhuc ad illos poniendos manus Dei extenta, qui premi refugiunt jugo divinæ ſervitutis, in qua conſtituta eſt plena & vera ab omnibus optanda libertas. Etenim ſequitur: Cadent in gladio principes eorum à furore linguæ ſuæ. Iſta ſubſannatio eorum in terra Ægypti. Væ igitur collis excutientibus jugum Dei. Proinde, ut ab omni alio jugo abſolvantur colla mortalium, ad tollendum ſuum Salvator Chriſtus omnes invitat, tollite jugum meum ſuper vos, diſcibilitatem profundæ virtutis apponens. Diſcite à me. Contemplandum verbum. Fides, ſpes & charitas non ſunt in doctrina, ſed in infuſione. Neque ad ipſarum quæſtum & habitum docibilitas in ſono verborum locum habet, quamvis illa in quibus feruntur, poſſunt doceri ab utraque parte. Cæteræ virtutes ab iſtis doctrina & diſciplina fiunt, quarum duas præcipuè ad docendum ſibi Salvator attribuit, mititatem atque humilitatem. Mititas verò non per diffinitionem cognoſcitur, ſed per deſcriptionem ſuorum effectuum, nam mititas accommodato vocabulo, & una litera mutato à mutitate traxit originem, ut mitis, quaſi mutus mititas, ut mutitas. Qui verò mutus eſt, petere pro ſe, contradictionem facere, injuriari, aut conviciari verbo nequit. Chriſtus autem corde magis, quàm ore ſe aſſerit eſſe mitem. Mititas quidem cordis eſt uniformiter in omnibus ſe habere. Etenim Chriſtus nec in corde mutatus eſt ex proſperis, vel adverſis, eundem animum in gloria, & in ignominia, in infamia, & in bona fama ſemper retinuit quamvis voluntariè à paſſione aſſumpſerit turbationem, atque triſtitiam. Eſt igitur mititas in corde reſidens, invariatus animi ſenſus, æquè proſpera & adverſa ſuſcipiens, contradictionem aut excuſationem, exprobationem aut indignationem non meditans, neque fingens aliquid adulativum aut blandiens, ut aliquid præter juſtitiam, aut miſericordiam capiat. Trahit enim omnem corporis conſiſtentiam mititas ad ſeipſam, ut ſic agat, uti eſt. Cordis humilitas, ut eſt ex Chriſto, ineffabilitatem habet. Solus enim ipſe verè humilis fuit. Ut verò vocamur illam addiſcere à Chriſto, ſermo licèt tenuis de ipſa opportunus eſt. Sed verior eſſet ab illis, qui in ejus experientia ex longævis temporibus facti ſunt. Inexplicabilis quidem eſt de ipſa ſermo à non expertis in ipſa, etenim abyſſalis eſt locus ejus. In quem deſcendens, tutionem ab omnibus lædentibus accepit, inviſibiliter degens etiam ab inviſibili hoſte, qui perquirens invenire humilem nequit, ab abyſſo humilitatis tectum, & ſi invenit cognoſcens latibulum ejus, deficit impoſſibilitate lædendi, ex nulla parte conſpiciens, qua ſagittas & tela poſſit immittere, aut eum arietare, quia ipſe humilitatis carentia non ſtetit, infeſtante ſuperbia cecidit. Quem videt illa tectum, iſtáque carentem, nequit retegere, ut offendat, non quatit eum adverſitatum quarumlibet aries, quas ad ſui profectum Deo ſubditus exiſtimat provenire, ne arcus doloſus naturalium rationum jacit in humilem animam ſagittam, ut avertat à fide, in qua fundata & ab ipſa perdocta, non quærit aliam ſcientiam, niſi per fidem. Neque hæreſis tragula illam fodit, aut ſuam traxit in partem. Credit ſimpliciter, quæ accepit, impredabiliter ſola graditur, non verita perdere, neſcia poſſidere. Non enim credit humilitas etiam illam ſe habere virtute, cujus habet ornatum, & qua Deo mente fulget. Neſcit excedere, ſi quos ſtudere virtutibus exiſtimans meliores de ſe diffidens, ſe totam jactavit in Domino, à quo ad horam etiam in tribulationibus derelicta, non deſperavit, aut minoravit affectum ſimiliter & effectum, tota exiſtens ad regentis ſupernè judicium. Affectior ad deſuper decernentem in ea exiſtens, cui commiſerat omnem cauſam ſuam, non hæſitans qualiter à ſuperno judice terminetur. Procul ſe à litigiis occaſione non præſtita nec aſſumpta fecit. Humilitas nihil eſt ad ſeipſam, ad præceptorem in veritate. atque in virtute tota, eumque Dominum ſive parem aut diſparem præ cæteris veneratur, altéque pendit, quem noverit rectius imperare, agere vel parere. Et ut de ipſa ſit ſermo perſtrictior, ipſa origo vocabuli quid ſit humilitas monſtrat. Nam humus terra dicitur, ex qua ſecundùm carnem ſumptus eſt homo, ita ut etiam ab humo dicatur, Limes quidem terminus eſt aliquarum rerum, & litas ſacrificatio eſt. Et ſi per ſyncopam hujus & mutationem unius literæ prioris dictionis proferamus, humilitas trahitur. Qua ſic deducta nihil aliud eſt humilitas, quàm ſacrificatio ad terram, & humilis terræ ſacrificatus. Tunc quidem homo terræ ſacrificatus eſt, cùm in illa mortuus eſt & ſepultus. Ac per hoc humilitas vera eſt mortificatio, cujuslibet voluntatis terrenæ, ſine exceptione Deo ſubjecta, & viva ſibíque mortua, non agens à ſeipſo, ſed à Dei legibus mota. Non intereſt

tereſt mortui ſepeliendi, à quibus portetur, aut inferatur in tumulum, aut quo humetur in loco, nec quibus accurationibus fiat ejus conditio ſepulturæ, atque obſequiæ procurentur. Non ſua refert amplius quid ſit dedecori, vel decori. Neque ad lugentes ipſum ob cauſam afficitur, aut ad gaudentes propter ipſum extinctum iraſcitur. In quam ſimilitudinem anima introgreſſa contemplatione jugi, & actu inceſſabili cuſtodire ſollicita, magnum participium humilitatis accepit. Apponit etiam humilitas indignitatem, ut nullo Dei dono digna videatur anima ex nihilo educta, ſolùm gratis accepiſſe rata, quod eſt, nihil amplius ſibi jure deberi conſiderans, potius ſtupens dignationem Dei procedentis ad creationem ejus, non curioſè diſcutiens quo fine claudatur, tantum agens ſecundùm impoſitam legem, neſciens deformitatem à formitate Dei, ante quem conſcia ſui, in altitudine ſuæ providentiæ admirata manet, laudans, adorans & venerans quicquid ab illa in exteriora procedit, imperturbabilem habens omnem ordinem actionis ejus. Sicque procedit & regnat, abſoluta à quæſtionibus, à perturbationibus libera, ab hæſitationibus procul, à judiciis aliena, mala non porrigit, illata non ſentit. In qua exiſtens
David, perſonam deſpexit & ſtatum, vileſ-
2. Reg. 6. cens ſibi propter amorem Dei. Cùm ar-
gueretur ab uxore, quod ludens coram
Domini arca ſe denudaſſet ut ſcurra, re-
ſpondit: Ludam & vilior fiam plusquam
factus ſum, & ero humilis in oculis meis,
quoniam ſic per humilitatem propter Do-
minum ſe faciebat abjectum, ut quicquid
eſſet humani judicii & dedecoris parvipen-
deret. Sed verè humilibus debetur ſalus,
Pſal. 17. ut ſcriptum eſt: Populum humilem ſal-
Pſal. 33. vum facies. Et humiles ſpiritu ſalvabit.
Job 5. Et Job: Ponet humiles in ſublimini. Et
Lucæ 2. Virgo Mater: Et exaltavit humiles. Et
Pſal. 101. verè humilis impetrat quod petit David:
Eccli. 35. Reſpexit in orationem humilium, & non
ſprevit preces eorum. Oratio humilian-
Judith. 9. tis ſe penetrat nubes. Et Judith: Humi-
lium & manſuetorum ſemper tibi placuit
deprecatio. Quid autem amplius pro merito humilitatis poſſet adjici, non eſt, quàm exaudiri & ſalvari. Ergo accedamus ad hujus virtutis magiſtrum, & à ſublimi humilitatem diſcamus, qui corde humilis eſt, moribus omnibus etiam illam tenens, actio & verbum per omnia illa pandunt. Et optata requies appoſita eſt. Et invenietis requiem animabus veſtris. In inviſibili ſenſu invenitur, quoniam intellectus & affectus in illa requieſcunt, ut nolit plus ſapere, quàm oportet, nec affectare, quod ſupereſt, ſi habet, quod expedit, nec importunè optare aut exigere, ſi deeſt. Necnon & illam requiem æternam, ad quam ſuſpirat omnis creata ratio peregrina, invenire poteſt anima humilitate fundata. Attamen quies eſt ante laborem, requies poſt laborem. Quieſcere ad innocentem, requieſcere ſpectat ad pœnitentem. Quies ante peccatum, requies poſt peccatum habetur. Quies antequam perdatur, requies cum perdita reinvenitur. Eſt & etiam quies animarum ſimiliter & corporum. Sed duntaxat ad requiem animarum applicatus Salvatoris ſermo, ut ſi quis ad ipſum venerit, & ab eo didicerit humilitatem, animæ ſuæ inveniat illam requiem, qua intellectus terminetur in vero, & in omni, quod ad ſcientiam pertinet. Chriſto igitur cognito & apprehenſibilitate fidei, nihil ultra remanet ad ſciendum ſcienti expediens ſive aptum. Etenim Dei ſapientia, via, veritas, & vita. Et in ipſo ſunt theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Requiem ergo invenit anima rationalis in Chriſto ad illam ſuimet qua ſcire apta, cupítque ſcire. Appetit etiam ex illa inſita vi, qua fertur in appetibile bonum tripartitum, cùm ut ratio uſusque habet loquendi, ſicut honeſtum delectabile utile dicitur. Quoniam compoſitione facta cum cæteris, nunquam & nuſquam melius, & aptius, quàm in Chriſto reperitur, imo comparatione remota non invenitur alibi, quàm in Chriſto ad hoc dato humanæ naturæ à patre, & iſtud reperiamus in ipſo. Et, ut ſermo conquirens non procedat ultra, ſummum bonum incunctanter Chriſtus eſt, quo adepto nil remanet, quod jure poſſit optari. Necnon & ſi vim memorativam animæ deduxerimus ad requiem, admovebimus Chriſto. Nihil memorabilius ex æterno, ex tempore, ex geſtis, quàm Chriſtus, qui ad ſeipſum pro refectione, pro requie, in humilitate homines vocat, ut animabus in hac vita requies pro viribus detur, & in alia æterna requies
toti compoſito largiatur, quam per Pro-
phetam Dominus pollicetur: Sedebit po- Iſaiæ 32.
pulus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta. Et pro his, qui fuerat populus Chriſti, qui in fide ipſius mortui ſunt Joannes aſpexit: A modo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis, quoniam (ut ſupra diſſertum eſt) laborantes ad ſe vocat Chriſtus. Sed alas & pennas optabat, ut attolleretur à terra, cupidus venire ad requiem, præſcius quod terrenè gradiens, impreſſus onere terrenorum in illam venire non poteſt.
Proinde dicebat: Quis dabit mihi pennas Pſal. 54.
ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam.

 Nam

Nam & columba egreſſa de arca, pedibus requiem non invenit in terra. Superanda eſt terra pennigero volatu, ut veniatur ad Chriſtum daturum accedentibus requiem. Nec autem priusquam terreatur de jugo tollendo, cum verbis Chriſtus reddit in factis amœnum: *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Benignitatem, & dulcedinem, & ornatum, & Incunditatem habet jugum Chriſti ad actiones, & ad præmium. Iſta in jugo ejus ſunt. Jugum enim amor eſt. Nihil amore ſuavius, quo Deus amatur, & proximus. Leviſſimum eſt etiam onus ejus, videlicet cautela turpium, & actio honeſtorum, atque illorum, quibus in hac vita pacificè unitur, omnis turbationis actio ſubmovetur, vincula rumpuntur tartarea, & omnis tranſitus fit ad regnum. Jugum fidei Chriſtianæ actionisque virtutum ſuavitatem habet mentis immenſam, etiam ſi corpus ex aliqua parte prematur. Non curvat collum jugum Chriſti, ſed erigit ad ſuperna, nihilque ſuavius, quàm cœleſtibus delectari. Onus quod Chriſtus Imponit penitus leviſſimum eſt, quoniam neminem gravat onere ſuo ſupra virtutem & facultatem, debitum, expediens & neceſſarium, ſupra impoſſibile, ſupra conſentaneum ipſi naturæ.

Cap. XXIX.

De convivio facto JEſu à phariſæo, in quo Magdalena exhibens officia pietatis peccatorum remiſſionem converſa recipit, ſecundùm Lucam.

Hoſpes & egenus JEſus invitatus, aliquando in hoſpitia divertebat, & præter delectationem carnis interdum acceptabat oblata ſuffugia, ſemper præintendens animi capturam exercere: nam & illas ubilibet modis omnibus venabatur, eam rem ratus, cùm invitabatur, manducare conſenſit. *Ro-*
Lucæ 10. *gabat autem illum quidam phariſæus, ut cum illo manducaret. Et ingreſſus domum phariſæi diſcubuit.* Rogabatur JEſus, ut acciperet, qui potius rogandus erat, ut largiretur. Plura ſibi adérant ad largiendum, quàm hominibus beneficia, necnon & quæ huminum, ſua erant. Sed nec hic phariſæus plus quàm hominem, & fortè prophetam aſpexit in illo. Etenim alia cauſa preces porrexiſſet Indigebat quidem his, quibus JEſus abundabat, & verè petentibus datutus venerat. Sed nec Chriſtus quamvis voluntariè factus egenus indigebat copiis phariſæi. Non autem credendum eſt, quod eum rogaverit credens Chriſtum, ex eo, quod hæſitavit in ipſo non credens ſaltem eſſe prophetam, quia velut non cognitor perſonarum ad tactum ſuſtinuerit Magdalenam. Verumtamen quoquo modu rogaverit, ſit nobis ex hoc forma præſtita, ut rogemus & nos: non ut ei aliquid tribuamus, ſed ut ipſe nobis juſtè petita largiatur. Sicuti rogaſſe Deum legimus
Prov. 30. Salomonem dicentem: Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar, vanitatem, & verba mendacii longè fac à me. Mendicitatem & divitias ne dederis mihi. Tribue tantum victui meo neceſſaria, ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicant: Quis eſt Dominus? Aut neceſſitate compulſus furer, & pejurem nomen Dei mei. Duo & duo combinata rogantur, rogantur etiam propter duo. Duo ſunt primaria mala, ſcilicet vanitas, quam, qui ſequitur evaneſcit: & verbum quo quis mentitur in fide, ſeu in eo, quod exhibere à jure compellitur. De quibus per David homines Omnipotens arguebat: Filii hominum uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quid Pſal. 4.
etiam ſit vanitas crebris ſententiis in Eccleſiaſte oſtenditur, quomodo cuncta ſubjacent vanitati. Et optimè rogat, qui petit propelli mendacium, cujus diabolus eſt pater, ne ipſius filiationem incurrat. Et omnis iniquitas mentitur. Mendicitas & abundantia duo ſunt mala. Mendicitas quidem eſt ex ſe tota inſufficientia, ſed ex alieno fulcienda. Quæ ſi trajicitur in Chriſtianorum agoniſticam vitam, mendicus eſt ille, mendicitatémque habet, qui officia bonorum naturalium perdidit, nec habet ſuo demerito, quibus fulciatur auxiliis, quo etiam accipit negotiationem, cùm inquirit, ut mendicans ſemper teneatur in actu, & data & accepta ſic ſemper gubernet, ut propriis perditis aliena mendicet. Divitiarum & temporalium copiam timet ſibi dari, & altitudinum voluntates, præcavens

cavens illa duo mala, in quæ ob iſta poſſit devenire, ne ſortè privatis propriis diripiendis intenderet alienis, ſeu non habens virtutem in animo, in exterioribus ſimularet, & carens ſuis appropriaret ſibi aliorum quæque laudanda, vel refectus in utraque parte hominis negaret verbis & factis omnium conditorem & Dominum, quaſi non cognoſceret ſe ſuperiorem habere. Verumtamen Chriſtus rogatus manducare & victum accipere, ingreſſus domum diſcubuit, amplius animo largiendi doctrinam remiſſionémque peccatorum, quàm ut ſumeret cibum. *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quòd JEſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro ſecus pedes Domini JEſu, lacbrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat.* Non latet ingreſſionis cauſa in domum, claret cauſa diſcubitûs, ſcilicet peccatrix mulier expectata, cui poſt ſuſcepta quædam ab ipſa ſpecimina pietatis, remiſſionem peccatorum omniũ largiretur. Ecce duo rogantes JEſum, unus ut acciperet ab eo duntaxat manducationem, ſcilicet Phariſæus, altera impendebat devotionis obſequia, ſed nec verborum præmiſſo rogamine. Profundè precabatur in inviſibili ſenſu, ut remiſſionem ab eo ſuſciperet peccatorum. Nec non & illæ actiones orantes erant plus agentes apud recipientem JEſum, quàm mulier exhibens autumaret. Hæc mulier famam audierat de JEſu, & cum turbis ſequentibus eum, eum aliquando audierat prædicantem, in quem defixo corporis pariter & mentis affectu contemplans vitam, ponderans verba, conſiderans ſanctitatem, virtutem in jam factis miraculis, & ut plurimi eum exiſtimavit Prophetam. Hæc jam corde compuncta & contrita pondere ſuorum ſcelerum, affectabat in animo Chriſto corpore appropinquare, pudore verebatur illum publicè adire, timebárque repelli à juſto exiſtens iniqua, nondum benignitatem ipſius experta. Dabat cauſæ inveniendi ſtudium, & quo incederet, aut diverteret obſervabat, ut ipſius potiendi ad relevationem ſuæ miſeriæ eſſet ſibi hora liberior. Et forſan ipſa prævenit Phariſæum, tanquam ſibi familiarem, & cognitum, rogans eum, ut ipſe pro diſcubitu in domo ſua rogaret JEſum, fortè verecundata, quamvis peccatrix, ſic audacter ingredi per incognitas ſibi, & alienas ædes. Idcirco hanc ipſa occaſionem accedendi ad eum prævenit, ut in domo ſibi cognita JEſum ſibi nondum domeſticum poſſet adire, ſuáque implere pia vota, & æſtum animi refrigerare in illo, præmeditata multa dicere, nihil tamen lingua prodens. Erat iſta mulier in civitate peccatrix. In qua civitate? In Jeruſalem, quæ famoſior erat. Sed nec in Jeruſalem Magdalena cum Chriſto convenit. An fortè in Jeruſalem peccaverat? Sed nec hoc affirmandum reor. Magis autem in illa civitate, in qua erat domus, ad quam eum invitaverat Phariſæus, quæ in Galilæa erat, quam verius credo fuiſſe Naim, ubi poſt reſuſcitationem adoleſcentis iſtud convivium factum eſt, ubi Magdalena permota novitate miraculi, cognavit ſe ſubdere Chriſto indigna beneficio ejus. Peccatrix quidem in omni genere vitiorum, ſcilicet cum ſeptem dæmonia Evangeliſtæ aſſerunt ab illa per Chriſtum ejecta. Non tamen credendum eſt ſcortum illam fuiſſe, ut ſub fornicibus aut locis ſcortaticis expectans homines inſideret, ſed mundi vanitatibus & deliciis corporis dedita, in perditis moribus tranſigebat culpebilem & infamem vitam atque notoriam. Nulla facies inverecundior quàm mulieris, cùm in malo audaciam ſumit, peccans Deo, & proximo ſcandalum & pedicam parat. Sed iſta jam diſplicet ſibi, factáque gravis ad tolerandam ſeipſam & prementem ſarcinam peccetorum, cognoſcens in locum aptum pœnitudini ejus divertiſſe JEſum, quod ante jam paraverat, ex tempore provida, non illo illico mercata ſecum tulit unguenta, in illo utique vaſe quo diligentius ſervaretur, imò ſervabetur ex more aptum tempori, & conſuetudini regionis, congruens myſterio, ſatisfaciens devotioni offerentis, & in fide accipienti gratum. Ingreditur diſcubitus locum mulier tremens & pavens, nec urbano more ſalutat convivas, ſed perdiderat audaciam ſolitam inter homines. Nihil muneris obtulit in menſa, ubi erant tam inſignes convivæ, Dominus cœli cum ſenatoribus terræ. Non intuetur, non conſiderat, quo deficiat, aut menſa abundet, non contemplatur facies epulantium, id ſolùm agere intenta, qua parte poſſet adire JEſum. Non interrogat, non interrogatur, omnia in ſilentio ſunt, nemo loquitur non loquente JEſu. Conſiderat phariſæus, & cæteri, quid ſit ipſa factura. JEſus ſolùm videbat animum ejus, ſciebátque, quid eſſet actura, & permiſſurus illam agere expectabat: Mutabatur mulieris vultus, ſed animus expers non erat, attamen inter ſpem & metum conſiſtebat. Impellebat ſpes, repellebat metus, ne propelleretur à voto. Conflata in unum

Pſal. 4.

ſcelera decurrebant, reddebántque indignam; erubeſcentia faciem ſuffundebat. Inficiari nemo poterat ſua peccata, interius illam conſcientia validè accuſabat. Nemo adhortabatur eam, quoniam nemo noverat cauſam adventûs ejus. Ille qui noverat paratus ſuſcipere, nec verbo præſtabat audaciam. Tandem illa tacitè in animo cuncta conſiderans, oculíſque ordinem diſcumbendi, & JEſum, & locum ſeſſionis ejus diligenter intuita, quod à poſteriori parte ſibi pateret acceſſus, ſpe vincente metum, & omnia ſuperante, retro acceſſit ad dominicos pedes. Sic enim erat ſituatus JEſus in parte ſedilis, quod verſa ſua facie ſuper menſam ipſa proſtrata retro pedes ejus contingeret. Bene appoſita retro ad poſterum ſua ſequenda veſtigia, quæ prius indurata ſemper gradiebatur in præceps. Nunquam erravit, qui retro ſtetit, ſed qui præceſſit JEſum. Sed neque retro ſtandum tergotenus, ſed facie ſtantis atque ſequentis ad tergum ejus, ut quò ille iverit, rectè gradi cupidus ſubſequatur. In ducem Chriſtus datus eſt à Patre hominibus, ſine quo rectè non itur, conflictus infertur, non devitatur horrendum, nec debitum pervenitur in finem. Standum quidem retro eſt, ne quidquam, præter quod ipſe decreverit, præſumatur agendum. Sed ſecus pedes ejus, ut illa fiant hominibus ad ſequelam, quæ geſſit, aut docuit in carne: nam illa, quæ operatur ut Deus, quæ duntaxat mirabilia & laudabilia ſunt excedentiáque ſenſum, quod nullo modo imitabilia jubeantur. Non otioſa ſtetit retro ſecus dominicos pedes, ſed proceſſit in opus ex æſtu cordis incenſa & dolore tacta intrinſecus, perforata pœnitentiæ torno, admirata manſuetudinem ſuſtinentis, irrumpit in lachrymas ſuper pedes, ut appoſitis manibus ipſos ipſis ablueret. Et quo manſuetius patiebatur JEſus illas defluentes, & ejus admotas manus, eo fluebant uberius. Dulces illi erant, dum fluerent. Gratæ JEſu ex cauſa, qua manabant, quoniam ſacrificium verum erant contriti & humiliati cordis, amplius Chriſto acceptum, quàm alterius rei munus. Nec ſatiabatur profundere, nec ille recipere faſtidiebat. Rigabantur pedes JEſu ſub ejus & effundentis manus, quæ revehebant eas undique ſuper eos, ne ad terram profluerent. Calidæ quidem erant magis ex igne amoris, quàm effectu naturæ, quibus ubertim fluentibus delectata, magnum ſibi computaſſet ad munus, ſi ex ipſarum profluvio propria lumina perdidiſſet. Quis non ſtuperet ex iſto myſterio, ſi contemplaretur attentè creatorem cœli & terræ, & Dominum univerſi pati tactum hujuſcemodi mulieris, & circumagi pedes manibus tam immundis, & adaquari eos lachrymis deſcendentibus ab oculis vanis? Quis non miretur hujus impetum mulieris, quæ ſic ingreſſa ſuper convivas cæteris relictis ſolum acceſſit ad Chriſtum. Memorabile geſtum. Quod ille vocavit internè, illa mente atque corpore ſe admovit ad eum: utrumque mirandum & acceptione dignum. Amplius quidem benignitas & manſuetudo patientis, quàm interentis audax neceſſitas, ſeu audacia opportuna. Traxerat quidem in ſecreto tractu gratiæ, ut magnes ferrum in ſecreto tractu naturæ: idcirco, qui trahit, inſtruxit, ut primo ſic lavaret, quàm ungeret. De unguento ſibi cura præfuerat, quo fulta venit, non de lotione, pro qua non detulerat aquam, nec ante præmeditata, quod lachrimæ uberrimæ ſibi adeſſent illico ad officium. Non enim ſunt ſemper in poteſtate illas emittendi, ſed cùm acceſſit ad divinum ignem, reſolutum eſt glaciatum cor, & deliquit. Et cùm multa ſint lachrymarum genera, iſtæ illius tenuerunt optimam partem. Sunt enim aliquæ prodeuntes ex pœnali miſeria, & quædam proveniunt ex miſeria culpabili & iniqua, & utiliores, imo neceſſariæ ſunt. In his enim hæc mulier exordium fecerat. Sunt, quæ effundentem non reſpiciunt, eo quod ſit pœna mulctandi ex crimine, ſed tantùm quia offenſus eſt Deus. Sunt & amoris Dei; & boni & medium, & finis in iſtis erat. Et cùm ipſa non prohiberet defluentes, attamen terminum ſeceperunt, ut ſuccederet terſio capillorum, & adderetur illa virtus, quæ agitur per impaſſibile mentis in paſſionibus corporis, quoniam & capilli corporum pœnalitates non ſentiunt, ac etiam quicquid eſſe poteſt multiplicitatis in animo per potentias naturales & per quaſcunque affectiones impenderetur divinis obſequiis. Succedunt oſcula crebra, juramenta videlicet in omnem proceſſum Chriſti & in humilitatem ejus, & pax voluntaria ex nobis, quæ humanæ naturæ in illa data eſt. Et amor totus terminatus in ea, quoniam oſculum juramentum pacis, & amoris eſt evidentiſſimum ſignum. Et labiorum preſſio accipiebat cuſtodiam in illis pedibus, & oſtium circumſtantiæ apponebat, ne inveniret amplius excuſationem in peccatis, & ne ulterius per illorum apertionem laberetur, naniſcebatur ſtabili-

bilitatem, & poſt hæc ſubſecutum eſt unguentum, & illatum in pedes JEſu, in quibus & ipſa inviſibilem unctionem ſpiritûs accepit docenda divinis, non amplius terrenis & humanis documentis imbuenda. Dedicationem ſui fecit Chriſto, cùm unxit pedes ejus. Et ipſe jam unctus erat à Patre oleo lætitiæ. Huic uncto addita unctio eſt, ut actio applicata ſibi ſanctificationem acciperet, odoremque ſuavitatis Deo gratum & hominibus exhiberet.

Cap. XXX.

De murmuratione phariſæi adversùs Chriſtum & mulierem, quem per paradigma redarguit, ſecundùm Lucam.

E Regione mala bonis obſiſtunt, & ſemper è veſtigio contra bonum aliquid mali conſurgit: non tamen gratis, atque ſteriliter, ſed ſæpe ut bonum eluceat amplius, cùm ſuperaverit, & probetur ex pugna. Et cùm ſub lite agitur cauſa, judex decidat, aut magiſter veritatis refellat errorem, aſſerens quid tenendum. Nam invitator JEſu hæſitavit in virtuta ipſius, cùm non invitaſſet illum ut verum Chriſtum, invitavit attamen ut Prophetam, quem in animo jam deſpexit, quod propheta non eſſet, paſſus ſe ſic tangi ab hujuſcemodi mu-
Lucæ 7. liere. Unde *videns autem Phariſæus qui vocaverat eum, ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique, quæ & qualis eſſet mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* In duos jaculavit falſa judicia hic phariſæus, in Chriſtum & in mulierem. In Chriſtum videlicet, quod Propheta non eſſet, quod ſe permittebat tangi à fœmina peccatrice, velut ipſius conditionis ignarus. Et de muliere nequiter ſentiebat, quod ſibi peccatrix fuerat jam juſtificata per fidem JEſu, non per legem, quæ veram juſtitiam non habebat. Perlucidum protinus erat ipſam juſtificatam fuiſſe per fidem, cùm audiviſſet fidem ſibi dediſſe ſalutem, ſine qua fide non acceſſiſſet ad JEſum, nec ſibi exhibuiſſet ad pedes tot opera pietatis. Errabat equidem diſtortius iſte phariſæus, quod tactus mulieris immundæ ſanctum macularet. Siquidem ad maculam devitandam multi & multarum rerum tactus prohibebantur in veteri teſtamento, ex quibus tangens judicabatur immundus. Ad cujus immunditiam abſtergendam ex decreto legis purificatio ſequebatur, ut in libro Leviticorum maximè reperitur. Sed JEſus uſquequaque immaculabilis erat, ut etiam nec maculari potuiſſet ab extra, neque voluntas ejus ad turpia potuiſſet inflecti, nec cæteri, niſi voluntate maculis culpabilibus maculantur. Non enim obeſt tactus exterior, niſi fuerit voluntas interior maculata. Sed hac differentia diſtinguitur Chriſtus ut viator à cæteris, quod ipſe non potuit poſſe nec velle: alii autem viatores non potuerunt ſine voluntate, potuerunt tamen velle. Phariſæus autem à veritate alienus errabat ex animo in Chriſto, quod Propheta non eſſet, qui ſe tangi permittebat: quod ſi eſſet, non permiſiſſet tactum ſibi à peccatrice fieri, malè ratus Chriſtum poſſe tactu corporis maculari, aut quempiam alium ſine propria voluntate aſſenſum ad immonda præſtare. Proinde liquet, quod prætermiſſo JEſu, de quo impiiſſimum, nefandum, erroneúmque eſt præter virtutem aliquid opinari, ſicut nemo ſanctificatur, aut mundatur in animo ex corporeo tactu Sanctorum, niſi voluntas rationalis conſenſum præſtiterit, ſic nec maculatur ex tactu turpium, aut oppreſſione facta, ſi nullo modo porrexiſſet aſſenſum. Alloquin & ſanctificati eſſent aſina & aſellus, quibus Chriſtus inſedit, & pes Judæ proditoris tactus à Chriſto, & totum corpus ejus ex aſſumpto corpore ſuo. Et maculatæ fuiſſent virgines, quæ invitis animis, firmis in fide & in amore virtutis oppreſſiones in corporibus acceperunt. Ideo, niſi occaſionaliter nullus timendus eſt corporeus tactus, ut poſſit inficere, cuſtodita verè interioris hominis caſtitate, neque quod poſſit mundare illa deficiente. Juſtus ſibi ſuperbia tumens, deſpiciet quos credit aut noverit peccatores. Ad quem enim peccator, cùm ſibi cœperit diſplicere, poterit habere recurſum, niſi ad Deum pro miſericordia, & ad quem juſtum credit pro conſilio & doctrina? Fovent ſe peccatores in peccato, & quaſi conſerta manu cadunt in foveas peccatorum. Juſtus verò, aut juſtitiam ſitiens conſerit manum, ut retrahat lapſum, ſeu adjuvetur, ne labatur. Superbè apud ſemetipſum

ſa-

ſapiebat hic phariſæus, qui ſic juſtum Chriſtum in animo arguebat, incompaſſivus ad mulierem utique peccatricem, quam abjeciſſet, ſi acceſſiſſet ad eum, quem JEſus per paradigma redarguit. *Et reſpondens JEſus dixit ad illum: Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magiſter dic.* Multa JEſus habebat hominibus dicere, præ incapacitate & ineptitudine non ferenda. Idcirco eum hoc ſe contraxit ad pauca, ut aliquid ei utilitatis impenderet, erudiens, quod non abs re tactum ſuſtinuerat mulieris. Subjectivè quidem ſe habuit Simon in verbo, cùm appellavit eum magiſtrum eum prompto animo audiendi. Ereptioni vicina eſt anima in tenebris ignorantiæ degens, & periculis peccatorum, ſi ſanæ doctrinæ promptè præſtat auditum. Et ad ardua virtutum erigitur, ſi ſermones in veritate docentium ſibi placent. Prætentabat Chriſtus, ut libenter audiretur, ne ſermo ejus funderetur in vanum, quoniam ſcrip-

Eccleſ. 32 tum eſt: Ubi non auditus, non effun-

Ibidem. das ſermonem. Et alibi: Qui narrat verbum non audienti, quaſi qui excitat dormientem de gravi ſomno. Cum dormiente loquitur, qui narrat ſtulto ſapientiam. Et in fine narrationis dicit: Quis eſt hic? Quamobrem Salvator præexegit auditum, cùm proteſtatus eſt Simoni aliquid ſe dicturum. Qui, cùm audiret & hunc virum habere animum audiendi eum, & eum vocatet magiſtrum, dixit: *Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat ei denarios quingentos, alius quinquaginta. Non habentibus unde ſolverent, donavit utriſque.* Per myſticos ſenſus in multa poſſet paradigma deduci, ſed tantùm ipſius ſumma inquiratur, quæ nec in aliud ex cauſis ſubortis & oriendis intendit, quam, ut ſciatur, quis eſſe debeat ex acceptis donis in dilectione ferventior. Quod ubi compertum fuerit, nec abſonum videatur magna & ampliora deberi amplius diligenti, maximè ab eo qui miſericorditer agit, & contra juſtitiam nihil facere novit. Præmiſſa eſt interrogatio, ſententiam non habet, reſponſionem exigens. Quoniam nullum interrogatum eſt affirmativum reſponſioni ſubjectum, igitur expectanda eſt reſponſio phariſæi. *Reſpondens Simon dixit: Æſtimo, quia is, cui plus donavit.* Reddita eſt reſponſio quærenti & quæſtioni, ſed per ſuperiorem & infallibilem judicem confirmanda. Idem tamen erat inquirens & judex. Ponit humanè quæſtionem JEſus, ſed divinè reſponſionem confirmat. *At ille dixit: Rectè judicaſti.* Repreſſus eſt in paradigmate phariſæus, & de ſuperba juſtitia confutatus eſt a ſeipſo reſpondens recta proponenti vera, nec tergiverſari potuit, quin illaquearetur verbis oris ſui, & à murmuratione indebita frenaretur. Iſti equidem debitores in paradigma deducti, prætermiſſo quod allegoricum eſt, illos deſignant, quorum aliqui ſunt majoribus, aliqui minoribus criminibus involuti, ut majorum indulgentia plus dilectionis impendat, & minorum minorem. Sed adhuc in hæſitatione atque lite hujuſcemodi cauſa pendet per ea, quæ ſequuntur, cùm dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Quoniam id habet propoſitum paradigma Chriſti, & reſponſio phariſæi, ut is jure plus diligat, qui plus remiſſionis accepit, & remiſſio præcedens exigat, ſeu juſtè cogat referre dilectionem. Nunc è regione declaratur, quòd dilectio præcedat, & exigat quodam jure naturali remiſſionem; nam jure naturæ dilectus diligenti eum obligatus eſt, uti hæc mulier, ideo remiſſionem multorum peccatorum ceperat, quoniam multam dilectionem præmiſit. Perſpicua eſt contradictio, literam ſolam, & verba ſonantia duntaxat inſpicientibus in hac cauſa, quod in paradigmate remiſſio dilectionem præit & exigit, in converſione cauſæ ad mulierem dilectio remiſſionem antecedit, atque nacta eſt. An fortè JEſus antequam hæc mulier acceſſiſſet ad eum, ei remiſſionem contulerat multorum peccatorum, quam mente ſentiens cœpit multùm diligere? Diligens acceſſit, dans quæ potuit dilectionis inſignia, & amoris pia obſequia. Verius tamen reor, quod ſpem nacta potiſſimæ remiſſionis, multùm diligere orſa eſt, dilectura amplius cùm acceperit, ut & bonus & juſtus Chriſtus miſericorditer ex merito dilectionis triplicis temporis remiſſionem ei contulerit peccatorum. Prætermittenda eſt comparationis duorum declaratio, cùm in alteram partem JEſus per latam ſententiam omne pondus quæſtionis & ſolutionis inflexit. Nemo autem ex hoc multùm delinquendi atque peccandi ſumat audaciam, ut remiſſione ſuſcepta facinorum ad bonum dilectionis perveniat. Non enim facienda ſunt mala, ut eveniant bona. Certitudo enim pœnitendi & accipiendæ re- Rom. 3.
miſſionis, aut exhibendæ dilectionis nemini data eſt. Nec ad dilectionem plurimam conſequendam ſunt perficienda peccata, cùm etiam & amplius teneatur diligere Deum, qui non deliquit, atque peccavit ejus gratia retentus, quamvis is, qui poſt omnem prævaricationem legis Dei, eadem gratia remiſſionem accepit. Una & eadem gratia eſt, quæ refrænat, ne peccetur, & quæ donat peccata converſis.

Cap.

Cap. XXXI.

Quæ ſententia remiſſionis lata in mulierem cum argutione phariſæi, ſecundùm Lucam.

RElinquit cauſam ſuam JEſus, quod minus de ipſo, quam exiſteret creditum eſſet, aut fortè aliquid indecens, & velut cauſa verteretur inter phariſæum, & mulierem, quod ipſe foret debitor in quinquaginta, & mulier in quingentis, ſeu ille parum ſibi debere conſcius, plus obligationis in muliere ſua opinione conſpexit, huiuſcemodi cauſam terminandam ſuſcepit judex juſtus exiſtens ſuper utrumque, advocatus ad alteram partem, quæ in ſilentio agebat opportunitatem ſuam. *Et converſus ad mulierem dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, &* Luc. 7. *aquam pedibus meis non dediſti. Hæc autem lacbrymis rigavit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti. Hæc autem, ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non unxiſti. Hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Convertitur JEſus ad mulierem jam converſam ad eum, neque quidem convertitur ad averſos, qui ab eo faciem averterunt, de quibus per Prophetam dicitur: Verterunt ad me ter- Jerem. 2. gum & non faciem. Et alibi: Omnes converſi ad curſum ſuum, ſicut equus im- Jerem. 8. petu vadens in prælium. Ad hos non convertitur Dominus, ſed avertitur. Ad ſolos verò converſos poſt averſionem convertitur, juxta illud, quod ante dixerat per alium prophetam: Convertimini ad Zach. 31. me, dicit Dominus exercituum, & ego convertar ad vos. Et ſic converſus ad converſam mulierem, de ipſa & pro ipſa velut in virtute inæqualem & in operibus imparem alloquitur Simonem, enumerans grata obſequia, quæ ſibi converſa mulier intulit, in quibus Simon ipſe defecit. Et loquens Simoni dimittit peccata mulieri. Propterea dico tibi, dimittuntur ei peccata multa. Quæ ſunt ea, propter quæ increpans Simonem, effert laudibus mulierem. Quod lavit, quod terſit, quod oſculata eſt, quod unguentum effudit, ex quibus laudatur velut ex operibus bonis, & Simon negligens objurgatur. Peccatorum verò remiſſio ex dilectione præhabita videtur illata, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Dulce purgatorium, tolerabiléque præter aſperum ſenſum, contra tenerum ſenſum, amœnum atque ſuave, poſſibile ad habendum inexcuſatè non habitum. Commune omnibus eſt dilectio, cujus virtute non ſolùm peccata purgantur pœnaliter, ſed dulciter remittuntur. Et ex hoc beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Hæc quidem mulier in numero illorum beatorum erat. Et Pſalm. 31 per cauſam, quam ſubjectum verbum oſtendit: Dixi confitebor adversùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pandunt hæc Ibidem. verba qualiter agitur negotium pœnitentis. Inquit pœnitens: Dixi. Ubi & cui dixiſti, & quid dixiſti? Dixi in corde meo, ſed Deo & mihi. Dixi, deliberavi, ſtatui in corde, propoſui in mente. Quid? Confiteri contra me ſolum reum, cùm nemo meorum criminum cauſa ſeu actor exiſtat. Porro nullus peccatum alterius facit, ſed ſuum. Ergo verus pœnitens confitetur injuſtitiam ſuam adversùs ſeipſum. Sed hæc mulier nec confeſſa eſt, nec protulit verba, velut elinguis & muta retro ſtetit, faciem non conſpicata JEſu, nec prælocuta ſeu ad verbum reddidit verbum. Attamen contritiones cordis ejus magnæ voces erant in conſpectu miſerentis JEſu, Sacerdotis magni, ſummíque Pontificis, valentis peccata etiam nec ore prodita remittere pœnitenti. Proinde ait pœnitens: Et tu remiſiſti impietatem peccati mei. Vigilans verbum. Non dicitur, quòd peccatum remiſerit, ſed impietatem ejus. Quoniam omne peccatum impietatem habet, imo ex impietate eſt, aliàs peccatum non eſſet. Nam ſi pietas per omnia cultus eſt Dei, impietas cultus eſt ejus, qui adverſatur ei. Ac per hoc impietate remiſſa, & actio nequam remittitur. Cauſa peccatorum impietas, qua non extante, nec quod ab ipſa procedit. Et ipſa deleta, germinatum ex ea non manet. Ipſa verò prædominante animo, delictis, peccatis, criminibus, ſceleribus, facinoribus, flagitiis applicata ſunt omnia. Non enim quiſpiam ea manifeſtat, niſi cùm pietas ab impietate debellatur, & per impietatem contemnitur pius. Eſt autem impietas omnis adverſatio divinorum, & prætermiſſio mandatorum, & cultus alicujus rei propter ſeipſum præter reſpectum Dei. De-

cernitur in aliam partem. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Jam ſupra tactum eſt, quid hæſitationis habet iſta ſententia, an ſi peccata multa dimittantur propter multam dilectionem, an ſi dilectio exhibeatur multa propter multorum remiſſionem. Sed in æſtimationibus hominum cauſa iſta eſt, dum quis paucorum ſibi malorum conſcius, non videtur jure remiſſionis ad magnam dilectionem obligari, non advertens eadem gratia ſibi datum, quod non in multa lapſus ſit, ſicut ille revocatur, qui corruit, & remiſſionem accipit, cùm reſurgit. Et poſt allocutionem Simonis, verbum remiſſionis vertit ad mulierem. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua. Perlucida eſt ſententia continens facto, atque efficiens, quod verbo expreſſum eſt. *Et cœperunt, qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata remittit?* Ex admiratione necnon & hæſitatione procedebat hujuſcemodi interna quæſitio. Sciebant enim hi JEſum plurima feciſſe miracula, & ſingulari fulgere doctrina, ornatum moribus Prophetam eſſe credebant: nunc ſuſpenduntur in animo, ſilent tamen verbo, videntes phariſæum in ſua quæſtione convictum. Sanè, ſapiunt, ſanè quempiam non poſſe alicui dimittere præter Deum. Ideo dicunt intra ſe admirativè: An fortè Deus eſt iſte, qui ſuper omnia geſta ſua etiam peccata dimittit? An, deſpectivè, quis eſt hic ſibi talia arrogans? Superbo faſtu agit, in blaſphemiis eſt. Inſanit forte, homo inter homines apparet? Nullus priſcorum patrum, nemo Pontificum ſeu Sacerdotum præſumpſit verbum remiſſionis emittere. Non immeritò ſic dicebant nondum cognoſcentes per fidem divinitatem totam in eo eſſe, duntaxat purum hominem contemplantes. Non autem JEſus his apologiam dedit, ſicut & phariſæo. In altioribus quæſtio iſtorum erat, ad cujus reſponſionem & ipſi incapaces erant, ſed exequitur aſſumptam pro fœmina cauſam. Dixit autem ad mulierem: *Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace.* Fides ſalvat, ſed non illa, quæ credit, ſed illa, quæ creditur, quæ utique eſt credentis in eo, quod id credit, ſed alterius eſt, quod credit, ut puta credit quis aliquod credibile, atque credendum. Credulitas eſt credentis ex ea vi homini à Deo inſita ſuper naturalem intellectum, quod inapprehenſibile virtute propria eſt, credere poteſt. Id verò, quod creditur, aliud eſt à credente & à credulitate inſita menti. Sed ex eo poteſt eſſe credentis, quia illud credidit, quo ſenſu dictum eſt, fides tua, quæ fides tua, ſeu quæ fides noſtra? omnis Chriſti actio ſive doctrina ex hoc eſt, quod ſalvat id, quod creditur, pro eo, quod creditur, & credibile eſt, credendúmque neceſſariò proponitur, non quia vis eſt, data & ſuſcepta eſt, ut credatur. Unde fides tua te ſalvam fecit, hoc eſt, incarnatio, nativitas, vita, converſatio, doctrina, paſſio, reſurrectio, aſcenſio, fundatio Eccleſiæ, ordinatio Sacramentorum & omnium ſacrorum, miſſio Sancti Spiritus, reſurrectio mortuorum, vita æterna: iſta ſunt fides noſtra, quæ magdalenam & cæteros ſalvandos ſalvos fecit, & facit. Fides Chriſti ſola eſt, ex qua & cum qua & per quam, ſi qua ſunt virtutis, gratiæ, bonorum morum proveniunt, & quæ juſtificat, & ſalvat, in qua Hæmorrhoiſſa ſanitatem utriuſque hominis accepit: Confide filia, fides tua te ſalvam fecit. Et pa- Matth. 9.
ralyticus & cæteri, & filia Chananææ. Et Mat. 6 15
Apoſtolus: Arbitramur hominem juſtifi- Rom 3.
cari per fidem. Et alibi: Juſtificati ergo Rom 5.
ex fide. Et ad Galatas: Quod autem nunc Galat. 2.
vivo in carne, in fide vivo filii Dei, qui
dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.
Et poſt: Concluſit Scriptura omnia ſub pec- Galat. 3.
cato, ut promiſſio ex fide JEſu Chriſti daretur credentibus, ſine qua fide impoſſibi- Hebr. 11.
le eſt placere Deo. Quod ſi vadat in pace advertendum attentè reor, ſi ſub præceptu, aut licentioſè, aut conſolatoriè, aut pro ſecuritate, aut enuntiativè, aut prædicativè verbum emiſſum eſt. Præceptoriè dictum videtur, quaſi & emenda & ſatisfactio præteritorum criminum imponatur ire in pace, quæ converſis ad Deum agitur in cuſtodia legis ejus. Quoniam nulla diſcordia inter Deum & homines oritur, niſi ex prævaricatione mandatorum ipſius. Igitur præcipitur pœnitenti atque converſo, cui miſericorditer facta eſt remiſſio peccatorum, ut eat in pace, ita tamen, quod indultorem multorum criminum amplius non offendat, non faciat recidivum, non repetat vias malas. Et licentiam donat. Semper quidem quouſque anima eximatur à corpore, & in arbitrio ſuo relinquitur. Conſolatorium verbum eſt, vade in pace, ſecuritatémque tenet ab hoſtibus celebrata pax. Et prædicit huic mulieri Chriſtus, quod actum eſt ſecus pedes ejus in contritione cordis & pietate actionum illius, quoniam pax inter Deum & hominem agitur, cùm de præteritis malis fuerit cor contritum. Quia cor contritum &
humiliatum Deus non deſpiciet. Maximè Pſal. 50.
quidem ipſa pax roboratur in fœdere, ſi ad dominicos pedes exhibetur cultus pietatis, ita aſſumens in aſſumpto & aſſumptus in aſſumente in una perſona credatur & adoretur.

Cap.

Cap. XXXII.

De miniſterio exhibito Chriſto à mulieribus de facultatibus propriis, ſecundùm Lucam ſolum.

Lucæ 8.

UTrumque ſexum Chriſtus ſalvaturus advenerat, & utriusque non pro ſe, ſed pro impenſoribus delectatus obſequio, recepit obſequia, præponderans fidem, devotionem amplius quàm id, quod exhibebatur. Et fidem mentis confirmabat in operibus corporis, non quod opera corporaliter exhibita in fide feciſſent auxeſim, ſed illa fides augebat acta ipſa, ſeu juxta ipſam exiſtentem omnia exterius exhibita cenſebantur, ſuntque cenſenda. Nec mulieres deſpiciendæ ſunt in obſequiis atque miniſteriis, ſed cavendæ præter opportunitatem. Nec inquirenda opportunitas, ſed fugienda, ubi aliunde poſſint expedientia præhaberi. Non ſunt effugiendæ mulieres ex natura, cùm ex eadem maſſa ſint, qua viri exiſtunt ex traduce carnis, & anima in eis de novo creata, ſicut in viris, ut nec diverſarum naturarum ſint omnes animæ mulierum atque virorum, ſed unius, & omnium animarum virorum atque mulierum ſit una natura, in quibus figurata eſt una Dei imago, atque ſimilitudo, ſicut una eſt caro, cujus nunquam per traducem eſt variata propago. Sed magna eſt inter utrumque ſexum adhibenda cuſtodia, quoniam operante hoſte antiquo in illa chara ſocietate, naturali vinculo colligata, periculum dulce injectum eſt, ut inhoneſta libido naturam honeſtam dehoneſtare niteretur, dehoneſtétque crebro, & ſub illa ſpecie naturalis ſocietatis virus ſuave bibatur ad necem, prætermiſſa lege, quam Deus illi ſocietati adjecit. Nemo autem exemplo Chriſti ſe cum eis præter opportunitatem honeſtam ex honeſtis cauſis immiſceat. Et cùm accepta occaſione id fieri contigerit, omni cuſtodia ſervetur, ne cadat in delectabile turpe, Dei fœderibus muniatur & ſenſus. Solus verò Chriſtus etiam ut homo non potuit peccare in via, qui dominativa virtute in omnibus liber erat, quem nec oportebat in cautela fieri, & ſuos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus poterat præſervare collegas. Egenus pro nobis factus & egenos voluit ſuos eſſe diſcipulos, & una cum eis recipere oblata per fideles perſonas ſibi adhærentes obſequia. Unde autem *factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per civitates & caſtella prædicans & evangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo. Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus, Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant, quæ ipſe ejecerat, & Joanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Obſequioſum eſt mulierum genus, & aptum miniſterio rei, & curæ familiaris, quæ, cum fide & amore adhæſerint, totas ſe, ſuáque impendunt in obſequio & miniſterio eorum, quos in fide & pro veritate venerantur. Et quo minus acumine interiori vigent, plus obſequuntur, & diligunt. Sed ubi virtus earum mentes influxerit, non fatigantur obſequi, ſequi gaudent. Quod non impendunt, adſcribunt ſterilitati, quod dare poſſunt, exiſtimant magnum lucrum. Quo magis diligunt, profuſiores ſunt, quo ſimplicius credunt, ardentius colunt, faciles ad credendum. Si amorem non adjungunt fidei, faciliores ad removendum, cùm amor acceſſerit, tenaciores exiſtunt. In experientia rei factæ animo libenti impendunt. Expertæ quidem erant iſtæ Salvatoris virtutem, quod curatæ à malignis ſpiritibus erant, quorum tyrannidem importunè fuerant ante perpeſſæ, curationémque infirmitatum acceperant, à quibus jam fuerant moleſtè detentæ. Famáque in experientia ferebatur, quod hic miracula in ſingulis faciebat, moribus incedebat honeſtis, omni reprehenſione carentibus. Pauper, imo egenus erat, ſibi nihil in poſſeſſionibus erat, clarebat hoc hominibus. Quibus omnibus mulieres ex pietate permotæ, ſibi & collegio ſancto ejus inopis vitæ, de propriis facultatibus neceſſaria miniſtrabant. Neque credendum, quod Chriſtus uſu ſuperfluo id acceperit, quantum offerebat illarum mulierum devotio ſive facultas, ſeu quod per abundantiam argutionem haberet. Modeſtiam ſibi & complicibus ejus pro regula vivendi aſſumpſerat. Non enim decet prædicatores cœleſtium & contendentes illa captare, aliquid in uſu abundantiæ quærere, aut oblatum accipere. Religioſius enim eſt atque virtuti magis congruum, quod offerens plus quam ſatis ſuo reprimatur in voto, quàm quod verus Dei cultor & annunciator cœleſtium, doctórque virtutum, capeſſere plus quàm debito judicetur. Tutius deficitur voto offerentis, quàm accipientis poſſit virtus imminui aut fama tur-

pari. Si non accipitur, quod offertur, carens eſt offerens culpa, & meretur, ac ſi fuiſſet acceptum, ſi ea liberalitas fuit in animo, ut extra eſt. Si is, cui offertur, accipit modeſtum, non peccat, ſi non accipit, ſibi ſolum auſterius non ſimulate conſulens, etiam non peccat, ſed meretur. Si verò accipit ultra expediens, & modeſtum, culpa non caret, turpat famam, vileſacit cœleſte verbum, & ex accepto terreno proximum ſcandalizat, cùm eum, quem videbat alios ad cœleſtia trahere, ad capeſſenda terrena conſpicit inclinatum. JEſus quidem in ſe & ad ſe virtus erat omnibus, in omnibus forma vivendi factus. Cui mulieres jure miniſtraverunt, non de facultatibus alienis, ſed de ſuis. Sed heu multi offerunt aliena, non de ſuis facultatibus, ſed de alienis Chriſto miniſtrant. Quam multimoda ſit iſta conditio taciturnitati, ne his, qui propriis carent, aut impendere volunt aliena commiſſa, ſeu procurata diſtribuunt, faciendi voluntas ſeu pietas adimatur. Equidem multæ ſunt facultates, ex quibus Chriſto miniſtrari poteſt, ut ſi ſit in una parte defectus, perſiſtat in altera fulcimentum, ex magnis quidem affectibus & deſideriis ardentibus ex doloribus, ex gemitibus, ex contritione cordis, ex his, quæ corpore ſecundùm Dei cultum agi poſſunt, etiam præter exteriorem ſubſtantiam Chriſto miniſtratur. In anguſtum eſſet incluſum miniſterium Chriſtianorum, ſi tantùm ageretur pro Chriſto ex abundantia corruptibilium rerum. Habet protinus unusquisque in ſeipſo, unde Chriſto meliora & gratiora miniſtret. Proinde inexcuſabilis eſt homo in conſpectu ejus, ſi non miniſtrat ei de his, & in his ſecundùm placitum ſuum, quæ ab ipſo gratis accepit. Attamen magnum Chriſti humilitatis exemplum & abjectionis, quod accepit pia obſequia mulierum. Mos tamen tunc illius temporis ſic erat,

Cap. XXXIII.

De miniſterio Marthæ Chriſto exhibito, & quiete Mariæ ad pedes ejus, ſecundùm Lucam ſolum.

IBat JEſus ut homo, & in diverſa loca pro myſterio, pro officio, pro utilitate proximi à ſe ipſo ferebatur. Et
Lucæ 10. ad docendum viſebat honeſtas ædes, & libens accipiebat oblatas, id ſolùm intendens, ut animas, quas per mortem & ſanguinem redempturus advenerat, lucrifaceret. Nam *factum eſt autem dum irent,* (ſcilicet JEſus & diſcipuli ejus) *& ipſe intravit in quoddam caſtellum. Et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam.* Solitus erat JEſus hoc intrare caſtellum, cùm à Galilæa in Jeruſalem celebraret aſcenſum. Intermedium enim erat, quod Bethania vocabatur. Martha quæ illum excepit in domum, jam à morſagia curata erat ab illo, ex quo ſibi facta devotior, ſicque animo adhærens in fide cum promptitudine obſequendi, ut ad huſpitandum JEſus in ejus domum diverteret, quem ſua manſuetudine divertentem excepit amplius mente, quàm corpore, animo, quàm hoſpitio, affectibus plus, quàm rebus, quorum infallibilis trutinator exiſtens ſecundùm ipſos judicatos, à ſéque cognitos, omnia exterius exhibita obſequia ponderabat. *Et huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius.* Erat enim iſta Maria Magdalene cognomine, à qua exulatio ſeptemplicis dæmonii jam per ipſum Dominum facta erat. Quæ dominicos pedes illico recognovit, ad quos admota multorum peccatorum remiſſionem acceperat. Ex quo in amore facta ferventior, in humilitate proclivior, ſemper illos animo & ſitu ſui corporis repetebat. Juxta quos quieſcebat corpore ſedens, contemplans animo ſuſpenſa in utroque ad verbum ejus, aure ut audiret, animo ut intelligendo perciperet, & amaret. Poſtpoſuerat hæc omnem corporis curam, ſibi vacans, ſibi attendens, ſibíque intendens, non ad erogandum, ſed accipiendum ſolicita & propenſius avida. In nullo actu, in contemplatione tota erat, agens plus intentione, quàm opere. Audiebat verbum illius, quoniam ſemper bonum verbum eructabat JEſus, ad quod præ dulcedine liquefiebat anima ejus. Jam ſic prædictum erat: Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt. Nec ſatiabatur mens ejus eum audire loquentem, qui eam pœnitentem ſuſceperat. Erat etiam verbum JEſu delectans cor ejus, cujus virtutem & ſuavitatem in animo ipſa præſenſerat, cùm audiret ab eo verbum remiſſionis, ſalvationis, & pacis. Equidem & ſedere oportet auditorem divi-

vinorum ſeſſione interioris quietis, non enim illa capit fluida, & quieta mens, diverſis anxia curis, vadens & repetens itinera vitiorum, diſcurrens per affectus & concupiſcentias materialium & corruptibilium rerum. Sedet ad pedes, à capite deſcenſum ad ipſam gratiarum expectans. Subiiciat ſe anima divinis, non æquet, aut ſuperet, quoniam valles abundabunt frumento, humiles videlicet & ſubditæ animæ, clamabunt etenim, hymnum dicent: *Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium.* Ideo ſatagebat, quia frequenter miniſtrabat. Frequens verò erat ex ſolito more, quoniam ipſa in cura miniſtrandi aſſidua erat, nil de tempore tradens otio, nihilque in rebus parandis omittens. Quæ ſtetit & ait: Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare. Dic ergo illi, ut me audivet. Non tædio affecta miniſterii, neque fatigata labore, non invida ſeu invidioſa ſorori, non quærens requiem, non ſolicita permutare officia cum ſorore, non tentans ejus pacem animæ ſeu corporis perturbare, nullo vitii ſtimulo agitata in hæc verba Martha prorupit. Sed dignum ſuo cenſebat in animo, quod ſibi miniſtraturus totus mundus aſſurgeret, ſe indignam exiſtimans eſſe ſolam relictam miniſtraturam tanto Domino, & ad ſerviendum toti collegio. Quæ ſterit velut miniſtra humilis, & ſolicita ſine turbatione, parata ut pediſſequa, non magiſtra, ut ancilla domus, non domina, ut famula, non matrona, de ſorore non pro ſe, ſed pro JEſu dulci quæſtione conqueſta, nondum advertens magis delectatum JEſum paſcere avidas ſui mentes, quam corporeas eſcas accipere. Petit adjutorium, nolens tamen relinquere miniſterium, collegam quærit in officio, non quieſcere. Sic enim eſt veritas rei geſtæ. Attamen in aliud contemplandum intellectus fidelium incitatur. Equidem hæ mulieres duas vitas oſtendunt, agendam & ſignificandam. Agendam Martha, ſignificandam Maria prodit, unaquæque tamen ad debitum tendit finem. Finis agendæ, feciſſe quod virtutis eſt, finis ſignificandæ, nil ultra boni quærere nec poſſe, quoniam perventum eſt ad terminum, ultra quem nihil eſt. In utraque utraque mulier eſt, nam Martha in agenda pro ſignificanda, Maria in typo ſignificandæ ex agenda. Nec obſtat contemplationi veritatis, quod hæc mulier excepta converſione eum piis obſequiis in agenda plurima non extiterit. Necnon & agenda quouſque in ſignificandam traiiciatur, actionem & contemplationem habet. Agit activus ſignatus in Martha opus expediens ad vitæ humanæ curſum, in virtute atque ex charitate providet indigentiæ, & ex miſericordia miſeriæ ſubvenit. Et contemplatur virtutem ex qua præmium, propter quod Deum, in quem, propter quem, & ad quem omnia vera ratio agit, contemplatur & tendit. Contemplatur contemplativus ſignatus in Maria cuncta, ut valet, quæ ſunt objecta contemplationis officio, & agenda perficit dum neceſſitas exigit & charitas docet. Non admoveatur contemplativus operibus, ſi neceſſitas deeſt, ſi charitas non ſuadet. Removeatur à contemplatione, ubi adeſt neceſſitas, & jubet charitas, quoniam charitas excellentior via eſt gradiendi & ingrediendi ad regnum, quàm omnes reliquæ virtutes. Sic & Apoſtolus poſt omnem contemplationem propheticam, multáque dona gratiæ dixit: Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtrn. 1.Cor.12 Et quæ ſequuntur aperiunt de via charitatis fuiſſe locutum, quoniam nec perfectus activus, niſi & contemplativus fuerit habita opportunitate ſive commoditate, nec contemplativus laudandus, ſi exigente neceſſitate non ſederit in officiis charitatis. Eſt & alius ſenſus, quo fiat intelligentia veritatis, ſi Martha vitæ activæ tribuitur, Maria verò contemplativæ adiicitur. Petit activa protinus à contemplativa juvari. Quis enim pacato animo in tot curas intenderet, tot ſolicitudinibus angeretur, in tot divideretur miniſteria, niſi aliquando ſuperna ſpeculatum mente accederet, ſpe factæ pollicationis, qua ſperatur requies poſt laborem, æterna merces pro exercitio temporali. Et ſi ad contemplandam divinam juſtitiam interior aſpectus aſſurgit, quæ nullum malum relinquit inultum pœnis temporalibus vel æternis, fit vitiorum cautela ſuavior, & facilius abſterretur homo metu pœnarum. Et ita ſibiipſi eſt amica natura, ut ſi aliter eſſe nequit, potius non eſſe, quam ſemper malè eſſe velit. Nec non quia nullum rectè actum impræmiatum ſinit, ſuave videtur omne, quod imponitur in actione virtutum, ſi id, quod ſumus, & unde, & quomodo, & quo fine claudamur, ſi quid amamus, timemus, & agimus, ſi perfunctoriam vitam, ſi alternationes ejuſdem, ſi principatum tartareum, ſedéſque æterna nocte pallentes, ſi lucidum æternúmque regnum, ſedéſque ejus lumine ſempiterno coruſcantes, ſi geſta Filii Dei, dictáque in carne pro nobis, ut eruamur ab illis, deducamur in illa, in contemplatum venerint enixè atque obnixè, omnis actio rectè atque honeſtè adjuvatur. Juſtè igitur in actionibus exiſtens petit à contemplatione juvari. Ideo quippe poſcit, quoniam ex ſeipſa humana

mens ad illam non valet aſſurgere, niſi divino invamine fulta, quoniam non ſumus ſufficientes cogitare ex nobis aliquid tanquam ex nobis, ſed omnia ſufficientia noPſal. 148. ſtra ex Deo eſt. Sed dicto per Deum cuncta fiunt, quoniam ipſe dixit & facta ſunt. Attribuatur conqueſtio Marthæ orationi, cùm Dominum interpellat, non contra ſororem, ſed ad ſeipſam reſpiciens, ut eo typo quilibet orer activus, ut aliquando in contemplatum vadat. Necnon & magis humana poſtulatio Marthæ contrahitur, quod iſta duplex vita, quæ in Eccleſia agitur militanti, activorum concio poſtulet, exigat, quærat, impendat obſequia, ut adjuvari, ut a cœtu contemplativorum adjuvari. Quoniam illa in argo, iſta in cubiculo eſt, nec eſſe poſſet quieta mora cubiculi, niſi exiſtens in agro præſtaret rei familiaris obſequia. Et ſegnia eſſet agri actio, niſi oratione cubicularia juvaretur. Attamen in hac cauſa judex quæſitus, rogatúſque decernit. *Et reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ingeminat nomen hoſpitæ ſuæ, ſuſque collegii Salvator Chriſtus velut fidelis miniſtræ fideliter obſequentis, laudat ex hoc miniſterium ejus, & ſolicitudinem in opere, occupationem in animo circa multa eſſe denunciat ex frequenti deſiderio miniſtrandi. Sed docet eam aliquid majus ab iſtis in actione virtutum, cùm pro certo aſſeruit unum eſſe neceſſarium, quod unum Maria omnibus aliis prætermiſſis elegerat. Quod unum eſt, ſingulare eſt, quod ſingulare eſt, pluralitatem neſcit. Quod multiplicari non poteſt, exemplum non habet, quod exemplum non habet, ipſe Deus ſolus eſt, ut in ſubſtantia & in natura ſua, ſic & in omni actione ſua. Sicut enim non alius præterquam unus Deus verus & ſolus, ſic nemo creavit aut fecit, quæ ipſe facere dignatur. In quem unum actione, intentione, contemplatione intendere, atque in creatorem ex nihilo, & quorum, & qualium, & quotorum, & quantorum, & in ea, quæ incarnatus peregit, uſquequo miſit promiſſam ex alto virtutem, eſt illud unum, quod neceſſarium eſt, quod Maria velut optimam partem elegit non auferendam in æternum, cùm ad illud unum in patria intuitivè pervenerit. Non tamen quod in hac vita contemplatio divinorum quantumcunque magna non poſſit auferri, ſubtrahi ad tempus, & iterum reddi, imminui, & augeri ex culpa, & præter culpam, præter meritum, & demeritum, ſed cùm perventum fuerit ad unum præ omnibus neceſſarium in illa futura gloria, in ſuperna patria, non auferetur in æternum. Cui Maria ſuſpirabat, & omnis verè amator cœleſtium ſuſpirat & contemplatur in via.

Cap. XXXIV.

De miniſterio exhibito Chriſto in cœna facta JEſu in domo Simonis leproſi à Martha & Maria ſororibus & Lazaro recumbente, ſecundùm Matthaum, Marcum & Joannem.

Libuit iſtud miniſterium cœnæ paſſioni proximum Salvatoris miniſteria ſupradicta immediatè connectere, quoniam & in hoc miniſterio miniſtratum eſt Chriſto, qui ſecundùm tempus ab eo præfixum paratus in animo appropinquabat loco, ubi propria voluntate ſe volebat ſubdere paſſioni & tradere ſe invidis per amorem, qui eum quærebant ad mortem.
Joan. 12. Hinc *JEſus ergo ante ſex dies paſchæ venit in Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem ſuſcitavit JEſus.* Secundùm calculationem Judæorum quinta Sabbati ad veſperam erat paſcha, ante quod per ſex dies Bethaniam venit, ut ex calculatione noſtra die Sabbati venerit ante diem paſſionis ſuæ & mortis. Et agendo myſterio congruebat locus & domus, quoniam ille, qui factus eſt obediens uſque ad mortem, Bethaniam primo venit, quæ domus obedientiæ interpretata eſt, ubi etiam mors ſibi obedierat, quæ reddiderat mortuum, & vita, quæ attulit redivivum, & principatus tartareus dimiſit captivum, ſepulchrum abjecit incluſum, & ligatus manibus & pedibus ambulavit, velatus facie, ac ſi vidiſſet, inceſſit, impleta eſt juſſio ſolutionis. Et domus erat Simonis, qui etiam interpretatur obediens. Et omnia in vera obedientia ibi facta erant obedienti ſummo uſque ad mortem patri. *Fecerunt autem ei cœnam ibi.* Ambulaverat autem

à

à mane veniens juxta deſertum Ephrem, ubi quaſi delitеſcens degerat cum Diſcipulis ſuis, tali hora poſt prandium illuc adveniens, qua potuit & cœna parari, ut & factum eſt. Cœna quidem ad eſum ſufficiens, & cum modeſtia, præter & accuratos ſumptus. Arguebat certè JEſus in omnibus abundantiam, & ſuos jam hoſpites prædocuerat, ne effluerent. Et diſciplinata erat omnis illa domus ex moribus Chriſti, ex doctrina, ex frequentia converſationis ejus. Quanquam iſta cœna in domo propria Marthæ non fuerit facta, ſed in domo Simonis leproſi, alius quidam à Simone phariſæo quem à lepra JEſus mundaverat, nam ille in Galilæa, iſte in Bethania. Qui tam notus JEſu, tam domeſticus, & fortè cognatus illorum trium & tam familiaris, ut Martha promprè accederet, ut ſolita erar pro miniſterio, Maria cum
Matth. 26 unguento, Lazarus pro conviva. Nam *cùm eſſet Jeſus in Bethania in domo Simonis*
Marci 14 *leproſi, Martha & Maria & Lazarus*, pro
Lucæ 7. ſupradictis officiis acceſſerunt. *Et Martha miniſtrabat.* Hoc ſibi erat officium miniſtrare. Aſſumpſerat eum ex charitate, contemplata neceſſitatem. Neque videbat per alium miniſtrationis officium agi, quo acto illa quieſceret, ut ſoror ejus ad dominicos pedes. *Lazarus verò unus erat ex diſcumbentibus cum eo.* Diſcumbebat Lazarus dudum mortuus fœtens & quatriduanus in monumento, paulo ante ad vivos tranſſatus ex mortuis, exiſtens iterum moriturus cum morituris, tranſſerendus iterato cum mortuis, oſtendens ex diſcubitu & eſu JEſu potentiam, divinámque virtutem, quod verè à mortuis reſurrexit & receſſit ab inferis, revocatus ad perſunctoriam vitam in eo uſu rerum, poteſtare ſenſuum, & cum illa interiori & incorporea & inviſibili, triplicíque ſubſtantia ſpiritualium virium, & fortè potiori ſicut antequam moreretur, extiterat, ita, ut nil præter veritatem rationis in ipſo eredi aut æſtimari poſſet, nihílque phantaſticum in eo fuiſſe operatum JEſum. Qui cum interrogaretur à convivis de Chriſti licentia fatus eſt, faſſúsque tartareas ſedes, & tenebroſum æternè regnum cum æterno dominatu & cruciatu dæmonum ſuperborum, cui anima ejus appropinquavit ex latere non ingreſſa oſtia tenebroſa, patientia ingredientibus cunctis in æternum clauſa incluſis. In fide tamen ſermonem protulit de ſupernis, non enim illa ſibi patuerant. Nondum reaſcenderat, qui aſcendit, ante cujus aſſcenſum nemo aſcendit. Sed neque de ſuperis, aut inferis quiſquam reſuſcitatus ad hanc vitam iterum moriturus aliqu d aſſerere potuit, aut illa, quæ ſunt alterius vitæ fari, niſi prout à Chriſto in illo ſeparationis tempore corporis ab anima ſcire permiſſum eſt, atque referre cum ad hanc vitam fuerit revocatus. Sed nec iſta magnipendenda ſunt, niſi quod Lazarus diſcumbens ad menſam JEſu, verum pœnitentem ſignificat, revocatum à barathro peccatorum & de profundo lacu malorum deſideriorum, & voragine actionum iniquarum, benignè à Chriſto ſuſceptum in menſa Sacramentorum, atque virtutum, & omnium beneficiorum ejus, in communicatione ſuiipſius, in ſecuritate data, quòd indulta ſunt crimina, abſterſæ ſunt maculæ, qnod non amplius erubeſcentia premat, non turbet memoria veterum dilectorum, & quod in participatione factus eſt cum juſtis, qui & ſi quid parum, non tamen turpiter corruerunt. In quo magna peccatoribus averſis à Chriſto fiducia data eſt, ut revertantur ad eum, qui ſic benignè reum fovet, tractátque reverſum. *Maria* Joan. 12.
ergo habens alabſtrum accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi. Et cùm recumberet JEſus, acceſſit ad eum, & unxit pedes JEſu. Et exterſit capillis ſuis pedes ejus. Et fracto alabaſtro, effudit ſuper caput ejus recumbentis. Iſta eſt ſecunda unctio Mariæ, qua pedes unxit & caput. Nam in prima duntaxat pedes perfudit unguento, quæ nunc primo vas unguentarium alabaſtricum ſcilicet ex candido & transparenti genere marmoris adinvenit. Deinde miſit in illo libram unguenti nardi, ex illa herba quæ pluris in eo erat, piſtici fideliter confecti ac compoſiti, quoniam piſtis ad fidem pertinet, pretioſi quidem, quoniam ex omni compoſitione laudabile, non modici pretii, ſed magni, quamobrem dicebatur eſſe pretioſum. Et pedes unxit, ut ſolito, & capillis terſit. In alia unctione poſt lotionem pedum, ex abundantia lachtymarum, reſolutis à cervice diſcriminatiſque capillis, lachrymarum à pedibus terſit humorem. Hic verò lachrymarum perfuſionem non legimus ſuper dominicos pedes, ſed unctionem ſolam, hujus humiditatem ſuperfluam capillis abſterſit. Capillorum terſio poſt lachrymas, & poſt unguentum facta eſt, ut per duplex impaſſibile Eccleſia orthodoxa & mens omnis fidelis ſit dicata Chriſto, per dimiſſum culpabile, ut quamvis delectabile, mens non doleat, & peragendum honeſtum, ut ſi arduum eſt, mentem non tædeat neque pœniteat. *Et* Marci 14.
fracto alabaſtro effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Et domus impleta eſt ex odore Joan. 12.
unguenti. Si unus Evangeliſtarum dixit, quod alius prætermiſit, & verſa vice ſcriptio Evangelii facta eſt, non repugnat hiſtoriæ, ſeu ordini rei geſtæ, ut una res geſta

Digitized by Google

geſta prætermiſſa ſilentio per unum Evangeliſtarum ſit deprompta per alium. Quoniam hic ab uno prætermiſſum eſt de capite & de pedibus dictum eſt, alii pedum unctione prætermiſſa, ſolam unctionem capitia poſuerunt. Fractio quidem alabaſtri vaſis non contritionem ejus annotat, ſed apertionem, ac ſi diceretur, & aperto alabaſtro. Nihil enim apud JEſum à fidelibus ejus per ſtultitiam aut vanitatem ſeu temeritatem fiebat. Effundit ſuper caput JEſu mulier hæc unguentum In ſublime fœmina iſta ſubvecta eſt, quod à pedibus aſcendit in caput. Primua hujus aſpectus rei non humilem, ſed temerariam fœminam monſtrat, & præſumptione motam, quòd ſe ad Chriſti caput admovit, quod erectione ſui corporis ejus caput ſupcravit, cùm effudit unguentum. Quoniam ad fluenta Jordanis Baptiſta totus contremuit, veritus tangere caput Chriſti. Et pia mater ejus ſemper eum parvulum & magnum ante adoravit quàm tangeret. An amore mulier ebria iſta eſt, ut quid faciat, neſciat, & improviſis geſtibus feratur in Chriſtum? Quem non minus mirandum dixerim, quòd ſic manuduci ſe à muliere permiſerit, ut nunc inclinaretur ad pedes, nunc elevaretur unguendo dominicum caput. Quod nunc quaſi prope Chriſti paſſionem ungitur, & in infima corporis & parte ſuprema, id in fide proponitur, quod humo verus Deúſque credatur, & in utraque natura procuratam fuiſſe noſtram ſalutem, & unam perſonam iſtas duas habuiſſe ſubſtantias, ut homo in Deo, Deùs in homine myſterium redemptionis impleret. Ideo Maria Magdalena unguenti libram accepit, ſcilicet nardi piſtici pretioſi, juſtitiam evangelicam, non Moſaicam: fidei, non legis. Nemu enim eſt juſtificatus ex lege, ſed ex fide, quæ ſecundùm Evangelium eſt. Libra duodecim unciis conſtat. Et fidei articuli duodecim ſunt. Libretur libra iſta in trutina veritatis, & perſpicuum erit, quid & quantum boni ipſa contineat, ubi noſtra juſtitia tota conſiſtit. Reſolvatur in uncias, & patebunt duodecim articuli ſecundùm numerum duodecim Apoſtolorum. Ex qua fide juſtificatio eſt, non per legem, quoniam ſecundùm Apoſtolum ex operibus
Rom.3. legis non juſtificabitur omnis caro coram illo. Et paulò poſt: Arbitràmur hominem per fidem juſtificari ſine operibus legis. Et per Prophetam dicitur: Juſtua
Habac.2. ex fide vivit. Ideo juſtua vivit ex fide, quia per fidem JEſu juſtificatua eſt ad æternam vitam. Libra unguenti ſeu ejus quod ad aliquem uſum accipitur, trutinatur ex alio æquo pondere, quod etiam libra vocatur. Sed ea, quæ offerebantur in templo, ad pondus ſanctuarii librabantur. Sanctuarii autem pondus charitas eſt. Ecce igitur libra & libra, utraque duodecim unciis conſtans, & libra pondus & libra trutinata cum pondere, ut nec juſtitia fidei ex duodecim articulis proſit, ad profectúmque ducat, niſi pondus libramenti veræ charitatis ad juſtitiam fidei & ad ſingulas uncias duodecim articulorum exnterit. Effunditur iſta libra in pedes & caput, quoniam bipartiti ſunt ex æqua numeri parte articuli fidei ad divinitatem & humanitatem Chriſti antea pertinentes. Typum gerit Eccleſiæ iſta mulier, & cujuslibet animæ ſanè credentis in omni actione ſua circa Chriſtum credenda, & agenda deſignana. Diffunditur odor per domum ex diffuſo unguento, amplius ex eo, quod Chriſto admotum eſt, quàm ex bonitate naturali. Quoniam quæcunque bona ſunt, efficiuntur meliora, ſi trajiciantur in Chriſtum. Et fama tanti myſterii ubique diffundenda erat. Sed odor hujuſcemodi non ab omnibus æquè ſuſceptus eſt, quoniam ex diſcumbentibus diſcipulia adversùs Chriſtum recipientem unguentum & contra effundentem indignatio exorta eſt. *Erant autem quidam diſcipuli indignè ferentes intra ſe-* Matt. 14.
metipſos, & dicentes: Ut quid perditio iſta Joan. 12.
unguenti facta eſt? poterat enim iſtud unguentum venundari multò, & dari pauperibus. Et fremebant in eam. Sed unus maximè *ex diſcipulis ejus Judas Iſcariothis, qui erat eum traditurus, dixit, Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, & datur egenis?* Non defuit in hac cœna virus invidiæ, calumniandi perverſitas, & detrahendi machæra. Sanctum erat omnino convivium ex ſommò conviva & complicibus ejus ex affectione ipſorum, qui cum propriis officiis in cœna iſta erant atque paravetant. Sed unus ab omnibus uſquequaque diſſentiena, ſulùm ſervans nomen diſcipulatus ab extra, de quo tanquam de pluribus Evangeliſtæ loquuntur, gratia non inferendæ infamiæ, præſervationis & honeſtæ locutionis, multiplicantes in narratione de illo, qui ſolus erat in cauſa. Quem poſt alios Evangeliſtas, Evangelium ſcribens duntaxat Joannes aperuit Judam Iſcariothis proditorem, aſſerena ſolùm in iſta indignatione fuiſſe, atque fremere per iram in mulierem, per invidiam in Chriſtom. Cujus indignationis & murmurationis atque moleſtiæ cauſam Joannes etiam pro-

prodidit, dicens: *Dixit autem hoc non, quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat.* Et unus ſolus Judas in collègio ſanĉto malus, qui preſſus iniquitatis gravi pondere labebatur in malum, cui Magiſter divinus non profuit, neque ſanĉta ſocietas. Quale igitur collegium, qualis domus, qualis ſocietas, qualiſque congregatio munda erit, ſine iniquitate manebit, ab impertinentibus purgata conſiſtet, ſi Chriſti collegium ſaltem habuit unum reum, qui velamento virtutis tendebat in vitium, ſpecie miſericordiæ augebat miſeriam, aliis videbatur intendere, qui ſeipſum ex toto deſeruerat, exiſtens corpore ſub obedientia Chriſti in participatione ſodalium, mente verò apoſtata per omnia erat. Fit apoſtaſia in inviſibili ſenſu ſæpe majori prolapſu, quàm depoſitione cultus exterioris. Sed
Prov. 6. apoſtaſia nulla pejor, deteſtabiliórque, quàm fidei, de qua per Salomonem dicitur: Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & in omni tempore jurgia ſeminat. Huic ex improviſo veniet perditio ſua, & ſubito conteretur, nec habebit ultrò medicinam. Hic rebus non à ſe factis nec ſuo deductis commercio pretium imponit, ſcilicet trecentorum denariorum tradendorum in ſervitio egenorum. Et ſibi malè conſcius, futurorum bonorum ignarus, præcipitanter à ſe loquens, neſciens numerum verè prophetat, ſicut & Caiphas, qui conſilium Chriſti dedit in mortem. Nam trecentenarius numerus myſterium eſt, & ſignificatio trinitatis & crucis, ut in
Gen. 6. arca Noë ſecundùm longitudinem arcæ trecentorum cubitorum, & in viris expeditis, cum quibus Gedeon ſuos adverſarios confligavit, reportans ex eis optatam, juſtámque victoriam. Et triginta argentei conſtituti ſunt Judæ in proditione Chriſti, valentes triginta denarios, Triginta verò denarii trecentorum parvulorum ſummam efficiunt. Sed uſus interdum pro decem, interdum pro una parva moneta ſeu numo uſuali accipit & connumerat. Ac per hoc juxta æſtimationem valoris unguenti Judas vendidit Chriſtum, eùm venditum non fuiſſet. Et cùm ad eum de pauperibus non ſpectaret, tamen loculos habebat, ſive clandeſtinè, ut quæ furari poterat, aſportaret, aut ordinatione Domini, ut in ſubſidium pauperum oblata pecunia portaretur. Dabat in huc JEſus formam futuris Prælatis, Eccleſiæque futuræ, ut ſuper egenos & pauperes intenderent. Hi loculi multam malignandi occaſionem pluribus miniſtraverunt. Præſumpſerunt enim multi ex hoc ita de Chriſto, & ejus collegio ſentire, uti de novo mercatore, aut divite hujus ſæculi. Sed, cùm hæc agerentur in cœna, Chriſtus cauſam terminandam aſſumpſit. *Sciens autem JEſus, ait illis: Quid moleſti eſtis huic* Matt. 20. *mulieri? Bonum opus operata eſt in me. Semper enim pauperes habetis vobiſcum, & cùm volueritis, poteritis illis benefacere, me autem non ſemper habebitis. Quod habuit, hæc fecit. Sinite eam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud. Mittens enim hæc mulier unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. Et prævenit ungere corpus meum in ſepulturam.* Nihil eum latet etiam in humanis occultis, qui omnia viſibilia & inviſibilia novit. Arguit moleſtos bene operanti. Nulla enim cauſa ſubeſt unde rectè agens, moleſtiam patiatur. Igitur dictum eſt, ut quid moleſti eſtis huic mulieri? ſine cauſa moleſtia eſt. A veſtra iniquitate procedit, non ab ea, etenim ipſa bonum opus operata eſt in me. Bonum ad finem, bonum in fine omnium bono, ſcilicet Chriſto, bonum ex intentione, bonum ex re, bonum ex ſignificatione, bonum ex exemplo, bonum ex congruo, bonum ex juſto. Et ſi pauperum occaſione, ſeu ex prodigalitate indignatio & moleſtia nata eſt contra Mariam, etiam pauperes ſemper in mundo ſunt futuri, quibus poteritis impendere menſam, me autem non ſemper habebitis factum pro omnibus pauperem. Quo etiam declaratum eſt Chriſtum illo tunc inpoſterum corporali obſequio ſibi velle ſerviri delectatus mente obſequio illo, ſed miſeratus obſequentes, ut ex hoc prærogaretur materia miſerendi. Et ſi Deo æterno ab exordio conditionis humanæ facta ſunt, & exhibita corporalia & viſibilia ſacrificia, quæ accepit in Abel, reprobavit in Cain, acceptavit in Noë, in Abraham & Jacob, & in omni Iſraëlitico populo ſecundùm datam legem exhibita, & in Job, cur poſtéa quàm incarnatus eſt & corporaliter nobis ſervivit, factus homo pro nobis, quare non ei etiam corporaliter obſequamur? Et ſi templum ei conſtructum eſt cum auro 3 Reg. 8. & argento, & cum rebus plurimis utique pretioſis, nondum caro facto, quamobrem ſibi aſſumenti corpus templa corporalia non conſtituantur? Quanquam Stephanus increpans Judæos, dicat: Sed Actor. 7. non excelſus in manufactis habitat, tamen ad augendam, firmandámque ex exterioribus obſequiis & divinis cultibus fidem,

fidem, ad ſuſtendandam devotionem, ad honeſtam exercitationem corporum, ad honorandum Deum in creaturis, quas creavit, quas ad uſum humanum contulit, propter quas etiam derelictus eſt, jure ſibi corporalia obſequia exhibentur, & manufacta magna templa, & monaſteria conſtruuntur, & circa Sacramenta corporis ejus, & in templis, & in altaribus tot pretioſa vaſa, munera & hujuſcemodi utenſilia præparantur, ſive naturalia, ſive artificialia, ſive corporalia, ſive quæcunque aliquam proprietatem inſignem ſeu pretioſitatem habentia. Nemini quocunque jure vel cauſa melius dicantur, quàm omnium conditori & redemptori humani generis Chriſto, non uti in talibus delectatus ſeu indigus velit & capiat, ſed ut fidem hominum ex exhibitione rerum magnarum per amorem, in abdicatione ipſarum per contemptum amplius probet, acceptet & moneret. Sed nec pauperibus pauperes commutentur, ut dum expectatur dignus, accipiat quandoque indignus, & dignus & magis indigus non ſubventus prætereat. Hæc eſt enim juſtitia tribuenda pauperibus, ut ſi adeſt pauper certus, & notus accipiat, nec ipſo dimiſſo vacuó expectetur ignotus. Conſervat autem ipſa juſtitia eximia ſuppetente copia & pro ignotis. Tuitus JEſus mulierem etiam laudat, quia fecit quod habuit, & potuit. Et prædixit ſuam ſepulturam, dum juſſit illam permitti, ut ad ſepulturam reſiduum reſervaret, ac ſi tota libra tunc non eſſet effuſa. Et ſive mulier hæc JEſu mortem & ſepulturam cognoviſſet eſſe vicinam, ſive ignoret, JEſus tamen miniſterium unctionis in prophetiam vertit, dicens: Mittens enim hæc mulier unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit, Ac ſi diceret: ſic faciendo me moriturum & ſepeliendum prædixit. Quoniam ex Judæorum more pt ungebantur corpora humandorum. Et præſciens JEſus, quod quærendos erat in ſepulchro ad unguendum, ſed nec inveniendus, illam aſſerit præveniſſe ſcientem & ignaram myſterii, quoniam multa ſpiritu & magna providentia Dei fiunt, quæ ab ipſis authoribus ignorantur, quem terminentur in finem ſeu ſignificationem. Impoſuit etiam JEſus nomen in hac cœna doctrinæ ſanctæ ſuæ, ut Evangelium diceretur. Et prædixit ubique prædicandum poſt Spiritus Sancti adventum, dum commendat hoc unctionis officium
Matt 20. Magdalenæ, dicens: *Amen dico vobis: ubicunque prædicatum fuerit Evangelium iſtud in univerſo mundo, dicetur & enarrabitur, quod hoc fecit in memoriam ejus.* Sicut JEſus intelligi voluit, hoc ſic intelligamus, quod hanc unctionem hæc mulier fecerit in memoriam ejus, ſcilicet ſepulturæ, vel ejus ſcilicet mulieris unguentis. Omnium quæ Chriſtus geſſit, & paſſus eſt ex forma ſervili, concluſio, & ultimum eſt ſepultura. Cuncta quæ ſequuntur, præter ignominiam ſunt, & ut glorioſus & potenter fecit, etiam cùm poſt reſurrectionem comedit. Ad quam ſepulturam ſervandum erat unguentum, ſcilicet de illa libra juſtitiæ duodecim articulorum, ut aliquo modo ab anima & à carne non crederetur ſeparata divinitas, quamvis in illa tunc carnis & animæ fuerit ſoluta conjunctio, ut etiam in ſepultura nil dematur de libra, qoin omnia de unigenito Dei filio, pro nobis humanato, mortuo & ſepulto, recta & inconcuſſa inhæſitanter in juſtitia fidei teneantur. Et dum cœnaretur, *cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic eſſet. Et venerunt* Joan, 12.
non propter JEſum tantum, ſed ut & Lazarum viderent, quem ſuſcitavit à mortuis. Turba Jeroſolymorum et regionis illius cognovit Judæam corporali præſentia receptiſſe JEſum, & quidam novo viſendi animo veniunt, quia deliteraī poſt iofereendæ ſibi mortis conſilium. Quia Lazarum revocaverat à ſepulchro, propter reſuſcitatum à mortuis magis venerant, quàm propter authorem vitæ deſtructorémque mortis. Curioſitas plus quàm virtus in eorum animis inſidebat. Habet hoc proprium humanæ mentis fragilitas, quod amplius novitatibus, quàm ſummis veritatibus delectetur, donec Spiritu Sancto adjuta, in altiora capeſſenda ſe tollat. Puerile negotium eſt plus delectari opera, quàm arte, artificio, quàm artifice. Quod ſi ſic exigit uſus utilitatis, aliter ſuadet ordo rationis. Potior eſt enim omni cauſato ſua verior cauſa, & potentia omni effectu ſuo præſtantior. Quæ igitur hæc dementia turbarum? quæ inertia intellectus? ut plus ponderis exiſtimarent viſere Lazarum abductum à mortis imperio, quàm JEſum, qui mortem ſubjectam incontradictè poſſidet, ut inferat & auferat, prout vult, & adimere & conferre vitam ſolus poſſideat poteſtatem.

Cap.

Cap. XXXV.

De interrogatione JEſu facta Diſcipulis quid inter hominis diceretur, ſecundùm Matthæum, Marcum, & Lucam.

NOverat JEſus omnium corda. Perſpicuum erat ei, quid de ipſo apud quemlibet crederetur, ideo non ut ignarus interrogat, ſed quærit confeſ-
Matt. 16. ſionem verbotenus, ut doceat, ſi erratur,
Marci 8. ut laudet rectum, & juſtum diſponat ad præmium. Et hic potiſſimè angebatur cura, ut fides de ipſo quis & qualis eſſet, quo fine ageret & doceret in cordibus ho-
Lucæ 9. minum funderetur Hinc *venit autem JEſus in partes Cæſareæ Philippi, & interrogabat Diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Cæſarea civitas erat, quæ mutato priori vocabulo in honorem Cæſaris ſic appellata eſt, quæ ſub principatu Philippi prioris Herodis filii conſtituta erat. In cujus regionem Chriſtus cum Diſcipulis per caſtella & civitates prædicans incedebat. Ubi cum varia de JEſu opinio ferreretur, ipſe ſuos Diſcipulos, quid audiant, interrogat. Et modus interrogationis poſſet dubium facere, cùm videtur interrogare de alio potius quàm de ſeipſo, & de filio puri hominis, nun de Dei filio. Sed mos eſt ſcribendi, & de ipſo non vulgabatur fama in populo ſicut de Dei Filio, ſed ſicut de homine puro. Ita verum ut in virtutibus & miraculis & moribus à cæteris hominibus plus haberet. Idcirco Diſcipulos ſuos juxta famam vulgatam interrogat. Secundùm verò Marcum & Lucam explicitè de ſeipſo quæſivit, dicens: *Quem me dicunt eſſe homines ſeu turbæ?* Quòd Marcus in via dicit interrogationem factam, Lucas verò *quòd cùm eſſet ſolus orans & Diſcipuli ejus cum eo, interrogavit*: non contrarietatem habet, quoniam dum iret, ceſſit in aliquam partem, pruut ſolitus erat JEſus orationi operam dare, & oravit ut homo pro his, quæ agebat, ut debito fine clauderentur, & pro aſſumpto myſterio sd perficiendum. Et interrogavit oratione facta Diſcipulos de ſeipſo, Cui ſic reſponſio data eſt. *At illi dixerunt: Alii Joannem Baptiſtam.* Præmortuus erat Joannes, ſed quaſi credebatur à pluribus, quod reſurrexerit à mortuis, ſicut etiam credidit alienigena Herodes, qui eum obtruncari fecit, ſeu quod virtutes Joannis operarentur in eo. *Alii Eliam.* Inſignis Propheta, inſignis & portentis & prodigiis Elias extiterat, cujus memoria ſuccedanea relatione & cuſtodita ſcriptura de ipſo vigebat in populo, quamobrem plurimi crediderunt ipſum non reſuſcitatum, quia non mortuum, ſed de loco ad quem raptus curru igneo extiterat, iterum fuiſſe præſtitum populo Iſraeli, aut ſpiritum ejus dupliciter requieviſſe in ipſo JEſu, ſicut in ipſo Eliſæo requievit. *Alii Jeremiam.* Nondum propter ſanctificationem in utero, quæ nec nota multis, maximè rudibus & plebeis, ſed propter utilitatem loci Anathot, in quo natus eſt, ut Chriſtus in Bethleem. Et propter ruſticum ſermonem, quoniam & JEſus non curavit verba exarata & exacta proferre, ſed utila & vera. Et propter juventutem, nam & Jeremias prophetare puer orſus eſt, & propter comminationes, ut & ipſe ad Jeruſalem, aliqui autumabant eſſe Jeremiam. *Aut unum ex prophetis*, ſcilicet reſuſcitatum ex mortuis, aut ſpiritum unius eorum præmortuorum habere, ob quem tali opinione ferebantur in eum. Sed audiris opinionibus variis relatu, quas ipſe ſpiritu ſciebat, ut aſtruat fidem, & confundat errorem, iterum eos quid ipſi credant, interrogat dicens: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Quid ſibi ultra vult harum interrogationum varietas, quem me dicunt homines, & vos quem me dicitis, acſi Diſcipuli ejus homines non fuiſſent? Erant protinus homines natura ſicut cæteri, ſed gratia eos ſupra naturam effecerat, ut aliquid inſigne cognitionis ab aliis hominibus præhaberent Converſati enim erant cum Chriſto doctrina ejus imbuti, quæ hominem ſupra alios homines facit. Ac per hoc perſpicuum eſt & inhæſitabilis fides, homines natura per gratiam ſupra naturam in hac vita poſſe conſtitui, & hominem poſſe per virtutem infuſam & acquiſitam naturalem duntaxat hominem ſuperare, quamobrem ut ſecreti ab aliis interrogantur Diſcipuli, ut altius intelligentes proferant, quid à Chriſto in fide de ipſo didicerunt. Cui *reſpondens Simon Petrus, ait: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Delatum eſt à coapoſtolis Simoni, ut ipſe pro ſeipſo & pro cæteris reſponderet. Ipſe verò in fide, & amore ferventior, anticipavit omnes, dicens:

Quid cæteri homines de te ſentiant, non mihi curæ ſit, quid mei complices in mente habaent, ore fateantur, quid à te didici, quid de te infuſum accepi, quare omnia dereliqui, te ſolum animo corporéque ſecutus, hoc eſt, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Tu es Meſſias promiſſus in lege, tu exſpectatus à populo ſancto Dei, à populo Iſraeli, tu quidem Meſſias, non tantùm homo factus ſeu ex homine propagatus homo, ſed Filius Dei vivi pro hominibus factus homo. Hebraicè facta fuit interrogatio, Hebraicéque data reſponſio, ſed ſcriptura Græcum haber, Latinitas unctum dicit, ut ſic tota iſta confeſſio capiatur. Tu es unctus ut homo non intemporale, ſed in regnum æternum. Reges quidem ſemper ungebantur in veteri teſtamento. Sed tu unctus non oleo delaro in cornu, ſed oleo lætitiæ, oleo gratiæ Spiritus ſancti. Et tu unctus in Sacerdotem, & Pontificem magnum, ad offerendam hoſtiam vivam pro omnibus ſalutarem. Filius tu es veri vivi & æterni Dei, humanitatem ſeu humanam naturam aſſumens in tempore, degens in terris, carne velatus, in qua cauſam agis damnati hominis, vel humani generis. Hæc confeſſio nil ſuperfluum nihilque diminutum habet, de Deo non minùs, quam ſit, de homine non amplius quàm debuerit, prompſit. Cui confeſſioni omnes pariter conſenſerunt, etiam Judas, quamvis in poſterum ex ſeipſo extiterit depravatus. Verùm quia hæc confeſſio non fuit humanæ virtutis, non modici præmii, idcirco adjectum eſt. *Reſpondens autem JEſus dixit ei: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis revelavit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis.* Beatum eſſe Simonem ipſe futurorum æternorúmque bonorum JEſus ure ſuo pronuntiat, beatitudinis cauſam adiiciens, quod hanc protologiam, quam ore faſſus eſt, non humano, ſed divino didicerit documento. Removetur à protologia hujuſcemodi caro & ſanguis, quoniam quid nequius, quàm quod excogitavit caro & ſanguis. Et qui verè credunt, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Introducitur Doctor æternus, qui cùm voluerit, nulla interpoſita mora docet, ſcilicet Deus Pater, qui ſolus veram & infabilem de ſuo æterno Filio cognitionem habet. Quis enim verius ab æterno genito quàm æternè illum generans ſcientiam dabit? Igitur qui vult ſcire Filium, adeat Patrem, & qui Patris notitiam quærit, à Filio capiat. Unum relativorum perfectius ex altero innoteſcit. Beatus ergo Simon, qui exiſtens in terris, de cœlis Doctorem accepit non Angelum, non hominem, ſed utique Deum Patrem, cui ſuper Filius gratias egit, dicens: Confiteor tibi Pater cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis, de quorum numero Simon erat, cui Pater ſuum æternum & unigenitum Filium revelavit. Ecce unus piſcator plebeius qualem revelationem accepit à Deo, ut Sacramentum abſconditum ſibi revelaret. Quoniam ipſe eſt, qui revelat profunda de tenebris, & producit in lucem umbram mortis. Profundum erat, & imperſcrutabile divinæ incarnationis myſterium, quantum & factum, ad cauſam, ad modum. Et tenebris humanæ ignorantiæ atque incomprehenſibilitatis ſuæ tegebatur. Et Simoni revelatum eſt. Et ipſe idem erat umbra mortis, ſub qua umbra oportebat quieſcere jam mortuos & morituros, quam Deus Pater in lucem noſtræ notitiæ deduxit: Et per exceſſum vir ſapiens ſupra ſenſum hominum inquirebat. Radix ſapientiæ cui revelata eſt. Diſciplina ſapientiæ cui revelata eſt & manifeſtata. Multiplicationem greſſus ejus quis intellexit? Radix & diſciplina ſapientiæ Chriſtus eſt Filius Dei, qui unus exiſtens in unitate paternæ ſubſtantiæ, multiplex in effectibus eſt. Cujus per revelationem paternam Petrus accepit notitiam. In eadem admiratione Iſaias erat, inquiens. Et brachium Domi-
ni cui revelatum eſt? Sed Deus Pater eſt, Iſaiæ 53.
qui revelavit myſteria Prophetis ſuis miris modis, & Petro ut ſuum æternum Filium in tempore humanatum, in carne velatum, agnoſceret, oréque confiteretur, & in tam alia confeſſione fundamenta futuræ Eccleſiæ jacerentur. Sícque à Chriſto factum eſt. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Conſpiciant alta mente fideles orthodoxæ Eccleſiæ fundamenta, videant & contemplentur, in quo ipſi fundati ſunt. Nulla domus eſt, quæ non habeat ſua fundamenta deorſum, ſurſúmque tendunt parietes, deſuper tecta ponuntur. Et ipſa terra ubi ſunt ædes magnæ, ſtructuræ altæ fundatæ, pro fundamento ſubjectam habet aquam, juxta Davidicum carmem: Qui
fundavit terram ſuper aquas, quanquam Pſal. 135.
aqua ſit levius elementum, terræ jure naturæ prælatum. Sola Eccleſia ſua fundamenta ſurſum habet. De cœlis eſt revelatio, de cœlis eſt confeſſio, cœleſtis eſt fundator, cœleſtéque fundamentum. Et propter cœleſtia capeſſenda hujuſmodi fundatio facta eſt. Quod homines ſumus, terrenum fundamentum habemus, quoniam ex Adam terreno carnis propagatio-

ne

ne traducimur. Quòd verò fideles ſumus, ſuper cœleſtia fundamur, non ſuper Petrum, ſed ſupra Petram Chriſtum unigenitum Dei Filium ore ſuo ex confeſſione veræ fidei revelatione Patris æterni deprompta. Petra autem erat Chriſtus. Igitur ex terreno terreni, ex cœleſti cœleſtes. Sicque Apoſtolus admonet : Sicut
1. Cor. 15 portavimus imaginem terreni, protemus imaginem cœleſtis. Et decus noſtrum, quòd ſupra naturam & humanitatem noſtram cœleſti ſplendore refulget, honeſtis affectibus, vita & moribus cuſtodiamus, veneremur, & teneamus. Et quoniam cœleſte eſt Eccleſiæ fundamentum, nemo præſumat aſſerere quempiam quantalibet ſanctitate fulgentem, illam ſuſtentamento fulcire, neque illam virtute conſtare parietum, qui ex veris fidelibus tanquam ex vivis lapidibus conſtruuntur. Quoniam fundamentum aliud nemo ponere poteſt præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus JEſus, cujus ſola virtute Eccleſia ipſa in ſoliditate conſiſtit, non Petrus, non Paulus, non alius Apoſtolus, neque aliquis ſanctus, non Virgu Mater, non baptiſta, non Angelus fundameutum eſt, aut ipſam ſolidam ſtabilémque facit. Etſi fundamentum jactum eſt, non arte humana, ſed poteſtate divina, oportet, ut ad ædificandum opus impendatur. Quotquot enim alibi & ſuper alios quoſcunque ædificare nituntur cum ædificiis pariter corruent. Hinc Apoſtulus ait : Si quis autem ſuper-
1. Cor. 3. ædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, linnum, fœnum, ſtipulam, uniuſcujusque opus manifeſtum erit. Dies enim declarabit, quia in igne revelabitur. Et uniuscujusque opus quale ſit ignis probabit. Si cujus opus manſerit quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Multa hic ad ædificandum ſuper cœleſte fundamentum parata eſt occaſio diſſerendi, ſed qui capaces ſunt aſſiduitate ſtudii elaborent. Non poteſt inferri altiſſimo cœlo expugnans bellum, neque iſta inferiora ſeu ima infernalia poſſunt arietare fundamenta cœleſtia. Proinde Salvator adjecit : *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Sodalitatem ſuam omnem in Chriſto habet Eccleſia, quo adversùs cuncta contraria & adverſantia ſecura conſiſtit, contra quam portæ inferi prævalere non poſſunt. Portæ quidem inferi ſunt omnia vitia, omnes malæ hominum voluntates, ex quibus hæreſes ſunt, & documenta nequiſſima, & adverſitates, & tribulationes, & bella, & cuncta, quæ adverſari Deo, veritati & virtutibus fatagunt. Non enim inferi alias portas habent, niſi vitia & peccata, & malas hominum voluntates. Quæ ſi non prævalent in deceptione, dolo, fraude, & ſi infernales & truces illam opprimere impugnando non poſſunt, avellere à pariete, ne ſit ſuper fundamentum unuſquiſque poteſt, aut non venire in ædificium parietum, ſi non venit, ſemper ſodalitate Eccleſiæ in ſuo fundamento manente. Virtus quidem Eccleſiæ, quibuſcunque arietantibus malis, quibuſcunque negantibus fidem ejus, ſeu malis moribus è regione agentibus & quacunque infidelitate durante ſemper ſimpla manet eodem modo ſe habans, invincibilis ab hoſtibus, inſuperabilis à falſitatibus, inobliquabilis ab erroribus, ſecura inter minas, inter preſſuras fida, inter tormenta, pericula, adverſitates, dæmonum aſtutias ſemper invicta, & in morte ſuorum amplius viva.

Cap. XXXVI.

De collatione clavium facta Petro, ſecundùm Matthæum ſolum.

NE fruſtra videretur dictum, quod portæ inferi contra Eccleſiam prævalere non poſſent, authoritatis magnæ collatio facta eſt ad eruendum ab inferis animas, ad inferendas illas in cœlum, & ad detruendum eas, quæ juſte li-
Matt. 16. gantur, in damnationis barathrum. *Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Et quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Clavicularius cœli factus eſt Petrus, ea virtute, qua de Chriſto vera confeſſus eſt. Et data ſunt ei vincula, id eſt, catenæ ad ligandum compediri & ligari dignos, necnon & omnia argumenta ſolvendi eos, qui ſe ſolutioni per veritatem dederunt. Clavium officium eſt aperire, ſeu claudere. Solutionis poteſtas ad apertionem, ligationis verò pertinet ad clauſuram. Sed cui clauduntur ſuperna, inferiora patent. Et ſuſcipiet barathrum, quem non ſuſcipit cœlum.

lum. Non tamen ſuper eos, qui adulti non ſunt, neque aliquid egerunt criminis & peccati, nondum capaces virtutis, & vitii claves authoritatis officium habent, ſed duntaxat ſuper eos, qui actualiter in virtutibus vel vitiis extiterunt. Quoniam non adultus, ſi deceſſerit non lotus aqua baptiſmatis, damnatur, non poteſtate clavium ſeu officio ligationis, ſed contractione maculæ originalis. Etſi baptizatus antequam actu judicio rationis aliquid egerit, non cœlum ingreditur, quia Petrus eum ſolvit, ſed merito Eccleſiaſticæ fidei, in qua immerſus eſt aquis. Nec claves datæ ſunt pro his, qui veram innocentiam ſervaverunt, ſed pro his, qui peccaverunt ſive ſemper averſis ſeu in veritate converſis. Quem ergo ligabit authoritas Petri? Eum qui non deliquit. Quem ſolvet? Eum qui nullis peccatorum vinculis ligatus eſt. Quem ligabit? Liberum à peccatis. Quem ſolvet? Eum qui ratione incapacitatis virtutis & vitii peccare non potuit. Perſpicuum eſt enim, quòd contra portas inferi, ut non prævaleant adversùm fidem & Eccleſiam, datæ ſunt claves, & adversùs actualia mala, ut per impœnitentiam condemnentur, aut per pœnitentiam abſolvantur authores.

Cap. XXXVII.

De præcepto dato Diſcipulis à JEſu, ne cui dicerent ipſum eſſe Chriſtum, & de opportunitate ſuæ paſſionis, ſecundùm Matthæum, Marcum, & Lucam.

QUanquam Chriſtus ſciret corda diſcipulorum & fidem antequam quæreret, tamen ab eis oretenus confeſſione ſuſcepta in ea veritate fidei prout ipſe verus Chriſtus Filius Dei erat, ex certo myſterio ſecretum jubet teneri ab
Matth. 16 eis. *Tunc increpans illos, præcepit & com-*
Marci 8. *minatus eſt diſcipulis ſuis ut nemini dicerent,*
Lucæ 9. *quia ipſe eſſet JEſus Chriſtus.* Mira juſſio, is, qui venerat cognoſci & credi, hoc quidem agebat, & ex hoc diſceptabat & protologicè quantùm fas erat diſputabat cum Judæis, ſcribis & phariſæis, ut JEſus Chriſtus eſſe Dei Filius crederetur, & palam faſſus eſt mulieri Samaritanæ, quod ipſe verus Meſſias erat, remittebat ad conſiderationem operum ſuorum, quæ in ſui Patris nomine faciebat, aſſeruit apertè ſe unum eſſe cum Patre, nunc quidem cognitus à diſcipulis ſuis, eis ne ipſum prædicent interdicit. Et increpat eos lætos de cognitione, atque confeſſione, velut avidos ad pandendum illud ſecretum, quod Patre revelante cognoverant. Præcipit velut ſubditis & ut temerariis comminatur, ne temeritate præſumant in vetitum: Sed mirabilior eſt cauſa, quam ſubiicit, ne hoc ab eis alicui noſci reveletur. Non enim volebat JEſus occulari, qui è veſtigio, quo noluit naſci, voluit agnoſci, novæ ſigno ſtellæ dato, ut cognoſcerentur. Et ad hoc Apoſtolos & Diſcipulos elegerat, qui eum univerſo mundo prædicarent. Erat autem tunc proximus paſſioni, quando iſta geſta ſunt, & eodem anno crucifixus eſt. Nolebat quidem, ut fide præſtita ejus paſſio & mors impediretur, propterea cauſam opportunitatis ſuæ mortis & paſſionis appoſuit. Nam *exinde cœpit JEſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oportet eum ire Jeroſolymam, & multa pati, & reprobari à ſenioribus & à ſummis Sacerdotibus, ac ſcribis & occidi, & poſt tres dies reſurgere.* Liquet, quamobrem taceri mandaverit, ut opportunitas non ſua, ſed generis humani compleretur. Nec eum ſic iſta tolerare oportuit, ut aliter eſſe non poſſet, cùm ſibi nulla fuerit dominata neceſſitas, ſed quia nos urgebat non aliter, niſi taliter futura utilitas. Sicque præfinitum erat, ut niſi ipſe pateretur, nobis à paſſionibus nulla poſſet eſſe libertas, neque approbaremur à Patre, niſi prius ipſe reprobaretur ab homine. Nec nobis præterquam de morte ipſius vita potuiſſet oriri, nec ſurgere in gloriam, niſi prior ipſe reſurgeret. Sic & Apoſtolus inquit; Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium. *Et pa-* 3. Cor. 15
lam verbum loquebatur. Videlicet de his, quæ paſſurus erat, ne diſcipuli crederent, quòd improvisè ab ipſo ſibi paſſio inferretur. Non enim minus ſolidavit Apoſtolorum fidem, quòd ita præſcius & voluntarius, cùm vitare potuiſſet, ad paſſionem acceſſit, quàm quòd poſt mortem reſurrexit ab inferis. Nam ut repertum eſt in autenticis Apoſtolorum hiſtoriis, cùm peragrando prædicarent, & ſiſterentur coram regibus & præſidibus mundi, ob objectionem crucis & mortis factam in contemptum JEſu ab eis, hoc ipſi potiſſimum obiiciebant, quod non ignarus, ſed præſcius, non

non timens, ſed audens, non pavidus ſed ſecurus, terrens, non teritus, præveniens, non præventus, ad locum paſſionis acceſſit, proditorem ſcivit, ſe permiſit ligari, duci, flagellari, cædi & ſententiam ferri, crucifigi, & poteſtativè animam, non violentia emiſit à corpore.

Cap. XXXVIII.

De averſione Petri ad paſſionem Chriſti, ſecundùm Matthæum & Marcum.

RElabebatur Petrus in ima ſua, nec ab humanitate liber erat, qui poſt tam altam confeſſionem & veram, in foveam hæſitationis incidit. Reſponderat jam interroganti JEſu, quod ipſe erat Chriſtus Filius Dei vivi, nunc verò audiens paſſionem, reprobationem, & mortem hæſitavit fore, acſi non ipſe, quem dixerat, eſſet, non confortatus in verbo, quod de reſurrectione poſt tres dies adnexit, ſed ad eum ferventi amore contractus, nec ſeparationem patiebatur ad horam. Proinde ad paſſionem Chriſti ſe obicem dedit, ut
Matth. 59 potuit. *Et aſſumens eum Petrus, cœpit incre-*
Marci 8. *pare illum dicens : Abſit à te Domine, non ti-*
Lucæ 9. *bi erit hoc.* Sotietas pii amoris ſæpe excuſat errorem, & amorem nimium prope ſenſum mentis innocentia interdum purgat à crimine. Ecce Petrus amator ardentior in JEſum, increpat ipſum, ne pati velit & mori. An amor exagitabat eum, ut ſeorſum ab aliis aſſumerer Chriſtum, increparet dulciter, ne amarè pateretur? An mente ſuffundebatur dubio, ſeu opprobrio, ut Filius Dei pateretur, & moreretur ut homo? An hæſitavit, an forſan primò ſibi adverſus adverſabatur Chriſto, neſciens quidem, quod ſi Chriſtos non moreretur, ipſe non ſalvaretur? Quæ eſt iſta præſumptio diſcipuli in magiſtrum? Quæ temeritas hominis in Dei Filium? Quæ audacia ſervi in Dominum ſuum, ut tam aſſervitè dicat, abſit à te Domine, non erit tibi hoc? Non amplius impingamus in Petrum, audiamus ſuper enim judicium Salvatoris, qui plus diligebat Petrum, quàm Petrus diligeret ſemetipſum, & in omnibus amplius diligit, quàm diligi poſſit, aut diligatur JEſus. *Qui converſus & videns diſcipulos ſuos, commitatus eſt Petro, dicens : Vade retro poſt me ſatanas. Scandalum mihi es, quia non ſapis, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum ſunt.* In ſecretum traxerat eum Petrus, confidens & diligens. Et quanquam ex amore præſumens, verebatur per omnia ſuum Dominum & Magiſtrum. Unde converſus JEſus vidit diſcipulos, à quibus ex colloquio Petri fuerat averſus. Et videns eos comminatur Petro ſub determinata pœna, niſi reſipiſcat. Et remittit eum retro, qui eum increpando & conſulendo præceſſerat. Errat ignarus itineris, ſi præit ductorem gnavum, & ſciolus & ignarus, ſi velir præanticipare ſcientem. JEſus noverat quid agendum Petro in ſequela erat, non in ducatu, in addiſcendo, non in conſulendo. Si verò precebatur, ne fieret dictum JEſu, alienus à vero erat. Neſciebat, quid oraret, meritò retro remittitur, ut ſit in poſteriori parte JEſu. Quod ſatanas appellatus eſt, non in diabolum traiiciendum eſt. Nam ſatanas omnis, qui adverſatur alicui voluntati & facili actioni, dictus eſt. Scandalum erat Chriſto Petrus in eo, quod dixerat, quia offenſionem accepit. Obſtat enim conſilium, & increpatio ejus paternæ voluntati, æternæ prædeſtinationi, utilitati humani generis, charitati ejus urgenti eum, ut pro ſalute hominum citò moreretur. Semper enim amans ferventior offenditur, ſi adversùm quid habet actio ad dilectum. Subinfertur autem apertius cauſa, qua dicto Petri Chriſtus offendebatur, quia non ſapis, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum. Conſilium Dei ab æterno erat, ut ſic in aſſumpta carne ipſius Filius pro ſalute hominum pateretur, atque moreretur, & tertia die reſurgeret. Neque omnipotentiæ ſuæ aliquid obſtat, aut deperit, qui omnia ex nihilo fecit, ſicque illico poteſt reintegrare ſoluta. Hominum verò ſtudium & ſapientia eſt, corporis vitare moleſtias, aſperum ſenſum effugere, quæ mundi ſunt quærere, in delectationibus fieri, non diſſociari à charis, plus declinare triſte, quàm turpe, averti potius à præſentibus & tranſitoriis malis, quam æternis bonis inhiare futuris, aut delectari modica re, quàm ſpe meliorum illam dimittere. Iſta quidem & ſimilia hominum ſunt, & non Dei. Ac per hoc unuſquiſque ſano ſenſu animadvertat, quoniam non tantum in actione nequam offenditur Chriſtus, ſed cùm mente ſolum humana & terrena ſapimus,
& non quæ Dei. Nam gloria in confuſio- Philip. 3.
ne

ne eorum, qui terrena ſapiunt. Refugit eos Chriſtus, & in ſuos ſatanicos habet, non illos duntaxat, quos noverit perperam agere, ſed & quos ſapere humanè cognoverit, & ab humanis ad divina, & ab imis ad altiora mentis intelligentiam non attollunt. Quam igitur humanè & non divinè ſapiebat Petrus, ſi Chriſtum volebat ſic vivere in humanis, nondum verè contemplatus Dei providentiam, qui per crucem & mortem ex complemento juſtitiæ diſpoſuerat providere hominibus in divinis.

Cap. XXXIX.

De ſequela Chriſti per crucem, & perditione animæ in via pro patria, ſecundum Matthæum, Marcum, & Lucam.

EOdem animo eſſe cognovit Apoſtolos cæteros, quo & Petrus erat. Nondum erant in altiora ſubvecti, ut metus paſſionis eſſet ſecluſus, & amor quodammodo humanus ad Chriſtum eſſet ab altera virtute ſeparatus. Etiam turbæ, quæ ſequebantur, erudiendæ in veritate fidei erant, ne fortè notarent ſequelam Chriſti corporis ſeu ſenſualem delectationem habere. At ubi paſſionem ſuam opportuam eſſe prædixerat, & velut ad hoc ſatanam repreſſerat Petrum, prodit ſequelam poſt ſe futuram, & modum aperit, ſi aliquis eum in ſpiritu Dei
Matt. 16. factus ſequi decreverit. *Et convocata tur-*
Marci 8. *ba cum diſcipulis ſuis, dixit eis: Si quis vult*
Lucæ 9. *poſt me venire & ſequi, abneget & deneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Iterum increpatur Petrus, & omnes, qui volunt præire JEſum, ſeu ſibi humanè confidere. Et diſcipulis atque turbis datur una doctrina de eundo poſt Chriſtum. Non ergo itur poſt JEſum in humana ſapientia, quæ mors eſt, juxta quam Petrus ut ſatan Chriſto ad paſſionem ſapiebat. Proinde qui vult poſt eum ire, propriam voluntatem, ſapientiam carnis, humanum ſapere omnino deponat, & non delectato ſenſu & opulento incedat, ſed accipiat crucem ſuam, non ſemel, ſed quotidie. Quoniam gladius crucis deciſivus à mundo, ſemper evaginatus tenendus eſt, cùm omni die mundus ſe offerat cum delectationibus ſuis, & caro inceſſanter ſpiritum impugnet, unde ſemper recidere oportet importunitatem importuna offerentis, & carnem reprimere, ne ſpiritui noſtro prævaleat. Poſſunt arma deponi, cùm obtruncatus eſt hoſtis, cùm devictus, cùm fugatus ſive ſubactus eſt, cùm ſecuritatem dederit, aut cùm animo pacato quieverit, cùm verò non dormit, niſi ſupplantet, & ſemper renovat artem inertibus, nova invenit arma belli, qui etſi frænari, non captivari, ſi fugari, non exterminari, ſi confligari, non tamen occidi poteſt, igitur tollenda quotidie crux eſt contra cuncta nobis adverſantia ad ſalutem, & ſatagentia demergere in infernum. Nec quieſcendum per diem, ſi quotidie contra nos hoſtiliter hoſtis invigilat. Tollenda eſt ad profectum, ut affectu, vita, moribus, theoria, actu ſequamur Chriſtum. Accepit ipſe ſuam crucem, ſuo mirabili & laudabili modo, accipiamus & nos noſtram pro modulo noſtro. Neminem delicatum, honoribus mundi fultum, circumdatum famulorum turba, pompaticè incedentem, terrena ſapientia tumidum, divitiis floridum ſequentes, ſed JEſum pauperem, humilem, contemptum, denique innocenter pro nobis crucifixum & mortuum, qui ea via, qua ipſe inceſſerat, ſtatuit ſuos ſequaces in gloriam pervenire. Eſt autem crux tollenda, non illud patibulum ligneum, nec illa lignorum ſtrues, niſi quis inevitabiliter articuletur aut negare fidem, aut ſuſcipere materialem crucem, ſed tota vita hominis in via Chriſti diſciplinata, & à mundo vilitate & pœnalitate acta, & animo gaudere, cùm ab extra moleſtiis agitamur. Verùm quia Evangelium omnes includit, & recipit ad ſe vivere volentes, crux omnibus tollenda communiter & inexcuſatè poſſibilis, eſt omnis affectio, intelligentia, vita, mos & actio, quibus Evangelium non contradicit, ſed atteſtatur, & aſſentit, & probat, & recipit. Liquentius autem quid ſit iſta crux, quæ tolli jubetur, verba Salvatoris ſubjecta declarant: *Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit eam propter me & Evangelium, ſalvam faciet eam.* Ecce crucis morale myſterium, animam in hoc, ut in alio ſalva

va fiat, perdere. Et pollicitatio conditionalis appoſita eſt in tollendo crucem, quoniam qui perdit animam ſuam, qui renuntiat concupiſcentiis hujus mundi, non alia intentione vel cauſa, ſed propter JEſum & propter Evangelium ejus in fide receptum, propter credibilia neceſſarióque credenda, quæ docet, & propter vitanda, quæ prohibet, & propter agenda, quæ jubet, & propter ſperanda, quæ ſub pollicitatione continet, ita tamen, ut hæc, quæ credita ſunt, in actionem ab utroque homine deducantur, credentis anima ſalva erit hæc agentis. Et quia horrendum eſt rationi & ſenſui pœnas æternas incidere, ipſarum avida devitatione accipere crucem coarctat, quæ abdicatio eſt mundi. *Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum ſeu totum mundum lucraretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur, & ſeipſum perdat? Aut quam commutationem dabit homo pro anima ſua?* Quid aliud invenire homines ſatagunt, quod aliud documentum inquirunt, quorum exempla venantur ad mundi contemptum, ad deſpectum temporalium & perfunctoriarum rerum, ad ſubeundum agones quoscunque propoſitos, quàm hanc ſententiam Salvatoris? Quid cunctantur, quid hæſitant de pœnis æternis, cùm animarum audiunt detrimentum pro univerſo mundo non eſſe ferendum? Quoniam ſi temporale duntaxat eſſet animæ detrimentum, non immeritò poſſet ex electione quæri, & acquiri, deſiderari, & obtineri totius mundi etiam ad tempus quieta poſſeſſio, & ſingularem in illo vendicare dominatum. Etſi creditur Evangelium, & quòd JEſus iſta docuerit, qui veritas infallibilis eſt, & verbum Dei Patris, quid prodeſt homini totius mundi poſſeſſio, quid perſonalis proſperitas, quid quintupartita ſenſuum delectatio corporalis, quid uxor, & filii ad votum, quid nobilitas generis, quid antiqua proſapia, quid ſuper cæteros dominatus, quid aſſiſtentia procerum, quid obedientia populi, quid pompa famulorum, eſibilium & utenſilium, & ſi qua tanta conflarentur in unum, poſſentque provenire ad unum pro velle ſuo, in tempore ſuo poſſent utilitatis afferre, ſi tandem ſeparatione facta utriusque ſubſtantiæ detrimentum æternæ diviſionis à Deo, incluſionis cum tetris anima pateretur, imo in utraque ſubſtantia totus homo perdatur in æternum? Nulla quidem eſt digna compenſatio in cautela mali ex abdicatione corruptibilium, in actione bonorum, ut in æternum anima ſalva fiat. Tollatur igitur juſſa crux, quæ mundo hominem, & homini mundum crucifigit, quoniam nulla commutatio rerum viſibilium pro anima dari poteſt, æquo libramine valens. Verùm quia ſæpe contingit, quod hujuscemodi, & taliter crucem tollere, ſequíque JEſum erubeſcentia quædam humana prohibeat, ob quam plurimi non accipiunt, multi verò acceptam deponunt, idcirco contra hoc terribilem comminationem adjecit, dicens: Nam qui me erubuerit, & Luca 9.
ſermones meos in generatione iſta adultera, & peccatrice, hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum. In dubium non vertatur, quin erubeſcens Chriſtum confiteri, ejúsque audire, atque in moribus ſervare ſermones, inter iſtam generationem Judæorum, quæ adultera eſt in fide & in lege, & mœchata in aliquibus, in lapide & in ligno, ut aliæ gentes, quæ ignorant Deum, & variis maculata peccatis, & profluxa in omni genere vitiorum, ſed accomodata & dilatata ſententia, ſi quis in quacunque generatione hominum copulata mundo perperam agente, arguente aliorum virtutem, erubuerit Chriſtum confiteri, & ſequi, & doctrinam ejus credere, & tenere, eum, cùm judicaturus advenerit in altitudine & manifeſtatione ſuæ majeſtatis, in unitate paternæ ſubſtantiæ, fultus agminibus Angelorum atque Sanctorum, ſe erubeſcentem inveniet. Erubeſcet quidem Chriſtus erubeſcentem ſe, non in paſſione animi ſuffuſo vultu, ſed dedignatione, quia dedignabitur illum, qui erubuit. Utique magna confuſio, cùm reprobatio hujuscemodi hominis erit cunctis Angelis, & hominibus manifeſta, quoniam in hac vita fama vel infamia, vera vel falſa, juſta vel injuſta, non poteſt multum longè latéque diffundi. Neminem verò Angelorum, ſeu dæmonum, hominum ſalvatorum ſive damnatorum illa futura latebit, ex quacunque ſorte provenerit. Et erit hoc obnixè. *Filius enim hominis* Mat. 16.
venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus. Nihilipenſa forſan fuiſſet comminatio facta erubeſcentiæ propter erubeſcentiam contra eos, qui generationi peccatrici, & adulteræ adhæſiſſent, aut veriti fuiſſent hominem plus, quàm Chriſtum, necnon & deſpectui habitus erubeſcentiæ cum tempore modus, niſi adjeciſſet omnino ad examen, ad diſceptationem, ad ultimam ſententiam proferendam, à qua tergiverſatio nulla erit, à qua judex appellationis manebit irrequi-

ſitus ipſius ſui adventum. Quamobrem ad confirmandum ſententiam, ad terrendum rebelles, ad revocandum contumaces, ad animandum homines ad agones dicit, quod Filius hominis, quem homo infidus aut malefidus, ut Filium hominis erubuit coram hominibus, quia ſic conceptus, ſic natus, ſic fugatus, ſic converſatus, ſic tentus, ſic paſſus, ſic mortuus & ſepultus eſt, veniet in jam contempta, ſed non contemptibili formà tunc, quoniam in eo, quod Filius Dei apparebit in gloria Patris, & cum illis & cum pluribus Angelis, quorum duodecim legiones in ſua captura contempſerat habere, operibúsque diligenter examinatis & diſcuſſis affectibus, reddet unicuique ſecundùm opera ſua, bona vel mala, magna vel parva, trutinaturus quidem opera ex affectibus non ex operibus affectus appendens. Et ut omnino Petri ſtabiliretur confeſſio, & paterna revelatio vera eſſet, fundatio Eccleſiæ crederetur, aut non dubitaretur habere ſolidum fundamentum, & authoritas data ligandi atque ſolvendi firmaretur, & Petri increpatio oſtenderetur fuiſſe importuna, & vera retunſio Chriſti; opportunáque juſſio de cruce tollenda, & quòd nemo erubeſcat ob aliquam cauſam Chriſtum ex animi veritate publicè vita, moribus, ſermonibus confiteri, antequam diſcipulorum ſuorum aliqui morerentur; gloriam reſurrectionis & æternitatem ſuam oſtenſurum ſe repromiſit, dicens: *Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo.* Ideo Salvator hoc pollicitus eſt, quod & poſt dies octo perfecit, cùm transfiguratus eſt, & paterna vox audita eſt, ut ſupra dictis ſuis ſententiis firmarentur. De tribus ſolis diſcipulis, ſcilicet Petro, Jacobo, & Joanne dicebat, quos ſecum aſſumpturus erat in monte, quód morituri non eſſent, antequam viderent JEſum duntaxat Filium hominis reputatum, venientem in regno ſuo, videlicet oſtendentem in ſe reſurrectionis gloriam, cùm voce paterna delata de cœlo, quòd eſſet æternus Dei Patris Filius, ut confeſſus fuerat Simon Petrus, cujus increpatio caſſabatur, quia immortalis eſt Deus, & crux tollenda ſcandalum non deberet inferre, neque aliquis in confitendo JEſum erubeſcentiam pati, declaratum eſt ex gloria, ex voce paterna, quamvis hominem ex aſſumpto eſſe Dei Filium ex æterno. Venit ergò in regno ſuo in virtute ſua ſe pandens, quod erat, cùm poſt octo dies transfiguratus eſt; oſtendens aſſumptum quanta excellentia ſublimatum erat.

Cap. XL.

De iterata prædictione ſuæ paſſionis, ſecundùm Matthæum, Marcum, & Lucam.

POſt transfigurationem, poſt ejectionem dæmonis à lunatico, ne diſcipuli ex ſubitatione terreantur, iterum de ſua paſſione præloquitur. *Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam, nec volebat quenquam ſcire.* (Matth. 17. Marci 9. Lucæ 9.) Sæpe ob diſpenſationem & prærogandam in actionibus deliteſcens formam paravit JEſus. *Converſantibus autem eis in Galilæa, omnibúsque mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad diſcipulos ſuos: Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos. Filius enim hominis futurum eſt, ut tradatur in manus hominum, & occident eum, & occiſus tertia die reſurget.* Prædicit paſſionem in Galilæa, quia de proximo aſcenſurus in Jeruſalem. Et cùm cætera verba clareant, hoc ſolùm ſolerter intuendum eſt, id quod ſermones in cordibus propriis ponerent auditores diſcipuli, ut tenerent ita memoriter nulli oblivioni tradendos, ne tempore dum fierent, hæſitatio deduceret in errorem, metus in fugam, modica fides in dubium exitiale. Quanquam omnia, quæ Chriſtus geſſit & docuit in carne pro nobis, ſemper ſint in cordibus præfigenda, paſſio tamen infigenda præcordiis, ex qua noſtræ ſalutis pretium eſt ſolutum, in qua liquido apparuit, quanta dilectione apud eum valeamus. Necnon & JEſus recto agendi, docendíque ordine ſæpe fecit, quod lætis triſtia, triſtibus læta, alta providentia ſuæ diſpenſationis immiſcuit. *At illi ignorabant verbum iſtud, & erat velatum ante eos, ut non ſentirent illud.* Mirum, quod ignorabant, cùm jam priusquam transfiguraretur ſe paſſurum prædixiſſet. Atqui animum non figebant in verbo, velut abhorrentes ut intelligere conarentur. Et obtectum erat ab eis ex tempore, ex facto, ex modo, ex cauſa, ita, ut non ſentirent, in quibus Chriſtus

ago-

agonibus agebatur, ut vel ne pateretur, ſeu neſcirent, quid ad iſta reſponderent. Et timebant interrogare eum de hoc verbo, memores quàm aſperè Petrum eum increpantem repreſſerat, & culpaverat ſpiritum præſumptionis ejus, necnon & veriti de tam ſecreto myſterio interrogare illum, ſed ſeipſos ad miſerorum refugium contulerunt, quoniam & contriſtati ſunt vehementer. Etſi non amplius pro Domino aut quocunque charo dari poteſt ex conſilio vel ex opere munus pro illo impendendum non deeſt triſtitiæ ac doloris. Hujuſcemodi genus muneris omnis homo habet, dives & pauper, proſper & miſer, poſſe triſtari pro proximo, etiam & pro ſeipſo, cùm ſibi ad ſuas removendas moleſtias alia cuncta deſunt.

Cap. XLI.

Quòd JEſus omni jure & cauſa liber exiſtens, tamen Regibus mundi didrachma ſolvi juſſit ad ſcandalum devitandum, ſecundùm Matthæum ſolùm.

SEcretum, ſed non abs re hoc myſterium eſt, quod JEſus, qui omnes venerat liberare, cùm eſſet omnium liber, ſolvendo didrachma Regibus ſæculi, ſeipſum humiliter ſubditum fecit. Et propemodum æquè cenſendum, quod tributum ſolvit, & quod ſtetit ante præſidem. Scriptum eſt: *Et venerunt Capharnaum. Et cùm veniſſet Capharnaum, acceſſerunt, qui didrachma accipiebant ad Petrum. Et dixerunt ei: Magiſter veſter non ſolvit didrachma. Et ait: Etiam.* (Matt. 17.) Erant ibi in Capharnaum cenſores reipublicæ, à ſenatu & Cæſare conſtituti, qui ſtatutum cenſum in pondere ſeu inſignito numero exigebant, & erat didrachma duplex, ſcilicet pondus ſive moneta. Qui videntes JEſum ſic liberè atque independenter incedere, cùm nullius caput liberum decreto ſenatus & Cæſaris eſſe deberet à cenſu, propter famam verò, quæ ferebatur de JEſu, quàm potens in miraculis & in ſermonibus foret, maximè in Capharnaum, ubi multa jam ſigna fecerat, non ſunt ei auſi violentiam inferre in perſona, eo temperamento juris Romani, quod pro aliquo debito nemo in perſona tangeretur, ſi aliquid erat in rebus, neque cogeretur ad cenſum, ſi notoria erat inopia. Verumtamen adierunt ad Petrum, depreſsè querulantes, quod JEſus eorum Magiſter ad fiſcum reipublicæ didrachma non daret. Sicque Petrus faſſus. Et hæſitavit Petrus in verbo, jam paratus habita commoditate interrogare JEſum. *Et cùm intraſſet domum, prævenit eum JEſus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filiis ſuis, an ab alienis? & ille dixit: ab alienis. Dixit illi Jeſus: ergo liberi ſunt filii.* Hæc ſententia veritatis ex his verbis ſumenda eſt. Deus Pater Rex & Dominus eſt univerſi, ſummo jure unicum filium habet in ea libertate conſtitutum qua pater. Igitur ſi filii Regum mundi liberi ſunt à cenſu exactionum fiſcalium impoſitarum decreto paternorum Regum, multò magis Dei Filius liber erit, etiam cum complicibus & ſodalibus ſuis. Nam & Regum filii, quos elegerunt ſocios, ſæpe fecerunt exemptos, ut etiam diſcipuli ſodales æterni Regis filii eximantur à cenſu. *Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies ſtaterem, illum ſumes, & da eis pro me & te.* In magnam conſiderationem immittuntur hujus rei geſtæ lectores, etiam & auditores, quod ſubjiciendo cauſam, ne inferret ſcandalum, juſſit dari tributum, cùm ipſe eſſet Rex Regum, & Dominus dominantium, & penes ipſum ſint omnia jura regnorum. Et primò magnum arcanum offertur ad contemplandum, quoniam omne myſterium noſtræ redemptionis comprehenſum eſt. Mare eſt præſens ſæculum, ex omniverſo flantibus ventis undoſum, magnum & ſpatioſum, ubi tot ſunt reptilia, quorum non eſt numerus, ubi ſunt animalia puſilla cum magnis, ubi ſunt naves negotiationum onerariæ & roſtratæ, ubi ſunt in perturbationibus, & nutabunda ſimiliter & caſſabunda. Piſcis ipſe Chriſtus inter undas & procellas hujus maris evectus & concluſus. Hamus, quo captus eſt, amor eſt. Sic enim capitur & tenetur. Stater inventus pretium ſanguinis Domini eſt, qui ore ſuo promiſſus fuit effundi, cùm ait: Hic ſanguis meus, qui pro vobis & pro (Matth. 28) multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Datúrque ſanguinis pretium pro Chriſto ex paterna obedientia, qua miſſus

erat effundere, & pro Petro, ſcilicet pro omni congregatione fidelium, in redemptionem à pœnis, in remiſſionem peccatorum, in adeptionem gloriæ. Quòd Petrus piſcatur hunc piſcem hamo, ſtaterem repperit & ſolvit, fides eſt, quæ per dilectionem operatur. Id verò plus angit, quod Regibus mundi datum eſt tributum. Sed in hoc benignitas Chriſti lucidius pollet, cùm & Reges ſæculi non ſecernantur à pretio ſanguinis Chriſti, ſi commercio fidei ad ipſius participationem acceſſerint. Necnon & aſtruit vivendi ſub Principibus mundi formam, ut à quibuscunque mortalibua, tutoribus reipublicæ deferatur, miniſtríſque juſtitiæ, nec pro privata ſubſtantia conſervanda offenſio in republica inferatur. Plus enim & utilius per omnem modum eſt bonum publicum, quàm privatum. Et cùm conatua fuerim, quas potui hiſtorias ab exordio mundi geſtarum rerum perlegere, nullam occaſionem ſeu cauſam deſtructionis civitatum magnarum atque parvarum, regnorum & regionum majorem repperi, quàm cùm privatum publico antepoſitum eſt. Mirum autem, quod Phariſæos & Judæos ſcandalizari permiſit, cùm ſupra dixit: Sinite illos,
Matth. 13 cæci ſunt & duces cæcorum, nunc quidem gentiles exactores pro republica ſcandalizare veretur, Sunt enim ſcandala & offenſiones aſſumptæ à proximis, quibus abſque veritatis, juſtitiæ, honeſtæ vitæ, virtutis derogatione atque injuria obviari non poteſt, quæ ut non eveniant, nec obſtandum. Sunt autem quibua facilè ſine delicto & culpa, ne proveniant, obviatur, & his modeſtè obex opponendus eſt. Et ſi nihil aliud ſic fieri ſuaderet, forma præſcripta ſufficit Salvatoris. Sunt & qui ex malitia, ex elatione, atque invidia, ex furore, ira, dolo, contentione, pervicacia, ex jactantia, ex ambitione, in omnibus apparere quærentes, tergiverſantes à veritate, horrentes ab illa convinci, virtutis inimici, filii pravitatis ſcandalizantur. Talis enim erat malitia Judæorum, quorum ſcandalum modicum curæ, ſi veniat, dum è regione virtutibus & bonis actibus inſiſtatur. Sunt & qui per ignorantiam non intelligentes rei veritatem, ſcandalum ſumunt, quibus ne proveniat, inſiſtendum. Stater quidem inventus in ore piſcis, nummus erat tribus ſolidis conſtans. Quæ inventio eſt inter Chriſti miracula deputanda in prænoſcentia Chriſti, & quod piſcis ſtaterem non reprobatum habuit, unde in piſce adinvenit, ubi piſcis invenit, quomodo ſolùm in ore inventus eſt, & piſcis de inferioribus aquæ aſcendit, & ſic adhamatus eſt.

Cap. XLII.

De inquiſitione diſcipulorum facta JEſu, quis eorum eſſet major in regno cœlorum, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

NOndum diſcipuli gradum perfectionia aſcenderant, humanis infirmitatibus angebantur in animo aculeis invidiæ, majoritatémque appetebant, reſpuebant minorari ab invicem, eos curioſitas agitabat, velle id ſcire, quod erat impertinens ad virtutem. De virtutibus contendendum eſſet, ſi quis poſſet alium anticipare, aut quippiam in illia præhabere à cæteris. Nulla de præmiis inter veroa Dei cultores deberet eſſe contentio. Agoniſtarum eſt opera exhibere virtutum, & quantum in illia, proficiant animo moribúsque inquirere. Solius Dei eſt æquè trutinare de meritis. Hinc ergo advertendum quid animos diſcipulorum vexaverit. *Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum*
Matt. 18. *eſſet major. Siquidem inter ſe in via diſputa-*
Marc. 9. *verant, quis eſſet illorum major. Ad JEſus*
Lucæ 9. *videns cogitationes eorum, interrogabat eos: Quid in via tractabatis? At illi tacebant. Et reſidens vocavit duodecim. Et in illa hora acceſſerunt diſcipuli ad JEſum, dicentes: Quis putas major eſt in regno cœlorum?* Hæc cogitatio ſuppoſitam occaſionem habuit. Memores erant diſcipuli, quod Petrus appellatus erat Cephas, quòd in confeſſione beatificatus, quòd ſupra illum fundabatur Eccleſia, quòd clavium largiendarum pollicationem acceperat, quòd audacius loquebatur ad JEſum, quòd ipſe cum Jacobo & Joanne ſteterat in reſuſcitatione puellæ, quòd hi tres ſoli aſſumpti fuerant ad tranafigurationem videndam. Ex quibus hæſitantea cogitaverunt, ſi apud Chriſtum eſſet acceptio perſonarum, ſi quem illorum feciſſet in authoritate ſeu in bonis potundis eſſe majorem. Quæ cogitatio uſque ad verbum diſputationis egreſſa eſt, nec hoc JEſum latuit, qui omnia novit.

Et

Et interrogavit eos, ut ore proprio faterentur, quid in via cogitando, diſputando tractaverant. At illi velut erubeſcentes de hujuſcemodi mentis infirmitate tacuerunt. Sed ipſe reſidens in domo, quam intravarant, in qua de tributo reddendo præceptum datum eſt Petro, vocavit eos. At illi videntes, quòd tergiverſari non poterant, in illa hora acceſſerunt ad eum interrogantes, de quo cogitaverant, & invicem habuerant diſputando ſermonem. Ipſa imperfectio primitivorum cum Chriſto JEſu fundatore omnium bonorum eſt argutio ad profectum noſtrum, quod non ſatagimus in ſuperno regno, ſed in terreno, quantum facultas aderat, haberi majores. Invertit juſtitiæ ordinem, qui præmium antequam mereatur, & priuſquam laboret, mercedem, & ſtipendium quærit, antequam militat. Semper quidem virtus ex animo, actio ex opere præferendæ ſunt præmiis, quoniam ſecundùm decretum divinæ juſtitiæ, poſteriores ſunt gloriæ virtutibus. Et regni majoritas, niſi præceſſerit humilitas peregrinæ minoritas non ſuccedit. Proinde JEſus à ſe providus, & ab ipſis diſcipulis requiſitus, comprimens diſputationem pronuntiat veritatem, & exemplificat in eo, qui ſolam naturam ſapit. Et advocat JEſus parvulum, & ſtatuit eum in medio eorum ſecus ſe. Quem, cùm complexus eſſet, ait illis: Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque enim humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic major erit in regno cœlorum. Si quis vult primus eſſe, erit omnium noviſſimus, & omnium miniſter. Cùm de regni majoritate quæreretur, primò janua conſtructa & oſtenſa eſt. Scilicet puerilitas innocentiæ, qua nec ſibi quiſque alii noxium infert, & ea conſiſtentia, quæ ſecundùm naturam eſt. Eſt enim natura quoddam bonum creatum, ſed humana diſpoſita poſſe ex ſtudio meliora nanciſci, ego bona natura parvuli, ſed eo magis, quo poteſt per diſciplinam & ſtudium in meliora ſuſtolli, & puritas mentis & operis, ut ſit vita immaculata, & illa humilitas, qua ſemper itur in ima & abjecta, & omnis excellentia ignoratur. Igitur facta eſt humilitas ancilla oſtiaria regni Dei, non quæ ad ſubverſionem interrogavit Petrum, ſed quæ verè credentem ſi aſtiterit, in regnum cœlorum introvehit. Proinde ſi quis primatum appetit, humiliando, miniſtrando aliis ex amore in veritate ſubjaceat, & ſatagat parvulum fieri ſecundùm Apoſtolum: Nolite pueri effici 1. Cor. 14 ſenſibus, ſed malitia parvuli. At quos quanto amore Chriſtus contrahitur, ipſius humanè complexus parvuli, quem in medio ſtatuit, monſtrat. Exterior actus ſæpe prodit, quid occulti amoris ſive odii in mente reſideat. Complectitur parvulum brachiis Chriſtus, & blanditur, quoniam ipſe parvulus datus eſt nobis. Et cùm Deus eſſet, natus eſt Filius hominis, ut & nos in eandem imaginem transformemur. Simplices parvuli & à verſutia liberi, cùm ſimplicibus ſermocinatio ejus. Convertantur igitur ad puerilitatem, quæ ex virtute atque carentia iniquitatis eſt, non ad illam quæ ex tempore modicáque corporis mole, quoniam aliunde ad æternum regnum non patet ingreſſus. Et ſi peregrinantem Eccleſiam regnum cœlorum accipere nitimur, in eandem cauſam verba referuntur, quoniam qui humilior, & innocentior, & miniſtrando in charitate ferventior, ille major. Et ut enixius ad puerilitatem hujuſcemodi converſio fiat, amplius illam effert. *Et qui ſuſceperit unum parvulum talem in nomine meo, me ſuſcipit. Et quicunque me ſuſcipit, non me ſuſcipit, ſed eum, qui miſit me.* Perſpicuum eſt, de quo parvulo intendat, quia non temporis, ſed virtutis: non corporis, ſed moris. Aliàs beatæ forent matres & nutrices, quæ pro libito voluntatis parvulos, quos nutriunt, complectuntur. Se autem dicit in parvulis recipi, quos requirit, verum non ſe ſolum, ſed & mittentem patrem, ut non quidem in hoc virtus & beatitudo, quia homo viſus ſuſcipitur, ſed quia Deus in homine creditur, adoratur & colitur. Et ut majoritatem conſtituat, dixit: *Nam qui minor eſt inter vos, hic major eſt.* Forſan de ſeipſo hanc ſententiam protulit, quòd ipſe minor erat ex humilitate, quoniam miniſtrare venerat, non miniſtrari, & ipſe major ex eo exaltatus, unde humiliatus. Necnon ex merito ſententia vera eſt, quòd qui voluntate minor eſt ſibi, & inter cæteros ex vera humilitate ſe deſpiciens viluit, magnitudinem nanciſcitur eo altiorem, quo profundior fuit humilitas. Nam & aquæ proprietatem conſpicimus, quæ quanto natura ſua in profundum diſcenderit, tanto aſcendit anguſtata per artem.

Cap. XLIII.

De quæſtione, quam interjecit Joannes de faciente miracula in nomine JEſu, ſecundùm Marcum & Lucam.

ANtequam terminaretur id, quod de majoritate regni tractabatur, Joannes aliam quæſtionem à Chriſto declarandam injecit. *Reſpondens autem Joannes, dixit: Præceptor, vidimus quendam in* [Marc. 9.] *nomine tuo eiicientem dæmonia, & probibuimus* [Lucæ 9.] *eum, quia non ſequitur te nobiſcum. Et ait ad illum JEſus: Noli prohibere eum. Non enim eſt, qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me.* Erat quidem à doctrina & diſciplinatu & ſequela Chriſti alienus, ſciebat tamen, & viderat, quæ & qualia ſigna faciebat JEſus, quem ſequi nolebat, niſi potius habere ſequelam, cui virtus neque ſapientia ſuppetebant, quoniam vera virtus & ſapientia præter Chriſtum, neque niſi ab ipſo non ſunt. In ſuis deficiebat, arrogabat aliena, non ex omni, ſed ex parte audiebat Chriſtum propter miracula eſſe in magna fama, cujus avidus potius, quàm virtutis, nomen non virtutem Chriſti falsò ad uſum ſuæ perverſitatis accepit. In cujus invocatione ab obſeſſis etiam dæmonia depellebat. Quod & Apoſtolos latere non potuit, qui prohibuerunt eum, ut in nomine JEſu miracula non faceret, quem nec pro doctrina, neque pro vita, neque pro bonis moribus cum aliis ſequebatur. Hoc feciſſe debitum virtutis fuit, remoto invidiæ zelo, illum arguere, qui ſub alio nomine aliquid ſibi in munere, aut in fama vendicabat. Irreprehenſibilis erat, quia nomine utebatur virtutis, eo tamen damnabilis, quod non ſequebatur ipſam virtutem, in qua talia ſigna in aliis faciebat, non ſuo, ſed credentium merito. Attamen non derogatur JEſu, potius virtus ejus nominis inclareſcit, ſi etiam in reprobis, in hæreticis, in non eum ſequentibus poteſtativè miracula operatur. Nec non ex hoc liquidum eſt multos feciſſe miracula in virtute nominis almi, exigente fide aliorum ſimplicium, qui non rectè viventes miſerabiliter ſunt puniti. Joannes poſt factum conſultat, ſi bene per eum geſta res eſt, ſcire cupiens in poſterum quid agendum. Unde reſpondet JEſu Joannes non vocatus, nec ſingillatim ſibi aliquid dicebatur, ſed inter verba, quæ de majoritate ferebantur, propoſuit aliam quæſtionem JEſu, præceptorem vocans in verbo, cui etiam ex animo & opere ſubditus erat, paratus ſubjacere decreto. Cui, ut ſcriptum eſt, tale dedit reſponſum, ut non prohiberetur in nomine ſuo miracula facere, quamvis eum animo & moribus non ſequebatur, rationem hujus reſponſionis annectens, quoniam ille, qui aliquam virtutem, ſive aliquid majus operatur in nomine alterius, non poteſt abſque denotatione ſui adversùs illum loqui, in cujus virtute talia operatus eſt. Et plus adjecit. *Qui enim non eſt adversùs nos, pro nobis eſt.* [Lucæ 11.] Contrarium alibi apparere videtur, cùm dictum ſit. *Qui non eſt mecum, adversùs me eſt.* Nunc verò, qui non eſt adversùs, ut propitius ſit habendus. Nemo cunctetur, utraque ſententia vera eſt, nec eſt contrarietas inter eas. Quoniam ibi dicitur de diabolo, ſive de eo, qui nullo fœdere, nulla invocatione ſe tenet ad Chriſtum, hìc verò de eo, qui ſi fide non credit, affectu non diligit, moribus non ſectatur, ſaltem invocat nomen ejus, cujus laus & fides increſcit in cordibus auditorum. Et virtus valentior oſtenditur, quæ per æmulum agit. Sic Apoſtolus ad Philippenſes ait de diverſitate illorum [Philipp. 1] qui Chriſtum prædicabant, dum ipſe ſtaret in carcere. Quidam per invidiam & contentionem, quidam autem per bonam voluntatem Chriſtum prædicant. Quidam verò ex charitate, ſcientes hoc, quoniam in defenſione Evangelii poſitus ſum. Quidam ex contentione Chriſtum annuntiant non ſincere, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis. Quid enim dum omnimode, ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuntietur? In hoc gaudeo, ſed etiam & gaudebo. Itaque Chriſtus non æſtimat contrarium eum, qui invocat nomen ejus, cùm ex fide audientium ad invocationem ſequatur effectus. Non ergo prohibendus, qui invocat Chriſti nomen, ſi evenit id, ad quod invocatum eſt, etiam ſi non ſequitur Chriſtum, quia fides augetur. Ipſe ſibi malè conſcius, Chriſti conſiderans benignitatem, nominis virtutem, cujus invocatione utitur, & efficit, forſan regrediens ad ſeipſum, conpunctus corde ſequetur & Chriſtum, aut pertinax ſupplicium juſtè luet, contemnens Chriſti largitatem, qui etiam inimicis miracula fieri in ſua virtute permiſit. Tenendum etiam ex hoc baptizatum in nomine Chriſti à quocunque ad-

ver-

verſario Chriſti hæretico ſive infideli, non eſſe ulterius abluendum, ſed tantum inſtruendum, ſi defecerit à ſequela nominis, in quo jam baptizatus. Nec obſtat dictis & veritati forma variata verborum, videlicet: ego te baptizo in nomine Chriſti, dum perfectè credatur trinitas, ſeu ego te baptizo in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, aut in nomine Patris & Filii & ſpiritus Sancti, dum Chriſti veritas firma credulitate teneatur.

Cap. XLIV.

De correctione fraterna, & Authoritate Eccleſiaſtica, & confeſſione mutua, & quoties indulgentia ſit præſtanda, ſecundùm Lucam & Matthæum.

Si non fuiſſet prævaricatio, neque lex ſcripta, quæ propter prævaricationes impoſita eſt. Si non eſſet lapſus, neque prohibitio. Fruſtra prohibetur quod fieri nequit. Ipſa impoſſibilitas prohibitum fert. Si non eſſet lapſus, neque revocatio, caſsè conum fertur erigere, qui non cecidit. Si à malo deſperaretur averſio, non haberet locum correctio. Igitur ad eos per Chriſti legem jubetur fieri, qui neutrum extremum habet, ut ſpiritus confirmati non ſunt, quin poſſint delinquere atque peccare, neque in æternum multati, quin revocari non poſſunt. Medii quidem non mediatores ſunt inter utranque partem, qui peccare poſunt, & revocari, & corrigi. Et propter hos, qui ſic in hac vita degunt, à Chriſto fraterna correctio poſita eſt, ne fiant in ſorte incorrigibilium, nec in illorum aggregentur collegio, ubi nulla eſt correctio opportuna, quia ibi eſſe non poteſt delictum ſive peccatum. Matt. 18. Quamobrem Salvator ait: *Attendite vo-* Lucæ 14. *bis: Si peccaverit frater tuus in te, vade increpa illum, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Præmittit in correctione cautelam, & ſolertiam indicit, ne quid præter ordinem per incircumſpectionem fiat. Et præinſpicere oportet, ſi delictum, aut peccatum, aut quomodolibet erratum ab aliquo eſt. Tunc ſi frater peccaſſe convictus eſt in ſcientia fratris alterius, aut fratri injuriam intuliſſe publicè vel occultè, accedat privata correctio, ne per publicam pronotaretur corrigendus, ſi deliquit aut peccavit occultus tibi ſoli notus, & ſi publicè, quod tergiverſari non poſſet, moleſtè ferret in argutione ſuperiorem habere. Semper quidem præeminentiam quandam ille prætendit, qui arguit, & ſi non ex eo, quod in authoritate canonicum eſt, ſaltem ex eo, quod veritatem habet, & ne facilè ad ampliora mala publicè vocaretur argutus, providennus atque utilius ratus Chriſtus ad correctionem appoſuit ſolitudinem. Et corripiens in magnis lucris efficitur, ſi obedienter auditur. Si quidem dicitur: *Si te audierit & pœnitentiam egerit, dimitte illi, & lucratus eris fratrem tuum.* Nulla majora lucra, quam animarum. Pretioſior eſt iſta negotiatio, quàm auri & argenti primi & puriſſimi. Omne corporeum ab aſſumpto à deitate animas lucrifacere ſuperexcedit. Harum negotiator Chriſtus exhortans, aptam formam dans Apoſtolis ut hujuſcemodi negotiationi ſe donent ad lucrandum homines pro ſuperna patria, pro quibus lucrandis Dei Filius in terris peregrinatus eſt. Sed ſub appoſita conditione agitur lucrum, ſi quæſitus ad lucrum quærenti conſentit. Et ſi deſiderium Salvatoris in hac negotiatione delatum ab hominibus videretur, quicquid eſt ſpiritus, quicquid corporis, quicquid virtutis & operis, quicquid ſolicitudinis & ſtudii, ad impendendum enixè foret, ut animæ quærerentur, veniréntque in theſauros, quos Salvator pretio ſanguinis condereniſſus eſt. Et ſi nil aliud homines permoveret ad animarum lucra, ſatis eſſet memorabile pro eis effuſi ſanguinis pretium, ita ut unuſquiſque tanti pretii trutinator exiſtens, ſi non exorbitat, deprehendit, quid agendum foret in lucro animarum. Proinde percunctandum eſt, quid ex utraque parte requiritur, ut effectum debitum nanciſcatur correctio, & in illum dirigatur, ad quem præordinata eſt finem. A divina charitate agi oportet alterius reprehenſorem, ſivè authoritatem habeat, ſive careat, qui corripiendi aſſumpſit officium. Sed & ſa- Eccleſ. 21 pientia procedente, JEſu confirmante oportet aſſumere. Scriptum eſt enim: Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat: non feci, aut ſi fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne fortè non dixerit, & ſi dixerit, ne fortè iteret. Corripe amicum tuum, ſæpe enim fit commiſſio

miſio vana. Corripe proximum antequam
commineris, & da locum timori altiſſimi.
Eum verò, qui corripitur, oportet in amore fieri ad corripientem, ſicut in firmitate
corporis ſatiſcens totum in medici & opportunè curatoris manus ſe donat, & ſæpe
laudat ejus urentes manus & ſecantes carnem, cùm igne atque raſorio fuerit opus
ad curam, & benefactorem vocat, qui pro
modica ſanitate corporis acutiſſimos dolores infixit, nec adversùs hujuſmodi correctionem præſumpſit in aliquo murmurare. Sic per ſapientiam dicitur: Vir prudens, & diſciplinatus non murmurabit cor-
Eccleſ. 10 rectus. Nam qui correctionem & illam
agentem non ſuſcipit, malis deterioribus
applicatur, ſicut dictum eſt : Qui odit
correctionem, veſtigium eſt peccatoris. Et
Eccleſ. 10 alibi : Qui odit correctionem, minuetur
Eccleſ. 21 vita. Et in proverbiis de incorrigibilibus
Prov. 15. dicitur : Nnn amat peſtilens eum, qui ſe
corripit, nec ad ſapientes graditur. Et alibi :
Prov. 29. Viro, qui corripientem ſe dura cervice
contemnit, repentinus venit ſuper eum interitus, & eum ſanitas non ſequetur. Et
de omnibus correctionem odientibus, pro-
Amos 5. pheta dicebat : Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè
Eccleſ. 32 abominati ſunt. Et allibi : Peccator homo devitabit corripientem ; & ſecundùm
voluntatem ſuam inveniet comparationem. Proinde ſi contemnitur corrector,
atque correctio, iterum inſiſtatur, ut lucrum veniat auxilio fraterno, qui proprio
& voluntario lapſu ſe perdidit. *Si autem te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos. & in ore duorum, aut trium ſtet omne verbum,* Adhibitio plurium in id tendit, ut erubeſcens ex pluribus convertatur, qui unum
ſolum contempſerat. Et ſi ad contemptum
firmaverit animum ſuum, non propter hoc
adhuc reſiliendum, ſed inſiſtendum majoribus argumentis, ut ab authoritate correctus avertatur à malo, qui corripientes
proximos in charitate deſpexit. *Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ* ei videlicet, qui
authoritatem habet. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.*
Eorum eſt deſperanda ſalus, quibus eſt
odioſa correctio. Et tibi & omnibus anathema fiunt ab omni converſatione ſemoti,
qui proximum unum, & deinceps authoritatem Eccleſiaſticam animo contumaci
contempſerint, quoniam ſeipſum diabolum
fecit, qui corrigi nequit. Et propemodum homo delinquens juſtæ correctioni
non ſubditus, pejor eſt diabolo, cùm corrigi nolit, & nequit, aut nolit, quia nequit :
aut nequit, quia nolit : velléque ſibi non
adjacet, & homo poſſit, ſi velit, dum rationis eſt compos, dum antequam audiat ultimam ſuper eum ſententiam inferendam.
Et ne vilis ſeu vilipendenda Eccleſiaſtica
juriſdictio videatur, ipſe Salvator quantæ
ſit authoritatis ſeu firmitatis inſinuat, dicens : Amen dico vobis, quia, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata
& in cœlo Et quæcunque ſolveritis ſu-
per terram, erunt ſoluta & in cœlo. Jam in Matt. 18.
collatione clavium diſſertum eſt, quid habeat authoritas Apoſtolica, in ſubſequentia
intendendum eſt. *Iterum dico vobis, quod ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui eſt in cœlis. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.* Si corrector ſeu corripiens &
correctus, ſi prælatus & ſubditus, ſi Doctor
& Diſcipulus, ſi pœnitens & juſtus, ſi abſolvere valens & abſolvi indigus, ſi anima
& corpus, caro & ſpiritus, voluntas & intellectus, amor & timor, pro remiſſione
criminum, pro adipiſcenda gratia, pro ſeipſis & aliis, conſenſu veritatis, charitatis juſtitiæque conſentientes, tam de his quam
de aliis opportunis preces in excelſis Deo
porrexerint, impetrabunt. Et ſi non juxta
voluntarium tempus, & modum, ſaltem
pro eo tempore, atque modo, quo utilius
exaudire decreverit, qui promiſit. Quoniam ubi talium dualitas vel trinitas invenitur JEſus pollicitus eſt ſe tenere medium
inter eos, quanto magis inter plures, ſi
fuerint in virtute ſua & invocatione ſui
nominis congregati. Nomen quidem ejus
nomen ſalutis eſt, ex divinâ, non humana
virtute. Nomen chriſmatis & unctionis
Spiritus ſancti eſt in ſua humanitate, & quia
medium quærit, in commune participium
ſe offert. Quærit congregationem JEſus
eò fœdere, ut ipſe ſit medium in quo conveniant omnes, & ad quem omnes congregentur. Et quanquam multa conferat
ſingulatim, plura paratus eſt in communi
conferre. Et bona quidem virtus in ſingulis, ſed in communi plus fulget, & datori acceptior eſt. Cognovit hoc in ſpiritu
David, cum dixit : Ecce quam bonum, Pſal. 131.
& quam jucundum habitare fratres in
unum. Nec Jacob voluit annuntiare fu- Gene. 49.
tura, niſi filiis congregatis. Nam vocavit
Jacob filios ſuos, & ait eis : Congregamini, ut annuntiem, quæ futura ſunt vobis
diebus noviſſimis. Congregamini & audite filii Jacob, audite Iſrael Patrem veſtrum. Dignior eſt concio, quàm ſingularitas, dum coitur in unum. Non prænuntiavit Jacob futura ſingulis, ſed in unum
conventis, oſtendens omnino præcellere
& præferre bono ſingulatim exiſtenti bo-
norum plurium conventum. Et ex Chri- Eccleſ. 51
ſti

Digitized by Google

ſti perſona fertur prædictum : Appropinquate ad me indocti, & congregamini in domo diſciplinæ. Non unius ſalutem quærit JEſus, ſed multorum, imo omnium, prout ex ſe agit. Nec ſolum unum vellet diſciplinis diſciplinare cœleſtibus, ſed innumeros, proinde ad ejus largitatem ſpe-
opho. 1. ctat, cùm ſuadet congregationem. Et per prophetam prædixit congregationem fieri, & deſtructionem impiorum, qui congregari nolunt : Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus. Congregans hominem, & pecus, congregans volatilia cœli, & piſces maris, & ruinæ impiorum erunt, & diſperdam homines à facie terræ, dicit Dominus. Congregat hominem, & pecus, prælatum, & ſubditum, volatilia cœli contemplativos, & piſces maris activos & adverſitatibus ſæculi agitatos, ut ſint unum in nomine ſuo, & perdentur omnes, qui congregari renuunt. Et ſub interminatione jubet congregari in unum, & ad unum, & ſub uno, & in una unius virtute. Convenite, & congregamini gens non amabilis, priusquàm pereat viſio, quaſi pulverem tranſeuntem diem, antequam veniat ſuper vos ira furoris Domini. Quærite Dominum omnes manſueti terræ, quia judicium eſtis operati, quærite juſtum, quærite manſuetum, ſi quo modo abſcondamini in die furoris Domini. Bona eſt congregatio, ſed non de peccatoribus. Inquit enim Deus
Pſal. 15. per os David : Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus. Et Job 15.
Job 15. Congregatio hypocritæ ſterilis. Cur igitur congregari gentem non amabilem jubet? Amabilis omnino natura eſt in ordine ſuo, & eo amplius una quam reliqua, ut præhabet. Amabilis eſt innocentia, amabilis puritas, amabilis ordo, & modus, amabilis omnis virtus. Igitur præter naturam eſt, aut deficit ab innocentia, ſeu puritate caret, inordinatum & immodeſtum habet, & à virtute alienavit, quod non amabile fertur. Diſperſa ſunt iſta & diſpergentia magis, & infirma & infirmantia, quia diviſa. In uno eſt veritas ſcilicet omnium Salvatore JEſu, in cujus nomine congregatio exigitur, nec aliud nomen datum eſt ſub cœlo hominibus; in quo oporteat illos ſalvos fieri, ſub quo ab ipſo congregatio quæritur. Sic & per Iſaiam
monuit : Congregamini & venite, & accedite ſimul, qui ſalvati eſtis ex gentibus. Iſaiæ 45.
Congregatio ſit ad unum; veniatur ad unum, accedatur ad unum, ab his, qui ſalvati ſunt aut ſalvari quærunt, ab his, qui diſperſi gentiliter vivunt. Hanc quidem ſententiam pro peccatorum remiſſione à Salvatore tradita legimus, proinde Petrus, ut melius decernat, interrogat : *Tunc accedens ad eum Petrus, dixit : Domine, quoties* Matt. 28.
peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties? Dicit ille JEſus: Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties. Solicitus erat Petrus tanquam vertex poſt Chriſtum Apoſtolici chori, totiúsque diſcipulatus pro ſe cæteriſque collegis noſcere quouſque foret peccatoribus & delinquentibus indulgendum, ne terminum jurisdictionis excederet, aut infra maneret. Et interrogans indefinitè præſtandæ indulgentiæ reſponſum accepit, cùm in ſeptenario numero, quo tempus omne devolvitur, terminata eſt. Nec in numero quadringenteſimo nonageſimo, qui ſic ex ſeptuagies ſepties multiplicatus exurgit, indulgentiæ factus eſt finis, ne, cùm hunc numerum fuerit quis peccando transgreſſus, ſi vera infuerit pœnitentia, quod quærenti veniam denegetur. Non enim terminatus numerus ore proditus Dei miſericordiam terminat infinitam, & authoritatem clavium divinam, non humanam, & divinè, non humanè Petro & Succeſſoribus ejus ſecundùm canonicam formam uſque in finem ſæculi datam.

Cap. XLV.

De parvulis oblatis JEſu, quorum eſt regnum cœlorum, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

Vita & doctrina Jeſu jure ad ſe homines attrahebat, devotione & fide, ut eũ crederent hominem miræ ſanctitatis, ita, ut parentes filios parvulos, qui nondum capaces erant decernere de virtute ſibi offerent pro tactu, pro benedictione, pro oratione pro ipſis ad Deum. Hinc
Matt. 19. *Tunc oblati ſunt ei parvuli, & infantes, ut manus eis imponeret, & oraret.* Intendendum Marci 10.
eſt quali devotione parentes pro filiis, alii Lucæ 18.
etiam pro charis parvulis ſuis ferebantur in Chriſtum, cujus tactu & oratione ipſorum credebant eſſe profectum, & ſanctificari, & cuſtodiri, & conſervari, quanto magis ſi eum verè Dei Filium crediſſent, à quo non ſolùm expetiviſſent orationem

pro parvulis, ſed etiam pro ſeipſis omnem ſalutis effectum. *Diſcipuli autem increpabant eos, & comminabantur offerentibus*, non odio ſeu diſplicentia parvulorum, nec ipſos parvulos increpabant, ſed offerentes, velut hanc oblationem eſſe importunam, cùm ipſi non agnoſcerent, ad quem admovebantur? Sed mos erat & amplius molevit, ut ſuper parvulos juſtorum benedictio inquiratur, & oratio, ut ſerventur à malis, & creſcant in bonis. *Quod, cùm vidiſſet JEſus, indigne tulit, & ait illis* ſcilicet Diſcipulis: *Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis, & nolite vetare eos, talium eſt enim regnum cœlorum. Amen quippe dico vobis: ſi quis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit illud. Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eis, & abiit inde.* Ferebat moleſtè JEſus, quod fides offerentium & admotio parvulorum ad ipſum impedimenta paterentur, quamvis diſcipuli in illa increpatione, & comminatione rectè agere credidiſſent, ſoliciti cuſtodire magiſtrum, ne à turbis, & ab adeuntibus eum plus debito premeretur. Ignorabant etiam adhuc quanto amore JEſus in parvulos ferebatur. At prout illi prohibebant admotum, ſic & JEſus impedimentum. Jubet quippe: Sinite parvulos venire ad me, qui nondum deliquerunt, qui ad Dei imaginem facti ſunt, illam in ſe nullis culpis propriis maculates. Talibus enim jure pollicationis divinæ, jure innocentiæ cuſtoditæ debetur regnum cœlorum. Et ne diſcipuli ejus ſive alii præſumant, aut credant ſupernum regnum aliunde poſſe ingredi, ſive aliter agonizando captari, niſi ad puerilitatem fiat regreſſus ab his, qui exceſſerunt, omnium cugitationes jurejurando ſupprimit & avertit. Quoniam niſi ut parvulus ſcilicet innocens, immaculatus, & purus, non variatus, non verſipellis, non mundo conformis, nec mulieribus avidus, non odioſus, non invidus, non altum ſapiens, ſed timens, non implacabilis, ſed faciliter donans offenſam, & ſi deliquit, ſi offendit, niſi in illam puerilitatem regreſſus, purgatus à juſtitia, voluntare diligente juſtitiam, etiam ſi ſentiat aſperam pœnam, non intrabit in regnum cœlorum. Et ut omnes ad puritatem cuſtodiendam, diligendámque alliceret, & ardentius animaret, geſtu corporis amorem ad eam proteſtatus eſt, cùm complectens eos, impoſuit manum ſuper illos, & benedixit eis; eo futuro myſterio, quod tales æterna benedictione ſint in ſuperna ferendi. Nemo tamen ex conſcientia contractarum macularum & culparum voluntarium turpidine factus deformis, mole gravium criminum ſubactus ingreſſum regni cœlorum deſperet ex iſta ſententia Salvatoris, ac ſi puritatem non poſſet repetere, quam amiſit, quoniam alia eſt puritas ab ineunte cuſtodia ætate, alia, quam à malis ad bona vera voluntas converſa, ſemetipſam doloribus & fletibus lavans & purgans, cum virtutum ornamento reaccepit, antequam vita corporis finiretur, alia, quæ ardentibus ignibus reficienda ſervatur his, qui ex hac vita medii inter extremos malos & verè bonos recedunt.

Cap. XLVI.

De eo, quod à Chriſto quæſitum eſt, quid boni faciendum ſit, ut vita æterna capiatur, cum additione de perfectione, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

AMor æternæ vitæ naturaliter omnibus datus eſt, ab eo, quòd Deus ſpiravit in faciem hominis ſpiraculum vitæ, & fecit eum in animam viventem, intellectúmque dedit, quo anima cum corpore in æternum vivere poſſet, quamvis ex ſeparatione à corpore, & vita æterna jucunda ſine triſtitia non adimatur. Sed ne peccaretur, mors intentata eſt poſt peccatum ſecuta corporis duntaxat, & illa pœnalis in reprobis, non tamen animæ ſubſtantia mori & ad nihilum redigi poteſt. Sed nec ſpes adempta, ſed firma manſit ad æternam beatam vitam, quam quidam poſſidere apperens, modum & viam, quibus
ad illam pervenire poſſit, inquirit. *Et cùm* Matt. 19.
ingreſſus eſſet JEſus in via, præcurrens qui- Marci 10.
dam princeps, genu flexo ante eum rogabat Lucæ 18.
eum dicens: Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Alter: *Quid boni faciens vitam æternam poſſidebo?* Proclivis fit, qui in altum quærit aſcenſum, & eo ſublimius fit vectio, quo proclivitas profundior. Genu flectit, qui ſuperiorem rogat aliquid ab ipſo gratum accipere. Et genu flexo ante aliquem, ejus eminentiam proteſtatur, & inferioritatem flexi. Cœleſtium rudimenta quærebat in terris, qui actiones quærebat ad æternam vitam. Boni eſt actio, ne factio mali, quoniam qui

malè

malè facit, nihil faciar. Et bonum agibile in omni genere boni ad æternam vitam ordinatum eſt Quod verò indifferens, equidem eſt ordinabile. Quod verò inclinabile non eſt ad proſperam partem, omnino inordinabile eſt. Proinde quæſtio digna laude, ſi multiplex boni genus, dum quæritur id, quod ad æternam vitam aptius & ocyus expedire poteſt. Verùm, quia cupiens ſcire rectam, itinerariámque actionem ad vitam magiſtrum, à quo petit, bonum vocat, quocunque ſpiritu dixerit, verum dixit. Sed exigit eum JEſus, unde dixerit eum bonum, quod & ſciebat, nec ab eo reſponſionem accepit, ipſe tamen aſſeruit unde, aut quis bonus ſit. *Qui dixit ei : Quid me dicis bonum, & interrogas de bono? Unus eſt bonus, & nemo bonus niſi ſolus Deus.* Quis te, inquit JEſus, docuit me bonum dicere? Unde me noſti, quo altè tua fides ſublata eſt? Bonitatem cognoſcere, commune multorum eſt, hominem cognoſcere bonum, nullius eſt, cùm nemo bonus, niſi ſolus Deus, qui omnino inapprehenſibilis eſt ab homine puro, ſed creditur, quia bonus eſt. An tua fides in me plus, quàm de homine ſentit? acceſſiſtine uſque ad deitatem meam iſta mortali carne velatam? Unde tibi obvenit me bonum vocare magiſtrum, quem ſolum eſſe hominem conſpicaris? Omnis autem homo mendax, ſolus autem verax Deus. Omnis homo fragilis, labilis, pronus ad vitia, & multis incommodis & inconvenientiis circumſeptus, Deus autem totus ex omni ſe incommutabiliter bonus, & tu auſus fuiſti bonum conſpectum hominem nominare. Anceps verbum JEſu his, qui tardius ſapiunt, quod nemo ſit bonus, niſi ſolus Deus, cùm Scriptura ſacra multos bonos appellet, & qui faciunt bonitatem boni ſunt, & qui juſti & recti, boni ſunt, & vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Nunc quidem dicit, nemo bonus, niſi ſolus Deus Eſt equipem bonitas increata, ſeipſa ſuaque natura,
Matt 19.
Marci 10.
Lucæ 18.
non aliunde, non ab alio bono bona. Eſt bonitas creata ipſa natura, digeſta in generibus ſpecierum & particularium rerum, quandoque defecit in rebus propagatis, propagandíſque ſuccedanea propagatione. In rationabilibus autem non defectu naturæ vitium infuit, ſed malo effectu propriæ voluntatis, ex qua maculatus primus homo tota maculatur propago, ita ut nemo dicatur bonus, potius autem conſideratione damnatæ propaginis malus. Sed nec ex iſta cauſa ſic Salvator decernit, verum ex illa, qua nemo bonus, niſi participatione illius fontalis per ſe & à ſe exiſtentis bonitatis, ita ut nemo bonus, niſi ex eo, quod accepit. Sic enim Apoſtolus: Quid habes quod non accepiſti? Si accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? 1. Cor. 4. Largum verbum iſtud non ſolum ad bonum gratiæ, ſed naturæ relatum. Hæc autem cura erat JEſu, ex hoc in fidem ſui trahere, quod eum crederet verum Dei Filium, non ſolum hominem purum, quamvis omni virtute valentem. Quem cùm de bonitate vera ipſum non quærentem inſtruxiſſet, ei ad quæſita reſpondit: *Præcepta noſti? Si autem vis vitam ingredi, ſerva mandata.* Interrogat JEſus hunc hominem, dum reſpondit, ſi præcepta novit, quæ non ob aliam cauſam data ſunt, niſi ut ipſorum obſervatione perveniatur ad vitam. Dicit illi: *Quæ? JEſus autem dixit: Non homicidium facies, non adulterabis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices, ne fraudem feceris. Honora patrem tuum & matrem tuam, & diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Præcepta primæ tabulæ non differuit Salvator, tanquam notiſſima illi populo Judæorum. Nec ipſe, qui poſtulavit hæc quærebat, cùm hæc in contemplatione ſint potius, quam in actione, ſed aliquid agibile inquirebat. Cui Chriſtus reſpondit juxta quæſitum oris, & votum ſui cordis. Cœpítque JEſus à prohibitione ne fiat, cùm ille quæreret aliquid faciendi. Sed rectus docendi ordo eſt, ut prius caveatur juſtè prohibitum tanquam noxium, quàm doceatur bonum fieri juſſum. Hæc ſiquidem mandata quæ in prohibitione data ſunt, ita liquent ſanè credentibus, quod hæſitatio in illis errorem ſapit. Et velle apertiori modo differere, quam tradita ſunt, ſupervacaneum eſt. Tantúmque ponatur in cordibus eorum, qui ſupernam patriam poſſidere contendunt, quod ipſorum cuſtodia mandatorum eſt via, quorum prævaricatio non ſolùm avertit, ſed detrudit in tartarea. Nulláque ſcientia tam opportuna, quàm habere notitiam mandatorum, quorum ignorantia nullam excuſationem habet in his, qui ſunt præcepti capaces. Væ autem eruditis terrenis & humanis diſciplinis, mandatorum eruditione contempta. Proinde præmittit JEſus: Præcepta noſti, quorum etiam obſervatio inevitabiliter neceſſaria, ſi æterna vita inquiritur. Sic & adjectum eſt: Si vitam æternam mortales homines quærunt, hoc fœnerandum...
torum. Inquit enim David: In cuſto- Pſal. 118.
diendis illis retributio multa. Multa retributio ex obſervantia præceptorum eſt vita æterna. Multa ex æternitate, ex præſentia deitatis, ex ſpacioſitate loci, ex multitu-

titudine civium, ex multitudine omnium ineffabiliúmque bonorum. Et plura ſunt teſtimonia ſcripturarum, quod vita eſt in mandatis, ſicut per Salomo-
Prov. 7. nem dicitur: Serva mandata, & vives, & legem meam quaſi pupillam oculi tui. Et in ſecunda lege ſcriptum erat: Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, cave diligenter, ut facias, ut
Baruch. 3 poſſis vivere. Et alibi: Audi Iſraël mandata vitæ. Jurejurando divinis mandatis, ſi ſervantur, vita æterna promiſſa eſt, & prævaricatoribus maledictio, ſicut per
Pſal. 118. Pſalmiſtam dicitur: Maledicti, qui declinant à mandatis tuis. Et mors temporalis & æterna, ſicut de Saul Scriptura di-
1. Reg. 31 cit: Mortuus eſt Saul propter iniquitates ſuas, eo quod prævaricatus eſſet mandatum Domini, quod præceperat, & non cuſtodierit illud, ſed inſuper etiam Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperavit in Domino, propter quod interfecit eum. Et quanquam mandata per omnia cuſtodiſſet, non effugiſſet mortis imperium, ſicut ſtatutum eſt omnium conditioni viventium, præventus tamen ab ipſa eſt. *Dicit illi adoleſcens: Hæc omnia cuſtodivi à juventute mea, quid adhuc mihi deeſt?* Infra juventutem erat iſte Princeps, & in ætate virili. Sed præpoſtera eſt illa locutio, nam videtur juventus præire adoleſcentiam, cùm juventutem adoleſcentia præeat. Sed nec hoc ſenſum veritatis exorbitat, cùm uſitato more loquendi ab ipſa pueritia uſque ad ſenectam vocabulum juventutis excurrat, unde adoleſcens jam ſupra annos viginti quinque credendus, profitetur ſe omnia cuſtodiviſſe à juventute ſua, cunctáque mandata, hoc eſt, ab ea ſcilicet ætate, qua fuit præcepti capax. Si aliud deeſt ad habendam vitam inquirit, eo permotus, quod per cuſtodiam mandatorum ad ingreſſum regni Dei in parvulo ſtatuto, & parvulis oblatis portam humilitatis aſtruxerit, autumans aliam viam doceri à Chriſto ad vitam æternam, quàm ſemitam mandato-
Matt. 10. rum. *Quo audito Jeſus intuitus eum, dilexit eum, & dixit illi: Adhuc unum deeſt tibi. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæcunque habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me.* Acceptior eſt Chriſto & toti cœleſti curiæ ille, qui non ſolùm contentus mandatorum cuſtodia, ſed in ampliora ſuſpirat, & operibus nititur ad majora, quàm is, qui ſolùm graditur illorum ſuavem viam, cum quibus teneri, poſſiderique poſſunt divitiæ, honores & potentatus, & commercia exerceri, & participare conjugio, & cunctis, quæ ſunt ſæculi abſque peccato, quæ omnia via ſeu ſtatus perfectionis excludit, proinde Salvator ad perfectionis gradum tendentibus rerũ abdicationem appoſuit, non aliquarum, ſed omnium, in totalitate, non in parte. Attamen in renuntiatione earum forma diſtribuendi adjecta eſt, ut non parentibus, conſanguineis & amicis, ſed pauperibus largiantur. Sed nec & ipſi propinqui excludantur, ſi eos paupertas includit, ut duntaxat charitas Dei & proximi paupertas in largitione ſint cauſa. Et ex cuſtodia mandatorum, & temporalium contemptu theſaurizatur in cœlo. Equidẽ ſi mundum repudians, Chriſtum ex omni virtute ſequatur. Quòd verò Chriſtus eſt eum intuitus, & dilexit, non in recentiam referatur, ſemper videbat eum, & diligebat dilectione dignos, ſed ſpeciali geſtu corporis aſpexit eum JEſus, & evidens ſignum dilectionis oſtendit, inſinuans, quid ſibi placitum eſſet in homine, non ut acceptori perſonarum, ſed tanquam amatori virtutum. Et ex hoc non credendus eſt ad Chriſtum fictitiò acceſſiſſe, nec in cuſtodia mandatorum fuiſſe mentitum, alioquin JEſus corripuiſſet eum de ſimulatione, qua tentaſſet, & de prolato mendacio, antequam eum de perfectione doceret. Etenim alibi legimus eum corripuiſſe tentantes, ſaltem ne crederetur illum latere, quæ in corde hominum volvebantur. *His ille auditis contriſtatus eſt, quia dives erat valde, & abiit mœrens. Erat enim habens poſſeſſiones multas.* Erat anima hujus colligata perfunctoriis rebus, ideo contriſtatur, ſi aliter ſalvari non poteſt, quàm quod amata dimittat. In omni enim re dimittenda tanta eſt vis doloris, atque triſtitiæ, quantum amoris inferebat poſſeſſa. Nihil enim aliud eſt ita è regione lancis, ex quo trutinetur amor poſſeſſæ rei, quàm dolor amiſſæ. Proinde unusquiſque provideat cui, qualiter, quantum, cúrque vinculo amoris ligetur, & cùm diſſolutio importuna ſeu opportuna venerit, ne uratur. Et iſte divitiis & multis poſſeſſionibus fultus erat, in quibus jucundabatur anima ejus, & gloriabatur præ aliis, qui minus habebant in delectatione carnis & ſenſuum ipſius, & mœrebat in animo vultu proclivo, non enim hujuſcemodi reſponſum expectabat, ſi ſupra cuſtodiam mandatorum aliquid ſibi deficiebat ad vitam æternam poſſe nanciſci. De humilitatis janua forſan rudimenta quærebat, ex his, quæ ſupra de parvulis dicta ſunt. Sed rarò cum divitiis hujus ſæculi vera humilitas poſſidetur. Inflat enim opulentia mundi. JE-

ſus

ſus autem docebat ſuo laudabili modo, non ad vota quærentium, & quærebat altius vehere homines, quàm ipſi poſtularent. Et ſibi copulandos oportebat rerum copioſitate diſſolvi. Ligatus uni, copulandus alteri, niſi prius diſſolvatur, non copulatur. Nec tamen iſte reprehendendus erat, atque damnandus, ſi divitias tenere volebat, cum cuſtodia mandatorum, ineunctanter ſalutis gradiebatur viam, ſed in eo, quod volens addere, ſi aliquid deerat, contriſtatus eſt, cùm audivit de additione conſilium. Nemo quidem conſilium à vero doctore quærat, ſi exequi nolit, tentatio quidem eſt, & culpa non parva. Divitiæ quidem in culpa non ſunt, ſi cum cuſtodia mandatorum conquiruntur, poſſidentur & diſtribuuntur, quanquam illas repodiare perfectio quædam ſit. Arguunt tamen multi, cur Deus illas & tam pretioſa creavit, ſubdidítque hominibus, niſi ut eis eſſent in poſſeſſionem & uſum? Equidem, ſed ex perverſa voluntate trajectæ ſunt in culpam & mortem, & occaſio culpæ, ut ipſa propellenda eſt. Et Scri-
ptura dicit, quod ſubjecit omnia ſub pe- Pſalm. 8.
dibus, ſcilicet humanis & rationabilibus affectibus, ſed verſa vice actum eſt, ut ab ipſis affectus hominum ſuperentur. Quoniam ſuperatus eſt à rebus perſunctoriis humanus amor, cùm anxiatur, & dolet queſtuans, timens, cavénſque, cùm poſſidet, largitur cum pœna, ſibique ſæpe deficit, foditur acutiſſimis ſtimulis triſtitiæ, cùm amittit, eſſéntque ſub pedibus hominis, ſi ſpiritus ejus ut ſpiritus Dei ferretur ſuper fluidas aquas rerum labentium, non ſuppoſitus earum malè prementi ſarcinæ. Oportet omnino intendere, ſi amor ſuperfertur, aut ſubjicitur, aut æquatur amatis.

Cap. XLVII.

Interrogat Petrus, quid meriti habeant ſæculi contemptores, Chriſtúmque ſequentes, ſecundùm Matthæum, Marcum, & Lucam.

TErritus Petrus ex parte de difficultate ſalutis ſecundum verba Salvatoris, ſed ex alia ſpem bonam nactus, quod propter Chriſtum omnia reliquiſſet, ſecutus veſtigia ejus, ipſum interrogat, ſi quid permutationis melioris accepturi eſſent ex relictis, aut quid præmii ex ſequela. *Tunc reſpondens Petrus, dixit ei: Ecce*
Matt. 19. *reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quid*
Marci 10 *ergo erit nobis?* Quando Salvator dixit,
Lucæ 18. quod apud homines impoſſibilis erat ſalus,
ſed apud Deum omnia poſſibilia, tunc Petrus interloquens dixit JEſu: Non detinemur amore temporalium rerum, non irretimur divitiarum vinculis, ex tua doctrina, in tui amore facti, tuis moribus incitati reliquimus omnia, facti pauperes, propter nos factum pauperem te ſequentes. Modica & deſpicabilia diſcipuli Chriſti reliquerant propter eum, piſcatores aliqui erant & agricultores, & nauticus mercenarius quidam, omnes verò de genere plebejorum, nulla terrena dignitate fulgentes, tamen ex libertate animi, quia omnia reliquerunt, & quæ potuiſſent in mentis deſiderium obvenire, & quod cæteris ſapientibus & ducturibus prætermiſſis, ipſum ſolum ſequebantur, cupidi ſcire futuram ejus mercedem inquirunt. *JEſus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael.* Protulit Petrus, cùm quæreret de futura ejus mercede, abdicationem temporalium rerum, & ſequelam JEſu, ut ex his duobus præmium deberetur, ipſíque ſperarent. Sed JEſus reſpondens unum omittens, alterum adſcripſit ad præmium, quam abdicationem pluris ſequelam ſuiipſius appendens, ac ſi abdicatio præter ſequelam præmium non haberet, & ſequela præter actualem rerum contemptum æternam poſſit nanciſci mercedem. Sequela tamen dignior cenſenda eſt, ſi rerum abrenuntiationem præmiſerit. Multos quidem legimus ob libertatem mentis, propter ſcientiam capeſſendam, ob expeditionem corporis ad prodeundum quo vellent, ad vitandum ſolùm humana pericula diripientium & latronum, ne & mundi Regibus ſubjacerent, præter omnem contemplationem futuræ mercedis temporalia reliquiſſe, quibus nulla futura præmia parabantur non ſequentibus illam fidem, quæ juſtificat peccatorem. Apoſtuli autem, non quia reliquerunt omnia, ſed quia ſecuti ſunt JEſum, qui eſt ſuper omnia, ſeſſionem non tribunali cauſa, ſed aſſeſſoriam duodecim ſedium ad proferendum authoritate aſſeſſoria judicium, ſuper tribus duodecim meruerunt, non quod in illa dignitate futurus eſſet tunc præſens damnandus Judas, ſed ſuffectus Mathias.

Ac per hoc ſanè intelligendum, eos etiam habere vitam æternam, cum qua etiam quia primores ſequaces Chriſti authoritatem judiciariam meruerunt. Advertendum autem, quod ſequelæ, non abdicationi videtur retributio iſta dari, quia obedientia melior eſt, quàm paupertas, & potior eſt, quam caſtitas. Illa ſine iſtis, hæc ſine illa non ſalvant. Ne autem videretur à Chriſto rerum abdicatio vilipendi, eo quod ſequela ſibi ad præmia præferretur adjectum eſt: *Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, & propter Evangelium, centuplum accipiet in hoc tempore domos, fratres, & ſorores, patres, & matres, & filios, & agros cum perſecutionibus. Et in ſeculo futuro vitam æternam poſſidebit. Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.*

Gen. 1. Gen. 2. Verum, quia cuncta, quæ Deus creavit & ordinavit, bona ſunt, nihil relinquendum eſt tanquam malum; neque ad hoc præceptum datum eſt atque conſilium. Nam & interdicta ſignanter arbor, non ut mala aut fructus ejus malus in prohibitione fuit, nec vita æterna eſt promiſſa mortalibus, eo quod relinquunt mala, quæ ſubſtantialiter non ſunt, ſed ea, quæ bona ſunt comparatione potiorum. Domus bona eſt ex materiis, quas præparavit natura, & ex arte, & ex conditore: uſus tamen ejus poſſet eſſe malus ex intentione utentis. Iſta neceſſitudo naturæ, qua invicem homines diſtrictius copulantur, bona utique eſt, in quam etiam Filius Dei venit, ut in aſſumpta carne matrem & fratres, non tamen uterinos haberet utique ſuper terram. Et cùm duæ relictiones ſint hujuſcemodi poſitorum, una in affectu, altera in effectu, ad primam unusquisque tenetur prout iſta ſibi ad pietatis cultum viderit adverſari, & hæc eſt penitus in præcepto, ne amore quorumcunque charorum à Domino avertamur, neque omittamus ea facere, quæ tradidit in mandatis. Ad ſecundum autem hi vocantur duntaxat, qui per gradus in corde diſpoſuerunt aſcenſiones ad perfectionis palmiferum culmen, ſed neutris indicitur odium, ſed fuga. Nec juſtè aliud obvenire poteſt in cauſam, cur parentum & tam conjunctorum relictio fiat, niſi nomen JEſu & Evangelium ejus, in quo ſalus noſtra conſiſtit, & provenit. Et nil hominibus tam opportunum, quàm æterna ſalus, ad quam capeſſendam cujuſcunque conditionis exiſtant, ſunt omnia ſubmovenda. Necnon & ſi quispiam apperit eſſe in ſuperis, velut in cœlo fulgentior ſtella, in his imis fiat præ cæteris ab omnibus & in omnibus abdicatior. Quod amore virtutis propter nomen JEſu, in quo ſalus, & propter Evangelium, in quo doctrina vitæ agendæ, pollicitatio ſperandæ, juſſio agendorum, & non agendorum prohibitio conſiſtit, hujuſcemodi relictio centupletur in hoc tempore, inſinuatio eſt eorum, quæ in hac patria Chriſti optimi ſectatores, priusquam vitam æternam accipiant, ſortiuntur, chariſmatum videlicet dona, quæ cuncta temporalia & humana excludunt. Et ſuper omnem cognationem carnis in ordine naturæ, multiplicatur ex gratia cognatio ſpiritualis. Ecce retributio centupla & vita æterna. Nam ſi per centuplum accipiendum intelligeretur æterna vita retribuenda in præmium pro merito ſe abdicantium à terrenis & charis, fruſtra fuiſſet adjectum, & vitam æternam poſſidebit. Igitur ſicut Deus reprobos punire aliquando incipit in hoc ſæculo, & pœnis æternis adjicit in futuro, ſic bonos & electos ſuos in hac vita bonis chariſmatibus obruit, in mente virtutibus replet; in libertate ſancta ſiſtit, ut non paveant, non timeant, non terreantur tyrannorum terrore, probitate confligant adverſùs tartareas poteſtates. Necnon & talibus eſt data poteſtas calcandi ſuper omnem potentiam inimici, Lucæ 10. & ſuper omnem infirmitatem, ita ut in hac vita apparerent ex miraculis præ cæteris clariores. Et quanquam in Eccleſia ex multis retroactis temporibus multitudo ſignorum tepuerit, non ad defectum fidei & virtutis adſcribendum eſt. Sed non eſt amplius Eccleſia orthodoxa velut infantula, cùm ſit adulta & provecta, lacte nutrienda ſignorum Hæc quidem dona ſunt centuplum hujus vitæ, non eſt alia centuplatio capienda. In futuro ſæculo verò poſſidebit vitam æternam, ubi rerum relictarum centuplatio nulla major. Copulatum eſt etiam, quod de perſecutionibus retributio ſit futura. Equidem multò amplior atque potior, quoniam omne quod relinquitur ex libera voluntate, voluntatis eſt propriæ, perſecutio verò invitè ab aliis infertur. Nemo apta natura ſeipſum perſequitur. Sed cùm agere videtur adverſùs ſenſum ejus ſenſualis voluntas & corporis, non cenſendum eſt perſecutionem eſſe involuntariam, ſed ſponte aſſumptam afflictionem & crucem. Perſecutio ſemper eſt invitè, afflictio verò quandoque ex voluntate propria, dum aſſumitur, quandoque ab aliis, dum infertur Oportet autem ad derelictionem rerum addere perſecutionem inevitabiliter oblatam,

&

& illam animo pacato ſuſcipere, aut cùm expedit, à ſeipſo aſſumere illam afflictionem cohibentem impertinentes corporis motus, velut malorum cautelam ſeu actionem meritoriam ad ſperanda, ut abdicatio rerum, & perſecutio in unum conventæ habeant in hac vita comparationes melioris, non calculatione rerum centuplum, & in futuro ſæculo vitam æternam. Prioritas & poſterioritas in ordine retributionum, ſolùm in poteſtate atque cognitione ſunt ejus, qui conditor & redemptor eſt omnium, quo merito, qua juſtitia, quo ordine fiant.

Cap. XLVIII.

De Zachæo Jerichontino, quid egerit, aut dixerit circa JEſum, & JEſus ad eum, & aliis cauſa ſui, ſecundum Lucam ſolùm.

JEricho lunæ interpretationem habet. Luna quidem à ſeipſa lumen non habet, à ſole accipit, unde fulget. In poteſtate noctis eſt lumen ejus, non in poteſtate diei. Objectum ſæpè facit, ne ſolis radii in hoc ſuperiori hemiſphærio plenè refulgeant, quamvis omne ſolis lumen impediri non poſſit. Inferior planeta eſt, & ad ſubjecta viciſſitudinem luminis patitur, ut interdum non ſplendeat. Mundus quidem iſte hanc imaginem habet, & alio myſterio ſynagoga Judæorum, & alio intellectu in hoc typo eſt Eccleſia peregrina, ad quam JEſus ſuam præſentiam exhibet, in qua homo quidam inter cæteros inſignis erat virtute humana, non corpore, ita ut princeps eſſet publicanorum, eorum videlicet, qui publica officia in cenſibus, & obventionibus, & vectigalibus, & fiſcali pecunia exigendis ordinati erant, necnon & dives, ita princeps, ut ipſis præeſſet, aut prudentia hoc exegerat, ut in principatu hujuſcemodi fungeretur, corpore verò deſpicabilis erat, quia ſtatura puſillus, ſed non ademerat animi ſolertiam atque virtutem corporis parvitas, Et juſtè in eo à ſuperioribus decretum eſt, ut non ex corpore, ſed ex mente judicaretur. Et ſi hoc homines mortales, & ignari faciunt, quanto magis Deus, qui novit interiora hominum, qui plerumque per exteriora malè de interioribus metiuntur. Hic, ſi ſtatura puſillus, animo magnus erat, cùm affectavit videre JEſum, argumentum nactus ex arte atque ſtudio, quod ſibi natura negaverat. Nam cùm à ſecreto colloquio ſeorſum facto cum duodecim de ſua voluntaria paſſione atque reſurrectione feſtina receſſiſſet, *JEſus ingreſſus* (ſcilicet viam rectam) *perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus, & hic erat Princeps Publicanorum, & ipſe dives. Et quærebat videre JEſum, quis eſſet.* Ambulante JEſu Zachæus Jere- — Lucæ 19.

chontinus occurrit cauſa videndi JEſum, Aſpicit, circumſpicit, inquirit, interrogat, ex omni parte ſatagit, ut videat, cujus tam eximiæ bonitatis audierat famam. Turba verò undique circumdans JEſum cupienti videre impedimento erat, eo quod ipſe corporis ſtatura puſillus, non ſe valebat in altum protendere, ut infallibiliter conſpicaretur, quis eſſet. Sed quoniam ſcriptum eſt, deſiderium ſuum juſtis dabitur, complendum ergo erat Prov. 10. ſanctum deſiderium ejus, quo nullum ſanctius, quàm JEſu quærere habere notitiam, eo modo, quo in via eſt donanda mortalibus. Sed advertendum eſt quærenti omni ſtudio, ſolertia cuncta, nilque tradendum neglectui, quin naturæ, corporiſque defectus argumentis potioribus ſuperentur. *Et non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, ut videret illum, quia inde erat tranſiturus.* Impedit turba hominum, ſed magis cogitationum malarum atque perverſorum operum viſionem divinam. Et puſillitas intellectus humani non ſufficit ad intuitum divinorum. Et terrena ſapiens ſemper confunditur, niſi cœleſtium delectatione ſuperentur, quibus ſuperatis animus in ſuperiora feratur. Præcurrendum eſt, quia tranſitus Chriſti irretroverſibilis. Invenienda protinus eſt arbor, in quam à terra fiat aſcenſus, & qua Chriſti tranſitus celebretur. Non omnis arbor ad aſcenſum apta, neque commoda hujuſcemodi viſioni. Nec ex omni arbore JEſus vicinum & conſpicabilem tranſitum facit, ſed hæc, quam præ cæteris Zachæus aſcenſurus elegit, ſcilicet arborem ſycomorum. Per quam, ſi Latino more celſam accipimus, quæ in fructu eſt, ſicut morus, crucem ex typo habemus ſanguineam, in quam fidem celebratus aſcenſus monſtrat, quis ſit ipſe Deus, quia Deus & homo verus: Deus

quia

quia ſuperat mortem, homo, quia patitur mortem: Deus paradiſum latroni tribuens, homo ſuſtinens ſævas pœnas: homo, quia moriens, Deus obſcurans præter legem naturæ ſolem, concutiens terram, ſaxa proſcindens, velum dividens, patefaciens tumulos, ut prodirent mortuos: homo cruci affixus, Deus defigens humanum genus morti, pœnæ, perpetuis doloribus crucifixum. Si verò ipſa ficus fatua, fidem Catholicam novimus, quæ fatua dicta eſt his, quæ mortalibus hominibus ſunt poſita in credendo. Per arborem hujuſcemodi JEſus ut homo tranſitum facit, æternitate incommutabiliter manens. Aſcenſio feſtinanda eſt, quia tempus non ſiſtitur, etiam momentum aliquod non tenetur. Quotidie tranſeunt myſteria fidei atque crucis, donec veniatur in terminum, ubi iſta non erunt, & crux & fides ejus, Judæis quidem ſcandalum, gentibus ſtultitia & fatuitas eſt.

Cap. XLIX.

De poteſtate fidei, & orationis, quam Chriſtus declaravit ſuper ficulnea verbo ſuo ſubitò areſacta ſecundùm Matthæum & Marcum.

INeffabilem, ſupernaturalem, ſuperartificialem, ſuper omne ingenium hominum, ſuper dæmonum aſtutiam, & facultatem, ſuper Angelos & omnes cœleſtes ſpiritus & ſubſtantias ſeparatas, fides & oratio poteſtatem atque virtutem efficaciæ à Domino acceperunt, ut ea credamus eſſe facta per fidem, quæ nullis aliis argumentis fieri potuiſſent, atque illa orationi conceſſa, quæ omnibus aliis ſunt denegata donis, oblatiſque muneribus, atque ullis humanis dignitatibus non porrecta. Cujus fidei poteſtatis magnam teſtimoniorum nubem Apoſtolus pro allectione ad eam Hebræis ſcribens inducit, quæ hic enumerare non expedit. Sufficit quidem ſtudioſis, quòd ibi iſta reperiant. Nam cùm JEſus proximus paſſioni frequentaret Jeruſalem, in una dierum frequentationis imperio verbi ſui atefecit infructuoſam ficum. *Et cùm alio* Matth. 21 *mane tranſirent, viderunt ficum aridam à radicibus. Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui maledixiſti, aruit. Et reſpondens Jeſus ait illis: Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia non ſolum de ficulnea facietis, ſed quicunque dixerit huic monti, tollere & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei.*

Cap. L.

Quòd prophetatum fuit Judæos non credituros JEſu etiam propter ſigna, ſecundùm Joannem ſolum.

CUm animus hominis arcem rebellionis aſcenderit, non aſſentit veritatibus, promiſſa nihilpendit, deridet minas, ſigna mirabilia divinè facta non veneratur, nec humiliat ſemetipſum fidei, ut credat, quæ intellectus facultate non capit. Et cùm ſe tueri ratione non poſſit, erubeſcens non vinci, tergiverſatur aut contradicit animo contumaci, ſicut de perfidis Judæis ſcriptum eſt.
Joan. 12. *Cùm tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum, ut ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur quem dixit:*
Iſaiæ 53. *Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt? Propterea non potuerunt credere, quia iterum dixit Iſaias:*
Iſaiæ 6. *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.* Erat perfidia Judæorum contra omnem virtutem & rationem, maximè autem inexcuſatè contra eorum ſolitos mores, cùm ſignis aſſoliti, ſempérque ſigna quærentes, ſigniſque datis à JEſu penitus non credebant, quibus amplius invitabantur ad fidem. Omnia verba hæc ſunt Evangeliſtæ, non Chriſti, qui ſuo ſpirituali ſenſu declarat, unde incredulitas iſta provenerit, ad quam infert prophetiam peractam, non ut cauſam incredulitatis, ut fit, ſed ut prænuntiam, quia ſic futurum erat. Non enim prophetæ veraces afflati divino Spiritu, prædixiſſent aliquid futurum, niſi quia ſic eſſet venturum, ut quia futurum, ideo prophetatum, non quia prophetatum, ideo futurum. Ac per hoc futurum extitit potius cauſa prophetiæ, quàm prophetia cauſa

ſa futuri. Nec fuiſſet prophetatum, niſi quia futurum. Propheria verò non tendebat in falſum. Nec ex hoc aliquid injuſtum objiciendum eſt Deo, quod ſic fieri decreverit, ut aliter eſſe nequiverit, ideo ſic ante miſerit propheriam, nec ex eo, quod Evangeliſta interjecit: Propterea non potuerunt credere, quia dixit Iſaias, quòd Deus excæcaturus erat oculos Judæorum, aggravaturus aures, induraturus corda, ut non viderent atque non intelligerent, ut converſi ſanitatem reciperent, quoniam ex his jure nil aliud ab intellectibus ſanis ſentiendum, niſi occultis demeritis futuram Judæorum perfidiam ex juſta permiſſione divina ſicque bona fieri, etiamſi prophetata eadem permiſſione cum gratia gratis data. Declarat autem tempus, quando de populi excæcatione habita fuerit prophetia. *Hoc dixit Iſaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo.* Ad claritatem prophetici dicti hoc Evangeliſta inſerit, non ad neceſſitatem futurorum, quoniam ſicut contempta fuerunt verba Iſaiæ vera de Deo cunctiſque dicendis, nec ſibi præſtita eſt fides, ſicque Chriſto contradictum eſt, nec factis, ſignis & verbis ejus eſt data credulitas, potius quidem ex incredulitate ſibi adverſatum eſt. Viſio quidem fuit, quando in templo vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, & cùm ſeraphin & cum cæteris myſteriis ad illam pertinentibus viſionem, in anno, quo mortuus fuit Ozias. Quam viſionem, cùm retuliſſet Iſaias, quia
1.Joan.4. alibi ſcriptum eſt: Deum nemo vidit unquam, & aliis falſis adinventis occaſionibus contra eum, ab impiis Judæis & perfidis ſerra lignea per medium ſectus eſt. Sic & Chriſtum, cujus vitam, doctrinam, mores, pariter & ſigna contemnentes, tandem crucis patibulo affixerunt. *Verumtamen & ex Principibus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur ut de ſynagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm Dei.* Mortua eſt, & ad nihilum valet ſine opportuna confeſſione credulitas. Quoniam
Rom. 10. ſi corde ſecundùm Apoſtolum, & rei veritatem creditur ad juſtitiam, ore tamen fit confeſſio ad ſalutem. Ac ſi non eſſet fides exiſtimanda, quam timor hominum reprimit, ejus confeſſionem publicam prohibet, ſi foris non fatetur, quod interius rectè novit, ſi plus timetur quàm Chriſti JEſu hominum anathema. Nam quem homines ejiciunt propter Chriſtum, ab ipſo recipietur, pro quo exilium toleratum eſt. Quid in virtutibus celſius, quàm anathematizari pro Chriſto, qui ut nos de horrendo exilio revocaret, à mundo truciter & injuſtè anathematizatus eſt? E regione aſtruitur regni civilitas æterni, ſi quis pro Chriſto anathema ſuſtinuit. Ejici ab hominibus & à terrenis pro Chriſto eſt recipi à Deo cum Angelis in ſupernis. Ægrè ſibi imperabant Principes Judæorum, timoribus hominum male ſubjecti. Turpis eſt principatus, qui deſerit timore virtutem, veritatem ſilet, tempore faciendi juſtitiam prætermittit. Non eſt cenſendus Princeps, qui virtutis ſolium non inſederit. A re, non à nomine: à virtute, non ab opinione verus Princeps aſtruitur. Et in eo prius oportet Principem eſſe virtutem, quàm ſuper alios aut aliis præferatur. Sed hoc inter cætera his Principibus erat in vitium, quod credentes non confitebantur JEſum, quia dilexerunt gloriari ante homines potius, quàm in conſpectu Dei. Gloria hominum eſt, cùm laudibus & fama in eorum placitis vivere. Gloria verò Dei eſt à mundo contemni, & in cruce Chriſti gloriari, qui dantibus ſibi in hac vita gloriam, in patria æternam gloriam dabit. JEſus autem cognoſcens animorum fidem, & videns timidam taciturnitatem, ne credentes in eum erubeſcerent confiteri, quia homo erat ex tempore, prodit clamans, quis ſit ex æternitate. *Hinc Jeſus autem clamavit & dixit: Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui miſit me.* Ex æterno Patre Deo æternus Filius natus eſt, in tempore verò ex homine natus homo. Proinde, qui credit in eum, non ſolùm in eum ſiſtitur, & terminatur vera credulitas, ſed in mittentem Deum Patrem, qui mittens in hanc vitam filium mittere non potuit niſi Deum. Non enim ei erat naturaliter ab æterno ſibi ſubſtantialiter filius niſi Deus. *Et qui videt me, videt & eum, qui* Joan. 12.
miſit me. De viſione fidei, quæ agitur in via, ſermo eſt, non de corporali aſpectu. Igitur quis timor, quæ erubeſcenna, quale anathema, quod exilium, quæ ſeparatio, quæ rerum amiſſio animam deberet prohibere credentem, quin in apertam Dei confeſſionem verborum atque morum erumperet? Alliciebat etiam ſuos auditores ad credendum ex corde, ad confeſſionem ex ore, ad teſtimonium operum agendorum evaſione periculi, dicens: *Ego lux* Ibidem.
in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Odio eſt hominibus periculum corporalium tenebrarum, prohibennium lucem, & placita intueri. Amplius autem eſſe deberet ſpiritualium, quibus lux veritatis depellitur. Ex hoc Salvator, ut alibi jam dixerat, hic iterum aſſerit, ſe eſſe lucem, non perſtringentem oculos corporis, ſed mentis tenebras depellentem. Et quia lux eſt, in hunc mundum venit, mundum illuminare quærit, tenebráſque fugare. Attamen non illuminat

minat tenebras, & non fugat, niſi credulitati fiat. Igitur qui eum, qui eſt, credit, non manebit in tenebris ignorantiæ, neque peccatorum atque pœnarum tetralium, ſeu in illis, quas Salvator tenebras exteriores appellat. Modis omnibus congruis Chriſtus egit atque ſuaſit, ut crederetur in eum, & humanum timorem atque ruborem averrit, ut eſſet confeſſioni, ſi erat credulitati locus factis & verbis ſe Dei Filium miſſū a Patre declaravit. Pollicitationes ſupernurum appoſuit, & pœnas horrendas interminatus eſt. Nihil ab eo neglectum eſt in operatione ſignorum. Mos & vita ejus reprehenſione carebant, in tanta modeſtia factus, ut etiam Angelus diceretur, ut ad credulitatem ſui & apertam confeſſionem hominum animos inclinaret. Sed præterquam in paucis, in multis cordis duritia, quæ ſubmoveri ſignis, & doctrina non potuit. In multis perfidia, in aliquibus malus zelus, ſeu perverſa intelligentia legis, in aliquibus invidia, in aliquibus avaritia mentes infecit. In aliquibus, ſi aliqua credulitas affuit, ita humano timore ſeu perverſo amore repreſſa eſt, ut nec in apertam confeſſionem erumperent.

Cap. LI.

Quòd JEſus ſpretus, & ſermo ejus contemptus, & mandatum ejus non cuſtoditum, quod eſt vita æterna, cauſa ſunt qua homines judicantur, ſecundùm Joan. ſolum.

Iſaiæ 33. Sicut ſcriptum eſt: Nonne qui ſpernis, tu ipſe ſperneris? Cur ſpretus eſt JEſus? Cur non quæſitum eſt animo ſtudioſo, ſi ei credendum erat, ab his, qui hæſitabant? Cur non ſunt diligenter diſcuſſa dicta, & geſta ejus, ſi aliquid dictum eſt aut actum impertinens, aut ſi non fuerint omni veneratione digna? Cur ei adverſatum eſt, qui omnia, quæ voluit, fecit, excepto quod hominem voluit ſalvum fieri, & non fecit cognitione, ſed propria hominis voluntate? Cur credentes in eum corde, ore publico eum faſſi non ſunt? Cur contemptus eſt ſermo divinus, omnem vitæ atque morum afferens honeſtatem? Cur mandatum ejus neglectum eſt, quod eſt vita æterna, cui omnium mortalium ſuſpirat intentio? Quæ jura, quæ lex, quod fas, quæ utilitas, & omnia creata in unum conflata, inviſibilia & viſibilia debuerunt convertere humanas & rationabiles mentes à fide JEſu & à verbis ejus, à cuſtodia mandatorum illius? Quæ difficultas, quæ impoſſibilitas, quæ moleſtia, quæ cautatio, quæ perditio, quæ jactura, quod periculum, quod damnum, quæ infamia, quod opprobrium in his reperta ſunt? Idcirco ſuper contemptores ſævum judicium eſt futurum, credentibus verò actuoſis æterna vita præmium erit. Hinc poſt prænuntiationem, quia ipſe lux venit in mundum, ut non ſiſtatur in tenebris, ſtatim
Joan. 12. adjecit: *Sed ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit ea, ego non judico eum. Non enim veni, ut judicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum. Qui ſpernit me, & non audit verba mea, habet, qui judicet eum.* Verba Chriſti verba ſunt Dei Patris ipſius ore deprompta: quæ quiſquis audit & non cuſtodit, non judicatur a latore JEſu, ſed ab eo, qui eum, ut ſic loqueretur, miſit. Equidem ipſe JEſus in ſalutem, non etiam ad judicandum venit in aſſumendo naturam: veniet ad judicandum manifeſtè in fine ſæculorum, viſibilis omnibus in aſſumpto, non tamen in aſſumente ad ſalvificandum. Primus ejus adventus in carne non in judicio fuit, ſecundus ad judicium, non ad ſalutem erit. Verum, quia omnis vindicta Deo reſervata eſt, juxta illam ſententiam: Mihi Rom. 12.
vindictam & ego retribuam, non pertinet ad offenſum vindicare ſeipſum, ſpectat verò ad eum, qui habet judicialem poteſtatem. Quamobrem JEſus ſic contemptus in verbis, ſic ſpretus in vita, moribus & perſona, denegat vindicare ſeipſum, aut contra ſpernentes proferre judicium, quoniam ipſi habent, qui judicet omnipotentem, & Patrem omnium Deum, qui eum in ſalutem, non in judicium miſit. Nec obſtat, quòd aliàs protulit: In judicium veni in hunc mun- Joan. 9.
dum, &c. quoniam ibi de judicio diſcretionis inter bonos & malos, hic de judicio retributionis ad euſdem dictum eſt. Nec reus judicatur à juſto judice præter legem, ſed ex contempta lege. Unde adjectum eſt: *Sermo, quem locutus ſum*, ille judicabit eum in noviſſimo die, quia ego ex me ipſo locutus non ſum, ſed qui miſit me Pater, ille mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et ſcio, quia mandatum ejus vita æterna eſt. Quæ ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor. Judicabuntur judicandi ex ſermone JEſu, ſi cuſtoditus ſeu fuerit ſpretus. Hoc ordine

dine quælibet lex judicat contemptorem ſuum, cùm ex ejus prævaricatione ſeu cuſtodia pœna ſeu beneficium tribuatur. Sed nec judicabit ſermo Chriſti, quia hominis fuit, aut quia ore humano prolatus eſt, ſed quia Dei Patris eſt, ſicut in plerisque ſententiis liquet, & ipſe aſſeruit, quód non à ſemetipſo, ſed à Deo Patre loquebatur, ita & in hac comminatione refert, quod ex ſeipſo locutus non eſt, ſed mittens Pater, ut ſic loqueretur, ſibi mandatum dedit, & quid diceret, & quid humano generi in aſſumpta carne loqueretur, indixit, quid contra vitia diceret, quid in virtutibus loqueretur, quid diceret de pœna, quid loqueretur de gloria. Et ipſe primo ſolus novit, quid accepit. Nam verè ſcit, quòd mandatum Dei Patris vita æterna eſt, duntaxat cuſtoditum illam nanciſcitur, neglectum verò negligentem æternis tradit incendiis. Proinde ſi vita æterna eſt, omnis eſt apponenda ſolertia, ne neglectui fiat. Sic & præmonitum eſt in monitionibus factis à Muyſe populo Iſraëli: Obſerva & cave, ne quando obliviſcaris Domini Dei tui, & ne negligas mandata ejus. Et

Deut. 18. per Salomonem diſtrictius ſuadetur cuſto-
Prov. 19. diri: Qui cuſtodit mandatum, euſtodit animam ſuam: qui autem negligit vias ſuas, mortificabitur. Et Apoſtolus compoſitionem faciens de dignitate ſermonis ſeu mandati facti per Angelos, & per JEſum unigenitum Dei Filium, & de pœnis utriusque prævaricationibus debitis ait: Propte- Hebr. 2.
rea abundantius oportet nos ſervare ea, quæ audivimus, ne fortè effluamus. Si enim, qui per Angelos dictus eſt ſermo factus eſt firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia recepit juſtam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? Quæ cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo, ſignis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritûs Sancti diſtributionibus ſecundùm ſuam voluntatem. Deus eſt, qui loquitur. Et quodquod mandatum Dei vita eſt. Veritas eſt Deus, credatur ei. Vitam æternam quærimus, in mandatis ejus poſita eſt, JEſus, qui loquitur, Filius Dei eſt. Non aliter loquitur, quàm accepit à Patre. Multoties JEſus verbum hujuscemodi replicavit, quòd totus erat à Patre, doctrinamque ſuam ex authoritate ſua ſcilicet Patris proferebat, ne in homine contemneretur Deus, ne homo, quæ Dei ſunt, ſibi arrogaſſe diceretur, ut Deus in homine aſſumpto crederetur, non minoratus à Patre, homo in Deo aſſumente, ut unus perſona coleretur, non mutata naturæ humanæ veritate.

Cap. LII.

Quòd JEſus plus appendit affectum quàm cenſum, ut oſtendit in divitibus, & in vidua mittentibus minuta in gazophylacio, ſecundùm Marcum & Lucam.

INtentus erat JEſus ad proferendam doctrinam, & docens contemplabatur hominum geſta, non ſolùm mente, ſed etiam intuitu corporis, ut ex geſtis ſumeret materiam docendi, & declarandi ea, quæ latebant, ſeu quæ in opinione hominum erant ex apparentia, præter veritatem exiſtentem, quoniam homines vident, quæ foris patent, Deus autem intuetur cor. Unde ipſi ſecundùm exteriora interiora metiuntur, Deus autem ſecundùm interiora exteriora metitur. Nam cùm multa diſceptando JEſus docuiſſet in templo, &

Marci 21 *ſedens contra gazophylacium, aſpiciebat quo-*
Lucæ 21. *modo turba jactaret æs in gazophylacium; & multi divites jactabant multa. Cùm veniſſet autem vidua una paupercula, miſit duo minuta, quod eſt quadrans. Et convocans diſcipulos ſuos ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui miſerunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miſerunt in munera Dei, hæc autem ex eo, quod deeſt illi, de penuria ſua omnia, quæ habuit, miſit totum victum ſuum.* Contemplabatur JEſus eos, qui aliquid dabant in ærarium ſeu in conſervatorium divinarum templi, non delectatus illis muneribus, quæ in uſum pontificum & malorum ſacerdotum conſummabantur, ſed videbat, quantum ex quanto & mores & geſtus offerentium. Et pauperes & divites munera offerebant, plus & minus, prout eis erat in voto, aut in facultate ſeu in ſuperfluo. Affectum JEſus appendebat, non cenſum. Omnes terrena ſapientes cenſum, non affectum ponderabant. Sedet nunc JEſus ad paternam dexteram, affectus & hominum operationes aſpiciens, Nuda quidem & aperta omnia oculis ejus. Et in omni tempore & loco bonos & malos contemplatur, quid, quale, quantum, quoties, quo fine, qua religione, quo ordine, quanto amore agant, dans pondus, pretium factis, meritum vel demeritum, præmium vel ſupplicium ex magnitudine affectus, non ex actis agentibus. Et ſuo libra-

mento juſtitiæ bona vel mala ex affectibus pluria æſtimat, quàm ex eis magnis vel parvis. Nihil quidem apud eum juxta trutinationem ſuæ juſtitiæ magnum & parvum in virtutibua ſeu in vitiis eſt, in bonis operibus ſeu iniquia ſublime aut imum, niſi quantum in agendia magna ſeu parva fuerit agentium ipſa voluntas. Igitur unusquisque apud ſemetipſum non quantitatem pro Deo exhibiti cenſua, non toleratæ crucis, innatarum ſeu illatarum aut aſſumptarum moleſtiarum, non cuſtoditam in corpore caſtitatem, non verboſam orationum lectionem ſeu pſalmodiam, non obedientiam corporia, non ſilentium oria, non clauſuram, ne vadatur, non dogmatum altitudinem, non ſi qua ſunt talium actionum exiſtimet, ſed affectum, quàm magnus ſeu parvua in hia fuerit, inveſtiget. Et inquirat cor ſuum, quantum in via mandatorum Dei & conſiliorum Chriſti agendo fuerit amore & faciendi deſiderio dilatatum, juxta quod in judicio inventum, magna ſeu parva erit retributio præmiorum. Monſtravit hoc in vidua JEſua, quam duo minuta offerentem ſolùm, divitibua majora & plura offerentibua prætulit, affectum magnum in parvia muneribus librans, & magna munera ex parvia affectibua parvipendens. Et in largitionibus pro Deo ſive pro hominibus factis, prævalet affectua ejus, qui liberè porrigit de exiguo ſibi defectum faciens, quàm qui largitur de ſuperfluo, in nullo deficiena. Multa jactabant divites abundantea in multis, ſed vidua minuta duo, quod eſt quadrans. Optimum divitibus foret, ſi multus eſſet affectua, non enim multa jactarent, ſed relinquerent omnia ſpe ineffabilium ſupernorum. Sed dant de abundanti divitea, ſi ſuperfluum largirentur. Superflua quidem multa ſunt, ſi ſola neceſſaria retineantur ad uſum. Eadem multa in largitione non ſunt, ſi ſuperflua copiam neceſſariorum excedunt. Etiam ſtatus divitum modeſtiæ ſubjacet, ſi culpam in divitiis devitare contendunt, & ſi de malè partia eſſet multa oblatio, non jure multa, ſed nulla cenſenda potiua diceretur. Emundatam atque purgatam in conflatorio totiua juſtitiæ magnam ſive parvam eſſe oportet oblationem divitum, ſi exhibere cupiunt Deo gratam, & ex datis muneribus peccata redimere. Magis autem in ſortem viduæ cedendum eſſet, quæ ob amorem Dei, placitum virtutis, pietatis cultum ſe poſtponens totum obtulit victum ſuum. Acta exteriora in numero, & pondere, & menſura hominibus agentibus nota ſunt, poſſúnque aliis eſſe nota. Sed interiora hominis nemo niſi Deua novit, in quo numero, quo pondere, qua menſura conſiſtant. Ac per hoc in animo enitendum eſt, ut validior fiat affectus, qui potens eſt etiam corporalium actionum & rerum ſupplere defectua, & meliorare profectur. Et quia laudationem operum ſuorum ex pondere affectus à Salvatore accepit mulier viduata viro, ab ipſa offerendi exempla capiamus. Viduata ſit anima viro ex carnis delectatione, ſed conjugata Chriſto, habeátque duo minuta, in quibus eſt totus victua ejua, intellectum & affectum, ut nil velit ſcire amplius niſi Chriſtum, nihil aliud diligere præter eum. Habet & alia minuta duo, timorem & amorem, voluntatem liberam & poſſibilem actionem. Habet ſeipſam & corpus, hæc de pænuria ſunt, quia hia omnibus indigemus. Quod verò quadrantem efficiunt, ad diſſerendum opportuna eſt alia forma vel ſermo.

Cap. LIII.

De eo, quòd quærentibus diſcipulis deſtructio Jeroſolymitani templi à Salvatore prædicta eſt, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

MAgnum myſterium in templo Jeroſolymitano ſignatum eſt ex indictione Dei, qui ſibi illud fieri juſſit ex conditore, ex conditione, ex tempore, ex modo, ex ſcientia, ex rebus, ex ornamentia, ac ex omnibua, quæ inerant, ex gratia exauditionis in his, qui in eum oratum acceſſiſſent. Quam ob cauſam in admiratione res eſt, quod à Salvatore prædicitur per omnia deſtruendum. Hinc ad prophetiam futurorum ſic exorſum eſt, poſt omnem diſputationem & diſceptationem cum ſcribis & phariſæis in templo ipſo completam. *Egreſſus JEſus de templo*
ibat. Et cùm egrederetur de templo acceſſe- Matt. 24.
runt diſcipuli ejus, ut oſtenderent ei ædificatio- Marci 13
nem templi. Et quibusdam dicentibus de Levit. 21
templo, quod lapidibus bonis, & donis ornatum eſſet, ait illi unus ex diſcipulis ſuis: Magiſter, aſpice quales lapides & quales ſtructuræ. Quid templum manufactum ex materiis, niſi quædam naturalia diſpoſita in ædificium placitum artis ingenio, facultate agendi complendum, quid ex forma, quid

ex numero altitudinis, longitudinis & latitudinis, quid ex eo, qui fieri præcepit, quid ex contentis in eo, quid ex geſtis in illo, quid ex omnibus, quæ de illo dici poſſent, arduos quidem allegoricos & anagogicos atque morales habet res huiuſcemodi diſſerenda ſermones. Ingenioſi & amatores veritatum, quæ à figuralibus trahuntur, dum libet, ad inquirendum animo elaborent. Nos etiam alibi in hoc opere aliquid diſſeruimus. Sed utinam contemplum nuncupatum eſſet, quoniam templum à contemplatione originem traxit, eſſetque facilior indagatio veritatis. Attamen domus Dei & orationis erat. Quod aliquando ingreſſus JEſus videns
21. velut commercii forum indignatus ait :
56. Nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Et rurſus ; ſcriptum eſt, quia domus mea domus orationis vocabitur, ſeu eſt : Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Sed egreditur de illo nunquam amplius regreſſurus, velut relinquens & deſerens atque parvipendens totius ſynagogæ dignitatem & ſtatum, aſtructurus in rebus melioribus Dei cultum, facturúsque homines vivos templum Dei vivi, ſecundùm quod poſtmodum Apoſtolus divinorum ſcrutator aperuit :
9. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos, qui de baptizatis & verè credentibus loquebatur, velut non amplius eſſent futuræ in pretio ceremoniæ Judæorum, neque in illo templo aut in montibus locus veræ adorationis eſſet, ſed in ſpiritu & veritate, in quibus Deus amplius adoratur & colitur. Et gratum ſacrificium ejus non deinceps ex templo, ſed in ſpiritu & contritione atque laude, juxta illud quod afflatus Spiritu ſancto David dixit : Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum
50. & humiliatum Deus non deſpicies. Et
49. alibi : Sacrificium laudis honorificabit me. & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. Neque doctrina ex illo templo, ſed doctrina Evangelii ejus diffundenda per omnem orbem, ut docendi ex ipſa non templum adirent, ſed in omnem terram per Apoſtolos & Diſcipulos Chriſti ipſa ferretur. Egreditur de templo JEſus velut anathematizatum relinquens, quoniam ipſe in ipſo anathematizatus à Judæis, etiam doctrinam ejus reſpuentibus erat. Et ibat. Sed quò ibat? Ad montem oliveti. Quoniam ſublimius attollenda Eccleſia quàm Synagoga erat. Et mons erat luminis, unctionis, miſericordiæ, lætitiæ, charitatis : nam & fundata erat in montibus ſanctis. *Et cùm egrederetur acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus ad oſtendendam molem templaris ædificii*, non tanquam ignoranti, ſed ut interrogarent eum ſuper comminatione, quam fecerat, ſi quo modo fuiſſet poſſibile templum deſtrui ſive relinqui, cùm eſſent lapides boni & magni & quadri & compoſiti artis magna peritia, & ornatum eſſet innumerabilibus donis, à Judæis etiam & à gentilibus cauſa devotionis oblatis, eſſentque ſtructuræ mirabiles, quaſi nulla temporis antiquitate diſſolvendæ. Deſipuit quidem omnino diſcipulis ille qui dixit ; *Magiſter aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ*, quaſi aut diſſolvi non poſſent, aut diſſolvendi non eſſent, ignarus quod majorum ædificiorum ex miraculo & virtute, necnon ex humana potentia diſſolutio facta eſt, *Et reſpondens JEſus ait illi : Vides has omnes magnas ædificationes? Amen dico vobis, hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Si propter ſanctitatem templi ſeu loci templum deſtrui abſonum videbatur, fruſtra quidem, quoniam ſanctitas, virtus, ſcientia non deſtruuntur cum rebus corporeis diſſipatis. Alioquin à corporeis ſpiritualia, non à ſpiritualibus corporalia dependere dicerentur. Eſt autem multiplex ſanctitas, ſed non æqua neque æqualiter accepta in conſpectu Dei, cujus virtute ſanctificatur omne, quod ſanctificatum eſt. Attamen omnis ſanctitas ſpiritualis eſt, quanquam & aliquod ſanctificatum corporeum ſit. Sanctus eſt Deus Levit. 19.
non ab alio, quàm à ſeipſo, ſicut ſcriptum eſt : Eſtote ſancti, quoniam ego ſanctus ſum. Sancti ſunt Angeli exiſtentes in cœlo, ſed adhæſione. Eſt & ſanctitas in hominibus, ſed ex virtute trifaria, quæ ſolùm infunditur, acquiritur autem nunquam. Hæc duntaxat ſpiritu agitur, corpore non percipitur. Eſt & Sacramentorum, quæ quamvis agatur in corpore, non confert aut expedit, niſi ſpiritus rationalis aſſentiat proprius ſive in aliquibus alienus. Eſt & ſanctitas benedictionis in verbo ſacro & dedicationis ad Deum & ad ea, quæ Dei ſunt, cujus ſi deſtruantur ſubjecta, modica cura Deo, Nam ſi omnia mundi templa & vaſaria, & ſi qua vaſa, ſi quáque utenſilia Deo dicata deperirent, ſanctitas, qua ſalvari homo poteſt, non deperit. Perſpicua ſunt hæc his, qui per fidem Chriſtianitatis ſeu ſanctitatis veritatem cognoverunt. Si autem propter alia obiicibilia humano uſui, quamvis digna & miranda viderentur, indigna ejus deſtructio cenſeretur, nil aliud eſſet, quàm Deum coaptaſſe in delectatione materiis. Etſi quia ita bonum, quod non communicandum, etiam hoc divinæ potentiæ aut bonitati derogaret, quod non poſſet aut nollet bona in meliora traiicere, atque ſi conditor adduceretur, ut ei deferretur, Alius valentioris ſapientiæ atque virtutis advenerat, in cujus etiam virtute

deſtruendum conditum erat, in ipſo velut in fundamento aliud ſanctitatis alterius conſtruendum. Ex hoc Salvator illi diſcipulo interroganti reſpondit pro omnibus, quod illa ſtructura templi per omnia deſtruenda erat, meliori tamen & infringibili conſtructione donanda. Nec hominum opus debebat eſſe æternum, ne videretur humana virtute conſiſtere. Sed nec JEſu propenſioris curæ fuit illius templi deſtructio corporalis. Aliud nimirum illa præſagiebat, id quidem, quod ea ſimilitudine rationabilium lapidum quantumcunque magnorum atque nobilium, in quanta firmaque compoſitione connexorum, procerum, rectorum mundi, ſeu eorum videntur gerere vicem Chriſti, everſio, & diſſipatio, & diſperſio ſit facta in capite omnium platearum, ad notitiam cunctorum, qui tempore faciendi diſſipaverunt legem Dei, ſed ſtabilitate Eccleſiæ & Chriſtiana veritate uſque in finem ſæculi in paucis ſeu multis in ſuo robore permanente.

Cap. LIV.

De ſignis datis à Jeſu de deſtructione Jeruſalem, & de conſummatione ſæculi, & de adventu ſuo, ſecundum Matthæum, Marcum & Lucam.

UT jam dictum eſt, egreſſus de templo JEſus acceſſit & aſcendit in montem olivarum, altiora quærens, quàm deſerens, & patentiora. Et conſedit docens aperiénſque interrogatus ſigna futurorum, celatum tempus tenens. Multi enim ſunt montes, quos ob varias cauſas
Matth. 4. aſcendit JEſus. Primus quidem tentatio-
Matth. 5. nis, quando diabolus tulit eum in montem
excelſum valde, ſecundo milliario ab eo
deſerto ubi jejunavit per quadragenam.
Secundus doctrinæ pleniſſimæ, ubi diſci-
pulos & turbas agenda & cavenda docuit,
qui eſt ſecundo milliario à Capharnaum.
Joan. 6. Tertius mons refectionis idem, ſed in deſ-
cenſu locus refectionis fuit, ubi quinque
Lucæ 5. millia hominum pavit. Quartus mons
præcipitationis, qui vocatur ſaltus, unde
Nazaræitæ niſi ſunt præcipitare JEſum mil-
liario à Nazareth ſitus contra meridiem.
Matt. 17. Quintus eſt luminis & oſtenſionis gloriæ,
Matt. 14. qui Thabor dicitur, quarto milliario à Na-
Matt. 26. zareth contra orientem, in quo JEſus trans-
Marci 14. figuratus eſt. Sextus orationis juxta ma-
Joan. 19. re Galilææ, in quem Chriſtus juſſis diſci-
Matt. 24. pulis transfretare aſcendit ſolus orare. Sep-
Marci 13 timus ſpeculationis, ſcilicet Sion, in quo
Lucæ 21. ineffabilia & magna myſteria egit JEſus.
Octavus unctionis & miſericordiæ & charitatis, ſcilicet olivarum, quem pluries viſitavit, nunc quidem inſidet contra templum, à quo etiam aſcendit in cœlum. Et ille calvaricus, in quo crucifixus eſt. Sed de monte oliveti agitur hic, de quo ſcriptum eſt: *Et cùm ſederet in monte olivarum contra templum, interrogabant eum ſeparatim Petrus, Jacobus & Joannes & Andreas, dicentes: Præceptor dic nobis quando hæc fient, & quod ſignum erit quando hæc omnia incipient conſummari, & adventus tui & conſummationis ſæculi.* Cùm hunc montem aſcendit JEſus, ſedit in eo verſa facie contra templum, cujus porta ad orientem erat. Ergo Chriſti facies ad occidentem aſpiciebat, velut in occiſionem daturus & Jeruſalem, & templum, & conſimiles in malitia. Mirum quidem, ſed memoria dignum, quod poſt Chriſtum omnia deſtructioni patuerunt, & omnis dignitas Judæorum inde remota eſt, ne illa Synagoga Judæorum cum templo & Jeruſalem habentibus ſtatum, non ſic novorum myſteriorum fides aſtrui potuiſſet. Facile quidem & rudes & minus ſapientes feciſſent in illa relapſum, ſi non fuiſſent ablata poſt Chriſtum. Et una ſemper fuit juſtitia ex fide, nunquam autem ex operibus legis, ex dignitate templi & ceremoniis Synagogæ. Et quanquam in poſterum multa ſint facta templa in honorem Chriſti atque Sanctorum ejus, & magna diligentia cuſtodita, non tamen ea fide ut in illis juſtificemur, ſed ut quodam ſigno unitatis honeſtæ ſacrificia maneant. Juſtitia quidem, qua juſti homines fiunt, ſine templis & domibus agitur. Non enim Chriſtus voluit, ut vera & Chriſtiana juſtitia eſſe in rebus manufactis ab hominibus crederetur. Et eo amplius dejicienda erat Jeruſalem cum templo, quoniam ipſa JEſum à deitate dejecerat, non credens Dei Filium, ſed tanquam reum ignominioſæ mortis unanimiter magnis conſonis vocibus importunè ligno crucis poſtulavit affigi. Sed nec poſt tantùm ſcelus ad dominum converſa fuit, ut miſericordiam conſequi potuiſſet, necdum illius divini ſanguinis effuſione ſatiata, etiam diſcipulos ſuos ad cumulum criminis uſque ad mortem inſecuta eſt. Quo demerito perpeſſa eſt iram Dei, & hominum incircunciſorum & idololatrarum ſævam manum, & immanitatem gentium. Et cùm hæc horrenda videbantur, antequam fierent, ab Apoſtolis ſignum inqui-

quiritur, non ſolùm deſtructionis civitatis illius, ſed ſignum adventus ſui & conſummationis ſæculi. De tribus futuris, ut liquet, ſunt ſigna quæſita. Et interim, ſcilicet à JEſu eſt porrecta reſponſio. Sed ante dixit cautelam expedientem ad mala futura, ne poſt aſcenſionem ejus erroris perniciem paterentur. Hinc *& reſpondens JEſus dixit illis* ; Videte ne quis vos ſeducat. *Multi enim venient in nomine meo dicentes : Ego ſum Chriſtus. Et tunc appropinquabit, & multos ſeducent. Nolite ire poſt illos. Audituri enim eſtis prælia & opiniones præliorum.* Futuri erant multi virtutis veritate carentes, ſimulantes ſpeciem, affectantes hominum habere ſequelam, qui deficientes in propriis, ſub nomine illius, qui omnem virtutem habebat, divinam atque humanam, prædicaturi erant. Ab exordio creationis humanæ infuit rapina iſta hominibus, ut ſibi vellent arrogare divina. Et quod eis à natura & gratia negabatur, falſo appropriare ſatagebant, ut protoplaſti primi & plurimi ſibimet divinæ virtutis gratiam tribuentes. Sed poſt exorbitationem à fide nullus perniciosior error, quàm venerari in hominibus quod eſt proprium Dei, & in nomine Chriſti ſequi adverſarium ejus, & pro ducente per ſemitas æquitatis aptas rectáſque vias deviatorem imitari. Vigiles ergo Apoſtolos ſuos reddit JEſus, & futuros poſt eos fideles cautos facit, ne venientibus in nomine ſuo, aſſerentibus improbè ſe Chriſtum eſſe, prædicentibus, quæ reſtant, in brevi compleri futura myſteria, inſtare ultimum tempus, cùm adjecta ſequela præſtetur credulitas. Eſt enim talium ad ſeducendum omnis intentio. Ideo ſeducent multos ſeduci dignos, plus ſapere præſumentes quàm deceat ſimplicitatem fidei. Seducent quidem verbis & novitate, magis verò ſuavitate doctrinæ, moribus palliatis, ſpiritu prædicendi futura, & illis actibus & artibus ſeducendi, quibus humana ingenia, cùm à veritate averſa fuerint innituntur. Sed poſt eos prohibet eundum, magiſtri enim ſunt errorum & viarii ad interitum. Attamen in magnum Chriſti teſtimonium cedit, quòd inimici ejus ad ſeducendum accipiunt nomen ejus. Et argumentum magnum virtutis Chriſti, quòd à virtute alieni ad ſuum uſum, ad oſtentationem, ad complementum ſuæ intentionis accipiant ſanctum nomen, aliunde deſperantes poſſe vota complere. Ne autem iſta uti abſona viderentur, teſtificantur veteres prophetiæ, quæ pro illo tempore in his, quæ agebantur, vera fuerunt, etiam præſagium noviſſimorum temporum continentes. Inquit enim Dominus per Jeremiam prophetam cui Dominus dixerat, ne oraret pro populo incorrecto, quoniam orationem & holocauſta ejus repulerat. Unde Jeremias ſtupens dixit : A, a, a, Domine Deus Prophetæ dicunt eis ; Non videbitis gladium (Jerem. 14) & fames non erit in vobis, ſed pacem veram dabit vobis in loco iſto. Et dixit Dominus ad me : Falſo prophetæ vaticinatur in nomine meo. Non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos, viſionem mendacem & divinationem fraudulentam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis. Idcirco hæc dicit Dominus de prophetis in nomine meo, quos ego non miſi, dicentes : Gladius & fames non erunt in terra hac. In gladio & fame conſumentur prophetæ illi, & populi quibus prophetant, erunt projecti in viis Jeruſalem pro fame & gladio, non erit qui ſepeliat eos. Obiicit ſe Jeremias pro populo apponens excuſationem, quoniam prophetæ ſic imbuerunt illos, quorum vaticiniis adhærentes rectè agere arbitrati ſunt. Sed è regione Dominus prophetæ à ſe miſſo, de prophetis non à ſe miſſis detegit falſitatem, in qua vaticinatur, quoniam ipſe non miſit eos, neque præceptum dedit, nec affatus eſt. Et alia ſcriptura dicit, Omnis homo (Pſal. 116.) mendax, qui ergo de ſpiritu Dei non loquitur, falſitatem fatur. Fuerunt quidam, & ſunt, erúntque in ſublimitate & ſubtilitate ſermonum pruritum facientes auribus auditorum, Evangelium & aliam ſcripturam in ſenſum carnis & guſtum ejus animaliter convertentes, levigantes peccata, lenientes culpam, abrogantes debitas pœnas, immundi immunditiis faventes non Evangelii veritatem, ſed quod mente falſo fixerint, populis aſſerentes.

LI-

LIBER X.
DE SERMONIBUS DOMINI IN MONTE.

Cap. I.
Quando Chriſtus turbas vidit & in montem aſcendit.

V*Idens JEſus turbas aſcendit in*
montem. Videre venerat
oculis carnis factus abſque
peccato per omnia ſimilis no-
bis, quos ab æterno Deus præviderat. Et
Matth. 5. ſupra humanam ſcientiam hominibus lo-
quens, commovebat animos audientium.
Et auditores primi, ut eum audierant, re-
ferentes ad audiendum in propria voce
alios invitabant, ita ut ex omnibus fi-
nitimis regionibus ad audiendum illum
utriuſque ſexus homines properarent.
Et coeuntes in unum ſinguli de regioni-
bus ſingulis fecerunt plurimas turbas,
quas videns JEſus aſcendit in montem,
ut aſcendentes poſt eum turbam unam
afficerent. Protinus per effectum homi-
num turbas aſpexit. Sic enim multitu-
dines hominum appellantur, eo quod
facilè turbentur & turbent. Etenim ipſe
turbavit hominum corda in altitudine
doctrinæ ſuæ, qui eam capere non valen-
tes ſeceſſerunt. Alii recedentes dixe-
Joan. 6. runt: Durus eſt hic ſermo, & quis po-
Matth. 9 teſt eum capere? Alii verò dixerunt:
Hic blaſphemat, cum ſuperna virtute ho-
minum peccata dimitteret. Alii ex mi-
raculis admirabantur. Et quam plures
non intelligentes turbabantur in Chriſto.
Et in paſſione ſua omnium ſunt ferè cor-
da turbata. Et ipſe propter turbas tur-
batus eſt, quod & ipſe proteſtatus ante-
quam Lazarum revocaret ab inferis, tur-
bavit ſeipſum. Et alibi ſermone ſui oris Joan. 12.
expreſſit: Nunc anima mea turbata eſt. Matt. 26.
Et propter peccata turbarum omnium,
in horto turbatum audivimus: Triſtis
eſt anima mea uſque ad mortem, quæ
tandem cum multis præcedentibus pœ-
nis turbavit in cruce. Igitur turbaturus
turbas, turbandus à turbis, ipſas con-
gruenter aſpexit. Et aſcendit in mon-
tem ſuis pedibus Chriſtus, quem crea-
verat Deus. Mons montem aſcendit, Daniel 9.
quia lapis præciſus de monte ſine mani-
bus in tantùm crevit, ut efficeretur
mons magnus, ad quem poſſent refuge-
re omnes gentes. Montem aſcendit no-
vam daturus mundo doctrinam, ad in-
ſinuandum, quòd ex ipſa indevius ad
æternum beatitudinis montem celebra-
tur aſcenſus. Et ab imis homines ex-
tollere venerat, atque ad alta ſubvehere,
qui montem docturus turbas aſcenderat.

Cap. II.
De JEſu ſeſſione in monte, & diſcipulorum acceſſu.

E*T cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſci-*
puli ejus. Docturus ſedet, ſi laſſus
innotuit, quod eſt hominis, magis
autem expectatio benignitatis inclaruit.
Matth. 5. Expectat enim nos in infirmitatibus &
tarditatibus noſtris, exiſtens ipſe in mon-
te inapprehenſibilis perfectionis. Tardi
enim ſunt homines ad credendum, quæ
Chriſti ſunt. Tardi ad intelligendum,
quæ utilia ſunt. Tardi ad agendum, quæ
neceſſaria ſunt. Tardi ad pœnitentiam,
cùm reliquerimus iter rectum, cùm effu-
derimus animam in peccata, & Dei be-
nignitas, Dei patientia, charitas Chriſti
ad pœnitentiam nos expectat. Nec pro-
fert poſt lapſum illico ultionem, expe-
ctans converſionem. Multifarie pro-
tinus homines vocat noſtræ converſio-
nis ad eum, ut perfectæ adhæſionis finem
firmitatis expectans, quærens miſereri
potius, quam ulciſci. Juxta quod per
Iſaiam dicitur: Expectat Dominus, ut
miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur par-
cens vobis. Sedet ad quietem mentis
ex doctrina Chriſti hominibus affuturam.
Nemo enim quieſcit ſcientiam quærens, Iſaiæ 30.
niſi verè Chriſti doctrinam agnoverit.
Nemo quieſcit affectu aliquid captare
con-

concertans, niſi Chriſti poſſeſſor extiterit. Ipſe factus eſt omnibus omnia. In eo Pater æternus quieſcere voluit omnium hominum mentes. Sufficit enim omnibus præter omnia, & cuncta ſine ipſo deficiunt. Necnon ad æternam quietem nos expectare præmonſtravit, cùm ſediſſet in monte. Docens ſedet, ſedénsque docet, ut quietius doceat. Infunditur ocyus in corde audientium emiſſa in quiete doctrina, & tenaci memoria capitur, quod in tranquillitate a Doctore profertur. Hæc ſiquidem corporis ſeſſio internam quietem inſinuat, ex qua illuminans doctrina procedit. Sedet in monte terreno ille, cujus in cœlo ſedes eſt. Ipſe ſolus Chriſtus in eltiſſima virtutum perfectione quievit, cùm in monte conſedit, & ut ei pro modulo noſtro ſimiles ſimus, expectat. Altéque conſiderat advententes, & qui proximiores fieri cupiunt, atque fiunt, ut inter eos per juſtitiam retributionis diſcernat. *Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus*, ad ſedentem pariter & expectantem. Sed diſcipuli ergo ad magiſtrum acceſſerunt pro doctrina, quæ animam illuminat, non pro pecunia, quæ obſcurat. Inquit enim Pſal- Pſal. 33. miſta: Accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Sed expedit, ut in ſimplicitate fiat acceſſus, non duplicitate, ſicut ſcriptum eſt: Ne acceſſeris ad eum duplici corde. Du- Eccleſ. 1. plici corde accedit, qui aliud quam Deum accedendo requirit. Simplici verò corde accedit, qui verſutia nulla detentus, nil in ſuis affectibus præterquam ipſum cupit. Ad verum & humilem diſcipulatum pertinet ad verum acceſſiſſe magiſtrum, nec receſſiſſe niſi ſuſcepta doctrina. Et inſatiabilem fieri ad doctrinam ſanam eſt optimæ diſciplinæ. Acceſſerunt diſcipuli velut primitivi ſanctarum Scholarum ad divinam ſcientiam capeſſendam, & velut futuri teſtes dictorum atque Sanctorum Chriſti, pro quibus expoſituri erant omnem corporis vitam, & tormenta crudeliſſima ſuſcepturi antequam hæc doctrina cœleſtis à terrenis hominibus ipſis ſuadentibus caperetur, & crederetur, quod ſic humanatus Dei Filius talia in ſuſcepta humanitate geſſiſſet. Acceſſerunt corpore propius, quia animo ardentius præ cæteris diligebant. Etenim qui plus diligit neceſſitate præpoſita, poſſibilitate adjecta, cognita voluntate dilecti, opere plus efficit. Et ad dilectum corpore appropinquat amplius, qui majore dilectione urgetur interius.

Cap. III.

De apertione oris Chriſti intentione docendi, ſecundùm Matthæum tantùm.

Matt. 5. *Et aperiens os ſuum, docebat eos, dicens:* Oris apertio ad humanitatem pertinet exterioris hominis, doctrinæ verò ad ſcientiam mentis. Os ex creatione, ſcientia ex infuſione. Os corporeum & viſibile, ſcientia incorporea & inviſibilis. Mirum, quòd per canale corporeum & humanum tam alta doctrina transfunditur. Sed aliquid magnum innuit hæc ſignata locutio, cùm dicitur, & aperiens os ſuum, cùm ſæpe Chriſtus os aperuerit, & præter apertionem oris nullus naturaliter loqui poſſit. Sed neceſſitas hominis ad Deum monſtrata eſt, ut os humanum apertum ex alto crederetur impleri, & non humana in ſcholis hominum apprehenſa, ſed divina doceri, quæ in cognitionem deducta bonos à malis, velut in torcularibus vinum ab acinis, oleum ab amurca ſecernant. Unde in Pſalmo, qui de torcularibus ipſi Aſaph pro quinta inſcribitur, ſecundùm unam tranſlationem ſcriptum reperimus: Aperi os tuum. Secundùm aliam, dilata os tuum, & ego implebo illud. Quicquid de torcularibus in ſacra Scriptura reperitur, ad Chriſtum pertinet, quoniam ipſe torcular calcavit ſolus, ſive de lege, ſive de ſua paſſione dicatur. Proinde ut boni à malis, electi à reprobis ſecernantur, à patre ad filium humanatum dicitur: Aperi os Pſal. 80. tuum, & ego implebo illud. Tu aperias Joan. 12. os carnis, & ego implebo illud ſcientia deitatis, ut non humana, ſed divina loquaris hominibus, ſicut ipſe Salvator teſtatus eſt, dicens: Ego ex meipſo locutus non ſum, ſed qui miſit me pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam aut quid loquar, & ſcio quia mandatum ejus vita æterna eſt. Quæ ego loquor, ſicut dixit mihi pater, ſic ego loquor. Et alibi: Verba quæ ego loquor à meipſo non lo- Joan. 14. quor. Et perdoctè dictum eſt, aperiens os ſuum, ad diſtinctionem faciendam, quia in veteri lege aperuerat ora prophetarum. Et nulla excuſatio valeret hominibus, cùm Dei Filius eſdem in humanitate more hominum loqueretur. Aliud enim eſt, cùm Rex per ſuos Legatos, aliud, cùm per proprias litteras, aliud,

aliud, tum per nuntios, aliud, cùm per
ſeipſam ore proprio ſubjectis populis lo-
quitur. Tunc nulla excuſatio eſt effi-
cax, nulla tergiverſatio conturbans eos, qui
audierunt ex regio ore ſermonem. Et
ipſe Pater in Filio ſic humanato dignatus
eſt in plenitudine temporum loqui, ſicut
Hebr. 1. Apoſtolus ait: Multifariè multiſque
modis olim loquens Deus Patribus in
Prophetis novíſſimè diebus iſtis locutus
eſt nobis in Filio; qui velut os aperiens ad
ſermonem, Spiritum divinæ infuſionis,
quo loqueretur, attraxit. Sic enim Pſal-
miſta in ejus perſona longè ante prædi-
Pſal. 118. xit: Os meum aperui & attraxi ſpiri-
tum, ſcilicet veritatis, quo loquerer, quia
mandata tua implere deſiderabam; & ut
implerentur ab hominibus geſtiebam.
Ezech. 29 Et per Ezechielem de ipſo dictum eſt:
Tibi dabo os apertum in medio eorum,
ut ſciant, quia ego Dominus. Ac per
hoc ut ea cauſa os Chriſti apertum inter
homines agnoſcamus; ut in divinam cog-
nitionem deveniant; forma primitus præ-
rogata eſt his, qui habent alios docere
juſtitiam, ut montem aſcendant, altitudi-
nem morum atque virtutum, ut aperiant
os mentis ad ſuſcipiendam cœleſtis gra-
tiæ infuſionem, ut doceant apertè; quæ
ſuſceperunt occultè, doceant humanè;
quæ acceperunt divinè, doceant liben-
ter; quæ acceperunt ſilenter, doceant
gaudenter, quæ acceperunt gratanter. Et
quæ gratis acceperunt, gratiſque refun-
dant. Tradant hominibus, quæ illis tra-
didit Deus, eóque fine, quo acceperunt,
diffundant, ſcilicet ut non diligantur ter-
rena, ſed cœleſtia in amorem deveniant.
Non quæ videntur, ſed quæ non viden-
tur, amore inceſſabili diligantur. Hoc
enim intendit omnis prædicatio Chriſti.
Hac intentione infunditur eis, qui non
ſolùm ſibi, ſed omnibus laborant exque-
rentibus veritatem; ut mala omnia devi-
tentur, & cordibus hominum inſerantur
tenaci amore virtutes; ut ſint ſtudioſæ,
quantum poſſibilitas ipſa concedit, & ipſa
neceſſitas poſtulat; ut temporalia non di-
ligantur, ut ſint temporanter in uſu; ut
ſolùm cœleſtibus ex omni animo ſuſpi-
remus. Proinde quia diſcipuli ad eru-
ditionem Chriſti ſuſcipiendam acceſſe-
runt, ſimul cum turbis audierunt ſequen-
tia, & quæ Chriſtus ore ſuo aperto trans-
fudit. Dilucidabuntur verò, quæ ore
aperto protulit, prout cor & os aperta
ipſe implebit.

Cap. IV.

De paupertate, quæ beatitudinem parit, ſecundùm Matthæum & Lucam.

Matth. 5. BEati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum
eſt regnum cœlorum. Imum in rebus,
odibile hominibus, deſpicabile in
perſonis, ante omnia beatitudini Chriſtus
adſcripſit. Et decoravit deforme appa-
rens, non tamen exiſtens, & per quod
homines plurimi ſecretum petunt, devi-
tant publicum, cognoſci nolunt, cùm
quo nobilitas graditur ex obliquo, ne ſit
generoſitas prompta, ſed remiſſa. Ob
quod videtur hominibus denegata pulch-
ritudo loquendi, & decora converſandi
moralitas ſæpe retunditur & turpatur, in
his duntaxat, qui virtutem radicis ejus
penitus ignorarunt. Et bene, quod odi-
bile fit hominibus, Chriſtus beatificavit,
quia quod ei placuit, miſeriam termina-
bilem & interminabilem in anima & cor-
pore fecit. Quod hominibus diſplicet,
Chriſto placet, quod hominibus placet,
Chriſto diſplicet. Idcirco hic beatum
ſuum, miſerum verò placitum hominum
vocat, cùm æternum væ alibi divitibus
atque refertis ex rerum abundantia com-
Lucæ 9. minatur, dicens: Væ vobis divitibus, quia
habetis conſolationem veſtram. Væ vo-
bis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Con-
gruè imo audaciter dixerim aliquid ſimi-
le habere cum cœleſtibus rationabilibus
creaturis, quod prædicatur beatum in
terris, & maximè dici felicem, cui pro-
mittuntur regna cœleſtia. De cœlo pau-
pertas ad terras deſcendit, ſicut pro nobis
factus egenus de cœlis advenit, præfe-
rens in ſe ipſius virtutis normam, cœle-
ſtem eſſe monſtravit, cùm non habere
neque velle terrena gerat ſimilitudinem
Angelorum. Qui terrena concupiſcere
neque poſſidere noverunt, Angeli ſunt
terreſtes. Nec minus quàm virginitas
cum Angelis habet aliquid commune
paupertas. Nam velut Angeli liberi ſunt à
carne atque à rebus terrenis, hoc in eis
dictante ipſorũ ſic creata natura, ita & in
homines à carnis concupiſcentiis oper-
ante divina gratia. Et terrena reſpuere fa-
cit voluntaria paupertas aſſumpta. Et ſic
Angeli terrena concupiſcere atque ipſis
uti nequeunt, homines verò poſſunt &
nolunt. Et hoc confert hominibus bea-
ta paupertas, quod illis contulit creata
natura. Beatificatur à Chriſto in ter-
ris

ris aſſumpta paupertas, cùm in Angelis ante creata fuit, quoniam nihil eis extitit ex creatione privatum, omnia eis communia facta ſunt. Qui verò ſibi complacuerunt in propriis, irremediabiliter corruerunt. Et ſanè paupertas, ubi nihil vendicatur in proprium, etiam ſi communitas abundaret. Nam divitem in cœlo, & in terra naturam decentem locis & rationabilibus creator omnium fecit, & debitricem ad neceſſitatem duntaxat omnibus eſſe conſtituit, qui verò ipſam ad voluptatem transgrediuntur, ut per abundantiam velint, habeant & utantur, naturam violant & corrumpunt, & ab ordine creato pervertunt, ac per hoc agentes contra naturam. Nemo atrocior, quam qui ſe tradidit philargyriæ. Quamobrem creatæ naturæ teſtis & conſervatrix eſt ipſa ſpontanea paupertas. Proinde ſi cœleſtis eſt ipſa, ſi regnat in Angelis, orare Chriſtus edocuit, fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra, ut velut Angeli natura pauperes ſunt, nihil ſibi conquirunt in proprium, nec aliud præterquam Deum volunt, ſic in terra in hominibus plenè fiat. Namque vera & actuoſa fides ſine paupertate non eſt, quæ magnum fidei teſtimonium perhibet, cùm homines ad ſe trahit. Ipſa eſt ſpei praxis, cùm propter cœleſtia terrena quæque contemnit. Charitas ſine ipſa non graditur, cum à viſibilibus hominem avellit, & inviſibilia capiat, & de Deo ſolum ditari cupiens, pauperem in terrenis ſuum conſtituit poſſeſſorem. Dives in mundo pauper de Deo, pauper in mundo, dives de Deo. Nemo dives de divinis atque terrenis ſimul inclaruit. Ex uno divitem, ex altero pauperem fieri lex æterna compellit. Etſi locupletes veteris teſtamenti patres ex divinis atque humanis quiſpiam proferret in medium, hanc ſententiam conatus ſubvertere, necnon & multos Sanctos novi Teſtamenti, quos novimus terrenis tuliſſe divitiis & abundaſſe divinis, advertat veteris Teſtamenti ſanctiſſimos Patres pauperes ſpiritu fuiſſe terrenis. Non enim afficiebantur poſſeſſis, ſed nihilipendebant, ut in omnibus perditis manſiſſent

Gen. 4. inconturbati. Nam Abel pauper ſpiritu fuit, & quanquam ſibi quædam animalia vendicaſſet, Deo tamen meliora offerebat, & ſanctus appellatus eſt, quod nec fuiſſet omninò, ſi ſpiritu terrenas divitias

Gen. 9. dilexiſſet. Et Enoch ambulavit cum Deo, & ultra non apparuit, quia tulit eum Deus. Sic cum Deo ambulavit non divitiis circunſeptus, non ſtipatus privatis, non enim ambulat cum Deo, qui terrena ſectatur, ſed qui quærens aliam vitam, propter illam iſtam contemnet, & ideo tulit eum Deus, quia ipſe terrena non tulerat, neque ipſe à terrenis attractus erat.

Magnus in paupertate Noe, qui præter Gene. 6. debitum uſum naturæ nihil ultra conquireret, & jubente Domino per centum annos ſemetipſum & ſua in expenſas dedit in ratem pro humani generis utilitate communi, non ad privatos uſus ſuas copias conſervans. Adeſt omnino ſancta paupertas, ubi adeſt & charitas, quæ non privata communibus, ſed privatis communia omnino præponat. Pauper profectò cenſendus eſt, qui ad divinum imperium cuncta, quæ poſſidet, modo & cauſa eſt paratus impendere. Quos enim ante primam mundi ablutionem ad Dei regnum credimus pertinere, pauperes & peregrinos abſque conſtructione civitatum & magnorum ædificiorum vitam communem peregiſſe aſſeramus. Abraham locuples fuit, ſed pauper ſpiritu, & peregrinus in terra. Qui ſi libens ad Gen. 22. ſacrificium obtulit filium, pro quo paterna congregatur hæreditas, ipſam hæreditatem jubente Domino libentius obtuliſſet. Et odio habebat privatum, qui Gen. 18. advenientes recipiebat hoſpitio, ut ex illa conſuetudine Angelos ſuſcipere mereretur. Protinus cæteri patres in hanc Job. 2. convenêre veritatem, ut Job hoſpitalis & dives cum egentibus cuncta participans, & omnibus deperditis gratias egit, originem ſuam & nudum ingreſſum in hanc umbraticam vitam animo & ore commemorans manſit imperturbatus. Si verò novi Teſtamenti patres in medium producere conaremur, profectò recolimus aut liberè omnia contempſiſſe aut dediſſe pauperibus alios ipſi pauperes fieri cupientes, aut velut Dei adminiſtratores & pii diſtributores omnia poſſediſſe ſine amore cordis uſu duntaxat corporis cum timore ſuſcepto. Cui igitur non eſt beata ex ſpiritu ſuſcepta paupertas, cùm ipſa quoquo modo proveniat, ſit quædam naturæ libertas, vivendi, dormiendi, ſtandi, prodeundi & converſandi quædam ſecuritas & moriendi tranquillitas? Repellit paupertas turbam famulorum, nec in manibus ſuſpectorum conſtitutus eſt pauper. Omne hoſpitium eum capit, & ubilibet poteſt reclinare cervicem. Spiritu pauper litigare non novit, latronem non horreſcit in via, per publicam & privatam gradi poteſt, civitates habitare, & penetrare deſerta. Terrenum judicem adire non habet, advocato in ſua cauſa non indiget, libellos porrigere aut recipere, nec de calumnia

juramenta præſtare. Nam ſi ei auferetur tunica, dabit & pallium, ut rumor forinſecus non adveniat, & ne propter rem temporalem videatur odiſſe fratrem. Nihil ſpiritu pauper cum dolore animi perdit, quia nihil cum amore poſſedit. Odium ad auferentem, triſtitiam de amiſſis ſuſtinere non poteſt, quia non diligebat, imo quod animo contemnebat, amiſit. Amicus reipublicæ pauper abhorrens habere privatum. Nihil in univerſo ſæculo rempublicam acerbius conturbavit quàm ad privata ſuſpirans. Non abs re ab hac virtute in ſua univerſali prædicatione Salvator incœpit, & beatitudine decoravit, quæ deſcendit de cœlis, ipſe animo, vita & moribus tenuit, quæ habet cum omnibus pacem, quietem in anima, libera in operibus ſuis. Cujus oratio non habet, ad quid recurvetur; quæ in terris portat ſimilitudinem Angelorum, quæ ſolicitudine nulla tenetur, humo non oneratur, ut libera volitet; quæ omnia terrena cujuſvis poſſeſſionis exiſtant, uno vendicavit in jure. Nam ab omnibus poſſit vitæ neceſſaria petere, qui de omnibus nihil ſibi vendicavit in proprium. Ejus, qui nullam habet, omnia domus eſt ſua, ſi capax extiterit. Et omne ſuperfluum eſt pauperis proprium, non jure legis ſcriptæ; ſed creatæ naturæ. Poteſt enim exigere ab omnibus habentibus naturali jure, qui præter naturam nihil novit habere. Cum paupertate creata ſunt omnia, ut eſſet ordinata communitas & omnis excluderetur proprietas. Unde paupertas privatio proprietatis exiſtit, quæ ſi ex ſpiritu Dei venit, & propriæ voluntatis, habet regnum cœlorum in terris. Nam ad eos ſancta Mater Eccleſia in ſuis copiis efficitur debitrix, qui plura & ſpiritu promptiori pro ſuo ſponſo & Chriſto capite contempſerunt. Et in illa regenda pro Epiſcopatu ſunt digniores, qui animo fuerint pauperiores. Hi ſolùm debent in Eccleſia tenere principatum, qui renuunt habere privatum. Et hi ſunt ab ejus regimine repellendi, potius verò non aſſumendi, qui propria emolumenta requirunt. Necnon & illi regnum cœlorum ſupernum jure mercantur, qui ſpiritu terrenum deſpicere certaverunt.

Cap. V.

De manſuetudine, qua terra viventium pro beatitudine poſſidetur, ſecundùm Matthæum.

Matth. 3. VErbum quod Salvator, aut conditio, quam in prima beatitudine appoſuit, ad veram intelligentiam in omnibus ſubſequentibus locum habet, & difficile, imo impoſſibiliter in veram intelligentiam devenitur, niſi protinus in omnibus repetatur. Beati pauperes ſpiritu, Salvator in prima beatitudine poſuit, ut ſi ſpiritus non aderit, nullo modo vera beatitudo ſit, ut ſive ſit Spiritus ſanctus, quo beatitudo conſiſtit, ſive libera voluntas hominis, ſine qua virtus naſciſcens beatitudinem nulla erit, in eandem ſententiam devenitur, cùm ſine ſpiritu Dei nec beatitudo aliqua & ſine ipſo ſpiritus noſtri aut voluntatis noſtræ nulla libertas. Quod & Apoſtolus aſſerit, ubi ſpiritus, ibi libertas, à vitiis videlicet, & à vinculis hujus ſæculi defluentis, ut & voluntas ab omnibus contrariis libera, & in bonis agendis ſibi adſit plena libertas. Proinde in intelligentiam ſequentis beatitudinis venire cupientes, ſpiritu adnectamus, ſicut in prima poſitum eſt. Eſt ſiquidem mutitas corporis ex defectu naturæ, necnon ex voluntate ſe mutum aliquis facit, cùm ſectatur ſacra ſilentia ex amore virtutis, Spiritu Dei actus intendit, & vacat ſanctæ taciturnitati. Sic & eſt mititas in ſimilitudinem mutitatis, aut ex quadam natura, aut ex timore proveniens. Eſt & quæ cauſatur à ſpiritu & libera voluntate, qua ſe homo mutum facit non habens ad opprobria, & ad convitia, & ad qualibet maledicta redargutionem aut repunctiones. Hujus ſiquidem virtutis Salvator ſolus voluit eſſe Magiſter, dicens: Diſcite à me, quia Matt. 11.
mitis ſum & humilis corde. Eſt quidem hæc virtus ſupra petram ſituati cordis, & ſuper exaltati à materiis ſenſibilium rerum & appetibilium ſecundùm carnem & apparentiam ejus. Ipſa eſt enim quædam intranſmutabilitas animæ, in honoribus & ignominiis ſimiliter ſe habens non variatus animus in his, quæ ad eum indigna ſeu digna proveniunt, taciturnitatem prætenquam ad irreprehenſibilia per omnia poſſidens, uniformis ſecundùm virtutem mens, & manſueta vita ſine querela degens, in nullo ſe præferens eis, quibus ſociata manet. Non derogat ſententiæ vera dicentium, nec reputat ſe meliora cognoſcere, propellens eam contentionem, quæ per apparentiam, aut inanem gloriam agitur, in quodam

Digitized by Google

dam profundo humilitatis incluſa, indignam vita ſe reputat. Qui hanc virtutem habet, ſui eſt compos, ſuique poſſeſſor, Qui verò ſemetipſum actu & theoria poſſidere didicerit, ex promiſſione divina æternam terram, atque ſupernam poſſidere nanciſcitur. Proinde Salvator ait:
th. 5. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Verè beati mites, qui ſeipſos poſſident invariabili animo, & dominantur ſibiipſis, velut rebus, quat poſſident. Altius enim eſt ſuipſius eſſe poſſeſſorem, & Dominum, quem omnium rerum extra poſitarum Et in hac umbratica vite protinus eſt quædam felicitas ſub decretu virtutum totum eſſe hominem ad ſeipſum, & non illectum à concupiſcentiis vanis, non ſociatum malis, cui addetur æterna felicitas, ſcilicet poſſeſſionis æternæ, ubi ſine fine beati, quoniam ipſi poſſidebunt terrem, ſcilicet viventium,
141 de qua Pſalmiſta optando dicit: Portio mea Domine ſit in terta viventium. Non enim eſt hæc terre calcata pedibus hominum, & quadrupedum & corpore reptata ſerpentium, terra viventium, ſed mortalium eſt. Illa verò ſuperna eſt viventium, ad quam ſuſpirat omnis intentio verè credentium Nec iſta terra præmium eſt eptum tantæ virtuti, ſcilicet mititati, cui in operibua Adæ Dominus maledixit, ſed ille cœleſtis, cui Dominus benedixit, ſicut ſcriptum eſt: Benedixiſti Pſal. 84.
Domine terram tuam. Ad quam benedicti Patris in finali judicio interentur, in qua ſolùm, qui recti ſunt, habitabunt in ea, iniqui verò ex illa perdentur. Sic enim Salomon ait: Qui recti ſunt, habi- Prov. 90.
tabunt in terra, quie generatiu rectorum benedicetur benedictione æterna. Et qui ſimplices ſunt, permanebunt in ea. Mites enim ſimplices ſunt, quie invariabiles ſunt, & incompoſiti, quia velut ſui ſimiles Deus quærit, quia ſimplex & incompoſitus eſt. Sed impii verò de terra perdentur, & qui iniquè agunt, auferentur ex ea. Nam ex illa buni & mali pariter auferuntur. Superna igitur civitas, quæ ratione ſoliditatis terta nuncupata eſt, poſſeſſio eſt mitium, atque ſimplicium manſuetorum atque rectorũ, in Spiritu ſancto docente in ſpiritu propriæ voluntatis atque humilitatis iſta tenentium, de qua impii perduntur.

Cap. VI.

De luctu, cui beatitudo promittitur, ſecundùm Matthæum & Lucam.

IN neceſſitate nobis factus eſt luctus ex peccatis propriis & paternis. Et ipſe noſter incolatus nos invitat ad lacrymas, & expulſio in turbulentum & in inquietiſſimum locum, ubi omnia pejoribus ſemper conditionibus alternantur. Necnon ad fletum cogit mortales ipſa inevitabilis neceſſitas moriendi, magis verò incertitudo loci, qui meritis noſtris aut demeritis nos expectat. Et dijudicationis dies, in quem indeclinatè feſtinamus omnes, fluvium educere lachrymarum angit. Eſt & luctus, qui exoritur ex amiſſione amatarum rationabilium & irrationabilium rerum, ſed uterque reprehenſibilis quanquam diſpariter. Unus ab altero velut proceſſus corruptæ naturæ eb ordinatione creatæ. Nam dolere vel flere perditis ſimilibus in natura ipſa natura favet, quoniam ex ipſa ſimilia libenter & aptè ſimilibus ſociantur. Et amor inſitus à natura ſic agitat, Quamobrem diſſociatio habet ex natura dolorem, ſi ex natura ſociatio ſervavit emorem. Sed gratia hunc fletum atque dolorem irreprehenſibilem facit, cùm nihil amittatur, quod in Deo diligitur, cùm & in ipſo nobis ſalva ſint omnia, quamvis & ſæpe addita ſpecie pietatis defleamus quoſdam charos, utiles ad virtutem, ad documenta cœleſtia, & ad capienda divina, quamobrem deploratus eſt Noe, Abhraham, Iſaac, Jacob, Joſeph, Moyſes, Aeron, Juſue Samuel, David, & quamplures Sacerdotes, & Prophetæ atque boni Reges, & in Machabæis multi bellatores, Duces & Sacerdotes in luctum populorum venerunt. Et Apoſtolorum Principes apud urbem, & cæteri, ubi finierunt, & multi Archimandritæ paſtoréſque dominicarum ovium, cùm deceſſerunt, luctum reliquêre relictis, Necnon & compaſſione patientium plerúnque fletus adveniunt. Si verò ex rebus perditis ratione carentibus luctus exoritur, culpæ atque reprehenſionis acerrimæ notam habet, cùm fletus, niſi ex amore colligato jam diſſoluto rei amiſſione ſecuta provenire non poſſit, & tantundem torquet animum, & fletum inducit, quod amittitur, quantùm in amore tenebatur. Nec perditur ſine luctu, quod ſine amore non adhærerat, Nec dolore uritur, qui amittit ſine amore poſſeſſum. Quante igitur ſic culpa cauſandus, reprehenſione dignus, pœna ple-

ctendus qui dilexit, quod non novit diligere, atque quod ſolum eſſe debet ad unum, transferat in amorem, & quod dolorem indignat, quod dolore non poteſt, & planctum faciet ſive luctum, quod horum nec ſentit aut novit originem, enuntiari nequit. Sed ego dementem dixerim & brutorum gregibus aſciſcendum, qui mente ſeu ratione amiſſa carentia deflet. Quod quamdiu quis facit, non eſt ad gratiam neque ad beatitudinem coaptandus, magis autem inter irrationabilia deputandus. Ac per hoc, cui luctui ſine quali beatitudinem Salvator adnexerit, advertamus. Omnis vera beatitudo, quæ nusquam, niſi apud Deum eſt, non eſt ab ipſo promiſſa, niſi actiunibus, aut illis affectionibus neceſſariis, ſine quibus nulla hominum ſalus, aut illis ſine quibus ſalus, ſed cum illia lucidior & proximior pollicenti. Illæ in præceptis, aliæ in conſiliis. Præcepta ſiquidem non habent lugendi materiam, conſilia verò habent gaudendi, cùm ſit in eis via propenſior ad ſalutem. Sed ſi more humano loquar, quantò à mundo quis expeditior, tantò gaudentior, cùm non ſit, unde amittendo quippiam torqueatur, quamvis & mos humanus fleat temporalia, cùm amittit. Sed in illum luctum ſenſum horum verborum trajicio, qui de offenſione divina procedit, qui cùm offenſus eſt Deus, deberet inhauſtibili vena defluere, & nihil penitus aliud ſit fletu & amaro luctu dignum, niſi cùm rerum creator offenditur. Et in illum etiam, qui de negligentia noſtra procedit, cùm ſicut poſſumus, non obſequimur divina divinè pro noſtris utilitatibus imperanti. Et hic luctus eſt geminus, cùm offendimus, & delinquimus, ut & hæc non ſolùm in nobis, ſed in aliis lugeamus. Qui facilè placat Deum, & majorem acceptioremque Deus compaſſionem habet ad proximum, quam ſi pro corpore ſuſtentando noſtram omnem ſubſtantiam donaremus, præſertim ſi ſublevatio ex impenſo auxilio ſubſequatur ad tollendum malum proximi jam prolapſi. Undique nobis exiſtentibus in valle lacrymarum materia luctus offertur, ut aſcenſiones ad optima in corda hominum diſponantur. Ad quem Salvator beatitudinem pollicendo invitat, dicens: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Matth. 5. Seu aliter alio referente: *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.*

Cap. VII.

De eſurie juſtitiæ, cui dabitur æterna ſaturitas in beatitudine, ſecundùm Matthæum & Lucam.

INfallibilis & æterna juſtitia agendæ juſtitiæ commendavit eſuriem, cùm beatitudinem adjecit in præmium, nec beatitudo vera conſequitur, niſi ipſa
Lucæ 6. præceſſerit. Sed quæ præcedit in ordine actionis, & in diſſertione omnino præcedat, de qua ſermo difficilis. Eſurit famelicus in corpore, & impaſtus, ſitit calore ardens, non potatus, ſed cibum & potum. Eſurit anima affecta ſupernis, ſed illa, quæ in ſuperna ipſam poſſunt inferre juvamina. Sitit ardens deſiderio ſuperiorum, ſed prius quæ ad meritum faciendo expediunt. Jubet æterna juſtitia agendæ juſtitiæ ordinem non perverti, ſed in affectione & actione ſervari, ut prius agenda juſtitia ſit in voto, quàm æterna decernat in præmio. Juſtitia & injuſtitia in agendis ad ſe æternam juſtitiam in judiciis attraxerunt, illa pro præmio, altera pro ſupplicio. Agens enim juſtè per juſtitiam Dei bonis applicatur æternis, juſtè enim gradiens æternis tortionibus deputatur. Quieſceret ad nos divina juſtitia, niſi noſtra juſtitia, ſeu illam noſtra injuſtitia propulſaret, quibus vexantibus ſedem ejus ipſa infallibiliter & imperturbatè decernit. Proinde amator hominum Chriſtus ne per noſtram injuſtitiam ſagitta æternæ juſtitiæ in æternum poenaliter damnaremur, ſed præmiis ditaremur æternis, eſuriem & ſitim diligendæ atque agendæ juſtitiæ mentibus noſtris inſeruit, dicens: *Beati, qui eſuriunt* Matth. 5. *& ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Unde beati? Pro eo, quod juſtitiam eſuriunt, & ſitiunt. In quo beati? Quia ſaturabuntur. Origo beatitudinis ex eſurie, atque ſiti. Fructus ejus in ſaturitate videlicet indeficiente, ſed neque faſtidiente, non ex perfunctoria, ſed æterna. Attamen eſuries agendæ juſtitiæ nunquam in ſaturitatem deveniet, quouſque huic ſæculo præſto ſumus. Nemo ita ſaturari bonis addendis ſe credat, ut non ſemper apponat, nam ſi ceſſaret eſuries quia aut faſtidium ficret; aut crederet ſe attigiſſe quod perfectum in virtutibus eſt, & utrobique periculum, quia negligens negligetur, & qui ſe putat alta aſcendiſſe, dejicietur. Proin-

Proinde nemo ad hanc eſuriem adjiciat
ſaturitatem. Nemo ad hanc ſitim appo-
nat extinctionem. Semper adſit eſuries
perficiendæ juſtitiæ. Sitis nunquam de-
ficiat apponendæ bonitatis, ut etiam poſt
omne mentis, & intellectuale ſtudium,
& omne corporis exercitium id, quod
dicitur, ſufficit, propellatur. Sed quid
eſt eſurire atque ſitire juſtitiam, niſi ſe
inſatiatum & inſatiabilem reddere ad om-
ne, quod paratur ad regnum, ad corri-
gendum omne perperam factum, ad vin-
dicandum in ſeipſo delictum, & punien-
dum amarè peccatum, ad rependendum
pro gratia, ad debita perſolvenda, ad cu-
ſtodiendum immaculatè depoſita, & ad
perficiendum ſine contradictione injun-
cta, & ſine ſimulatione conſuita, & ad
patienter portandum quæcunque noſtræ
ſenſualitati contraria, necnon & ſemper
tenere indeſinenter moderamina vitæ,
acſi quæ interminata tormenta & mor-
tem intentatam promptè ſuſciperè, quam
ipſam juſtitiam intermittere. Non au-
tem legalem juſtitiam ſufficit eſurire, ſed
juſtitiam fidei, ut Apoſtolus pro ſe &
P. 3. omnibus fidelibus aſſerit. Ut inveniar
in illo, non habens meam juſtitiam, quæ
in lege eſt, ſed illam, quæ eſt ex fide
Chriſti JEſu, quæ ex Deo eſt juſtitia in
fide, ad cognoſcendum illum ex virtute
reſurrectionis ejus, & ſocietate paſſio-
num illius configuratus morti ejus Nam
& Abrahæ ſolùm credulitas ſibi ad juſti-
tiam deputata eſt, unde ſcriptum eſt:
. 15 Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt
illi ad juſtitiam. Et hæc eſt juſtitia, quæ
oſculum paci dedit, ut eſſet inter Deum
& nos, non juſtitia legis aut circumciſio-
nis, cum ſcriptum eſt: Juſtitia & pax
84. oſculatæ ſunt. Hæc juſtitia elevat gen-
tem, ſcilicet cùm crediderit, miſeros fa-
cit populos peccatum, ſcilicet increduli-
tatis. Hæc ſola eſt conſummata juſtitia,
de qua per ſapientiam dicitur: Noſſe
13. enim te conſumata eſt juſtitia. Non enim
aliter in hac vita quàm per fidem noſci-
tur Deus verus & humanatus filius ejus.
Et agenda vita in juſtitia omnimode fit
ex fide, cùm Propheta dicit: Juſtus au-
. 2. tem in fide ſua vivit. Omnibus ſatagen-
tibus ad ſalutem indicitur iſta eſuries, at-
que ſitis, ut in juſtitia fidei ſtabiles, & in
ipſa dumtaxat ſperantes inveniamur ope-
ribus additis, cùm fides ſine illis mortua
indicitur, dicente Jacobo: Fides ſine Jacob 1.
operibus mortua eſt in ſemetipſa. Ac per
hoc ſi operibus impletur juſtitia fidei,
oportet agoniſtam in agone iſto actio-
nem juſtorum operum eſurire, atque in-
ceſſanter intendere agenda, ut juſtitia
impleatur. Declinatio omnimoda ma-
lorum ad juſtitiam pertinet. Non enim
eſt juſtus, qui non declinat ab omnibus
parvis, & qui ſe non avertit ab omni ini-
quitate. Hinc qui affectabat juſtitiam,
decantabat: Ab omni via mala prohibui Pſal. 108
pedes meos, ut cuſtodiam verba tua. Et
alibi: A mandatis tuis intellexi, propte-
rea odivi omnem viam iniquitatis. Et ad
omnia mandata tua dirigebar, omnem
viam iniquam odio habui. Et omne quod
eſt rectæ aut honeſtæ actionis & inviſi-
bilis contemplationis, ad juſtitiam om-
nem ſuum habet aſpectum, ut etiam, ſi
expedierit, acerbis pœnis in martyrio ju-
ſtitia impleatur. Succedit huic eſuriei
atque ſiti beatitudo ſaturitatis, ut ſic ani-
ma bonis omnibus repleatur, ut am-
plius deſiderare atque affectare non no-
verit, refecta divina viſione pro fide,
ſupernis pro terrenorum contemptu,
pro ignominia gloria & honore coro-
nata, pro pœnis atque tormentis
omni ſuavitate cum æterna & im-
perturbabili pace. Sed nemo ani-
mam ſuam fallat, ut ſi perfecerit om-
nem juſtitiæ regulam, omnem veteris
& novi teſtamenti compleverit juſſio-
nem, & etiam conſiliorum perfectionem
adjecerit, quòd per hoc ex ſufficienti me-
rito æternæ ſaturitatis præmium impen-
datur. Nam ſicut de juſtitia legis, ita &
de Evangelica intelligendum eſt, quod
dicit Apoſtolus: Si per legem juſtitia, Gala. 2.
ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Et
quamvis juſtificari dicamur per fidem,
non ea plenitudine, quin miſericordia
divina excedens merita noſtra opus ſit,
quæ ſupra meritum & condignum atque
ſperatum præmiat fideles, ut in nobis non
ſimus confidentes, de qua ſequitur.

Cap. VIII.

De miſericordia exhibita in valle miſeria, cui beatitudo æterna miſericordia praparatur, ſecundùm Matthæum & Lucam.

OPpido exigente peccato in valle mi-
ſeriæ habitamus, ubi humana na-
tura ſubjecta miſeriis miſericor-
diis alterutris indiget refoveri. Sed cre-
breſcentibus peccatis propriis cum pater-
nis, à credulitate homines tenebantur, ut
potens premeret imbecillem, abundans
pauperem, ſanus infirmitatem. Necdum
ut

ut eſſet ſubventio in opportunis, ſed fie-
bar oppreſſio opportunis ; de quo per
Oſee. 4. Oſee Dominus conquerebatur : Non eſt
miſericordia in terra. Et viſcera impio-
rum crudelia ſunt, ut etiam indigentibus
non miſereantur, ſed potius opprimant, &
ſupplantent , & exprobratur omnium
creatori propter calumniam , quam pa-
tiebantur indigentes. Sic enim ſcriptum
Prov. 14. eſt : Qui calumniatur egenrem, expro-
brat factori ejus , honorat autem eum ,
qui miſeretur pauperi. Hinc Salvator
omnium miſeraturus adveniens , quo-
niam omnes peccatorum & pœnarum
miſeriis premebantur, voluit ſuam miſe-
ricordiam per noſtram miſericordiam
prævenari, velut ſi noſtra ſuam ſibi quo-
dam commercio applicaret, ac quadam
licèt iniqua juſtitia miſericordiam miſe-
Matth. 3. ricordia compararet, dixit : *Beati miſe-
ricordes , quoniam ipſi miſericordiam conſe-
quentur.* Homines miſericordes in eo
beati ſunt , quo ipſi per miſericordiam
temporaliter exhibitam, divinam miſari-
cordiam æternaliter adipiſcuntur. Et ſi
nihil aliud eſſet facere miſericordiam mi-
ſeris, ac ipſam præſtare poſcentibus, pro-
miſſio divinæ miſericordiæ eſt cauſa po-
tiſſima, cùm nemini ſua juſtitia valeat ad
ſalutem , niſi miſericordia divina ſubve-
niat. Et quotquot in hanc mundi miſe-
riam ex carnis traduce devenimus malis
hæreditariis , aut ex propriis acquiſitis,
digni æterna pœna miſerabiliter ſubjace-
mus , duntaxat ad beatitudinem divina
miſericordia indigentes, qua ſola ſalvan-
dis provenit ſalus. Et quanquam ab ad-
ultis juſtitiæ opera exigantur, non tamen
ad merendum bona ſuperna ſufficiunt ,
cùm omnes noſtræ juſtitiæ ſint quaſi
Iſaiæ 44. pannus menſtruatæ. Et ad Titum Apo-
Ad Tit. 2. ſtolus ſcribit : Non ex operibus juſtitiæ,
1. Petri 2. quæ fecimus nos , ſed ſecundùm ſuam
miſericordiam ſalvos nos fecit. Et ait
Petrus : Benedictus Deus, & Pater Do-
mini noſtri JEſu Chriſti , qui ſecundùm
magnam miſericordiam ſuam regenera-
vit nos in ſpem vivam per reſurrectionem
JEſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem
incorruptibilem , & incontaminatam ,
& immarceſſibilem conſervatam in cœ-
lis in vobis , qui in virtute Dei cuſtodi-
mini per fidem in ſalutem paratam reve-
Judas in lari in tempore noviſſimo. Et Judas in-
canoni. quit his, quos ad virtutes hortatur. Ex-
pectantes miſericordiam Domini noſtri
Lucæ 6. JEſu Chriſti in vitam æternam. Quam
miſericordiam Salvator omnibus miſe-
ratus, pro beatitudine promittit & tribuit
his, qui aliis & cum aliis miſericordiam
facere decreverunt. Ad quam alibi hor-
tatur auditores, dicens : Eſtote miſeri-
cordes ſicut & Pater veſter cœleſtis mi-
ſericors eſt, ut forma faciendæ miſericor-
diæ in hominibus à divina formetur ean-
dem imaginem ſemper habens ; prout
petentibus & pœnitentibus & reveren-
tibus miſericordiam donat. Ita & delin-
quentibus, & peccantibus miſericordiam
impendamus, & ſubveniamus miſeria me-
ritis indiſcuſſis. Porro vera miſericor-
dia non reſpicit miſeri dignitatem , ſed
indigentiam relevat. Agit quod ſui eſt
juris, non quærens, quid mereatur acci-
piens. Miſericordia non in meritum, ſed
in miſerum tendit. Non quid poſſit re-
cipere, ſed quid & cui poſſit impendere
intuetur. Solaris enim lux, cùm diffun-
ditur, non conſiderat corporum mundas
& immundas varias qualitates, ſed indif-
ferenter objecta illuminat, eo plus & mi-
nus, quo ſunt apta receptui. Interro-
gat miſericordia de domibus miſerorum,
non de gradibus divitum. Ad illos enim
morali relatione refertur, ac ſi miſericor-
dia quaſi ad miſerum ſit, cùm qui miſer
non eſt, nec ſibi appetit miſereri. Et
ſemper in actu debet eſſe miſericordia ,
ſaltem in interiori homine, quouſque in-
ſtat præſens miſeria. Temporaliter enim
agitur; quoniam neque ad æternè miſeros
provenit divina, nec indicitur inflecti hu-
mana. Supernè autem , & æterne feli-
ces illa non indigent. Proinde ad vitam
ſolùm agendam miſericordia deputatur.
Non eſt in ſuperis indigentia, nec in infi-
mis facilitet revelanda miſeria. Hic aga-
tur, hìc impendatur, hìc cum ipſo Domi-
no poſſumus fœnerari. Scriptum eſt
enim : Fœneratur Domino, qui miſere-
tur pauperi. Sed in quo? In divina mi- Prov. 19.
ſericordia conſequenda , cùm dicatur :
Beati miſericordes, quoniam ipſi miſeri-
cordiam conſequentur. Humanè atque
altè humano generi proviſum eſt , quia
humanè inter homines mutuò miſeri-
cordia præſtatur, & ex hoc altè divinam
conſequemur. Cogimur utilitate noſtra
evadendi æterna pericula, habendi ſuper-
na, miſericordes fieri & animo compaſ-
ſivos ad eos , qui miſeriis peccatorum
aguntur , & qui corporalibus premun-
tur anguſtiis, necnon & ad eos, qui of-
fenderunt, dum reſipiſcunt à malis infe-
rendis , dum veniam poſtulant de obje-
ctis. Attamen nemo autumet ſibi ex
æquo ſeu per juſtitiam deberi miſericor-
diam divinam , ſi ſuam in hominibus fe-
cerit. Nunquam enim divina humanis
quantumcunque plis actionibus compa-
rantur. Alioquin miſericordia non eſſet
miſericordia, ſi per juſtitiam donaretur.
Nam

Nam ſi non eſſemus miſeri à peccatis paternis, & propriis immaculati diceremur, & juſti quadam originali juſtitia, qua cuſtodita nulla pœna conſequetur. Sicque Divina miſericordia ſuper eruendos à malo non caderet, ſi nullus eſſet miſer ex culpa, qui pœnis tradendus eſſet, à quibus per miſericordiam Divinam quis erueretur, non per ſuam juſtitiam cuſtoditam. Sed ſi omnino immaculati eſſemus, nullis per culpam mancipandi pœnis, non tamen per juſtitiam noſtram bonis applicaremur æternis, cùm ex nobis corruptibilibus mortalibus, temporalibus deſit penitus digna facultas, qua per juſtitiam in ſublimia tolleremur. Quis enim homo Deum, mortalis immortalem, temporalis æternum, creatus creatorem ex juſtitia ſibi acquiſivit in præmium & beatitudinem ſempiternam? Proinde rurſus ad beatitudinem interminabilem miſericordia opus eſt, etiam his, qui non peccaverunt, qua indiguerunt, & acceperunt ſupernæ atque intellectuales ſubſtantiæ non peccantes. Aliter namque decernit miſericordia, cùm liberat à culpis, & à debitis ſibi pœnis, aliter, cùm bonis ditat æternis. Tunc liberat juſtè multandum à debita ſibi pœna, ſed ibi introducit indignum, quia mereri non potuit in non debitam ſibi per juſtitiam gloriam. Ac per hoc miſericordiam inter homines facientes, non ſibi Divinam miſericordiam arrogent per juſtitiam propriam, ſi quomodo ipſa proveniat, ſed gratis deſcendiſſe ſuper nos credamus ipſam, etiam ſi omnia bene fecerimus, ſervi inutiles ſumus. Veruntamen imitatores veteris teſtamenti, Abrahæ, Loth, Job, David, Thobiæ, ſimul & novi compaſſionibus & operibus miſericordiæ intendamus, ut miſe ricordiam pro beatitudine conſequamur in tempore opportuno, qua omnes in hanc miſeram vitam editi indigemus, quam & fuſis lachrymis poſtulemus, prævenientes miſericordiis noſtris, quia judicium ſine miſericordia fiet ei, qui non facit miſericordiam.

Cap. IX.

De cordis munditia, quæ beatitudinem Divinæ viſionis aſſequitur, ſecundùm Marcum.

Maximum & ineffabile, necnon incomprehenſibile objectum interiori viſioni poſitum, imo conditione interjecta munditiæ promiſſum, atque porrectum eſt. Magnum porro in virtutibus eſt hominis interioris munditia, cui viſio promittitur ipſa Divina, cùm
Matth. 5. dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Purgandi ergo ſunt ſenſus ad ſuſceptionem decentium objectorum, ut ſi macula ſenſibus hæreat, non recipiatur in toto, vel minus in parte, quod ipſis objicitur. Et quando nobiliora & exiliora ſunt ex natura ſuſceptivis ſenſibus objecta forinſecus, tantò mundari, atque propenſiores expedit fieri ad ſuſceptum. Et ſi hoc exigitur in corporeis, multò magis in his, quæ ſola mente percipiuntur, atque percipiunt. Etſi ad intelligibilia, quæ ſecundùm naturam intellectui proportionabilem fiunt, opportunitas etiam ſic fieri perſuadet, amplius multò ad ea capeſſenda, quæ non ſecundùm naturam fiunt, ſed ſuper naturam, & omnem intellectum naturalem ſupernaturaliter non fiunt, ſed exiſtunt. Deus quippe unus, immenſus, æternus, immortalis, incorruptibilis, & incomprehenſibilis eſt mente, ineffabilis verbo, incircumſcriptibilis loco, interminabilis tempore, vincens ac ſuperexcedens omnem intelligentiam noſtram, & viſionem ſpiritualem, atque corpoream, lucem enim habitat inacceſſibilem. Quid igitur eſt, quòd ipſe Salvator cordi mundo viſionem hujuſcemodi repromittit? Eſt ne cor carneum, imo expreſſiori loquendi genere cor caro ad hanc viſionem idoneum? Negaverim quidem, niſi cor hoc Divino Verbo, ipſam ſpiritualem ſubſtantiam animæ intellexerim pro tempore ipſi corpori unitam, in tempore ſeparandam, æternè pœnaliter vel feliciter reuniendam, cui ante viſionem Divinam Salvator indicit munditiam. Proinde hic prætereant, aut prætereamus ſilentio corporum nitiditates, munditias & claritates, fiat ad interiora ingreſſus, ibi celebretur ablutio, ibi balnea, ibi baptiſmata multa, ibi conatus omnis ad munditiam apponatur, ibi amoveatur omnis albugo & lippiditas oculorum, cùm ſibi, non corpori viſio Divina promittitur. Poteſtne noſter aſpectus interior in majora quàm in Divina transferri? Poteſtne altius terminari, atque quippiam jucundius intueri? Nec temerè, ſed audacter dixerim, quòd neque ſeparatæ ſubſtantiæ, atque ſupernæ, nulla mole corporum preſſæ, in altiora videndo tolluntur, quanquam diſpari & differenti contemplatione ſecundùm inhærentem munditiam majorem, atque minorem Deus ipſe ab humana mente cernatur. Veruntamen, ſi placet promiſſum, non diſpliceat prærogatum. Si placet præmium,

mium, & unde ſit meritum placeat. Si
delectat viſio ipſa Divina, omnino inſit &
ipſa cordis, id eſt humanæ mentis mundi-
tia. Sed unde munditia niſi à ſordibus ?
Unde autem & quæ ſordes ſubſtantiæ in-
corporeæ? Hinc & ſi ſordes invenerimus
ſpirituales, & qualiter fiat interior, & ſpiri-
tualis munditia indicabitur. Nam cùm
Dominus per Prophetam de immunditiis
Jeruſalem argueret, ut mandaretur & à
Iſaiæ 1. quibus admonuit: Lavamini, mundi eſto-
te, auferte malum cogitationum veſtra-
rum ab oculis meis, quieſcire agere per-
versè. Malum nempe cogitationum ani-
mam maculat, & facit immundam. Eſt
autem hujuscemodi malum, cùm de Dei
miſericordia ſeu juſtitia ſeu bonitate ali-
quid cogitatur indignum, aut quod non
ſit æqua & ſemper manus ejus potenter
Pſal. 72. extenta. Et ſicut ſcriptum eſt: Cogita-
verunt & locuti ſunt nequitiam, iniquita-
tem in excelſo locuti ſunt. Et cùm ad-
versùs proximum cogitatio mala deſevit,
ſicut impii viri fecerunt contra Jeremiam,
Jerem. 18 dicentes : Venite cogitemus contra Je-
Joan. 11. remiam cogitationes. Et Judæi, qui co-
gitaverunt ut innocentem Lazarum in-
terficerent, & ſedulò cogitabant, ut Chri-
ſtum morti traderent. Subrepit in men-
tibus hominum ſæva cogitatio, ut lædatur
innocens, ut etiam innocentem contra
Dei præceptum ſeveriſſimè vindicet. Nec-
non & impia, ne ſubveniatur egeno, ſicut
Deut. 15. ſcriptum eſt : Cave, ne ſubrepat tibi impia
cogitatio, & dicas in corde tuo, appropin-
quat ſeptimus annus remiſſionis. & aver-
tas oculos à paupere fratre meo. Et to-
tum, quod ibi ſequitur, ad id dictum eſt,
ne impia cogitatio in anima ſedeat, ne præ-
ſtetur ſublevatio indigenti. Eſt & cogi-
tationum immunditia, cùm cogitantur
inutilia. Contra quos dicitur : Cogita-
tiones eorum cogitationes inutiles. Et
Iſaiæ 59. alibi : Væ! qui cogitatis inutile. Inutilis
Mich. 2. quidem cogitatio eſt in his, quæ ad rem
non pertinent, & cogitantis ſuperans fa-
cultatem, ut quod corde concipitur, ne-
quit effectui mancipari, ſicut qui per tur-
rim cogitaverunt uſque ad cœli aſtra con-
ſcendere. Eſt & malum omnem perpe-
ram cogitatum, quoniam ex hoc ſepara-
tio fit ad Deo. Etenim ſapientia dicitur :
Sapien. 1. Perverſæ cogitationes ſeparant à Deo.
Hinc ad munditiam perficiendam ſic adii-
Jerem. 4. citur : Quieſcite agere perversè. Sic &
per per Jeremiam mentem mundari do-
cuit : Lava à malitia cor tuum Jeruſalem,
ut ſalva fias. Uſquequo in te morabuntur
cogitationes noxiæ? Malitia, ne caſu di-
xerim, à moliendo malum nomen accepit,
ut ſæpe amplior ſit in homine malitia,
quàm facultas. Et homo per malitiam
occidit animam ſuam. Sed indignatio Sapien.
Domini ſuper omnes gentes, & furor ejus 16.
ſuper omnem malitiam eorum. Proinde
citò cor hominum eſt ab omni malitia de-
puratum, ſi ad Divinam viſionem præten-
dit cordis intuitum. Ad quod hortatur
Jacobus, dicens : Abijcientes omnem im- Jacob 1.
munditiam & abundantiam malitiæ. Et
Petrus : Deponentes omnem malitiam. 1. Pet. 2.
Quo nomine omne malum exiſtens in Prov. 22.
anima datur intelligi, & cùm quippiam
molitur in effectum educere, à qua emun-
datum cor viſioni Divinæ jam Deo permit-
tente aptum efficitur. Quoniam qui di-
ligit cordis munditiam, propter gratiam
labiorum ſuorum habebit amicum regem.
Nemini ſui ipſius tam libens & libera fit
oſtenſio, quàm ejus, qui amicitia honeſta
copulatur. Et Job dictum eſt : Si mun- Job 8.
dus & rectus inceſſeris, ſtatim omnipo-
tens vigilabit ad te. Sed nec noſtra vir-
tute agitur iſta munditia, ſed ejus, qui per
orationem decernit noſtris indigentijs ſub-
venire. Ergo intendatur orationi, ut cor-
dis munditiam aſſequamur. Hoc ajebat
David : Ab occultis meis munda me Do- Pſalm. 18.
mine. Et alibi : Aſperges me Domine Pſalm. 50.
hyſopo & mundabor, lavabis me, & ſuper
nivem dealbabor. In affectu cordis hanc
munditiam & ablutionem oportet teneri,
ut ſit mundus, atque ab omni malo depu-
ratus affectus, ac etiam à ſordibus rerum
omnium terrenarum, quæ ſordes ſunt non
ex natura rerum, ſed cùm in affectum tran-
ſeunt inviſibilium animarum. Hinc Joan-
nes Apoſtolus prohibet terrena quælibet 1. Joan. 2.
diligi, cùm dicit : Nolite diligere mun-
dum, neque ea, quæ in mundo ſunt, non
velut res natura malas, ſed velut animæ
ſordes, cui cuncta viſibilia & corruptibilia
comparata ſordeſcunt. Magnæ protinus
immunditiæ ſunt quæque terrena cordi-
bus hominum, ſi tranſeunt in affectum,
cùm ex toto corde ſit datum ſolùm de
Deo diligendo præceptum. Quæ autem
ſit iſta viſio cordis munditiæ conjungen-
da, nec eſt explicanda, imo impoſſibiliter
explicatur ſermone, an ſit viæ vel patriæ, in
corpore vel extra corpus, intuitiva ſeu per
imaginem, in anima vel in corpore. Sed
ſolùm hoc unum dixerim, quod ſi beati-
tudo ex iſta viſione ſubſequitur, quod non
in via, ſed in patria. Extra corpus in tem-
pore, in corpore ſempiternè, intuitiva,
non ænigmatica. In anima ante reſurre-
ctionem generalem cum corpore, cùm
erit Deus omnia in omnibus. Alioquin
beatitudo fallax, ſi non Divina & æterna.
Si verò ad illam imperfectam beatitudi-
nem, quæ in via percipi poteſt, dictum
re-

refertur, viſio iſta non erit prout extitit illa Pauli, qua vidit arcana, quæ non licet homini loqui, ſed ad cognitionem clariorem eorum, quæ Dei ſunt, cùm neque Adam, Abel, Enoch, Noe, Abraham, Jacob, Moyſes, Joſue, neque aliquis Sanctorum aut Prophetarum ſeu quorumcunque Sanctorum quibus locutus eſt Deus, apertè Deum viderit in hac vita. Sed ex his, quæ viderunt, eorum cognitio de Divinis magis inclaruit, ad quam cògnitionem habendam lucidius neceſſariò cordis munditia præit. Mundetur ergo noſtrum ab his inquinamentis, quæ ab exterioribus per ſenſuum januas uſque ad animam penetrant, & ab his, quæ niſi turpiter amari non poſſunt, neque ſedulò cogitari ſine pudore, neque in eis delectari ſine rubore, aut de ipſis loqui ſine obſcœnitate. Maximè à maculis, quæ notam ingererent fidei, & appropinquarent infidelitati, quæ ab augurijs, à neomenjis, ab incantationibus, ab obſervatione dierum, à magicis artibus, à conſtellationibus appropriatis moribus hominum, à geomantia, ab hydromantia, ab aeromantia, à pyromantia, à necromantia, a motu membrorum, ab hora naſcendi falsò traxerunt initium. Hæc quidem animas hominum maculant, ſi fides adhibetur, quibus depulſis ab animo, fide Chriſti corda hominum purificantur, & videtur Deus à cordibus depuratis oculo fidei eſſe, quod eſt, ac nos ipſe feciſſe, quod ſumus.

Cap. X.

De pace, quæ pro beatitudine Dei filiationem nanciſcitur, ſecundùm Matthæum.

Filiorum honor & inter homines exultatio & audacia læta de parentum nobilitate procedit, ut ſæpe nominent Filii Patres quos inclytos agnoverunt, & ab eis gaudeant traxiſſe originem, à quibus egregiè poſſint nominari, necnon plerique ſe denegent, ſi valerent non objectio mendacio, eſſe filios ignobilium, cùm ſemper in ſublime ſe tollat humanus animus, cum imis componi aſpernans. Sed primi totius humani generis parentes, quanquam corruptibiles, non corrupti, mortales non mortui facti fuiſſent, nobiles & egregrii ex natura, facti ſunt degeneres ex peccato, & rebelles Deo totius humani generis facti ſunt ante proditores, cujus futuri erant & genitores, quorum demerito in omnibus transfuſa eſt damnata propago, ut genus humanum doleat tales habuiſſe parentes, quos prius habuit proditores, imo potius omnium peremptores. Sed hanc injuriam parentum, quæ in omnes, Dei Filius voluit relevare, ut poſſimus in aliam filiationem ſub alia paternitate tranſire, non traductione naturæ, ſed infuſione gratiæ: non merito noſtræ actionis, ſed adoptione virtutis: & talis ſit filiatio, qualis & paternitas, talis paternitas, qualis & filiatio, non jure naturalis traducis, ſed adoptionis & pacis. Et ineffabiliter & altè inſignitur humana natura, cùm in Divinam filiationem poteſt adeptione tranſire atque invitatur, ut tranſeat, cùm Salvator dicit: *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.* Pacifici à pace, non pax à pacificis nomen accepit. Hinc ergo illa pax inquirenda quæ Filios Dei facit, non enim omnis pax hanc filiationem perficit. Et quanquam pax ſit honorabilis atque nimis exquiſitus effectus, ex multis tamen reprehenſionem non laudem rerum utpura terenarum habet. Juxta quod Salvator ait: Non enim veni mittere pacem in terram, ſed gladium: & ut ſequitur, ab invicem ſeparare domeſticos. Proinde pax Divinam filiationem perficiens ab eo dicenda eſt, quo communiter à pacto ſervando dicitur. Fiunt ſæpe inter homines ſocialia pacta, fiunt conjugalia, fiunt & commercioſa, fiunt mercenaria, fiunt ſervilia, & ſimilia, quibus ſervatis manet animorum in amore ſinceritas, manet & converſatio grata, ſervit & obſequioſa conditio, ſubjacet ſine contradictione ſubjectus. Imperat potior in amore, perdurat ſocietas, ſtabilitur. Caret querela conjugium, commercia deputantur à fraude, merces redditur dignis, ſervilitas in opportunis ſe ingerit, & nulla querela deforis perſonat, imo videntur omnia ſumma ordinatione pacata. Quid igitur pax niſi concordia cum illis, ex quibus tibi poſſet provenire diſcrimen? Quid pax niſi debitus & inconturbatus ordo naturæ, & modus exactus, aut neceſſario exquiſitus in moribus? Quid pax Filios Dei conſtituens & fratres Salvatoris, niſi altiſſimi Filii atque cohæredes ejus in regno Dei, niſi obſervata pactio promiſſorum, integræ fidei, legis ejus immaculatæ, ad ſeipſum, ad bonum honeſtum, ad juſtificationes, ad virtutes inviſibiles animas convertentis? Pacto ſe nobis ultro conſtrinxit omnipotens, ut ſervemus quod juſſit, ſi volumus accipere, quod promiſit. Nunquam iſte pacta fregit, neminem in fœdere fallit. A nobis exquiritur ſuapte obſervatio pactionis, ut habentes ſimus pacifici

cifici vocati Filii Dei, fratres Chriſti adop-
tivi, hæredes Patris, & cohæredes ejus.
Pſal. 118. Hinc Pſalmiſta: Pax multa diligentibus
legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.
Quibus pax multa fit, ex his dictis ad-
vertere, quia diligentibus legem Dei, nam
qui legem diligit, pacta legis obſervat,
obſervanti pax multa, in eo multa, quia
multum habentibus confert, ut Dei Filios
Lucæ 2. ipſa efficiat. Et pax in terra hominibus
bonæ voluntatis. Bona voluntas ſemper
pacifica eſt, quia eo bona, quo ſibi nemini
Pſal. 118. molitur inferre jacturam. Et adhæret bo-
nis regulata optima lege, turpia quæque
devitans, in bonitate & diſciplina edoceri
appetens, juxta Davidicam pſalmodiam;
Gene. 42. Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam do-
ce me, quia mandatis tuis credidi. Atta-
men experimento probantur homines ſi
ſunt pacifici, velut in Ægypto ſuos fratres
voluit probare Joſeph, quibus dixit: Si
pacifici eſtis, veſtrum unus maneat in vin-
culis, vos autem itote & adducite alterum,
quem habetis, & dimiſiſtis cum Patre
in terra Chanaan, ita ad teſtimonium,
quod ad pacifici eſſent, Simeon remanſit
in vinculis, & Benjamin adductus eſt in
Ægyptum. Ecce pacificorum myſterium,
quod obedientia datur in obſidem, quia
Simeon remanſit in vinculis. Amor dex-
tralis bonitatis & gloriæ venit in Ægyp-
tum velut tenebroſum ſæculum ante Jo-
ſeph, ſcilicet ante virtutis, & bonitatis aug-
mentum. Quoniam pacifici vocandi Fi-
lii Dei, debent protinus obedientiam pro-
fiteri, ſic ſe per ipſam Dei legibus ſubjuga-
re, ut quicquam de Divinis mandatis præ-
terire non liceat. Quamobrem adumbra-
to myſterio in obſidiatum detentus eſt Si-
meon. Necnon ad omnimodam teſtifi-
cationem pacificorum & dextræ Filium
ante Joſeph deferri expedit in Ægyptum,
ut amor ſupernæ patriæ, quæ per dexteram
in ſacro deſignatur eloquio, juxta illam
ſententiam: Leva ejus ſub capite meo,
& dextera illius amplexabitur me, ante
Chriſti conſpectum per nos veniat in hunc
mundum ad contemnendum illum, non
ad diligendum. Equidem & pacificus eſt,
qui cum pacem odientibus pacem habet,
ſicut de ſeipſo & pro Chriſto, ſicut David:
Pſal. 116. Cum ijs qui oderunt pacem, eram pacifi-
cus. Non eſt omnimode pacis ſignum
aut virtus cum pacificis, ſed cum inimi-
cis pacis eſſe pacificum, laudabile atque
virtuoſum eſt. Sed bene hujuſcemodi vi-
ro, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifi-
co illæ videlicet Dominicæ paſſionis, quas
Pſalm. 36. poſt reſurrectionem Chriſtus diſcipulis
primo annuntians pacem, ex favo mellis
& ex aſſo piſce ſumens, porrexit præ gau-
dio admirantibus illis. Sunt & reliquiæ
homini pacifico, quia mundi conſummato
myſterio æterna Dei Filiatio ſibi relinque-
tur in præmium. Eſt enim pax electis
Dei, quoniam in eo electi ſunt quo paci-
ficè vivunt. Sic ſapiens clamat: Quo-
niam donum & pax eſt electis Dei. Et ſi Sapien. 3.
ſi hoc ad vitam alteram referatur, ideo pax
electis Dei erit in futuro, quia hic animo
illam & moribus poſſederunt. Et Iſaias Iſaiæ 32.
dicit, quod erit opus juſtitiæ pax, & cul-
tus juſtitiæ ſilentium & ſecuritas in ſempi-
ternum, & ſedebit populus in pulchritu-
dine pacis. Si mores cudimus ex iſtis ver-
bis, opus juſtitiæ pax eſt, nam nulla juſti-
tiæ opera ſunt potiora, quam ſequi ſupra-
fatam pacem, de qua Paulus: Pacem ſe- Hebr. 12.
ctamini, & Deus pacis erit vobiſcum. Et Prov. 10.
operibus juſtitiæ ſe omnipotens præſtat,
quia benedictio Domini ſuper caput juſti.
Et qui operatur juſtitiam ipſe exaltabitur.
Et in alia vita ad opus juſtitiæ pax adhæ-
ret. Et juſtitiæ cultus pax eſt, quia per
ſilentium, non tumultu pacificus appella-
tus eſt populus, & ſecuritas ſempiterna
æternam pacem arguit. Non eſt ſecuri-
tas, ubi non eſt pax, nec veram pacem di-
cimus ſecuritate carentem. Populus ſe-
det in pulchritudine pacis, ſi via populus
eſt bonorum, qui pulchritudinem pacis
habet. Eſt autem pulchritudo pacis pul-
ſio cujuslibet impertinentis rei, & appoſi-
tio decentium ad vitam agendam pro ha-
benda ſignificanda in quam ſi tendimus,
pulchritudo pacis eſt totius beatitudinis
complementum. Et jure Filiatio Dei eſt,
quam pacifici conſequuntur. Sed adver-
tendum adverſùm quod lugens Pſalmiſta
pronuntiat: Non eſt pax oſſibus meis à Pſalm. 37.
facie peccatorum meorum. Peccata pa-
cem mentis & corporis excludunt, quo-
niam iniquitates noſtræ ſunt, quæ diviſe-
runt inter nos & Deum. Cui ergo pax,
cui requies, cui aliquid ſalutis eſſe poteſt,
ſi ab omnium creatore atque pacis datore
ſecernitur? Propterea non eſt pax im-
piis, dicit Dominus. Studeamus ergo abij-
cere peccata & omnem impietatem, & pa-
cem habeamus, ut exiſtentes pacifici vo-
cemur, imo fiamus Filii Dei. Argumen-
to magno præſtruitur agonizantibus pro
ſupernis, ut pacem inquirant, & ſequantur
eam ex his, quæ in humanis aguntur. Nam
pro pace quæritur princeps, & unuſquiſ-
que monarcha qui tueatur rempublicam,
judicet uniformiter, & ne ſit diſcordia prin-
cipatus, ac etiam eorum, qui ſub diverſis
ducibus militant. Geruntur bella, ut ad
pacem veniatur, aut pacis inimici argu-
mento bellico peſſundentur. Pace com-
mendantur ſemina terris, & ad ſegetem

ma-

maturam deveniunt, floreſcunt vineæ, ar-
bores fructus educunt, dum furor belli-
cus non impedit naturæ proceſſum. Pace
natura prodit, & ſuis ſplendeſcit ipſa pro-
ceſſibus. Tutè dormitur in ædibus, ſecu-
rè iteneratur in via, latro non timetur in
ſylvis, floret olens virginitas, gaudet ca-
ſtitas pudoroſa. Lætatur pudicitia con-
jugalis, cùm violentia impudicorum me-
rito pacis arcetur. Decorantur artibus
civitates, omnibus jura redduntur, & de
juſtitia nemo cauſatur. Tempus omni-
bus aptum pax optata commendat. Et
Filios Dei facit in terris, ut ſublevet in
excelſis.

Cap. XI.

De perſecutione propter juſtitiam tollerata, qua regnum cœlorum habetur in ſortem, ſecundùm Matthæum.

POſtquam adversùs ſeipſum homo fa-
ctus eſt ſævus, incurrens pœnam
Dei juſſione contempta, nec abſter-
ritus metu dolorum, quos juſtitia Dei ſo-
lùm interminatè prænoverat, factum eſt,
ut in alios ſæveritas hominis deſæviret, ut
etiam inferretur innocentibus perſecutio,
pateretur manſuetudo moleſtiam, jactu-
ram juſtus injuſtè toleraret. Et ſpreta
Dei juſtitia, non eſſet tutela bonis ab im-
probis ſuper terram, & uſquequo proceſ-
ſus eſſet ad malum, quod Dei ſanctione
poſtpoſita per humanas hominum leges,
ut ad plenum malorum improbitas arce-
retur. Et injquitate hominibus dominan-
te neceſſarium factum eſt, ut perſecutio in-
ter homines orta vexaret, quæ, cùm de-
vitari non poſſet virente atque regnante
malitia, oportuit ſcutum patientiæ inter-
poni, & præmuniri juſtitia, quæ cùm adeſt
in agonibus variis hominum, omnem paſ-
ſionem efficit glorioſam. Propterea Sal-
Matth. 5. vator dicit: *Beati, qui perſecutionem pa-
tiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum
eſt regnum cœlorum.* Supra juſtitiæ appo-
ſuit eſuriem, nunc addit & perſecutionem.
Sed eſuriei ſaturitatem, ſed perſecutioni
regnum cœlorum adjecit, ut clareat, quem
locum juſtitia in virtutibus habeat, quæ
præponitur eſuriei, & propter ipſam in-
ducimur pati. Quæ verò ſit illa juſtitia
propter quam perſecutionem honeſtum ſit
tolerare, diſcuſſione opus eſt, ut ipſa præ-
cognita quamvis ſævæ perſecutioni, ſi ap-
prehenderit, nulla ratione cedatur, ut
comprehendatur repromiſſum ſibi bra-
vium regnum cœlorum. Non vergatur
in dubium hanc eſſe juſtitiam fidei ſecun-
Rom. 3. dùm Apoſtolum: Arbitramur hominem
juſtificari per fidem ſine operibus legis.
Rom. 5. Et alibi: Juſtificati igitur ex fide, pacem
habeamus ad Deum per JEſum Chriſtum
Gala. 3. Dominum noſtrum. Et ad Galatas: Ex
Gen. 15. fide juſtificat gentes Deus. Et credidit
Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad ju-
ſtitiam. Propter quam fidei tenendam
inconcuſſè juſtitiam, hi qui acceperunt in
exordiis naſcentis & militantis Eccleſiæ
perſecutiones ſæviſſimas paſſi ſunt, ut ſan-
guis immenſurabilis funderetur ſacratus
Deo, furore dæmonum & terroribus ty-
rannorum, & nil deeſſet in pœnis atque
tormentis & varietate moriendi, quin ju-
ſtificati per fidem in ſuis perſecutionibus
paterentur. Sed beati, qui perſecutio-
nem propter fidei juſtitiam paſſi ſunt, dum
regnum cœlorum infallibiliter aſſequun-
tur. Nam & ſuos diſcipulos & conſimi-
les ad perſecutionum tolerantiam provo-
cat, hominum propellit timorem, altam
dixit à ſeipſo in cœlis promiſſionem, di-
cens: Nolite timere eos, qui occidunt Matth. 10
corpus, animam autem non poſſunt oc-
cidere, ſed potiùs eum timere, qui poteſt
animam & corpus perdere in gehennam.
Signantes perſecutionem propter fidei ju-
ſtitiam prædixit, cùm prohibuit timorem
humanum, imponens divinum. Et ne
crederent in perſecutionibus homines à
divina providentia derelinqui, per com-
poſitionem minimorum quanta factori
noſtro ſit cura de nobis, apertè monſtra-
vit. Nonne duo paſſeres aſſe veneunt?
& unus ex illis non cadet ſuper terram ſi-
ne patre veſtro. Nolite ergò timere, mul- Matth. 10
tis paſſeribus meliores eſtis vos. Et ut
in perſecutionibus fidei juſtitia confite-
mur Chriſtum, promiſit & præmium.
Omnis ergò qui confitebitur me coram
hominibus, confitebor & ego eum coram
Patre meo, qui eſt in cœlis. Nec non,
ut conſtantius perſecutionis tempore ſta-
retur in fide, interminatur periculum.
Qui autem me negaverit coram homini-
bus, negabo & ego eum coram Patre meo,
qui eſt in cœlis. Hac autem cauſa pro-
poſita ſcilicet juſtitia fidei, ſecurè in omni
agone certatur, & intrepidè ictus bello-
rum excipiuntur. Congreſſio quæritur,
ut patientia ferro, fuſte, ſcorpionibus, fa-
me, ſiti, exilio, carcere, vinculis, tunſio-
nibus, flagellis, flagris, omni genere ver-
borum, injuriis, convitiis approbetur.
Nec non & ſuſtinuerunt libentiſſimè mor-

tem, ne desererent fidem. Et vilem æſtimaverunt Sancti omnem corporis pœnam propter fidei ſanctæ juſtitiam, quoniam tribulatio patientiam operatur. patientia verò ſpem, ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Et gaudenter ſuſtinenda eſt omnis adverſitas, antequam fidei veritas
[Jacob, 1.] deſeratur. Hinc Jacobus: Omne gaudium exiſtimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis, ſcientes, quoniam probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. Cur gaudium ex perſecutionibus variis, niſi quia juſtitia fidei, cùm ad examen deducitur, an deſeri ex objectis aſperis debeat, an teneri? Si tenetur, patientia opus eſt ex illaris perſecutionibus, ſi verò patienria non deerit, perfectum opus inerit. Perfectum autem eſt, ubi nihil defuerit ad virtutem, ubi verò virtutis perfectio, & regni cœlorum poſſeſſio ſubſequetur. Perfectioni protinus regni æterni promiſſio facta eſt. Ex eo quidem patientia opus dicitur habere perfectum, quia per ipſam Dei & proximi dilectio examinatur, an pro quanto inſit, agnoſcitur. Conſueverunt otio marcere virtutes, nec de ipſis poteſt haberi certa inhærentia, niſi cum oppoſitis habuerunt quandoque congreſſum. Sed nulla patientia, ubi nulla injuria, nulla contumelia, nulla tribulatio irrogatur. Sed cùm aderunt hoſtiliter oppugnantia & adverſantia mentem pariter & ſenſum, tunc patientia facit clareſcere dilectionem, qua diligimus proximum, cùm ſæverè atque inhumanè tractati ſervantes amorem, propellimus odium, non attendentes iram, atque malitiam, ſed creatam naturam, ac illam, quæ nobis offertur, gratiam, non conſiderantes, quod irrogatur, ſed quod jubetur, non magnipendentes mala, quæ irrogat homo ſævus, ſed quæ promittit pius Deus, non quod nos patimur, ſed quod pro nobis paſſus eſt inter homines factus homo. Similiter & quanta charitate Chriſto jungamur, monſtrat patientia in adverſis, ne ſejungamur, ſicut Apoſtolus inquit: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut ſcri-
[Rom. 8.] ptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus, ut oves occiſionis. Sed in his ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JEſu Domino noſtro. Ecce unde patientia opus perfectum habet, quia utriusque præcepti tener inconcuſsè cenſuram. Ac per hoc propter iuſtitiam fidei pati, ſumma juſtitia in operibus eſt. Nihil itaque juſtius, quàm ſic agere, ne quis ſeparetur à Chriſto. Juſtè impenduntur ſponte opes, & ingerit ſe patientia cùm invitè tolluntur, animo imperturbato cuncta pericula tollantur, mors in deſiderio fit Acerbè mori computatur in lucrum, vitam perdere ſuperexcedens bonum eſt, ne juſtitia fidei per impatientiam in anima pereat, unde Chriſtus ab ipſa ſeparatus abſcedat. Ad juſtitiam fidei addicitur & moralis, quæ poſt credita ea, quæ ſunt agenda, complectitur, pro qua pati, ne deſeratur, dabitur regnum cœlorum. Et illa ſegregari ab iſta non poteſt, qua, ne committatur, quod nefas eſt, ſponte ſuſcipitur. Quoniam nunquam deſeritur virtus, niſi in appoſitione vitiorum, quanquam & actus virtutis ſæpè interminatur, abſque quod devenatur in vitium. Omnis porrò virtus juſtitia eſt, cùm ex ipſa caveatur injuſtum, prodeátque profectus, & illi placeatur, cui ſervire omnis juſtitia perſuadet. Omnis actus humanæ mentis interior in Deum referibilis, & exterior pro diverſitate locorum & temporum, ad eum referri poſſibilis, ad juſtitiam pertinet. Ineffabili modo per juſtitiam virtutes, & actus ſibi exhiberi omnipotens ven-
dicat, juxta quod Joannes ait: Dignus es [Apoc. 4.]
Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creâſti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata ſunt. Quid eſt dignus es, niſi quia juſtum eſt, ut glorificetur, honorificetur in omnibus ab hominibus, & quicquid eſt virtutis & boni moris, ipſe ſuſcipiat? Quamobrem, quia omnia creavit, & noſipſos, qui ſumus rationale aliquid inter omnia, proinde, cùm quidquid eſt virtutis & probati moris, pro Deo in juſtitiam cedat, beati ergò, qui perſecutionem propter juſtitiam patiuntur, cùm in jus ipſorum ex divina gratia cedat regnum cœlorum. Filius verò pro nobis humanatus & mortuus, ex juſtitia ſibi æque om-
nia vendicat, prout idem Joannes ait: Dig- [Apoc. 5.]
nus eſt agnus qui occiſus eſt, ſcilicet pro omnium redemptione mortalium accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Ex his verbis Joannis arguitur, Deo Patri & incarnato Filio juſtè deberi, quicquid eſſe poteſt ex nobis per gratiam ſuam, non tanquam ex nobis, glo-

riæ, honoris, laudis, atque virtutis, & moris. Perlucidè igitur mentibus noſtris infertur, pro qua juſtitia pati omnia mala jubemur, antequam ab homine deſeratur. Necnon & omnis homo non tantùm fidelis, ſed etiam infidelis, propter juſtitiam patitur, ſi eum aliquis injuſtè perſequitur, quanquam infideli pro paſſione regnum cœlurum non pateat. Et nemo miretur, quod dicturus advenio. Injuſta perſequentium rabies paſtiones paſſorum abs re patienter toleratas ad juſtitiam fecit adſcribi. Et ſi nihil horum à perſecutoribus proponeretur his, quos ſua pravitate vexare diſponunt, ut committerent nefas, deſererentque fas, ex ipſa perſecutione duntaxat pati propter juſtitiam decementur, dum non adeſſet iniquitas propter quam pati mererentur, cùm Deus habeat miniſtros juſtitiæ in eos, qui perversè agunt, etiam illos, qui carere videntur ordinaria poteſtate. Sæpe namque divino & occulto Dei judicio præter ordinariam poteſtatem in iniquum iniquus eſt ultus, per ordinariam verò factum hoc videmus apertius. Sed ad veram aſſeverationem omnium prædictorum clarè in ſua canonica loquitur Petrus, invitans ad paſſionem, enuntians gaudium, erigens ſpem ad gloriam, docens, quomodo patiamur,
1. Petri 4. dicens: Chariſſimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi vobis novi aliquid contingat, ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus ſpiritus, ſuper vos requieſcit. Nemo autem veſtrum patiatur quaſi homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in illo nomine. Clarent ſanè intelligentibus Petri verba ex his quæ protulimus, ut non ſit opus tædium aliud expoſitionis inferre. Veruntamen, ſi de juſtitia propter quam patiendum eſt, aliquid ediximus, de perſecutione etiam aliquid diſſeramus. Non eſt ſolùm perſecutio attendenda in illatis corporaliter pœnis, & in his malis, quæ poſſunt lingua proferri, ſed juſtis pati à virtute diſſimiles hominum mores, etiam nullis illatis aut dictis adverſis magna perſecutio eſt. Cruciatus eſt amatori Dei ſibi videre, quod diſplicet, & divinam habet offenſam. Non enim poteſt verè Dei cultor ſine perſecutione tranſiire, videns quippiam majeſtati divinæ ingratum. Amor ad dilectum injurias dilecti ſuas perſecutiones facit, etiamſi eſſet ipſe circumquaque pacatus. Et diligens proximum ut ſeipſum, in animo perſecutionem patitur, cùm ipſum videt affligi manens ipſe non tactus. Et amator honeſti fortiter in anima cruciatur ex omni turpi, quod agitur, etiam ſi non obligetur ad actum. Sic de juſto Scriptura commemorat. Vidi prævaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Prævaricationes enim legis Dei & intactis corporibus & imperturbatis rebus, tacitis verbis, necnon fortè impenſis obſequiis perſecutores validi ſunt amicorum Dei, & amicorum veritatis, quæ perſecutio etiam propter juſtitiam eſt ferenda, ut ſemper diligamus proximum cum odio vitiorum.

Cap. XII.

Dr exbortatione facta ad diſcipulos pro perſecutione & ualedictis ferendis reſpectu ſuperna mercedis, ſecundùm Matthæum & Lucam tantum.

PRævidens Salvator diſcipulos ſuos in prima perſecutionum acie poſitos, de novo naſcentis Eccleſiæ velut duces belli Chriſtiani populi, cum dæmonibus & mundi principibus certaturos, non alia cauſa belli ſuppoſita, niſi nova fide incarnati Verbi omnium cauſam agentis, in cruce pendentis, qua idololatria propellenda erat, dæmones effugandi, tyranni ſubjiciendi, mores renovandi, nova ſacrificia inducenda, ſacramenta potiora condenda, pœnitentia prædicanda, miracula innumera facienda, venia danda converſis, beatitudo in ſuperis promittenda, ipſos ſingulari ac exhortativo ſermone alloquitur, per quos erat cuncta concio condienda fidellum, ut ipſi fierent firmum exemplum virtutis poſteris in Eccleſia naſcituris, dicens: *Beati eritis, cùm vos oderint* Matth. 5.
homines, & maledixerint, & cùm ſeparave- Lucæ 6.
rint vos, & exprobraverint, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſùs vos mentientes propter me, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa ſeu multa eſt in cœlis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos patres eorum. Non defluxerat à regno cœlorum humana natura in paradiſo exiſtens, ſub cœlo duntaxat primo peccaverat, cui non

pec-

peccanti demum tacita pollicitatione pa-
tuiſſet. Nunc ille locus Eden flammeo
atque verſatili cuſtoditur gladio, regreſ-
ſus denegatus eſt cunctis, illis duobus
exceptis, quos fides vera tenet. Ad re-
gnum cœlorum omni amoto medio in-
vitamur, ut pœnarum pretio conquira-
mus illud. Et nihil excipiatur à pœnis, ſi
à perſecutore præponitur, quod pati re-
cuſemus, ſi cœlorum regnum captare
contendimus. Et Apoſtolis tanquam du-
cibus & vexilliferis crucis in populo
Chriſtiano, omne pœnarum genus ad
tolerandum imponitur, ut nihil inſpecta
promiſſa beatitudine recuſetur. Habet
hoc proprium communicabilis & com-
municata natura maximè humana, quæ
melius novit, quid boni ad conviven-
dum habeat mutua, & grata dilectio, &
quid mali odium pariat, ut affectet, quæ-
rátque diligi, & odiri aſpernetur, atque
recuſet. Inexplicabile propemodùm eſt,
quanta tortura ſit animis hominum pro-
pter paſſivum odium, quoniam ſi hoc
maximè inter mortales ad delectatio-
nem quæritur, ſcilicet amare & amari,
hoc potiſſimè ad aſperitatem urget, ſi
odium viget, aſperius tamen, ſi quis pa-
tiatur, quàm ſi ad alium habet. Et Salva-
tor hanc odii paſſionem gaudenter to-
lerandam poſuit, ſeipſum in cauſa ſub-
jiciens, & beatitudinem æternæ copioſi-
tatis adjecit, ut ad ſingula mala, quæ to-
leranda cenſuit, beatitudo referatur.
Beati eritis, cùm vos oderint homines,
qui naturæ ſequendo juſtitiam vos ne-
mini nocentes debebant diligere, non
odire. Uſquequaque paſſionem exagge-
rat, cùm ab eo quis patitur, qui debuit
beneficium impertiri. Validius quidem
cùm hic, qui beneficium accepit, inſe-
quitur, cùm pati ab inimicis conſuetos
ſæpè deducatur in mores. Juxta quod
Pſal. 34. ſcriptum eſt; Si inimicus meus maledi-
xiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. Tu ve-
rò homo unanimis, dux meus & notus
meus, qui ſimul dulces mecum capie-
bas cibos. Ac per hoc Apoſtoli, diſcipu-
líque Domini, amorem omnium ex præ-
cepto eis impoſito meritò vendicabant,
qui mittebantur omnium nuntiare ſalu-
tem, dirigere in melius vagos hominum
mores, omnem infirmitatem depellere,
dæmones effugare, ordinare terrena,
perſuadere divina, nullius quæſtus cau-
ſa, nullo ambitionis inanis gloria aut ter-
renæ delectationis intuitu, & ſic ſævè in
multorum maximè tyrannorum odium
devenire divina providentia diſponebat,
ex ore Chriſti pollicens beatitudinem,
ſi non dilectionem, ſed odium ab ho-
minibus paterentur. Grave ſit ab homi-
nibus maledici, præſertim ab his, qui-
bus non inimicitiæ, ſed amicitiæ occa-
ſio datur, ùt eloquitur ſupradicta ſenten-
tia. Si inimicus meus maledixiſſet mihi,
ſuſtinuiſſem utique. Apoſtoli quidem
omnibus benedicere miſſi erant, male-
dictiones & convitia amplius ſuſcepturi,
quorum ibant procurare ſalutem, & in
viam dirigere veritatis. Maledicebatur
eis velut non ſanè ſapientibus, & ſtultis,
& amentibus, qui propter incerta con-
tempſiſſenr hæc, quæ falsò certa vide-
bantur, in eo, quod ſequerentur, & præ-
dicarent mundo crucifixum, & crucem,
velut rem ſtultitia, & pœnalitate mar-
centem, & inſultarent proſperitatibus
ſæculi. Socialis dulciter eſt hominum vi-
ta, & ad invicem jure naturæ appetuntur
conſortia, & ſeparati timetur ab his ma-
ximè, qui unius naturæ ſunt editi, & ha-
bent omnem ſimilitudinem in natura, &
communi ratione humanæ naturæ indita
perfruuntur, qua Deo & Angelis ejus in-
viſibilibus licèt non per omnia, ſimiles
facti ſunt. Et inter ſenſibilia & rationa-
bilia vera eſt ſententia de ſimilitudinis
appetitu, quod ſimile appetit ſimile, li-
bentèrque ſimilia ſociantur. Tenacius
quidem ex inſita ratione adeſt homini-
bus hujuſcemodi appetitus, & quantò
validius ineſt, tantò pœnoſius eſt ab ho-
minibus ſeparari. Et hoc diſcipulis Chri-
ſti pro tunc & ſemper venire debebat in
pœnam, ut ab hominibus & ex inhuma-
nitate cruda Chriſti ſuppoſita cauſa ſe-
pararentur, & eorum velut infamium &
ineptorum conſortia privata & publica
vitarentur, ſub pollicitatione beatitudi-
nis, ſi patientia non deerit. Exprobati
ſunt in dictis & factis, ut verba eorum fal-
ſa, & opera facta perperam putarentur.
Quæ verò major in animorum animis
perſecutio, quàm in verbo veritatis at-
que virtutis exprobrari, & in rectè fa-
ctis malarum actionum habere judicium?
In omnibus exprobrati ſunt à doloſita-
te dæmonum, à ſuperbia tyrsnnorum, à
perfidia infidelium, à nequitia eorum,
qui mundo ſua corda ligaverant. Inte-
rim proceſſit exprobratio in malè lata,
ut imperiti plebei abſque literis, ebrii,
dæmoniaci, magi, aruſpices, arioli, ve-
nefici, malefici, ſeditioſi, falſarii, dece-
ptores, ſeductores, incantatores & no-
mine omnis infamiæ notarentur. Sed
beati, quia propter Chriſtum, beati, quia
ſortientur interminabile regnum Dei.
Omnis illati mali perſecutio notam ha-
bet, & in id trajicitur, quod quis ab aliis
adverſa corporis & animi non ſponte pa-
tia-

tiatur. Sed elucidatè, cùm fugat quis fugientem hoſtiliter, perſecutio nominatur. Hanc & Apoſtoli perpeſſi ſunt, cæteriqúe conſimiles, ut fugientes à fugantibus de terris ad terras, de Provincijs ad Provincias, de Judæa regione ad inſulas, & regna gentium tranſmigrarent, ſicut commonefecerat ipſe Salvator. Si perſecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam. Multa maledicta ſuſtinuerunt Chriſti diſcipuli propter ipſum, ut digni omni malo ab hominibus dicerentur, & retundebatur veritas in ore ipſorum, acſi velut diabolus mendacium loquerentur. Et ejectum eſt ipſorum nomen propter Magiſtrum, quem prædicabant, & propter crucifixum, quem affirmabant Deum, cùm non Dei, ſed tantum Filius hominis crederetur, propter quem omnia paſſi ſunt. Sed omnibus his adverſis ex adverſo gaudium parabatur, cùm merces eorum in ſuperis habeat copiam præmiorum. Acſi leve videri deberet, tolerariqúe leviter omne, quod inferri poteſt in pœnis ab hominibus ſævis, in ſenſibus hominum teneria, gaudio propoſito eorum, quæ promittit. Sed cùm duo Salvator ad ſuſtinenda mala in cauſa ſubijceret, ſcilicet ſeipſum, & gaudium ſupernorum, unum cùm dixit, propter me, alterum, cùm adjecit, gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Primum virtutis, ſecundùm beatitudinis fuit, amplius propter primum quàm propter ſecundum mala paſſos Apoſtolos legimus fuiſſe gaviſos. Nam ibant Actuũ 5.
Apoſtoli gaudentes à conſpectu conciiii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JEſu contumeliam pati, ut magis lætarentur mala perpeti propter Chriſtum quam propter promiſſa regna cœlorum. Optimi enim militis eſt, nun ob rem, ſed propter regem in bello pugnaſſe. Sed ne novum ipſis videretur, quod primum à Judæis perſecutionem Apoſtoli paterentur, ſi Patres eorum ſanctos Prophetas perſecutos fuiſſe commemorat, ut ſicut filii generis, ſic eſſent & criminis demerito malæ imitationis, & induratæ iniquitatis.

Cap. XIII.

Quòd finis bonorum omnium agendorum conſtitutus à Chriſto beatitudo ſit, epilogicè.

ECce ſub quot diverſis ſignificandis ad agendam vitam Salvator hominea animavit, & monſtravit, quanta, eſt diverſitas agendorum, ſed omnium horum finis eſt regnum cœlorum. Nam voluntaria paupertas finem habet regnum cœlorum. Mitias terram hæreditabit, ſed illam regni cœlorum. Lugentes conſolabuntur, ſed in regno cœlorum. Eſurientes juſtitiam, ſaturabuntur: ſed in regno cœlorum. Miſericordes miſericordiam conſequentur, cùm intrabunt in regnum cœlorum. Mundo corde Deum videbunt intuitivè in regno cœlorum. Pacifici Filii Dei vocabuntur, & erunt, in regno cœlorum. Sermo directus ad Apoſtolos ſpecialiter, poſt omnia tolerata & ſuperata pericula promittit regna cœlorum.

Cap. XIV.

De quatuor, in quibus Apoſtoli & conſimiles pro utilitate futurorum fidelium conſignantur, ſecundùm Matthæum & Lucam tantùm.

SAl, lux, civitas & lucerna ſuis temporibus locis & negotiis congruunt. Sal cibis, ut ſapiant, cùm horren-
Matth. 5. dum ſit condienda ſale inſulſa comede-
Luc. 14. re, quanquam multa in cibos veniant non opportuno ſale. Sal ad præſervationem adhibetur carnium, ne putreſcant. Nam ſale appoſito multa conſervantur in tempora, quæ ſine ipſo marceſcerent. Sic Apoſtoli, cæteriqúe ſubſequi eandem imaginem afferentes, ſal doctrinale dicuntur condiens terrena, quo juſtè diſcretéque teneantur in uſu, injectum ſuper morbidos ſeu fragiles hominum mores velut ſuper molles carnes, ne prava conſuetudine putreſcerent. Quid ſi hanc ſimilitudinem deferentes in ſeipſis ſordidè viventes evaneſcerent, Inutiles ad certa facti mittendi ſunt foras, imo ſic refutantur, & hominum juſtis judicijs conculcantur. Forinſeca miſſio ad id refertur, quod extra omnem gratiam Eccleſiæ ſeponantur. Luce fugantur tenebræ, oculi objecta conſpiciunt, rectè itineratur ad terminos, declinantur foveæ, atque laquei, multa pericula devitantur. Niſi violentia ſuperaverit, atque proditio, fures arcentur invitè aliena diripere, deperdita reperiuntur, & ſæpe requiruntur. Sic & Apoſtoli quamvis tenebræ in ſeipſis, ut lux in Domino ſplendentes in verbo ſanæ doctrinæ,

ctrinæ atque in luce veritatis luminoſiſſimæ clareſcentes, tenebras ignorantiæ fugaverunt à mentibus hominum, & peccatorum opacitatem à cordibus & moribus ipſorum pariter depulerunt, quoniam declaratio divinorum ſermonum illuminat, & intellectum dat parvulis. Sic Apoſtoli & conſimiles poſteri Chriſtianæ doctrinæ luciferi, Divina eloquia declararunt, oſtendentes mentalibus oculis deſuper demiſſum objectum Unigenitum Dei Filium humanatum, pro nobis paſſum, atque necatum, ſecundùm illas principum
Hebr. 12. Apoſtolorum ſententias. Aſpicientes in authorem fidei & conſummatorem JEſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem omni confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet. Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit adversùs ſemetipſum contradictionem, ut non fatigemini animis veſtris deficientes. Et alius,
2. Petri 4. Chriſto in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini. Hæc enim fuit, eſſéque debet omnium Apoſtolorum, & verorum Doctorum intentio, Unigenitum Dei Filium pro nobis omnia factum mentibus hominum objicere ad credendum. Itinerari rectè in via Dei ſanè docuerunt, ut ex unius doctrina cæterorum eluceat. Videte itaque quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed quaſi ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Et alibi: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Hæc omnia, & ſimilia velut lux ſplendidiſſima mundo Apoſtoli docuerunt. Civitas refugii extiterunt ſita ſupra montem altiſſimum Chriſtum, factum velut ex lapide pretioſo, de montibus velut lucerna oleo miſericordiæ plena, lumen in domo Eccleſiæ omnibus diffuderunt. Hæc ſiquidem in libro ſimilitudinum aliter ſunt tractata, ideo hic breviter dicta. Gala. 5.

Cap. XV.

Quòd ſine glorificationis Dei ſint bona exempla monſtranda, ſecundùm Matthæum ſolùm.

Supra dixerat Apoſtolis, quòd erant lux mundi. Lux igitur ſi eſt, ſeipſam negare non poteſt. Eſt enim ſuiipſius naturaliter diffuſiva, multò amplius & ſpiritualis & virtuoſa. Lux ſeipſam occultare non debet, ſed ſuis ſe manifeſtare ſplendoribus, operibus primò antequam verbis. Validè validat præctum bonum proferendam doctrinam, & magis mentibus hominum infigitur ab agente, quod dicitur etiam inexaratè, quam ſi exactè à non agente dicatur. Proinde Salvator ait: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant bona opera veſtra, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Appoſitus eſt finis in agendis, & intentio hominum in bonis operibus terminata eſt, eùm deducuntur in publicum, ſcilicet ut gloria ſolum referatur in Deum, à quo bona cuncta procedunt, cui jure debetur omnis gloria, omniſque laus ex bonis operibus, quæ aguntur. Sine cujus auxilio nullum bonum opus penitus ageretur. Fiant igitur bona, ut ſoli Deo placeatur, ut appareant coram hominibus, ut ipſe ſolus glorificetur in agendis bonis. Hæc eſt cauſa valentior Divinæ placitum voluntatis noſtrique profectus oſtenſionis ipſorum. Iſta eſt aptior duntaxat ſuæ glorificationis. Nemini gloria debetur ex factis, cui virtus ſeu poteſtas defuit faciendi. Solùm enim glorificatio juſta redditur, à quo facultas egreditur agendorum. Unde præter Deum ex beneactis nulli glorificandi ſunt homines, ſi hominibus omnis ſufficientia deeſt. Inquit enim Apoſtolus: Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis tanquam ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Illi ergo bene actorum gloria, cui & ſufficientia agendorum. Et ipſe Salvator ait: Sine me nihil poteſtis facere. Igitur de omnibus bonis regi ſæculorum & immortali & inviſibili ſoli Deo honor, & gloria in ſæcula ſæculorum amen. Veruntamen hoc dictum ad inquirendum hoc ingerit, an ad præceptum, an ad conſilium, an ad modum referatur. Omnis enim ſcriptura moralis & ſimpliciter docens, ad alterum iſtorum trium neceſſariò atque omnino refertur. Sed ſi ad præceptum, teneretur omnis homo ſua opera publicare, ſi ad conſilium, tunc in operibus bonis perfectum eſſet propalare ſeipſum. Ad modum igitur videtur potius ſententia iſta referri, ut dum bonum agitur, non oſtentui pateat, ſolius Dei placito reſervato. Sed ſi aliter nequit fieri, quin appareat cum activa vita plurima complectatur, quæ occultari non poſſunt, ſic bona opera exterius luceant ex intentione agentium, ut placitum ſolum referatur in Deum, & ut ædificetur proximus ad bonum, ſeu ad melius animatus, unde amplius glorificetur Deus. Nemo nanque voluit hominibus ex prima intentione placere, qui noluerit ſuperbire, nec excuſatur ob ejus ædificationem quam intendit, ſi Dei placitum ſolum non præintendit. Et Deus diſſipavit oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam

Matth. 5. 2. Cor. 9. Joan. 15.

niam Deus ſprevit eos. Diſſipantur oſſa placentium hominibus, quia omnis homo mendax, & ſi mendacibus mendax placet, peccatum eſt in voto, non virtus. Aliquid porro ſibi arrogare diſpoſuit, quia ad placendum hominibus dedit opus. Jam in animo tumuit, qui hominum quæſivit applauſus. Sed dicet quis: Omnino operibus meis bonis proximum trahere volo, & ad bonum ſeu melius invitare, ut una mecum pariter laudet Deum. Etſi utique fiet laudabitur trahens, aſſcribit ſibi quod traxit, laudabitur & tractus, quod ſua virtute acceſſerit ad honeſtum, tribuetur ſibi, quia quod bonum eſt, voluit. Equidem dixerim neuter laudandus, omnis gloria ei, qui virtutem tribuit operis, & gratiam in exemplo, & in animo inſeruit bonam voluntatem ei, qui trahendus virtutibus erat. Si bonus eſt trahens per opera fratrem, cur quærit ab hominibus laudem? Si verò malus, omnino dignis eſt alienus à laudibus. Et in ſequentibus hujus montani ſermonis omnino in rectè aut benefactis Salvator publicum perhibet devitari, in oratione, in eleemoſyna, in omni exercenda juſtitia. Jure igitur diſſipantur oſſa humanè placentium, quia confunduntur juſtè illos ſpernente Deo, ſpernentes ipſi primitus Deum. Deum utique ſprevit, cui ipſe non eſt ſatis ad præmium. Deum ſprevit, qui quæſivit alium in ſuis operibus laudatorem. Sprevit Deum ſuæ conſcientiæ teſtimonio non contentus, & judicia aliarum conſcientiarum ſatagens ducere vitam ſuam. Comminationes inveniemus ad publicum fieri ad ſecretum autem præmium. Sed quia bona opera quaſi quædam lux exterior ſunt, moderatur in lumine, ut eo lumine atque intentione fulgeat, & ſic ædificetur proximus, ut nullus laudetur niſi Deus, non quod ipſe indiget glorificatione noſtra. Dixit autem alibi: Ego gloriam ab hominibus non accipio. Et bonorum noſtrorum ipſe non indiget. Sed ut homo Deo reddat debitum honoris & laudis, & ipſe non damnetur vitio propriæ glorificationis, atque oſtentationis, neque ſibi arroget quod protinus Divini eſt juris. Nemo debet prædicare ſeipſum, ſi omnis homo mendex. Qui verò ab iſta ſententia mendacitatis abſolvitur, non ſui eſt muneris, ſed Divinæ virtutis. Excedit omnino naturam hominum, quòd homines facit eſſe veraces. Quamobrem nec ipſi laudandi, quamvis bene agentes per omnia, ſed illa virtus ſuperior, quæ tribuit, ut in hac vita rectum aliquid peragatur.

Joan. 5.
Pſalm. 15.

Cap. XVI.

Quòd lex & Prophetia non ſolvantur per Evangelium, ſed adimpleantur, juxta quod vitam & doctrinam debent formare Doctores, ſecundum Matthæum ſolum.

DOctrinæ Chriſti novitas legis Moſaicæ tardioribus animis videbatur repellere vetuſtatem, ex his, quæ Salvator egerat, eratque facturus, & ex his, quæ dicebat adveneratque dicturus. Ac per hoc in animis audientium firmaretur, quod legem Moſaicam tanto in monte datam myſterio, & Prophetiam afflatu Spiritus Sancti editam ſoluturus advenerit, in exordio quaſi ſuæ magnæ prædicationis dubium abſtulit, quo malè cogebat homines ſuſpicari, dicens: *Nolite putare quoniam veni ſolvere legem, aut Prophetas, non veni ſolvere, ſed adimplere.* Bona erat lex à ſummo data factore, nil habens reprehenſibile, ſed difficultatibus plena erat, ut nemo illam perfeciſſet ad plenum, non defectu legis, ſed obſervantis. Et congruit utique illi rudi populo atque inculto tempore ſuo. Nec ille populus, & omnis mundus amplioribus aptus erat. Pro omnibus hominibus mundi tunc temporis data fuit, quamvis meritò unius Dei cultor ille populus Hebræus eductus de Ægyptiaca ſervitute, primus illam per manum Moyſi magnis lampadibus coruſcationum & tonitruo in ſummitate montis Sinai accepiſſet, continentem magna moralia ſub præcepto, ne per effluxionem in ima homines à ſummis, & in creaturas ſeparentur à Deo. Et multa ceremonialia uſquaque fatigantia dorſa hominum, etiam aſpera lenitati ſenſuum humanorum. Sed melior lex leviorque adhuc jam diu experto mundo largienda erat, non tamen ſolvenda, ſed adimplenda prior. Non enim destructor eſt ſuorum in ſapientia æterna factorum Deus, licèt addat ad id, quod bonum eſt ut melius fiat, atque potiori conditione ſæpe commutet. Nam legem naturæ, quæ bona eſt, nunquam ipſe in aliqua niſi conditione meliore ſive miraculo ſolvere dictus eſt. Sed nec ſolutio dici poteſt, ubi per Spiritum Sanctum ſupra naturam majore utilitate fiunt, aut miraculo naturam excedente procedunt, ut ſol contra Gabaon præter viſitatum ſuæ legis curſum ſtetiſſe legitur in ultionem malorum, partus Virginis cuncta Chriſti & Sanctorum miracula, ſol in Chriſti morte curſu prætermiſſo naturæ palleſcens. Etſi ſpiritus ſuperbos æternis tradidit

Matth. 5.

dit pœnis, & eis malos homines ex juſtitia ſociat in tormentis, lex tamen naturæ permanet incorrupta, quamvis ipſam naturam ſæva pœna confodiat, ut una perſeverando diverberet, altera immortali lege ſuſtinendo perduret. Er infirmitates, & ſi qua mala naturam lædentia, legem naturæ non ſolvunt, cùm ex Divina juſtitia fiunt. Omnis natura rerum immortali lege perdurat, etiam ſi ſingularia in aliquo deperire videantur, aur ſpiritualia ſive corporalia meliora conditione donantur, cùm ſcilcet natura corruptibile atque mortale ſupra naturæ legem incorruptibilitatem atque immortalitatem induerit. Nec lex naturæ ſolvi dicenda eſt, ſed meliore appoſitione donata. Lex originalis juſtitiæ nunquam ſolutionem accepit, ſed ut illa cuſtodiretur, cæteræ leges poſitæ ſunt, non ſolùm ad erudiendum, ſed etiam ad puniendum voluntarios tranſgreſſores, nec Chriſti doctrina in aliquo illam ſolvit. Sed negativum Chriſti Verbum, nolite putare, quoniam veni ſolvere legem, duntaxat de Moſaica videtur edicere, quam non ſolvit, ſed adimplevit. Et in his, in quibus magis videtur ſoluta, eſt adimplera amplius. Habuit lex illa decalogum impermutabilem & uſque in finem ſæculi duraturum, quem nec in aliqua ſui parte novimus eſſe ſolutum, ſed Chriſti doctrina validius affirmatum, qui ab eo tempore, quo datus eſt, non fuit figura ſed veritas, non tropologicè, ſed ſimpliciter obſervandus nullam allegoriam continens, ſed ſimpliciter docentem doctrinam. Nec fuit in parabola datus, ſed explicatus in verbo. Habuit lex illa & circumciſionem cum petra, quæ non ex Moyſe, ſed ex Patribus fuit, quæ non ſoluta, ſed melius adimplera circumciſione cordis, quàm corporis. In hanc circumciſionem illa tendebat, ut corda hominum ex petra circumciderentur, non caro, quæ circumciſa non ſalvat, niſi corde circumciſo, cot verò circumciſum ſalvabit in ſana carne. Multa ſunt de hoc teſtimonia ſcripturarum, quæ ſi ducerentur in medium ſcriptura protenderetur in longum. Habebat & illa lex ſacrificia animalium horrida, & curenta. Soluta in his videtur lex, ſed magis adimpleta, cùm ſeipſum in ſanguine in arca crucis verum ſacrificium pro nobis omnibus non pro ſe ipſo obtulit Chriſtus. Habebat oblationes primitiarum, redemptiones primogenitorum, nunc quidem ſopitæ videntur, imo in melius commutatæ, ut omnis intentio ln agendis honor Dei præintendatur, & redimitur aut commutatur primogenitum, ur redemptio ſit ex Chriſto, commutatio ex opere aptiori, ut ex ſignificatione ſpirituali animalium illorum accipitur. Pœna talionis in miſericordiam verſa eſt: Superexaltatur miſericordia à ju- Jacob. 2.
ſtitia. Libellus repudij cùm ſit amotus, etiam legis ſolutionem non videtur arguere. Potius autem in ejus amotione lex impletur, ut quod tunc fiebat cauſa fornicationis, nunc tranſeat in ædificium
caſtitatis. Potior eſt veritas, quam figu- 1.Cor.10
ra. Omnia in figura contingebat illis, his duntaxat exceptis, quæ decalogus habet, & ex velata doctrina. Veritas igitur quæ immediatè ſequitur ad figuram, legem non ſolvit, ſed implet. Atqui legis dator eſt non promulgator, nullo jure legi à ſe datæ ſubijcitur, alioquin legis ſubditus eſſet, non Dominus. Equidem Salvator omnium Chriſtus temporalis ex humanationis tempore, æternus ex incomprehenſibili æternitate, utranque edidit legem. Illius veteris dator, non promulgator, iſtius in humanitate dator & promulgator, utriuſque Dominus, neutri ſubditus, quoniam ſi juſto non eſt lex poſita, ipſi fontali juſtitiæ, quæ Deus eſt, ſimiliter nulla lex. Et quanquam multa voluerit ſecundùm legem exequi factus homo, non velut legi ſubditus, ſed velut ſimilis fratribus per omnia factus, qui ſuo imperio potuit iſtam novam legem edere, vereremque illam non ſolvere, addere perfectionem, ſolvere imperfectionem, quod non erat ſolvere, ſed adimplere legem, à corporalibus actionibus ad ſpirituales actiones transferre, quòd verè implere erar legem, non ſolvere. Omnis enim illa lex in his, quæ actu fiebant, myſticè tendebat in Chriſtum & in corpus myſticum ejus, quo adveniente atque operante, uecnon docente, lex adimpleta dicitur, non ſoluta. Sed ſi ſubtiliter ex ſubſequentibus verba penſamus, tantum de lege decalogi dixiſſe videtur, cùm Doctor ſolvens & docens præcepta minima decem, videlicet minima, quæ facilè obſervari poſſunt, & retributione in negativis parva, minimus vocetur, faciens ſic & docens ſecundùm illa decem, non ſecundùm ceremonias, magnus in rego cœlorum habeatur. Prophetiæ verò aut de præteritis, aut de præſentibus, aut de futuris extiterunt. De præteritis, ut præactam mundi creationem & curſum originalis mundi Moyſes ſpiritu Prophetico retulit. Hanc Prophetiam non ſolvit, quia non fecit non fuiſſe, quod fuerat. Multa facta ſunt temporibus Prophetarum, qua ipſi abſentia velut præſentia conſpexerunt, ut Samuel in Saul in & David, Nathan in peccato David, Elias in Achab, Micheas in populo utriuſque regis, Eliſeus in Giezi & regibus ſui temporis, Jeremias, Ezechiel, Daniel in regibus eorum & capivitate illorum

lorum tempore facta, & maximè Daniel in dijudicatione ardentium ex luxùria Sacerdotum, ne hujuſcemodi Prophetias ſolvit, quia non fecit eſſe falſum quod extitit verum. Futuras verò non ſolvit, ſed ſuo adimplevit adventu. Et ſi qua Propheta de ſua humanatione, nativitate, converſatione, doctrina, paſſione, morte, ſepultura, reſurrectione, aſcenſione, Spiritu Sancti miſſione, complevit. Et in corpore ſuo (quod eſt Ecceſia) completa ſunt, ut non vertatur in dubium, ne fiant iſta pauca, quæ reſtant. Si quæ verò moralia ad honeſtum Dei placitum homines trahentia, & qua de vitatione & declinatione malorum & factione boni & ſolidatione fidei, erectione ſpei, perfectione charitatis, cæterarúmque actione virtutum, & de interminatione pœnarum, promiſſione ſuperna, parabolicè aut enudatè Prophetæ locuti ſunt, non ſolutionem, ſed confirmationē à Chriſto Domino ſuſceperunt, confirmante bonum, ſuadente perfectum, invitante ad optimum, ſub pollicatione regni cœlorum. Ac per hoc jurejurando aſſeruit omnia facilius poſſe deficere, quàm non implere legem, quam Moyſi dedit, cujus impletio Evangelium fuit. *Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Verbum affirmationis & jurationis eſt amen. Unde nolite putare, quoniam veni ſolvere legem, aut Prophetas, ſed jurejurando dico vobis, quod antequam tranſeat iſta generatio hominum, quæ ſub cœlo per generationem & corruptionem ex antiqua traduce, animarum nova infuſione tranſit in terra, non ſolùm magna in lege ſcripta fient, & prophetata complentur, ſed etiam minima complebuntur. Et in hoc verbo etiam Prophetæ, atque omnis ſcriptura veteris & novi Teſtamenti concluduntur, & ſignantur nomine unius legis, quoniam ſi nova lex impletio veteris eſt, unum eſt legis corpus. Sicut ſæpe plura membra unum corpus efficiunt, dum in unum coeunt, ſic Teſtamentum vetus & novum in Chriſto & corpore ſuo myſtico coeuntia, vetus in ænigmate, novum in veritate unam legem conficiunt. Etiam ab uno datore ſuſpiciunt unitatem, & ab una intentione vivendi in actione bonorum, ab una intentione cavendi in declinatione malorum, ab una promiſſione cœleſtium ab una interminatione pœnarum. Non enim in iſtis in utroque Teſtamento inveniuntur diverſitas, quamvis in novo in moribus ſit major honeſtas, potior ſanctitas, & à conjogio ſit exaltata virginitas, & à diuitijs altius commendata paupertas, & vetus tenuerit umbram, novum expreſſerit veritatem, utrumque tamen ſic altè, ac tali eſt fœdere promulgatum, ut pro ipſorum veritate tenenda ſuſpiciatur omne ſupplicium, & propoſitione facta deſerendi, nullum devitetur tormentum, quod in veteri multi fecerunt Prophetæ, ſeptemque Machabæi, in novo verò Martyres cæteri. Proinde, cùm dicit, jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, ſcilicet veteris Teſtamenti ſub quacunque ſcriptura contenti, & novi à Chriſto, & ab Apoſtolis ejus per Spiritum Sanctum editi, donec fiant omnia in utoque contenta, jota & apex puncta ſunt, quibus ſententiæ magnæ ſive parvæ terminantur, & reincipiunt in ſcripturis, ut ſic ſenſus eluceat. Nullæ ſententiæ ſcripturarum legalium terminatæ punctis præteribunt, quin terminentur in factis. Et quoniam oportet omnia fieri, ad Doctores faciendi & dicendi ſermo dirigitur, cùm ex ipſis forma vivendi & ſcientia faciendi defluat ad indoctos. *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Si Chriſtus, ut ſupra prætulit, legem non venit ſolvere moribus contrarijs, aut doctrina, ſed implere, neque conſentit, ſed prohibet, ne quis Doctor è regione vivende ſolvat ſive doceat, quod ſi fecerit, vocabitur minimus in regno militantis Eccleſiæ, non patriæ triumphantis, ad quam intrare nequibit. In eo, ſcilicet minimus, ut ſi nomen habet Doctoris, non habeat nomen bonitatis, & ſi vigeat doctrina, careat gratia, & deſpecta ejus vita, deſpiciatur ſimiliter & doctrina. Minima quidem mandata vocat à facili obſervatione, ut eo criminoſior ſit prævaricans, quo ipſa potuit facilius obſervare. Magna protinus de ſui natura omnia ſunt mandata Quoniam qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Unde igitur magnus, niſi à factione atque doctrina magnorum? Ergo Dei præcepta minima ſunt & magna. Minima, quia faciliter obſervantur, & minimum prævaricantem Doctorem efficiunt. Magna verò à datore magno, à cauſa magna, ne vana ſectantes, à magno Domino ſeparemur, à præmio magno, quia qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum, non ſolùm in hoc peregrino atque terreno, ſed etiam in ſuperno. Sed ne me dixiſſe prætereat, quod audacter ſentire confiteor. Omnis Doctor qui malè vivit, & malè docet, pejor eſt cenſendus per doctrinam perperam, quam perperam vitam. Nam ex mala vita ſibi ſoli nequam, & ſi aliquando exemplo malo proximus offendatur, malum utique ſibi, ſed magis proximus eſt cauſandus, qui cognoſcens exemplum malæ

actionis accepit, quam Doctor verbo doctrinæ non confirmavit. Qui autem perverſè vixerit, & ſic docuerit, etiam ſi non malum exemplum dedit, & perverſam doctrinam dederit, omnino culpabilior per exceſſum, cùm ex mala doctrina firmentur malè acta, cumulentur vitijs, virtutibus derogentur, mores mali hominum invaleſcant, incentivum præbeatur omnibus delinquendi, procuratio fiat pro inferno, nam Doctor malus, procurator inferni, advocatus dæmonum, latro inſidians pergentibus ad regna cœlorum, Angelorum inimicus, deſtructor ſupernæ patriæ, oppugnator Chriſti, & quod pejus eſt omnibus, ex mala doctrina hæreſes oriuntur. Nunquam legimus in concione imperita hæreſes fuiſſe inductas, niſi ex perverſa doctrina Doctorum. Unde incredulitas, & mala credulitas & ſchiſmata, & ſectæ in Eccleſia ſunt exorta, niſi ex pernicioſa & humana & juxta placitum præconcepta doctrina, cùm quis præter veritatem conſequitur voluntatem?

Cap. XVII.

De abundantiori juſtitia fidelium Chriſti ſuper ſcribas, & Phariſæos ſecundùm Matthæum.

QUoniam Salvator omnium Chriſtus legem non venerat ſolvere, ſed adimplere, hoc ut jurejurando firmaret cōmonefacceretque Doctores, ut ſecundùm illam viverent, atque docerent omnes ſuos ſequaces alloquitur, qui regna cœlorum captare contendunt, dicens: quòd juſtitiā ampliorem poſſideant, quàm ipſi ſcribæ, & Phariſæi, qui de juſtitia legali ſe falſo jactabant, cujus erant prævaricatores potius, quàm factores, non intendentes in illam juſtitiam, quæ juſtificat
Matth. 5. peccatores, de qua dicitur: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Aut una juſtitia legis aut duæ, ſed unius legis unica eſt juſtitia, ut animo diligantur, & opere compleantur, quæ in lege mandantur. Duarum verò legum duplex erit juſtitia. Proinde ſi vetus Teſtamentum & novum duplicem legum faciunt, una erit ſcribarum, & Phariſæorum, altera Chriſti diſcipulorum. Illorum legis veteris, iſtorum novæ legis. Igitur oportebit juſtitiam Evangelij præcellere legis juſtitiam lege Moſaicæ. Omnino ab illa lege veteri Evangelium exaltatur, in cujus operatione juſtitiæ oportebit Chriſti diſcipulos excedere Phariſæos. Sic verò (ut ſupra prætulimus) utriuſque legis unum eſt corpus, ut velut unius legis ſit una juſtitia, tunc ad actionem refertur in juſtitia abundare, ac ſi ſic enodatius diſcipulis diceretur, niſi vos in juſtitia factionis exceſſeritis ſcribas & Phariſæos, non intrabitis in regnum cœlorum, quoniam illi dicebant, & non faciebant. Sed quoquo modo ſententia capiatur ex verbis, ſive ſint duæ juſtitiæ duarum legum, ſive una unius, in idem redit pro lege non ſolvenda, ſed adimpienda in parte vitæ agendæ, & pro regno captando cœlorum in parte vitæ ſignificandæ. Hinc ergo expedit omnino differere verbum dictum, juſtitia veſtra, ſcilicet diſcipulorum & ſcribarum & Phariſæorum. Erat dudum illorum juſtitia in cortice, iſtorum in medulla. Illorum in littera, diſcipulorum in intelligentia. Illorum in verbis, diſcipulorum in ſenſu. Illorum in virtute ſermonis, iſtorum in virtute rationis. Illorum in ſacrificio trucidari pecoris, iſtorum in ſacrificio veræ laudis, quoniam ſcriptum eſt: Sacrifi- Pſal. 49.
cium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam ei ſalutare Dei. Illorum in ſacrificio & aſperſione effuſi ſanguinis, Pſal. 50.
iſtorum in ſacrificio contriti cordis, quia ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Illorum juſtitia in circumſione carnis, iſtorum in circumciſione cordis. Sic quidem in Deuteronomio ſcriptum eſt: Circumcidite ergo præputia cordis veſtri. Deut. 10.
Et alibi: Circuncidet Dominus Deus tuus Deut. 90.
cor tuum & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum. Illorum juſtitia in cuſtodia Sabbati temporalis, diſcipulorum verò Sabbati ſpiritualis. Et ut breviter perſtringam, illorum juſtitia erat in actionibus corporalibus, ſive affirmativè ſive negativè mandata ponerentur: diſcipulorum verò & omnium Chriſtianorum eſt in virtute animæ interioriſque virtutis quomodolibet jubeantur. Propterea ſubſequentia amplius manifeſtant, quoniam ſcribæ & Phariſæi tantū exterioribus obſervationibus intendebant, nos verò amplius in interioribus jubemur intendere. Ad quod ſequitur: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus* Exod. 20.
erit judicio. Ego autem dico vobis quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Ecce abundantia juſtitiæ ad juſtitiam, ut ſcribæ & Phariſæi, cæterique Judæi, ſi non occidant, ſervare juſtitiam glorientur, Chriſti verò fidelibus non ſolùm inhibetur occiſionis actus, ſed prohibetur ad iram animi motus. Facilius quidem eſt non occidere prohibendo manum, quam non iraſci cohibendo animi motum. Proinde abun-

abundantia iſta juſtitiæ ſuper Phariſæos,ad perfectionem & conſiſtentiam animi trahitur. Et quod ſolùm in animo eſt, occultatur hominibus, cognitum ſoli Deo. Et Deus cordi legem,non homo apponere potuit. Et ſi lex Dei ejus in corde ipſius, non ſupplantabuntur greſſus ejus, quæ prohibet,ut homo homini non iraſcatur, iraſcena verò judicio puniatur. Poteſt autem malum, quod latet lin corde adversùs proximum multiplici enuntiatione oſtendi,ſigno, verbo,facto. Signo videlicet indiſtincto verbo, ut *ſi quis dixerit fratri ſuo racha,reus erit conſilio.* Racha rancor eſt ex corde procedens per guttur uſque ad palatum,per nares exufflans,etiam ſi labia jngerentur, & quandoque labijs apertis oſtendens animum adversùs aliquem indignatum. Verbo,cùm quis animo irato ipſius tempeſtatem refrænare ira prædominante non valens,verbum diſtinctum, & cognitum injurioſè in proximum protulit : ut *qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Fatuitas eſt,dum in hac vita vivitur ultima hominis ignorantia,cùm nec ſeipſum, nec quis alius ſit, aut loquatur,intelligit. Facto, cùm quia ita experverſo corde actionéque mala conturbavit proximum, ut niſi primo illum reconciliet atque placet, ſacrificare,atque aliquid muneris offerre non liceat. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris,quod frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconcilliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Non erat in illorum juſtitia proximum reconciliare turbatum, noſtra verò exigit,ut niſi prius reconciliemus, oblationes non offeramus, quod ſi facimus,caſſa eſt oblatio proximo non pacato. Sine dilectione proximi opera cuncta fruſtrantur. Quomodo proximum diligit, qui eum conturbans modis omnibus non refovit? Sed advertendum ſumma diſcretione, agendúmque ne proximi offenſam plus aut minus debito emendare velimus. Nam ſi corde tantùm perverſo, & odioſo in proximum aliquid cogitatum eſt,clam ſoli Deo emendatio ipſa fiat quia offenſa uſque ad proximum non devenit, cui quod latebat emendando prodere,nihil aliud eſt, quam in ſua nequitia incognitum diffamare. Si verò eructuato verbo contra proximum aliquid dictum eſt, ad ipſius notitiam non perveniens, etiam nec ipſi ſatisfactio fiat, ſed in conſpectu Dei,& coram illis,qui hujuſcemodi convitia de proximo audierunt. Cùm autem ad proximi notitiam pervenerit verbo aut facto tuo contra eum præconcepta malitia juxta quantitatem offenſionis, quantitas emendationis exiſtat,prout aderit poſſibilitas & honeſtas permiſerit. Multa enim ex æquo emendationi non ſubjacent, aliqua verò,ſi fierent,depellerent honeſtatem. Hoc triplex ſatisfactionis genus,ſcilicet,corde,verbo, facto, juſtum eſt atque perfectum, quod de triplici offenſa procedit ſignatum in ira cordis, in bipertito verbo oris,ſcilicet racha & faute, & illatione mali operis,ex eo,quoniam munus reſpuitur, niſi proximus reconcilietur. Quòd ſi forte reconciliandus reconciliantem aſpernaretur nihilpendens reconciliationem,nec vellet impendere indulgentiã poſtulatam,nec offenſam dimittere deprecanti, nil ei deperit coram ſuperno judice deſuper hominum corda proſpiciente, ſi reconciliationem facere diſpoſuerat in veritate, vadat ſecurus, & perficiat vota ſua non malè motus in animo,ſed ſemper paratus, cùm opus fuerit placare, quantum in ipſo eſt,proximum,quem offendit. Si verò aliter iſta differamus,tria ſunt iſta mala, quibus triplex pœna reſpondet. Ira,ſuper quam judicium,racha,ſuper quod pendet conſilium,fatuum aliquem dicere, ad quod gehennæ ignis adijcitur. Ecce ad proximum offenſionis, & punitionis proceſſus. Ira in corde latens, ſolius Dei judicio ſubjacebit, quanta fuerit iraſcens pœna plectendus. Signum iræ jam apparens hominum conſilio ſtabit qualiter ſic inſinuans animi ſui motum ſit corrigendus. Expreſſo malitiæ verbo ex ira concepta in proximum excandeſcens, niſi emendaverit gehennæ ignis æterni pœnam ſuſtinebit. Videndum igitur, quantùm Chriſtianorum ſuper ſcribas & Phariſæos debet abundare juſtitia, quod in his tribus uſque ad proximi probabilem offenſionem nec perventum eſt,ut nec ictus verberum,nec mutilatio membrorum, nec occiſio, nec rerum ablatio invitè præſtiterit. Et emendationem oportet fieri, ſi noſtra munera nolumus reprobari. Et illotum juſtitia occiſionem aut rerum direptionem ſolummodo prohibebat. Ecce patet, quod lex non ſolvitur,ſed amplius adimpletur, cùm ad interioria hominis perfectionem refertur. Et non ſolum actus,ſed etiam animi malus motus, & ſermo malus pœna plectuntur. Si qua verò dicentur in iſto Montano ſermone uſque ad deſcenſum Chriſti de monte, hoc maximè aſtruunt, quòd Chriſtus legem non venit ſolvere, ſed adimplere,ad hocque continuata referuntur cum admonitione in declinatione malorum, & in actione bonorum operum,& quòd abundantior ſit Chriſtianorum juſtitia,quàm ſcribarum & Phariſæorum.

Cap. XVIII.

Quòd cum his,qui adverſantur, & quibus adverſamur , oporteat habere concordiam, ſi volumus evitare gehennam,ſecundùm Matthæum & Lucam tantùm.

DIſſentire in aliquo à naturæ conſimili,vitium eſt, Diſſentire à vitijs & perditis moribus hominum eſt maxima virtus. Unus eſt omnium creator, qui tam diverſa in unam fecit convenire formam. Unitatem igitur amat. Unus eſt mediator inter Deum & homines Chriſtus. Et ideo inter quos ſatagit reconciliare cum Deo,non patitur eſſe diſcordiam. Unius creationis,unius ſimilitudinis Divinæ atque naturæ unius redemptionis & gratiæ, unius fidei homines ab invicem diſſentire non ſuſtinet, magis verò diſſentientes ſub interminatione revocat ad con-
Matth. 5. ſenſum, dicens : *Eſto conſentiens adver-*
Lucæ 12. *ſario tuo citò,dum es in via, &c.* Cùm ſuperiori connectitur iſta ſententia, ſcilicet de reconciliatione fraterna,priuſquam munus in altari offeratur, ubi munus non gratè offertur,niſi primò proximus reconcilietur. Hic ſub interminatione præcipitur,ut ſibi cito conſentiatur. Ibi offenſus proximus, hic offendens intelligitur adverſarius. Ille reconciliatur,huic conſentitur, ne quomodolibet diſcordia regnet, ſed omnimode mutua pax inter homines habeatur. Hoc quod tanto Divino ſtudio agitur ſub comminatione pœnæ, ſub promiſſione gloriæ, perlucide arguet Chriſtum non veniſſe legem ſolvere,ſed adimplere, atque perfectionem plurimam addere. Sed ut ſupra tangere cœpimus,duo ſunt adverſariorum genera, unum cui tu adverſaris, & oſtendiſti corde, ore vel facto à te prius incœpta malitia. Alterum, qui tibi adverſatur, ab ipſo præeunte nequitia. Primus reconciliandus,alteri verò conſentiendum eſt. Seu in alio genere adverſandi,aut eſt adverſarius ex injuria perſonali,verbo ſeu edita facto,aut ex debito rei, cùm quis rem ſuam repetit ab alio. Iterum primus reconciliandus, aleri verò conſentiendum eſt. Et hoc maximè in literali ſenſu Salvator videtur intendere,ut repetenti ſuum conſentiatur,antequam litigatio ante judicem fiat, ex qua conſueverunt prodere mendacia, convicia in alterum oriri diſcordia, provocatio ad pejora, & tandem devictio, & in altero litigantium horrenda captivitas, donec reſtitutio ſit ad plenum. Igitur melius eſſet debitum ante reddere repetenti,quàm devenire ad judicem, & convinci, & fieri captivum, & tandem ſic manere, aut reddere debitum univerſum. Pacis amator, author & lator legis,non ſolutor, ſed amplius factor, adijciens perfectionem nititur propellere litem, dicens : *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cùm eo, & vadis ad principem, da operam liberari ab illo, ne forte tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro exactori, & mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas ei noviſſimum quadrantem ſive minutum.* Conſentiendum eſt adverſario ſua juſtè repetenti. Nemini licitum eſt aliena rapere ſive retinere præter Domini voluntatem, niſi ex ſubortus & juſtis cauſis aliud jura decernerent : Conſenti, dum es in via cum eo, antequam hora litigationis adveniat, antequam judex habeat de veritate cognoſcere, ſi diſcipuli Chriſti eſtis, ſi Chriſtum imitamini, ſi doctrinæ Chriſtianæ conſentitis. Conſentiatis & veritati. Redde mutuum ad tempus creditum. Redde ſi invitè acceperis aliquid à conſorte naturæ. Quanquam natura proprium non judicat, lex tamen ad coercendas hominum improbitates induxit. Tibi Domino non contento ſuum tenere non licet, ut quid judicem vis adire cum adverſario, juſtè quod ſuum eſt repetenti? Unde tanta perverſitas, ut de re non tua velis inchoare litigium? Quæ audacia, ut velis ante judicem ſiſti, ubi eſt neceſſarium te convinci? Ante judicem ſeu principem conſtitutus, confiteberis an inficiaberis creditum? Si confiteberis, ut quid non prævenis faciem principis adverſario conſentiendo, ut non fatiges proximum, non inducas expenſas, non libellum recipias, ut non devenias ad calumniam, nec contra te latam ſententiam audias, ne coram omnibus erubeſcas, & abſcedas confuſus in domum, aut efficiaris turpi neceſſitate captivus? Si verò inficaberis, quæ te conſtrinxit malitia, ut te negationi connecteres, ut à veritate terga verſares, ut velis retinere non tuum, & de tua voluntate condere ſævam legem, cujus authoritate alienum tuum vendicares in proprium, & quod eſt partum alieno ſudore labore alieno quæſitum, invito Domino velis facere tuum? Unde tanta ſeveritas in naturæ conſortem, ut bonorum ſuorum ipſum velis eſſe exortem? Unde iſta falſitas, ut non timeas aut diligas, ſed odias veritatem? Unde quod non timeas legem, quod non horreſcas & judicem, qui te falsò negantem, aut veritate convictum tradat in carerem unde non exeas, niſi perſolveris omne minutum, ſive quadrantem.

Eſto igitur conſentiens adverſario tuo juſtè repetenti, pacem habe cum proximo, non deneges aliena, qui propria largiri ex neceſſitate conſtringeris. Hæc lex eſt juſtitia originalis, hæc juſtitia Moſaicæ atque Evangelicæ legis. Ex his concordia ſervatur in proximis, diſcordia propellitur, lex non ſolvitur, ſed adimpletur, & ſpes ex Chriſti pollicitatione erigitur de regno cœlorum. Alibi autem hoc per ſimilitudinem diſſertum eſt.

Cap. XIX.

Quòd mœchia non ſolùm ſit corporis, ſed & cordis malè concupiſcentis etiam ſine tactu carnis, ſecundùm Matthæum.

Lex non ſolvenda, ſed adimplenda per Chriſtum diſerto verbo, exarato dicto corporis mœchiam interdixerat, Chriſtus verò etiam cordis mœchiam adeſſe denuntiat, ſi affuerit in videndo concupiſcentia fornicandi, ad quam devitandam membra mandat per abſtinentiam cohiberi.

Matth. 5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Ecce abundantior juſtitia non ſolùm prohibitio corporalis, ſed cordis. Ecce juſtitia Phariſæa, corpore non mœchari. Ecce abundans, concupiſcentias à corde recidere. Ubi abundantia peccatorum, ibi etiam & virtutum. Cor hominis fons eſt malorum, cùm fuerit perverſum. Cuncta mala de corde prodeunt, quod & Salvator alias teſtatus eſt. Cor hominis receptaculum eſt virtutum, cui cùm inſederint, devenietur in actus.

Matth. 15 Concupiſcentia mala, quia de corde malo, in videndo videntem fornicarium fecit. Viſa eſt mulier apta, pulchra, mulier, neque viſus potuerunt operari mœchiam, acceſſit concupiſcentia, ut appeteres & apperi velles, & fornicatio in corde hominis facta eſt. Igitur cohibendus eſt viſus, non ut ne videat, ſed ne figatur in delectabile viſum, unde mala concupiſcentia generetur, qua homo mœchus efficitur. Cor cuſtodiendum eſt, ne immundè ſequatur aſpectum. Ecce pulchra facies ſe objecit viſui, ecce viſus illam aſpexit, adhuc caſtitas in moribus & affectibus, ut neque viſus neque objectum amœnum illam potuerit maculare. Adeſt & cor de illa pulchritudine cogitans, nec in caſtitate generavit eclipſim, acceſſit concupiſcentia præter Divinæ legis ordinem & caſtitas receſſit ab homine, mœchia facta eſt ab utroque. Unde concupiſcentia mala, niſi ex Dei lege relicta? Bonus homo, bona mulier, bonus viſus, bonum cor, neutrum iſtorum de ſua natura cauſandum, ſed cùm concupiſcentia mala cordis clauſtra penetravit, ut quod bonum eſt natura, etiam natura bonum appeteret, peccatum non ex his, ſed ex perverſa intentione procederet. Sic & ſcriptura Salvatoris eloquitur: Nam qui viderit mulierem, non ut mulierem, alioquin vidiſſe ſanctas fuiſſet in crimine, ſed ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo, non in oculo ſuo, à quo viſus procedit, ſed in corde ſuo, ubi concupiſcentia mala reſedit. Sed cor ne diſſolveretur in vitium, comminationem accepit. Væ diſſolutis corde. Diſſolutio cordis eſt à lege veritatis, cùm Eccli. 2.
præter ipſam aliquid concupiſcit Et ad cautelam invitatur, cum dicitur: Omni cu- Gene 3.
ſtodia ſerva cor tuum. Et de viſu arguuntur protoplaſti, & David in viſu Ber- 2.Reg.11
ſabeæ, quod viderunt & cor eorum in concupiſcentiam exarſit. Jeremias deplorat: Oculus meus deprædatus eſt animam Thren. 3.
meam. Et de concupiſcentiis dicitur: Poſt concupiſcentias tuas non eas. Et ſub- Eccle. 18.
ſequenter ne, quæ ſenſibus percipiuntur, in affectum cordis deveniant, mali uſus ſenſuum ſpiritualiter à Chriſto jubentur abſcindi, cùm immediatè adjungitur: *Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & proijce abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Dexter oculus eſt intellectus interior, qui tunc ſcandalum parat, cùm concupiſcentiam ſequitur, tunc eruitur, cùm ab ipſa divellitur, tunc à ſe proijcitur, cùm nihil propter propriam & ſenſualem delectationem inquiritur. *Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proijce abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Dextera manus refertur ad potentiam effectivam eorum, quæ in concupiſcentiam venerunt. Quæ tunc ſcandalizat animam, cùm perficit conceptam nequitiam, quæ abſcinditur, cùm reprimitur, tunc ab ſe proijcitur, cùm nil in ſenſuale placitum agitur. Sed melius eſt iſtam deperire atque refrænare ſuum ac interioris hominis partem, quàm totum eſſe hominis æternis gehennæ incendiis mancipari. In omnibus dicitur tuus & tua, quoniam non aliena, ſed tantùm propria mala nos maculant. Et qui ſe à propria iniquitate obſervat, eum iniquitas aliena non gravat. Scriptum eſt enim: Gravabit eum iniquitas ſua, non aliena. Videtur etiam ex his verbis

iſta reſonare ſententia, quod delectatio unius membri non occupet totum corpus, & quod agitur in parie membrorum, in totalitate corporis non contingat, cùm dicit : Expedit, ut pereat unum membrorum, quàm totum corpus tradatur in gehennam. Acſi unum membrorum poſſet perire toto alio corpore illæſo, ſicut in abſciſione manus aut pedis, mutilatione linguæ, in erutione oculi, reliquo intacto corpore. Sic & peccare in uno membrorum, cæteris membris denegantibus omnuoo conſenſum. Sed ſicut, cùm patitur unum membrorum, compatiuntur cætera membra, ſive cùm glotiatur unum membrum, congaudent & omnia membra, ſi cùm unum membtum lætanter peccat, ſic & cætera membra congratulando favent, alias injuſtitia eſſet ; ſi uno membrorum peccante, cætera membra immaculata punirentur. Aliter autem ex his oportet capere intellectum, ut quod dicitur in parte membrorum, in parte temporis, & quod in toto corpore, in totalitate æternitatis referatur, ut melius ſit huminem privari delectatione prohibita in hac parte labentis & terminandi temporis, quæ per corporis membra ſuſcipitur, quàm in gehenna ignis in æternitate damnari.

Cap. XX.

De libello repudij, in quo lex non ſolvitur, ſed abundantior juſtitia conſtituitur, ſecundùm Matthæum.

SCriptum eſt : Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Sermones Dei ſunt, illa, quæ ſcripta legimus in utroque teſtamento, quæ declaratione indigent, ut tardioribus innuteſcant, & ad confutationem illorum, qui parant ex cortice verborum calumniam veritati, qoamquam non intelligentes ea, quæ ſunt recta, malè intelligendo pervertunt. Et Phariſæis & ſcribis cæteriſque ſubſequis ſimilia ſentientibus ora claudere, qui præſumpſerunt aut præſumere potuerunt Chriſtum veniſſe legem ſolvere, non adimplere. Cujus contrarium aſſerit ſe facturum, dicens : Non veni legem ſolvere, ſed adimplere. Libellus repudij dari permiſſus in veteri teſtamento arguebat credulitatem populi Hebræorum, qui concepta in animo diſplicentia ex uxore, aut ex fœditate ſive zelotypia, ſive occaſione quacunque accepta uſque ad necem ejus facilè deſæviſſet. Ne autem contra mandatum Domini homicidium ſeu uxoricidium ſequeretur, ob levitatem libellus repudij eſt conceſſus. Sed JEſus lator novæ perpectioriſque legis adimplens veterem, novam introducendo non ſolvens, imo perfectiori & abundantiori juſtitia illam decorans in illa credulitatem præcavens, in iſta honeſtam caſtitatem conſervans, niſi ob fornicationis cauſam uxorem voluit non dimitti, dicens : *Dictum eſt autem : Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, det* Matth. 5. *illi libellum repudij. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Libellus repudij ſic erat, ut cauſa qua uxor viro fuiſſet odioſa, ſcriberetur, & poneretur in manu repudiatæ, atque Sacerdotibus demonſtraretur, & juramento præſtito quod ſic veritas ſe habet poterat ab alio duci & copulari conjugio, & iterum ſic repudiari, ſi cauſa ſubeſſet, non tamen reconjungenda priori. Talis repudiatio uxoricidium devitabat, quod & fuiſſet, ſi vir abhorrens uxorem invitè illam ingratioſam ſibi retinere cogeretur. Sed honeſtatem omnimodam non habebat, quod una mulier potuiſſe duobus maritis vivis diverſis temporibus ſubjacere. Ampliorem enim poteſtatem habuit, quod unus maritus pluribus præeſſet uxoribus aut mulieribus, ut Abraham & Jacob, quàm quod una mulier maritis vivis pluribus ſubjaceret. Proinde Salvator non ſolvens legem, ſed implens, per abundatiorem juſtitiam honeſtatis prohibet, & diſſuadet uxorem repudiari, niſi fornicationis ob cauſam, quam etiam ſic repudiatam repudiante ſuperſtite alteri prohibet copulari. Quod ſi alia cauſa præter iſtam repudiaretur, mœchia conſtituitur. Et qui quocunque modo vel cauſa repudiatam duxerit, criminis adulterij reus erit. Non enim hujuſcemodi dimiſſio matrimonium ſolvit, ſed facit divortinm thori, cùm & poſſit conſenſu mutuo ſuo viro reconciliari. Fertur enim in ſubſequentibus ſic reſpondiſſe ſcribis, & Phariſæis interrogando tentantibus Salvatorem : *Sic licet homini dimittere uxorem quacunque ex cauſa?* Matt. 19. Qui reſpondens ait eis : Non legiſtis, quia qui fecit homines ab Gene. 2. initio maſculum & fœminam creavit eos ? Et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit uxori, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.

Quos ergo Deus conjunxit homo, non ſeparet. Ex hoc ſumitur, quod Deus, quoa conjunxit, ſeparare poteſt. Ac per hoc conjuncti etiam carnali copula, mutuo conſenſu inſpirante Deo pro obſervantia caſtitatia poſſunt ab invicem ſeparari. Ante carnalem verò copulam pro caſtitate in voto ſervanda poſſunt altera invita partium fœdera quæcunque diſrumpi. *Dicunt illi ſcribæ & Phariſæi : Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudij, & dimittere? Et ait illis : Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras. Ab initio autem non fuit ſic.* Patet ſanè intelligentibus cauſa, cur libellua repudij ſit conceſſus & permiſſua, non tamen juſtus, ſcilicet ne duritia cordia uſque ad uxoricidium deſæviret. Ab initio uſque ad Moyſen conjugia ex honeſtare originalis publicæque juſtitiæ inſoluta manebant. Nunc verò Salvator Evangelicam legem retorquens ad juſtitiam originalem decernit. *Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob cauſam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Attamen nemo malè intelligendo erret, ut dimiſſio fornicationia cauſa licentiam præſtet alteri partium ad alia nuptiarum vora tranſire, non enim eſſet adimpletio legia, ſed ſolutio. Neque legia abundantior juſtitia, ſed, defectior videretur, ſi tempore Filii Virginis non reſtringeretur libido carnia, & una mulier pluribua vivia potuiſſet ſobjacere maritia. Imputet ſibi, qui continere recuſavit, non licentia repudiandi ex cauſa fornicationis. Nec repudiata ſibi putet adeſſe juſtam alteri nubendi licentiam, quia volens aut nolens repudium habuit, ſed magia doleat, fleat, atque pœniteat, quod fornicationem, ob quàm juſtè repudiaretur, commiſit. Et potiua ſtudeat reconciliari repudianti viro, quàm alteri ipſo vivente copulari conjugio, quæ & ſi nondum recipitur in reconciliatione, omnino permaneat in caſtitate, quoſque reconcilietur, aut lex matrimonij lege mortis ſeparetur & ſolvatur. Alter verò ducena repudiatam, adulter & mœchua erit, quia illam duxit, quam adhuc à lege matrimonii mortia ſententia non diviſit, nec alia interfuit juſta cauſa matrimonialis divortii, ſed fornicatio juſta ſeparatio thori, Sed turbat animos incontinentium, & quærentium laſcivia & immundis moribua cum uxoribus delectari, ſi nulla cauſa dimittendæ uxoria in Evangelio, præterquam ſornicatio invenitur, cùm plerumque poſt uxorem ſæpe per tempora carnaliter cognitam interveniant infirmitates in corpore, atqoe in tali parte corporis, ut vir cum uxore volens coire, non poſſit, & ſœditates & fugæ ab altera partium, & copulationes illicitæ per illicitos amores & alios, ad ablationes uxorum à potentioribus, & vice verſa in viris, ut continere nolentes etiam licitè coire non poſſint, nec Apoſtolicum ſervare conſilium, ut unuſquiſque habeat uxorem propriam propter ſornicationem in aliam devitandam, & impingent fortè hujuſcemodi homines in illam, quam nullo modo intelligunt veritatem, dicentes : Ut quid imputabitur nobia ad crimen, ſi uxores illaa inhoneſtas dimittimus, cum quibus continere nolentes rem habere non poſſumua? Quid ſi alias ipſis viventibua ducimus, cùm impetua carnis noa agitet, continere nullo pacto delectet? Effrenatè concumbere nolumus, ideo alias ad uxoratum inquirimus. Affectamua prolem, ut dimittamus hæredem, & multa, quæ poſſunt quærulando deduci. Quibua reſpondere per ſingula prolata, & poſſibilia proferendi nimis prodiret in longum, quod breviter tractare decrevimus. Sed quia me in hac parte ignorantia craſſa ſeu ſupina non fallit, ſed menti pura veritas interlucet, dixerim verum Deum & Unigenitum Filium ejus præcepta impoſſibilia non dediſſe, neque alicui præcepiſſe ſupra gratiam & virtutem, quam ipſe præſtiterit hominibus obſervandi. Quare autem non omnium in obſervando præcepta ſit æqua conditio, ut unus habeat uxorem ſuis voluntatibus aptam, alter verò diverſimode præpeditam non eſt humanæ inquiſitionis, quod eſt Divinæ voluntatia, atque permiſſionis, quæ ut eſſent, omnia non fecit æqualia, quæ nihil novit operari non juſtum quamvia à nobis incognitum. Ipſe laudetur in operibus ſuis, timeatur & ſibi obediatur in legibua juſtis. Suum duntaxat eſt imperare, atque ordinare, quod libet, noſtrum eſt ſine cauſatione obſervare quod præcepit, magiſque quod expedit nobis.

Cap. XXI.

Quòd juramentum in lege conceſſum, in Evangelio omnino prohibeatur, ut ſit lex plenior & juſtitia abundantior.

AB illa primordinali & ignorali & ſancta juſtitia, in qua homo non ſtetit, indicitur, ut prout exigitur veritas, ita reddatur, & quod dolus & fraus ab humana converſatione pellantur, neque corde aut ore per incaptionem & circumventionem inter homines ſermo fiat, qui ſunt unius naturæ conſortes. Et corda ſoli Deo cognita, in quibus eſt humanæ converſationis origo, ſive fraude ſive benignitate ferantur in proximum, hominibus cunctis occulta ſunt. Idcirco rectum mandans noſtrum fieri animum, ſine dolo & fraude verbum fieri mandabat ad proximum. Et ſine iuramento quod dicebatur, abſque dubio volebat haberi, & adſcribi malitiæ, ſi quis à verbo negativo aut affirmativo amplius extorſiſſet. Et ſi neceſſitate urgente pro firma fide proximis facienda oporteret juramenta præſtare, inhibetur, ne homo paulominus ab Angelis minoratus, rerum omnium corporalium Dominus conſtitutus, nemini niſi ſoli Deo ſubditus, quod per minora ſe juret, & Divinum honorem tribuat creaturis. Qui jurat, ut æquali ſuo in dictis fidem firmam aſtruat per majorem ſe juret, non enim præſtat fidem per æquale vel minus homini præſtata juratio. Minus eſt in homine omne creatum, ipſo creatore, & ſegregata creatura ſpirituali duntaxat exceptis. Proinde prohibet etiam, ſi expediret per creaturam aliquam juramenta præſtare, dicens ad ſupradicta continuando ſermonem, ut lex ſit inſolita & abundantior
Matth. 5. ſit juſtitia. *Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non perjurabis. Reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino. Neque per cœlum, quia thronus Dei eſt.* Juxta aliud Iſaiæ:
Iſaiæ 66. Cœlum mihi ſedes eſt. *Neque per terram, quia ſcabellum pedum ejus eſt.* Unde per
Iſaiæ 65. Iſaiam dicitur: Et qui jurat in terra, jurabit in Deo amen. *Neque per Jeroſolymam, quia civitas magni regis eſt. Neque per caput tuum jurabis, quia non potes unum capillum tuum facere aut album aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, eſt eſt, non non. Quod autem abundantius eſt, à malo eſt.* Ecce prohibitio in lege non perjurare, mandatum verò juramenta, ſcilicet juſta reddere. Chriſtus, qui venerat legem implere, non ſolvere, atque abundantiorem juſtitiam indicere, prohibet omnino jurare. Quoniam qui non jurat, totaliter alienus eſt à perjurio. Perjurare omnino impoſſibile ſit ei, qui jurare non novit. Magis impletur lex, amplius abundat juſtitia, ſi à juratione deſiſtitur, ne perjurium ſubſequatur, quàm ſi juratur, cùm poſſit ſequi perjurium. Tutius eſt cauſam non præſtare peccatis, quàm præſtita remanere inſontem. Unde ſcriptum eſt: Jurationi non Eccle. 23.
aſſueſcat os tuum. Veruntamen ſi jurare neceſſitas exigat, per aliquam creaturam præſtetur nemini juramentum, quamcunque dignitate reſplendeat, ne fides non propter Deum, ſed propter creaturas videatur ſervanda hominibus, & cultus Divinus creaturis aliquibus deferatur. Jurabant olim pagani per Deos, Deáſque velut per ſuos majores, quos credebant æternitate atque immortalitate pollentes. Acſi diceretur: Sicut Dii veri & immortales ſunt, ita vera dicimus ſicque faciemus. Et ſæpe vera per falſa ſpondebant. Non eſt congruum, ſed inſanum Divinum honorem creaturis impendere, ſimiléṁque fieri moribus paganorum, qui etiam credebant ſibi hujuſmodi Deos iraſci, niſi operibus juramenta firmarent. Sed nobis fidelibus nulla creatura noſtro finali & ſpirituali damno poteſt iraſci, niſi Deus & creator omnium noſtro demerito iraſcatur. Igitur ſi jurare omnino opus erit, per eum, qui ſummè omnibus præſidet, non per quæcunque creata jurabitur. Sed hoc maximè Salvator exigit, ut prout res eſt, affirmativè vel negativè proferatur, à malo aſſerens procedere, ſi plus in verbis importunè addiderit, ſic & ille, qui plus debito exigit.

Cap. XXII.

Quòd pœna talionis ad impletionem legis & abundantem juſtitiam ſecundùm charitatem, lenitatem & patientiam per Chriſtum commutata ſit, ſecundùm Matthæum & Lucam.

ÆQua videtur juſtitia injuriam patienti, neque videtur juſtæ querelæ habere poſſe materiam, ſi qualiter acceperit, taliter rependat. Et lege decretum erat, ne plus quam accepiſſet paſſus injuriam, rependeret, ſed ut talio inter homines haberetur. Sæpe quidem inter homines agitur more ferarum, ut morſum primo accipiens, in mordentem ampliori furore agatur. Sícque homines, cùm

cùm primo læduntur, in vindicando menſuram læſionis excedunt. Et ſi per ordinariam poteſtatem ultio ſumitur, optat præpatiens, ut per exceſſum pœna multiplicaretur. Proinde talio in illa lege Moſaica poſita eſt, non in poteſtate patientis, ſed ordinariæ authoritatis. Populus enim rudis duræque cervicis aliter non debebat tunc erudiri, pro illatis à proximo malis, quam in æqua pœna talionis, quam ex certa ſerie ſcripturæ non reperimus debere inferri, niſi malè paſſus expeteret, quem in Evangelica lege Salvator vult patienter ferre omnem injuriam ſine expetitione talionicæ ultionis, ex quo lex non ſolvitur, ſed impletur, & juſtitia conſtituitur abundantior. Nam amplius completur lex, per miſericordiam & patientiam naturæ, ſervando conſortem ſeu quamlibet corporis partem quomodolibet offendentem, quàm per impatientiam & iram cum legali juſtitia deſævire ad perdendum hominem, ſeu corporis partem, cùm perditum ex perdito nequit fieri rediviuum. Proinde Salvator dicit: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis:*
Exod.21. *Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego*
Deut.19. *autem dico vobis non reſiſtere malo. Sed ſi*
Matth. 5. *quis pecuſſerit te in dexteram maxillam tuam, præbe ei & alteram. Et ei, qui vult tecum in judicio contendere & tuniam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunque angariaverit te mille paſſus, vade cum illo alia duo.* Non ſolum ira, furia, furor, odium ſuperexcedens ultio, ſed talio in Evangelio prohibetur. Et ne videatur lex Moſaica ſolvi, remota juſtitia introducitur patientia, quæ opus perfectum habet, cùm malo non ſit reſiſtendum. Et conſilium datur ad toleranda plura ſive majora, cùm infertur injuria, dum ad percuſſionem unius maxillæ alteram ad cædentem præparare monemur. Et unum veſtimentum auferenti etiam alterum dimittere, & angarianti ad labores ampliores eſſe paratos, antequam dividamur à proximis, antequam diſcordia ſive litigium oriatur, antequam velimus aliquid rependere ultionis. Non ſolvitur lex, ſi nolumus reſiſtere malo, ſi ad cuncta pati paramur, ſi contentiones & lites in judicio devitamus, ſi cùm ablata tunica etiam auferri pallium ſuſtinemus, ſi pluſquam exacti impendimus & cætera, quæ ſimilium potiora ſunt. Iſta, quàm talio, legem potius implent, quam ſolvant, ubi virtus per ampliora refulget, abundat juſtitia ſuper ſcribas, & Phariſæos, ubi virtus interior omnia æquo animo tolerat, ubi non tantum actus, ſed animi motus reſtringitur, & non ſolum res, ſed ipſa quoque perſona in Chriſti obſequium coaptatur. Nec oriatur cauſatio, quod fiat injuſtitia, ſi legis talio abrogatur. Quoniam aliud eſt talionem auferre, per abjectionem ordinariæ poteſtatis, quæ habet ex authoritate ipſam in ſubjectos exercere juſtitiam, aliud, cùm quis litigare non vult, nec rependere, talioni cedens propter miſericordiam, atque patientiam, in amore atque patientia factus ad proximum. Juſtitia non quærit talionem, non impetrat ex animi virtute, non derogans in aliquo judiciariæ poteſtati. Erit ergo talio, & non erit, erit juſtitia, & non fiet. Erit ſiquidem in judice authoritatem habente, non erit in paſſo humiliter tolerante. Judex in ſua poteſtate habet leges, ut prout ſibi placuerit, delinquentes taliter aut taliter puniat. Malè paſſus amore Chriſti æquamnimiter tolerans ad inferentem injuriam, jacturam atque præſſuram, non talionem, non juſtam reprehenſionem à judice, ſed miſericordiam optat. Adhuc autem Salvator addit: *Qui autem petit à te, da ei, & volenti mutuari à te, non avertaris.* Vult porro Dominus & Redemptor JEſus Dei Filius incarnatus, qui omnia coram omnibus hominibus ab exordio fecit, ſemetipſum in fine temporum communem omnibus præbens, per omnia fratribus abſque peccato ſimilis factus, non quærens ſua commoda, ſed noſtra, nullum hominem ſolum fieri ad ſeipſum in propria perſona ſimiliter & in rebus eſſe, ſed totum eſſe ad proximum diffinivit, cùm noluit, quòd petita petentibus denegarentur, ſed tribueretur proximo juſtè petitum, ſicut quiſque vellet hoc fieri ad ſeipſum. Et cùm abrogare videretur ex lege talionem ſeveritatis, talionem charitatis & liberalitatis induxit, dicens: Qui autem petit à te, da ei. Acſi legem originalis juſtitiæ faceret redivivam, ad hoc Evangelicos viros inducens: Si petiturus es, petenti non deneges. Si cupis impetrare quod petis, à te impetret ille, qui petit. Si negaturus es, nunquam honeſtè petiturus es. Si negaturus es, ne queruleris, ſi tibi petitum denegetur. Si transferre in te optas petendo rei alienæ dominium, & tu verſa vice opportunitate dictante tuæ rei dominium, cùm petit, in alium transferas. Hæc originalis juſtitia, hæc lex Evangelica firma cenſura confirmant. Et ſi rei dominium non exigitur, ſed mutuum, rei familiaris ad certum temporis uſum, Salvator prohibet denegari. Et volenti mutuari à te, ne avertaris. Ad deducendum homines ad ſeipſos, dum vivunt in iſta vita mortali, multa exiguntur, quibus aliqui privantur, quamobrem quadam neceſſitate humanæ converſationis agitur, ut alter ab altero fulciatur. Et ſi aliqua ipſo

de uſu feſtinè depereunt, aliqua longiori tempore perſeverant, in primis penitio, ubi nulla redditio, in aliis mutuatio, de quibus reſtitutio expectatur in omnibus Chriſtus mandat ad proximum eum, qui poteſt, propitium fieri. Subjecit enim: *Omni petenti te tribue. Et qui aufert, quæ tua ſunt, ne repetas.* Ut ſub intelligatur ſive in datia liberè ſive in mutuandis ex tempore. Supra omnem humanum ſenſum induxit noſtris animis libertatem, ne rebus corruptibilibus ſubjaceremus, & ad veram patientiam monuit. Et cum omni proximo imperturbabilem voluit ſervare concordiam, vitare litem. cùm ablata bona repetere diſſuaſit, ne turbaretur ſtatus pacis, & orietur materia litis. Et talionem juſtam adnexit: & quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter. Ecce patet talio in meliora mutatus, ut ex ſeveritate ad charitatem, à juſtitia in miſericordiam, ab ira in veram animi patientiam tranſeatur, vel lex Dei melius impleatur, & abundantior juſtitia fiat.

Lucæ 6.

Cap. XXIII.

De dilectione & opitulatione inimicorum, ſecundùm Matthæum & Lucam.

Antiquis antiqua dicta Salvator commemorat, ut per introductionem ſuorum mandatorum componat, cujus legis potior ſit perfectio, approbans antedicta, ſcilicet, quòd legem non venerat ſolvere, ſed implere, & Evangelicam juſtitiam abundantiorem eſſe penitus ad Moſaicam legem, cùm removet omne odium, adijcit de dilectione mandatum. Odire naturæ conſimilem & conſortem nulla protinus poteſt cauſa ſubeſſe, quanquam adverſetur, quanquam multa mala conetur inferre. Neque derogandum eſt bonæ naturæ pro vitio, quo patrato non deſinit eſſe homo qui fecit, nec illam perdidit imaginem, quam una tecum dum crearetur, accepit. Attendendum quidem eſt, quid in natura placet, quid verò in vitio diſplicet. Non enim vitium eum natura convertitur neque cum vitio convertitur ipſa natura quamvis & vitium alibi quã in natura eſſe non poſſit, cùm & ipſum nec natura, neque ſubſtantia ſit. Non tamen comixtio ejus quod eſt, & naturam habet, & ejus quod non eſt, natura caret, aliquando eſſe poteſt, neque inſeparabilis unio, neque confœderatio inſolubilis, neque connexio indeciſſibilis cum vitio fuit aut erit aliquando, vitium omne adversùs naturam. Servetur naturæ placitum, quod ſemper idem eſt, ſempar easdem actiones placendi & diligendi habens, non mutabiles aut variabiles propter vitium. Alioquin ipſa natura mutaretur, quod fieri nequit. Naturam verò maculans ſive corrumpens removere, propellere, impugnare, odire fas erit. Odium nanque cujuslibet naturæ ſive ſubſtantiæ, vitium eſt. Quod ſi cum odii vitio habeam odio alio vitio ſeu ſimili macula vitioſum. Ante unua erat vitioſus in quo vis vitio, cùm verò fuerit exoſus, alter vitioſus ex odio conſtitutus eſt. Virtutibus non vitiis impugnanda ſunt vitia. Similium ad ſimilia nullam fieri pugnam neque purgationem dixerim, quanquam ſæpe vitium pellat, ibi nulla pugnæ utilitas, ubi vitium regnat. Nam ſicut virtutes alias virtutes non repellunt, ſic vitium aliud vitium non impugnat ea ratione, qua vitium, niſi fortè, cùm quis intanſiori animo eſt ad actionem unius, cui actio alterius adverſatur, ut avaritia & prodigalitas uſquequaque diſſentiunt, & hypocriſis & aperta ſuperbia. Dilectio verò ſecundùm naturam, & à natura eſt, quam omnia cupiunt, una mundi ex diverſia forma demonſtrat, in præcepto datam agnovimus, in convivendo neceſſariam eſſe negare non poſſumus, ad augendam rempublicam datam omnémque congregationem ſervandam rerum experientia manifeſtat, qua cunctæ beneficentiæ atque munificentiæ & contributiones ad convivendum neceſſariæ prodeunt. Quamobrem ipſe Salvator naturam humanam, quam aſſumpſit, per odia diviſam agnoſcens ac malè vivere ſentiens vera dilectione projecta, odium removere, hanc laude dignam inducere niſus eſt, dicens: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos. Et orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, ut ſitis Filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Ideo repetit antiquum, ſubinferens ſuum novum edictum, ut ex objectione appareat, quod altiori dignitate refulget, & per quod lex magis impletur, quam ſolvitur, & fœcundior eſt juſtitia. Conſentaneum eſt verè diligere conſortem naturæ, morale verò eſt diligere proximum. Licentia juſta videtur odire inimicum, præceptum eſt diligere amicum, ſed facile, cùm hoc ſit morale, Proinde tanto acerbior pœna tranſgreſſoribus reſervatur. Dictum quippe fuit: Diliges amicum tuum, ſicut teipſum. Levi. 19.

Ego

Ego Dominus. Odium verò in juſſione non legimus, niſi quis velit accipere ad præceptum, quod Deuteronomij ſcriptum
Deut. 23. eſt de Ammonitis & Moabitis, quod magis in figura futurorum, quam ad odium ex præcepto datum accipiendum, cùm multi ſævius perſecuti fuerint populum Hebræorum, quam Ammonitæ & Moabitæ, qui noluerunt occurrere cum panibus ipſis venientibus de Ægypto. Nec tamen legimus adversùs aliquos odium imperatum. Semper enim Deus cum deteſtatione vitii abſque odio voluit eſſe humanam naturam. Sed hoc, quod dicitur, odio habebis inimicum tuum, aut oppoſitio eſt, aut exiſtimatio de lege contrariorum, ut uno poſito alterum amoveatur, & ipſum ponatur, cum alterum removetur, ut trajiciatur in hoc: Et ſi proximus diligitur, & adſcribitur odio inimicus. Quoquo tamen modo hujus ſcripturæ de odio ſeries ſit inſerta, firmiter tamen tenendum eſt à DEO in veteri, à Chriſto in novo Teſtamento adverſus hominem de odio non exiſſe præceptum, quanquam ad neceſſitatem ſalutis ſit appoſitum Evangelicum odium ad perfectum, non adversùs naturam, ſed adversùs naturæ impertinentem maculam à parvis voluntatibus, non ab alio introductam. Subinfert autem quod eſt in dilectione perfectum. Ego autem dico vobis: Ego Deus factus homo authoritatem habens præcepta de novo condere, impertinentia reſecare, dico vobis auditoribus primis, ut & dicatur ſubſequentibus cæteris: Diligite inimicos veſtros. Abhorret animus dictum, ſi ſibi imponitur, quòd diligat inimicum, & de impoſſibilitate ſatagit ſe tueri, & de difficultate ſuffugium quærit, nulla ratione obſtringi ſe credens, quod debeat diligere inimicum, rimans indagatione ſubtili cauſas odij, non amoris, quia læſit abs re, quia intulit, & abſtulit, quia periculum irremediabile operatus eſt, & quod non ceſſat amplius deſævire, quia eum fecit ſemper ſine honore dejectum, quia interfecit, quia uxorem abduxit, & cætera talium, non advertens, quid natura imprædabilis boni habeat, & quid vitium natura & ſubſtantia carens lædendo, & diſplicendo poſſideat. Ad unum quorum amorem, ad alterum cum præſervatione prioris odium oportet inferre. Fit primo cordi præceptum, ut diligat, deinde dilectionis opera junguntur. Fruſtra enim de actuoſa dilectione daretur mandatum, ſi in corde odium ſtaret, nec ad meritum cederet, quidquid exhiberetur exterius proximo, intus tabe odij animo tabeſcente. Corde verò ex Dei gratia dilectione permoto, de his in quibus eſt diligendus proximus, ſeu porrigenda dilectio declaratur. Dilectio præferatur tanquam omnium bonorum in actione principium, & velut fons originalis aquæ ſervata origine in multos rivulos dividendus. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros. Et quoniam dilectio neſcit in ſua natura feriari, & benefaciens, & munifica eſt, nec merito examinans, ſed ſeipſam tribuens in aliorum commodum, ad quod ſe factam agnoſcit. Et eo ipſo validior in ſui natura conſiſtit, quo ſe tradere potuit in obſequium inimici, ut ei tribuat beneficium à quo & maleficium ſumpſit. Virtus autem eſt ad proprium poſſeſſorem tantùm, ut fertur in alium, aut ad neutrum eſt, & tunc virtus deſinit eſſe, ſi neutra conſiſtit. Ad Deum autem tanquam ad proprium factorem & largitorem, omnio primitus referenda eſt. Ac per hoc ſi virtus dilectionis debitum ordinem ſequens, ante omnia reſpiciet in authorem ſuum, nihil aliud ſtatuens facere, niſi obedire, quod decernit ſancto mandato, cui niſi culpabilis & pœnalis obedientia non debetur. Non igitur examinabit qualem, ſed quem poſſit ex mandato diligere, cùm de quo, non de quali conſtet emiſſum eſſe præceptum, de homine diligendo, non de quali accepimus juſſionem. Etenim ipſe dilexit nos, cùm peccatores eſſemus, non tamen ut peccatores, ſed ut juſti fieremus. Deviabit à natura fontis hujus rivulus aquæ, ſi aliter diligere tentabimus, quam conditor dilectionis dilexerit, qui ſicut dilexit, ſic diligi ordinavit. Totum ſe feciſſe cognoſcat dilectio, ſi juxta mandatum authoris impenditur. Quis igitur poteſt conqueri de mandato altiſſimi Domini. Quis cauſabitur reluctans facere, quod novimus Deum velle? Quis dicit impoſſibile, quod cum faciendi gratia mandat æqua & inobliqua juſtitia, ſumma veritas & æterna? Si ad poſſeſſorem dilectio reſpicit, purgabit eum, quærit enim ipſa nitidum locum. Nil tanquam odium animam fœdat & turbat. Si verò diffundenda erit, ſi habebit in quem, non quætat in qualem ſit ipſa ferenda, cùm non ſit dilectionis inveſtigare hominis qualitatem, ſed hominem naturæ conſortem, nec dilectiva potentia ſua proprietate inviſa quærit ex ſubortis cauſis inimicitias ſtatuere, quæ de ſui natura cogitur amicitias copulare, nec firmare odium, cùm interdicatur ſibi non cognoſcere inimicum, Et homo ſibi, non vitium proponitur ad amorem. Veruntamen inimicum diligere altè pollet. Arduum eſt hunc virtutis gradum potuiſſe conſcendere. Felix qui potuit. Nullum dixerim iſto in animi poteſtate majorem. De altitudine hujus præ-

præmii, ſi fecerit propter Deum credendum eſt altè, non differendum incertè. Benefacite his, qui oderunt vos. Benefactio ad odientes non obſtringitur ad munificentiam largiendi, ſed ſubveniendi neceſſitatem, ut neceſſitate cogente indigenti etiam odienti tribuatur expediens, qua ſublata ſit à bene faciendo abſoluta dilectio. Abundantibus enim amantibus ſive odientibus ex præcepto Divino ſive conſilio nullus cogitur propria impertiri, quamvis quædam humana urbanitas multa remota neceſſitate amicabiliter cogat impendere. Si juſſa dilectio animum hominis potuit penetrare, aut habitare, magis non ſolùm impenderet rerum corruptibilium beneficium, ſed etiam orationis officium largietur, pro bona proſperitate adverſantium precibus intercedens ad Dominum. Sic enim Salvator ſubjecit: *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Oratio hujuſcemodi non includit omnem orationis horam aut intentionem adſcriptam lædenti. Alioquin ampliora reciperet inimicus, quam qui nunquam novit inferre calumniam, & quàm ille, qui ſemper dilexit, & opitulatus eſt, & beneficium tulit. Sed inexcluſionem arguit talium, cùm oramus. Vel ſi propulſare volumus perſecutores, atque calumniatores, non armis, aut maledicis verbis, ſed orationibus propulſemus, non ut confundantur, & pereant, ſed ut convertantur, & vivant, & reſipiſcant à malis, & virtutibus polleant. Nulla major quomodolibet adverſante victoria, quàm ſi tuis precibus convertatur ad Dominum, cùm ipſe Dominus nolit mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat, quod & Salvator fecit, pro tranſgreſſoribus, & ſuis crucifixoribus orans. Hoc & Apoſtolos, & diſcipulos, & martyres feciſſe legimus, & quamplures ſanctos pro perſecutoribus in excelſo devotas & preces humiles porrexiſſe. Præmium ineffabile ad dictorum effectum ſubſequitur: *Et erit merces veſtra multa. Ut ſitis Filii Patris veſtri altiſſimi, qui in cœlis eſt.* Neſcio quid amplioris præmii poſſit habere in adverſarios diffuſa dilectio, quàm ſi adoptiva cum Unigenito ab æterno filiatio, & ſubſequatur hæreditas æterna, Quoniam, ſi Filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes au-
Rom. 3. tem Chriſti. *Qui* Pater Deus per patientiam & impenſionem beneficiorum ad pœnitentiam peccatores quærens adducere, noſtros defectus ſuſtinens, noſque miſeratus expectans. *Solem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos & benignus eſt ſuper gratos & ingratos.* Attendant, qui tergiverſantur, negantes inimicis dilectionem, & odientibus velle beneficium, & perſecutoribus orationis officium impartiri, Divinam in omnibus largitatem, qui ſole ſuis inimicis poſſet facere ultionem, qui eos creavit, bona tribuit, à quibus, & cum quibus offenſus eſt, qui ſolem luminoſum totius mundi gaudium corporale, omnium oculorum lætitiam, etiam à peccatoribus, & à ſuis æmulis non abſcondit, & pariter ad utilitatem bonorum atque malorum facit, ut non ſit nube tectus malis, lucidus bonis. Quamquam in Ægypto ad confundendam Exod. 10. perfidiam Pharaonis in tenebris ſtantibus Ægyptiis Iſrael Filiis lux fulgebat, non tamen hoc fecit hoſtiliter, ſed miſericorditer, ſatagens Pharaonem, & Ægyptios ad cognitionem veritatis inducere, & ad pœnitentiam provocare. Amplius benefaciens bonis pariter, & malis, ſolem juſtitiæ Unigenitum ab æterno Filium ejus in carne oriri mundo fecit, non dedignans humaniam carnem propter peccatores in carne non ſolùm ex juſtis, ſed etiam ex peccatoribus eum naſci fecit, non cedens in partem bonorum duntaxat carnem aſſumens, partem malorum abhorrens, non ſolùm quærens juſtos, dimittens iniquos. Sed velut medicus magis ægris, quàm congruens ſanis, & pluvia infundens terram, & inebrians eam, & geminare faciens, æqualiter pro bonis & malis ab æthere, alto dimittitur. Similiter & pluviâ ſanæ doctrinæ omnibus bonis & malis pariter eſt impenſa congruens juſtis, neceſſaria omnino injuſtis, benignitatem ineffabiliter præbens his, qui cognoverunt, & gratias rependerunt, & his, qui ab ingratitudine ſunt detenti, non reddentes gratias, ſed evaneſcentes in cogitationibus ſuis. Et quoniam lex impleatur amplius, quàm ſolvatur, & juſtitia ſit fœcundior, præponitur à Salvatore qualiter oportet diligendo excedere hominum communes mores. Inquit enim: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et quæ vobis gratia? Nam & peccatores ſe diligentes diligunt. Etſi ſalutaveritis eos, qui vos ſalutant, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Etſi benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis eſt gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt? Etſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Veruntamen mutuum date, nihil inde ſperantes. Eſtote ergo & vos perfecti, ſunt & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt, & miſericordes, ſicut & Pater miſericors eſt.* Publicani non à peccando, ſed à publicis officiis dicti, & ethnici gentiles & idolorum cultores, peccatores, qui variis vitiis corrupti

rupti ſunt, in operibus deducuntur in medium, ut oſtendatur, qualis eſſe debeat vera & Chriſtiana dilectio,& mutua fidelium converſatio. Non debent eſſe commercium dilectio & converſatio Chriſtianorum,neque ſpe mercedis incedere, nec quippiam retranſitivum prætendere, ut aliquid ſperetur humanum, ubi Divinum promittitur præmium. Nec reperitur in moribus hominum, ut una eademque res diverſis emptoribus eodem tempore vendatur in pretium. Dilectio exhibita propter Deum, non quærat ab homine habere mercedem. Ipſe merces eſt ſui præcepti, cùm fuerit adimpletum. Proinde diligere ſe diligentem,jam habet omnino ab homine vicem. Et derogatur virtutibus, quæ non præſentis temporis, ſed futuri debent habere mercedes, nec humanas aut terrenas, ſed omnino cœleſtes. Et ſibiipſi animus injuriam facit, qui ſeipſum tribuit pro mercede. Tranſire namque in dilectum dilectio animum facit, ut illi, quàm ſibi ſit ſæpe præſentior. Et Divina munera nihilpendit, quæ parabantur propter Deum animo diligenti. Sed omnino requiit rediligi. Proinde inimicus diligi proponitur,qui non rependit vicem, ipſe ut Deus reddat noſtræ liberæ dilectionis mercedem. Et hoc eſt inter homines eximium dilectionis officium,ut diligere inimicum, aut aliquem prævenire amando. Salutationes, & tributiones, & mutua de libera dilectione procedant, poſtpoſita ſpe mercedis, atque humanæ retributionis,ut fiant liberæ propter Deum, qui noſtrarum bonarum actionum totum eſt præmium, ad cujus ſimilitudinem perfecti, qui omnibus tribuit ſine retributione, ſimus & miſericordes, ſicut ipſe, qui ſuſtinet peccatores, & eis miſeretur, & commodat, nec deſinit benefacere ipſis, quos miſeratus expectat.

Cap. XXIV.

Quòd omnis juſtitia, quam in lege implere tenemur, ſolùm propter Deum facienda ſit, ſecundùm Matthæum.

SI Deus omnis virtutis eſt author, ſi ab ipſo cuncta bona procedunt, ſi ſine ipſo nihil poteſt fieri bonitatis, ſi omnis virtutis ſe præmium fecit, non eſt ex intentione agendæ virtutis ſive agentis ad ipſum finis alius apponendus, nec ante hominum ponendus conſpectus, qui præterquam laudando non poſſunt præmiare virtutes. Quidquid enim eſt viſibile oculis, aut objectibile ſenſibus, præmium non poſſet eſſe virtutis, etiam ſi ab hominibus poſſent cuncta conferri. Quomodo remunerabitur ab hominibus virtus, cujus Deus author ei ſe promiſit in præmium? Magna derogatio virtutis, nimiſque operarius ejus ſe dejecit in ima, ſi ex virtute voluit coram hominibus apparere, qui de ipſa prout & pro quanto ineſt, judicare non poſſunt, quamvis poſſint ipſam aliquando diffinire. Abſurdum eſt,& in partem dementiæ cedit, coram illo judice ſuam velle agere cauſam, qui veram nullo modo poteſt proferre ſententiam. Virtus cordi, non corpori inſiſtat. Virtutis actus ſub hominum judicio conſtitutus eſt in corpore, procedens à vero aut à falſo corde. Poteſt quidem actus virtutis plerunque fieri oſtentui,abſque amore virtutis in animo non inſidentis. Eſt autem quidam interior virtutis actus plus & minus habens, prout ipſius eſt habitus, ſoli Deo, non homini cognitus. Quis unquam ergo hominum de virtute rectum poterit proferre judicium, cùm judicium hominum ſæpe fallatur, Dei autem nunquam fallitur? Sicut in Saule decepti ſunt homines, Deus autem noverat veritatem. Siquidem ſcriptum eſt: Dixit Dominus ad Samuelem: Uſquequo luges Saul, cùm ego projecerim eum,ne regnet ſuper populum meum Iſrael? [1.Reg 16] Ecce quòd homo quamvis Propheta hominem quaſi dignum compaſſione lugebat, quem à regno & à regimine jam Dominus excludebat. Et omnes Jeſſe Filii paterno judicio & cæterorum magnum aliquid habebantur, ſed in conſpectu Dei non erant accepti, niſi ſolus David, qui inter eos minimus habebatur. Unde dictum eſt ad Samuelem, cùm in conſpectu ejus introducerent Eliab. Ne reſpicias vultum ejus, neque altitudinem ſtaturæ ejus, quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico. Homo enim videt ea, quæ apparent, Deus autem intuetur cor. Et ſimilis reprobatio facta [Ibidem.] cæterorum filiorum Jeſſe,ſolus David acceptus in conſpectu Dei eſt inventus. Proinde in conſpectu hominum non eſt noſtra facienda juſtitia, qui ſolùm judicant, quæ foris apparent, ſed in conſpectu Domini, qui corda hominum quanta virtute polleant, intuetur, qui etiam non retribuet magnitudini factorum, ſed affectuum. Etenim vidua cum duobus minutis in [Lucæ 21] magnitudine affectionis regnum emit cunctos alios munera mittentes in gazophylacium ſuperans, quamobrem Salvator omnium Chriſtus utilitatibus hominum

Math. 6. num conſulens, inutilia diſſuadens dicit: *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Ecce quantùm addicit mali hominibus velle apparere, ut virtutum actus divina mercede priventur. Non conſentit divina juſtitia in obliquitate decernens, ut juſtitia noſtra pariter divinum præmium recipiat, & humanum, quamvis & multi rectè ad agendam juſtitiam incedentes, etiam in hoc ſæculo commoda & honores ab hominibus acceperunt, non ob aliam cauſam niſi quia rectè agendam juſtitiam operati ſunt. Nec tum illos credimus divina & ſuperna præmia perdidiſſe, nec talia ſuſcepiſſent, niſi quia cognita fuit operata juſtitia coram hominibus facta. Sed aliud eſt feciſſe juſtitiam, quæ non potuit occultari, cum voluit ab eo, qui fecit, aliud ut appareret hominibus intentione feciſſe. Ibi non perditur divinum præmium, ſi non quæſitum, & importunè tribuatur humanum. Multos enim ſcimus ob veritatis juſtitiam honores accepiſſe. Hic verò, qui ex interiori propoſito propter virtutis actus apparere hominibus voluit apud Deum mercedem ſuæ actionis amiſit.

Cap. XXV.

De recta intentione juſtitiæ in eleemoſyna & oratione, ſecundum Matthæum tantum.

Matth. 3. ET ut tardioribus, quod dicitur, innoteſceret de facienda eleemoſyna, quali fiat cautela diſſeruit, dicens: *Cùm facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Magis quidem ex his prohibet intentionem placendi hominibus propalare, atque humanas laudes inquirere, quam occultare juſtitiam faciendam, quoniam omnis humana laus, ſi quæritur, & omnis honor impenſus quærentibus eum, & temporale commodum venantibus illud, mercedem divinæ retributionis evacuant, quia unam recipienti ex voluntate atque aucupatione mercedem, alia non debetur. Ideo dicit receperunt mercedem ſuam. Subinfertur autem faciendi modus: *Te autem faciente eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito. Et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi* Nihil occultum eſt oculis domini, multa ſunt abſconſa hominibus. Fiat, quod agitur, intentione abſconſa, ut ſoli Deo reddatur in placitum. Nam ut ab hominibus videatur, neceſſe eſt ſaltem ab eis quibus beneficia conferuntur, etiam ſi per medios fieret. Et ſi nihil homo aut in nullo ad proximum fieret, vita juſti hominis néquit celari, quoniam ex verbis, & moribus innoteſcit. Sed quod in abſcondito fiat, homo exigitur totus interior, intentione tota in eum directa, qui omnia contemplatur, & qui in abſcondito noſtram videt intentionem, non in abſcondito, ſed palam juſtam reddet retributionem. Similiter & de oratione directionem poſuit, quæ ſacrificium deo acceptiſſimum eſt, ut ita fiat, ne meritum perdat. *Et cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ triſtes, qui amant in ſynagogi, & Angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Quia hoc, quod quærebant, ſcilicet laudari, & reputari apud homines, acceperunt. Nec relinquitur eis ſpes de ſuperno præmio aucupantibus imas laudes, niſi ante extremam retributionem per veram pœnitentiam reſipiſcant. Ut quid ſtatur in orationibus ante Deum immoto corpore, ſi ante oculos hominum interior homo deambulat? At quid ore verba voluuntur, ſi cor laudes hominum vocat? Quid in oratione à Deo petatur ignoro, ſi ob hoc oratur, ut viſus hominum orantem aſpiciat, ſi corda hominum quæruntur ad amorem, ſi ora ipſorum appetuntur ad laudem ſive ab hoc, quod quæritur adveniat,. ſive venire deſiſtat. Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam, ſi non opere, ſaltem intentione. Quamobrem quantùm ad conſiſtentiam corporis orandi forma deſcribitur, ut intentione directa ſoli Deo ex oratione placeatur. *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum & clauſo oſtio tuo ora Patrem tuum in obſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Et ſi latendi corpore poſſibilitas deſit, adſit tamen voluntas hominibus non placendi, ſed illi ſoli, qui virtutem orandi dedit, & noſtri cordis ſecreta ex alto cognovit, & quod homo ſit dignus accipere, ab æterno prævidit. Attamen advertendum eſt, quòd de occultanda juſtitia facienda in duobus exemplicavit, ſcilicet de eleemoſyna & de oratione, quarum una pertinet ad activam vitam, altera verò ad contemplativam

tivam adſcribitur. Per unam ad proximum, per alteram verò quis ordinatur ad Deum. Tertium verò ſubinfertur; per quod homo in ordine dirigitur ad ſeipſum, ſcilicet jejunium. In his porro tribus omnis agenda juſtitia conſtituta eſt, ſcilicet ad proximum, ad Deum, & ad ſeipſum ordinatum irreprehenſibiliter fieri, ſine humana intentione placendi.

Cap. XXVI.

De forma orandi, ſecundum Matthæum & Lucam.

IMaginem & ſimilitudinem & conformitatem ad Deum, quam homo in creatione ſuſceperat, voluntaria inobedientia omnino fœdavit, & converſio ad minora bona protinus ab ipſarum factore fecit eſſe averſas. Et imagine, ſimilitudine, conformitate antiqui hoſtis acceptis, ab uno excluſi alteri ſubdebantur, quo agente voluntatem noſtram ſibi ſponte ſubjectam, Deo utique diſplicentia patrabamus, non valentes exercere, quod placet. Et incolentes incolatum ex pœna miſerum, ex peccato turpiſſimum à ſedibus Eden in quibus poſiti, à cubilibus ſuperni regni juſto dei judicio tenebamur excluſi, expectantes includi loco tetri carceris, ubi non ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Et cauſa nobis erat adversùs noſipſos, cur hæc pătimur, an cur ita creati ſumus, ut malè operantes talia pateremur. Sed non erat forum agendarum cauſarum, neque auditorium erat, nec advocatus idoneus ad proſequendum. Modus quidem aptus interpellandi ad judicem nondum erat inventus, nec expediens, nec adhuc inventa illa oratoria diſciplina, qua judex interpellatus flecteretur. Ad votum ab exordio conditionis humanæ preces ad Deum non fuerunt in aperta doctrina, neque poſt ablutum mundum illico inſinuatum fuit apertè, neque per ſcripturam de o-
Gene. 19. rando Deum. Sed oravit Abraham ſæpe, ſed nec forma orationis ejus aperta eſt, niſi cùm angelos recepit hoſpitio, quo humilis & ſimplex oravit, ut parceret ci-
Gene. 21. vitatibus ſubvertendis. Oravit Agar pro
Gene 25. ſe & Puero ſuo. Oravit Rebecca, dum
Gene 32. bellum geminorum nondum natorum e-
Ibidem. jus ageretur in utero. Oravit Jacob, interpellans adversùs Fratrem. Orationibus etiam angelum detinuit, non manu, cùm luctaretur cum eo uſque mane. Oravit ſæpe Moyſes pro populo, & preſſus populis in Aegypto, & ſimiliter in deſer-
Pſal. 106. to. Oravit Aaron, oravit & Joſue. Et
1. Reg. 1. ipſi Iſraelitæ ſæpe clamaverunt ad dominum, dum tribularentur, & Dominus pluries & pluries liberavit eos. Anna oravit, & votum vovit, & filium poſtulatum accepit, ſcilicet Samuelem. Oravit & ipſe Samuel, oravit ipſe David, & varios pſalmos orando ipſe compoſuit. 3. Reg. 8.
Oravit Salomon, & facto inſigni templo, in illo, ut exaudiretur orans Dominum interpellavit. Oraverunt multi reges, & prophetæ, dum adhuc non eſſet poſita orandi manifeſta ſcientia, ſed aut interna inſpiratio aut neceſſitas erat in orando magiſtra. In maxima neceſſitate agendi ad Deum oratio facta eſt, cùm talia viſibilia, & inviſibilia præſenter mala conturbent, & futura amplius pejora comminentur, à quibus noſtra virtute liberari non poſſumus, nec alius alii poteſt præſtare juvamen, de quibus ſoli Deo reſervatur authoritas liberandi. Proinde ad eum cogit neceſſitas fieri orationem, ut liberemur à malis, qui ſolus poſſidet poteſtatem. Sunt & hominibus opportunæ virtutes, velut climationes in cœlum, quæ præterquam à Deo, à nemine conferuntur. Et paternæ inimicitiæ atque propriæ inter nos & Deum exiſtunt, quæ niſi ad reconciliationem veniant, æternam à Deo ſeparationem conſtituent. Nullus quidem mediator ad has inimicitias auferendas, neque Angelus, neque Homo, niſi Deus ipſe mediator pro omnibus factus Homo, & hunc omnino expedit orationibus excitari Et in nullo melius, quàm ignitis orationibus excitatur, rogaturus pro nobis patrem pro omnibus, quæ conferuntur nobis. Quamvis ipſe amet omnes ſe diligentes, etiam rogandus eſt, cùm nemo ſciat, quanto gradu amoris exiſtat apud Deum, etiam quantumlibet à ſordibus alienus. Errant protinus denegantes orationis neceſſitatem, quouſque iſta peregrinatio perſeveret, cùm inceſſanter nos undique interius & exterius mala conturbent, & procul exiſtant virtutes, quas ad aſcendendum in cœlum requirimus, & incertum ſit, utrum inimicitiæ ſint finitæ, quæ inter nos & Deum exiſtunt, quouſque audierimus benedictionis verbum ad ſuſcipiendum regnum electis ab æterno paratum. Ne igitur ad non peragendam orationis juſtitiam prædeſtinationem inducat, quæ aliter eſſe nequit, cùm prædeſtinatio ſic ſit ordinata, ut etiam orationibus propriis aut alienis in his nequeat adjuvari.

Nemo præſcientiam pro damnatia, cùm ex illa neceſſitate nullus deſcendat in barathrum, ſaltem quo pœna ſentiatur. Nemo miſericordiam, quoniam ipſa ſuppoſitivam cauſam in hia, qui adulti ſunt, requirit. Nemo divinum amorem producat in cauſam, quoniam Deua non ita diligit, quod creavit, ot amet, quod creatura nequiter fecit, qui, cùm tanquam nihil poſſit ponire peccatum, ex juſtitia multat agentem. Omnis & omnium allegatio defecit, ut orationem excludat. quæ eſt in corpore incorporea operatio, aſpectus immotus animæ, in fide aſpiciens eum, qui omnia eſt, irreverberatua animæ oculus pro tempore ſuæ durations. Etenim perpetùa eſſe nequit trajectio totiua noſtræ voluntatis in Deum, ut non ſolùm illa velimus obtinere, quæ placent, ſed ut illa nobis placeant, quæ ipſe dare decreverit. Ordo rationalis creaturæ, cùm ſe ſtudio ad ſuperiora ſubordinat. Conſiſtentia rationalia animæ ante Deum, allocutio inaudita perſtrepens aurea Dei. Suavia clamor in ſenſu cordis, negatio dùm agitur omnium corporalium motionum, reſtrictio ſenſuum, oblivio ſui, atque omnis viſibilia creaturæ præter Deum, contrahit poſtulata. Portus pervagantia Spiritua, collectio ad ſeipſum. Repræſentatio ſine exceptione in conſpectu æterni judicia, dijudicatio ſui ipſioa ad æternam mortem, privatio & inconfidentia omnis propriæ actiunia etiam altè pollentis, in dictia mentalibua in ſe, in Deo, cui aſſiſtitur, ſucceſiva & orbiculata intentio. Aliter quidem non oratio, imo dementia exiſtit. Præventio divini adventus, judicium ante judicium, verbum animæ ſpeculum, & luminare ſplendiſſimum, lux inviſibilis ad inviſibilem actionem, umbra refrigerans malis ardoribua æſtuatũ, jactatio ſui ipſius in Deum. Nil averti quærens, niſi quod ei diſplicet, & facit petenti jacturam, aut conferri, niſi divinæ voluntati gratum & poſtulanti ad utile eedat. Cojus tam altæ operationia juſtitiæ Salvator omnium rem & formam aperuit, dicena: *Orantes autem nolite multùm loqui, ſicut ethnici. Putant enim, quòd in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis. Scit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis antequam petatis eum.* Jure multiloquium ab oratione propellitur, quoniam non dormitat, qui noſtraa orationes obſervat. Et æſtimaretur aut dormiens Dominus, aut ſurdus auditor, ſi per multiloquium moveretur, ſeu qui diſſimularet audire, aut nollet porrigere poſtulata, ſeu curam nullius gerere cauſaretur, vel crederetur circumſcriptibilis loco, & humania auribus percipere verba ſonantia, velut intervalli ſpatium impediret auditum, ut crebra verborum repetitio plua valeret. Sed nunquam dormit oculus æternua, nunquam ſopitus, ſemper aſpiciens, non ſurdua, qui omnium finxit, & fingit aures. Nec audire diſſimulat, qui omnea ad orandum invitat, nec dare juſtè poſtulata renuit, qui ſua bona promittit, & offert, à quo nihil demitur, cùm omnia dederit, qui non ſolùm, quæ condidit corporalia, & purgativaa gratificantesque virtutes, quas fecit, ſed ſemetipſum omnium conditorem hominibus omnimode largitus eſt. Intelligit autem omnia priusquam cogitentur, quia omne cor intelligitur ab illo. Circumſcriptua non eſt, qui ubique totus eſt. Spatia non dividunt, qui obique pariter propinquua eſt. Ethnici putabant à diis, ſive ab uno Deo, quos orabant in multiloquio exaudiri, non attendentes ſpiritum Deum eſſe, & in ſpiritu orationem veram effundi, quæ non multiloquio, ſed intenta & invariabili affectione peragitur. Nam & Anna, cùm arguebatur ab Heli ſacerdote, quando in corde Domino ipſa loquente vox penitua non audiebatur, & imponeretur ſibi temulentiæ vitium, ait: Nequaquam Domine mi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini. Cùm anima tota effunditur in conſpectu Domini, non expedit in oratione multis verbis aerem verberare. Ventilabrum in aere lingua eſt. Quid ergo eum ipſa conditorem, & Dominum omnium agitaret, qui duntaxat rationale cor exquiſivit ab homine? Importunum igitur in oratione multiloquium erit, ſimiliter & ſapiloquium & curialoquiom & rhetoriloquium, ſed opportuna eſt maximè recta intentio ad finem bonorum omnium, ut ipſe ſit ipſius exordium, medium & præmium. Satagendum eſt totia niſibua, ut orans in mentia libertatem deveniat, non mente gerens, ad quod recurvetur. Impertinentes enim amores ad viſibilia & delectantia ſenſum, ipſam recurvari fecerunt. Et diſtorſit ab eo, quòd rectè gradi poſſet, ſi præter Deum præintenderetur aliquid aliud ad habendum. Oportet ſanè ab omnibus impertinentibua orationem circumciſam eſſe, quoniam ſcit pater veſter, quid opus ſit filiia ſois amplius, quàm ipſi ex modo & re noverint providere petendo utilitatibus ſuis. Ajunt plerique: Igitur ſi prænovit opportunitatem noſtram, cur

ora-

Quid ſit oratio,

1. Reg. 1.

orationes & preces exigit? Eſt ne oratio per ſeipſam ſufficiens ad poſtulata merendum? Nonne multa & quodammodo à nobis incomprehenſibilia tribuit, antequam peterentur? Et nulla præceſſerunt merita, ex quibus largiretur. Nec exhauriuntur apothecæ ipſius, nec evacuantur exedræ, ſed omnia poſt largitionem æque ut ante remanent apud eum. Sed mos eſt mundi regibus largiri eis, qui unquam Majeſtati regiæ ſervierunt. Acceptores verò donorum ſuſceptis beneficiis operantur in illis, & merentur in eis. Oratio quidem opus eſt juſtitiæ, in qua homo meretur in accipiendo, ſimiliter & in accepto, non tamen æqualiter ad ſuſcepta ſeu ad ſuſcipienda. Et ipſe Dominus omnium vult agnoſci, ſimiliter & largitor. Et juſtitia exigit, ut non dentur dona neſcientibus illa, ſi quomodolibet in illorum cognitionem venire potuerunt. Cognitionem petitorum habere ſe monſtrat ille, qui poſtulat apertam ſive fidelem. Nec non & ſuadet juſtitia, uti eia, quæ data ſunt, præter merita & accepimus, & quæ ſupra merita ſunt promiſſa & ſperamus, ut omnia poſſibilia ipſa juvante gratia merita noſtra jungantur. Et nec nobis mereri præfixum eſt, velut terrenia militibus coram regibus ſuis in terrena militia, ſed in his, quæ Salvator docuit in facto, ſimiliter & in verbo. Etenim oraſſe ipſum ſæpe legimus, & mandavit, & ordinavit orari hic in monte, & in horto proximus paſſioni: Orate, ne intretis in tentationem. Matt. 28.
Et qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ut ipſe ambulavit, & ipſe ambulare. 1. Joan 2.
Et ſi vocalis oratio velut importuna excluditur ab alta ſapientibus, advertendum eſt, quod etiam ex omnibus membris noſtris glorificandus eſt Deus, & turpia ſunt membra non convenientia capiti noſtro Chriſto, qui cùm ſola inviſibili voluntate noſtram potuiſſet ſalutem perficere, & corpus ad actiones Hebr. 5.
acerbas expoſuit, & vocaliter oravit, & in lachrymis, & clamore valido exauditus eſt pro ſua reverentia. Si quos verò dixerit, ſufficit quod in capite Chriſto actum eſt, & naturaliter, & jure omne caput quærit conformia ſibi membra.

Cap, XXVII.

De oratione dominica, ſecundùm Matthæum & Lucam tantùm.

Math. 6. Lucæ. 11.
ORandi prærogata forma exigit rem orandi. Nam & apoſtoli ſumma diligentia quæſiverunt, ſcilicet *unus ex diſcipulis* pro omnibus, *dicens: Domine, doce nos orare, ſicut Joannes docuit diſcipulos ſuos.* Certum ex Evangelio inveſtigari non poteſt, an iſta interrogatio facta ſit in monte an alibi, cùm in monte ſeptem petitiones in oratione juxta Matthæum Evangeliſtam referentem poſuerit, ſecundùm Lucam verò ſolùm quinque diſſeruit. Hoc autem quod Joannes Baptiſta ſuos diſcipulos orare docuerit, ex Evangelio modus & forma, & quid penitus ignoratur, hoc duntaxat excepto, quod iſte diſcipulus dixit. Sed non ſumpſimus elucidandas Evangeliſtarum concordias, ſed veritatem moralem elicere, prout orationes Chriſtus non interrogatus aut interrogatus aperuit, dicens: Sic ergo vos orabitis: *Pater noſter, qui es in Cœlis*, & quæ ſequuntur notoria ſunt. Magna enim mortalibus prærogata poteſtas, quia dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ut alter Evangeliſta edixit. Nunc orando conceſſit exulibus, ut Deum patrem audeant nominare, ſpem aſtruens de impetrando, ſi à Deo petierimus velut à patre. Non erubeſcit filius affectum rogare paternum, cùm ad ipſum eſſe propitium natura moveat patrem, ſcientem filium ex ſe traduce carnis eductum. Multò amplius creator omnium Deus, qui ad filios patres voluit eſſe propitios, erit ad ſuos, quos adoptavit in filios. Nec non & ipſe JEſus communem in natura nobiſcum ſe eſſe monſtravit, cùm velut cunctis præpoſuit Deum Patrem ipſe nobis in humanitate Frater. Nec ad ſe voluit velut ad hominem orationes fieri, cùm eſſet & Deus, quoniam & ipſe ut homo preces effudit pro nobis ad patrem, ſed nobis in humanitate Frater, in doctrina Magiſter, quem precaremur edocuit. Sic ergo vos orabitis: Pater noſter qui es in cœlis. Non in cœlis velut ſituatus in loco, ſed per omnia ſuperexaltatus à nobis. Sed ex nomine cœlorum oſtendit nihil altius potuiſſe monſtrari hominibus. Quia cœlum cœli Domino, ſcilicet ſuperiores mundi partes, ſibi cùm locutio exigit, competunt. Psal. 103.
Terram autem, ſcilicet infimam mundi molem, dedit filiis hominum. Et ſua magnificentia elevata eſt ſuper cœlos, & ipſe in altiſſimis habitat, & altior cœlo eſt. Non potuit humanis intellectibus amplius declarari altitudo altiſſimi, quàm nominando cœlos, à quo deſcendendo usque ad id, quod eſſe deberet noſtræ petitionis exordium, docuit poſtulare. Quod ſi à nobis exordiretur oratio, pone-

neremus ibi eſſe initium, ubi eſt finis à Chriſto, velut ſi mente fabricaremus ſeptem graduum quandam virtutis ſcalam ad aſcendendum ad Deum, quem ultimus & ſupremus gradus contingeret, nos autem inferior. Sic in iſta oratione ſanctificatio incipit à ſe, à malo liberari exorditur à nobis, quæ niſi ſcriptura Evangelica me diverteret, & antiqua conſuetudo eccleſiæ ſanctæ Dei, quæ Dominicam orationem pronuntiat, auderem ſimiter ubi deſinit, inchoare, velut à minoribus ad majora faciendo progreſſum, ut diceretur, quod primò liberaret à malis, ſecundò, ne nos in tentationem induceret, tertiò, ut debita noſtra dimitteret, quartò, ut panem noſtrum quotidianum nobis daret, quintò, ut fieret ejus voluntas à nobis, ſexto, ut nobis ejus adeſſet ſanctiſſimum regnum, ſeptimo, ut ejus nomen ſanctificaretur in nobis. Quorum unus excedit alium, ut perfectius omnibus ſit attiguiſſe ſupremum. A quo, ut ſcriptura refert, & eccleſia ſancta tenet, expoſitionis ſumamus initium.

Cap. XXVIII.

De prima petitione orationis dominicæ, ſecundùm Matthæum & Lucam.

Matth. 6. Luc. 11. *SAnctificetur nomen tuum.* paternum videlicet, quod refertur ad filium, ſcilicet Deum creatorem omnium patrem noſtrum poſſumus de unigeniti ab æterno filii licentia nominare. Non ad ſeipſum, ſed ad aliud eſt relatio. Nemo eſt ad ſeipſum pater, ſed quod eſt ex ſubſtantia ſive natura, ſed ad filium quis eſt Pater. Si ergo Pater noſter adoptione præhabita Deus eſt, hoc nomen Patris ſanctificetur & æternè firmetur in nobis, ut tu ſemper Pater ut Pater, nos filii ut tanto Patre decentes filii exiſtamus. Quòd ſi utraque relatio confirmabitur paternitatis ad filios, & filiationis ad Patrem, ne in æternum deficiat, quamvis adoptiva conſiſtat, ipſe in Filiis & Filii in patre manebunt, ut relatio neutra tendat in terminum, ut beatitudo æterna perſiſtat in præmium, quoniam Pater ad Filium derivat hæreditatem decedens inteſtatus ſive teſtatus. Sic Deus Pater nobis exiſtens, ſi paternum nomen hoc orantibus confirmabit, aut quòd ſanctificetur in nobis, æternam atque divinam hæreditatem omnino ſperemus. Qamobrem ſic dictum eſt, ut petamus, ut paternum nomen ſanctificetur in nobis. Si verò alia Dei Nomina, quæ ſecundùm Hebræos decem invenire me memini, ad hanc ſanctificationem ordinare decernerem, nec ablonum eſſet, aut à veritate diverſum, ſi quis eorum interpretationem aſpiceret, quæ ponere, non declarare decrevi, relinquens ſagacioribus animis inquirere veritatem. Hel, Hely, Heloe, Helyon, Sabaoth, Hya, Adonai, Hie, Tetragrammaton, Saday. Magna magnorum inveſtigatio exiſtit in iſtis, pro ſanctificatione divini nominis, quam petimus, ut fiat in nobis non ſolùm in tempore, ſed æternè.

Cap. XXIX.

De ſecunda petitione orationis dominicæ, ſecundum Matthæum & Lucam.

Math. 6. Luc. 11. *ADveniat regnum tuum.* Duplex eſſe regnum Dei, quod advenire petimus ſacra ſcriptura commemorat, ſcilicet agendæ vitæ, atque ſperandæ, unum in merito, alterum in præmio. Sed ordine meritum præmio antefertur, felicitate verò præmium ſuperfertur. Equidem præmium ad meritum ſequitur, & regnum adjicitur. Et niſi unum præeat, alterum non ſubſequitur, quia regnum beatitudinis non datur, niſi regno virtutis. Præit omnino beatitudinem in ordine juſtitiæ virtus. In cujus regno regnans regnum æternæ felicitatis accipiet. Igitur primum regnum agendæ vitæ cum ſua lege oportet inquirere & tenere. Sic e-

Math. 6. nim ſalvator ait. Primum quærite regnum Dei & juſtitiam ejus, quod de regno agendæ vitæ ſive virtutis eſt dictum. Regnum quidem Dei videlicet felicitatis æternæ non habet juſtitiæ actionem, ſed præmium activæ juſtitiæ. Regnum ergo Dei agendæ vitæ ad virtutis pertinet actionem, totum ſe transferre in alteram partem. De quo regno etiam alibi ſalvator interrogatus, quando venit regnum Dei, reſpondit: Non venit regnum Dei cum obſervatione, neque dicent, ecce hic eſt, aut illic, regnum Dei intra vos eſt. Non ha- Luc. 17.

bet legales ceremonias, regnum Dei quod agitur in virtute, neque circumſcribitur locis, ſed tantum eſt in mentibus hominum ordinatum. Et Apoſtolus: Regnum 1. Cor. 4.

Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute. Et Rom. 14.

alibi: Non eſt regnum Dei eſca, & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in ſpiritu ſancto.

ſancto. Et hujuſcemodi agendæ vitæ re-
gni poſtulatur adventus, ut etiam regnum
vitæ ſperandæ ſuccedat. De quo ſcriptum
eſt: Regnum tuum regnum omnium ſæ-
Pſal. 144. culorum. Et de juſtis dicitur: Accipient
Sapien. 5. regnum decoris, & diadema ſpeciei de ma-
nu Domini. Et in Evangelio: Impletum Lucæ 11.
eſt tempus. Appropinquat regnum Dei.
Et de iniquis dicitur: Neſcitis, quod iniqui
regnum Dei non poſſidebunt? Similiter
& hoc regnum ex iſta petitione conqui-
ritur.

Cap. XXX.

De tertia petitione orationis Dominicæ, ſecundum Matthæum tantùm.

Matth. 6. *Fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo & in
terra.* Nihil in deſiderio rectius,
nihil in actione perfectius, ultra
quod nihil in operatione & contemplatio-
ne poſterius, quàm in anima & corpore
ſatagere Dei perficere voluntatem, ea vi-
delicet ſimilitudine in iſta mortali vita, qua
in ſuperna ſibi immaculatè ſervitur. Vo-
luntatem Dei facere, eſt abnegare ſemet-
ipſum, & quicquid datum acceptumque
eſt gratis in natura, ſubdere ſancto man-
dato legis & Evangelicis diſciplinis, &
tranquillum fieri ad omnia proſpera & ad-
verſa, quæ divina providentia, & diſpen-
ſativè aguntur. Voluntas Dei cùm ſit, ex-
cludit omnes adverſarias poteſtates, &
omnem ditionem iniquè prementem. Diſ-
ſimilat à larvali dæmonum turba, qui nec
illam facientes turpiter corruerunt. Aſſi-
milat autem civibus ſupernis, ab initio in-
culpatè facientibus illam, ſi eſt aliqua a-
ctio in ſupernis, juxta dictum, quod Dei
voluntas, ut ſit in cœlo, ita & in terra fiat.
Porro ſimilis eſt angelis Dei, voluntatem
ejus perficiens ſuper terram, qui licèt ex
naturæ conditione ab eis aliqualiter mino-
retur, in actione ſimilitudo ſervatur, cùm
neque ipſi amplius faciunt, quàm domi-
ni voluntatem. Cooperari datæ deſu-
per gratiæ factio eſt illius, ſi gratia Dei
qua ſumus omne quod ſumus, & qua cun-
cta data in utroque homine poſſidemus,
non vacua eſt in nobis. Voluntas Dei o-
ſtenditur in præceptis, quæ qui perfecerit,
ejus eſt factus amicus. Teſtatur hoc Dei
filius ſuis diſcipulis in doctrina: Vos ami-
ci mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio
Joan. 15. vobis. Etiam in hominibus quærentibus
invicem amicitiam, nunquam aptius ami-
citia ipſa conditur, quàm verſa vice unius
& alterius perficere voluntatem. Si Dei
voluntatem in præceptis agnovimus, fa-
ciamus, equidem ſciens voluntatem Do-
mini ſui & non faciens, plagis vapulabit
Lucæ 12. multis. Non datur excuſationis locus non
facientibus Dei cognitam voluntatem, ſed
aut ſunt emendatione per indulgentiam li-
berandi, aut per juſtitiam ſæva pœna ple-
ctendi. Coarctantur undique nimis omn-
es, qui ſupernam vitam captare concertant,
Dei facere voluntatem oſtenſam in manda-
tis, quæ ipſe mandavit cuſtodiri nimis.
Propheticum dictum eſt: Tu mandaſti Pſal. 118.
mandata tua cuſtodiri nimis. Tergiver-
ſantur ſæpe iniqui dicentes: Ignoramus
Domini voluntatem. Aut quis poteſt ſci-
re, quid velit Deus? Sed ſacræ ſcripturæ
concluduntur ſententiis, cùm ad intelli-
gendam illam, qui poſſunt intelligere, in-
vitantur. Inquit enim Apoſtolus: Ut
probetis, quæ ſit voluntas Dei bona bene-
placens & perfecta. Et ad Epheſios: In-
telligentes, quæ ſit voluntas Dei. Et ali- Rom. 12.
bi, quæ ſit aperuit: Hæc eſt voluntas Dei, Epheſ. 5.
ſanctificatio veſtra. Et per ea, quæ ſe- 1. Theſ. 4.
quuntur, quæ ſit Dei voluntas, ut illam 2. Mat. 1.
faciamus, oſtendit. Nec rectius oratur
pro proximis, quam ut Dei faciant volun-
tatem. Sicut ſcriptum eſt peroptando: Et
det, ſcilicet Deus, vobis omnibus cor, ut
colatis eum, & faciatis ejus voluntatem
corde magno & animo volenti. Et ape-
riat cor veſtrum in lege ſua & in præceptis
ſuis, & faciat pacem. Ecce modus fa-
ctionis dominicæ voluntatis, ſcilicet cum
corde magno, quoniam nihil eſt paruum in
opere, ubi cor ſincerum eſt & magnum in
voluntate agendorum, & animus eſt vo-
lens & in actione fervens. Volenti qui-
dem animo agitur, ubi ad imperata, ſeu
ad Domini volita, nulla eſt ejus, qui ſub-
jacet, contradictio voluntatis, nec aliqua
exceptio præceptorum, ubi nulla ex ali-
qua conditione cauſatio. Et cùm volun-
tas nihil eſt ad ſeipſam, ſed ad obſequiū im-
perantis, nemo hujus magni & æterni Do-
mini negligat intelligere voluntatem. Non
enim apud æternum & ineffabilem judi-
cem negligentia, ſed impoſſibilitas excu-
ſatur. Firmavit exemplo, docuit verbo
JEſus in ſeipſo, unumquemque tur creden-
tem non ſuam, ſed Dei facere voluntatem,
dicens: Non enim veni facere voluntatem Joann. 9.
meam, ſed ejus, quæ miſit me. Atque
in cunctis magnis æterni Dei voluntatem
ſuæ humanæ voluntati propoſuit, ſicut in
multis locis hiſtoria Evangelica manife-
ſtat. Per ſegregationem à materiis Dei
voluntas adimplenda eſt, ſi ad ſimilitudi-
nem ſeparatarum ſubſtantiarum illam face-
re peroptamus. Non enim cœlum cog-
noſcibiliter facit Domini voluntatem, ne-
que

que iſla, quæ ratione carent, voluntatem Dei faciunt, ſed voluntate Domini diſponuntur, & peraguntur in diſpoſita lege. Rationale animal, cœleſte ſive terreſtre, rationabiliter illam perficere ordinatum eſt. Diſtinctè quidem ſunt in ordinibus ſupernæ ſive ſuper cœleſtes ſubſtantiæ diſpoſitæ ſecundùm ordinem, in quo ſunt divinum placitum facere, quarum concentus in obediendo non dormit. Et qui novit ordinem cœli, deſcripſit rationem ejus in terra, cùm voluntatem Dei faciendam in terra, ſicut in cœlo monſtravit. Igitur ad illarum ſubſtantiarum imaginem prout ſunt in ordine conſtitutæ, fiat in hac terra; ſeraphicè per charitatis ardorem, cherubicè cùm illa ſcientiæ plenitudine, quæ omnem devitat errorem. qua mala declinanda, & agenda bona nóſcuntur, qua etiam indoctus litteris, intus eruditus, indeviè tendit ad ſalutem, thronicè ut tanta taliqueꝫ juſtitia hominis animus fulgeat, ut juſtus Dominus in eo juſtè poſſit tenere inviſibilem ſedem, dominativè ſuper inviſibilia mentis, principativè ad ea, quæ agunt, foriſque aguntur, poteſtativè adverſùs aereas, & inficientes ſatanicas poteſtates, virtualiter per abſtractionem à materiis ad locandam menten ſuper ea, quæ naturalia ſunt, Archangelicè in adoratione & veneratione ſecretorum Dei, Angelicè per cuſtodiam ſui & auxilium proximi. Neque abs re dictum eſt, atque à Chriſto perdoctum, ut Dei voluntas, ut in cœlo, ita in terra fiat.

Cap. XXXI.

De quarta petione orationis Dominicæ, ſecundùm Matthæum & Lucam.

Matth. 6. Luc. 11. **P**Anem noſtrum ſuper ſubſtantialem, & quotidianum da nobis hodie. Quotidie petitur, quod quotidie datur, etiam ſi non petatur. Ut quid ergo petitio ſubinfertur? Quare petit Chriſtianus, quod absque petitione accipit Saracenus ſive Judæus? Cur rogat juſtus, quo ſine precibus fulcitur iniquus? Ut quid rationale animal ad imaginem Dei factum, admonetur quotidianis precibus poſtulare annonam, cùm ipſa volatilia cœli, piſcesque maris, animalia terræ ſine ſolicitudine à divina largitate paſcantur? Divitem fecit Deus ipſam naturam, atque conſtituit illam eſſe omnibus debitricem, ut aleret alenda, ſive absque ſtudio ſive artificio addito ad naturam. Dictum quidem legimus ad Adam: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Nunc dicitur Chriſtiano: Pete quotidie quotidianum panem tuum? Si noſtrum, quare petimus, quod habemus? Si petimus, ergo nec habemus, nec noſter eſt panis. Nemo petit quod ſuum eſt. Repetere quidem poſſet, ſi à valentiori extra ſuum placitum teneretur. Eorum, quæ non habentur, cùm angit neceſſitas, eſt porrigenda petitio his, qui habent copiam largiendi. Sed petenda ſunt ea, quæ dantur precibus ſubjectivis, ut dantis demonſtretur ſublimitas, & petentis inopis humilitas agnoſcatur. Et quod datur gratis, cùm humiliter petitur, propinquat ad meritum. Et quædam eſt actio gratiarum, petere quod etiam absque petitione daretur. Ad exercitandam memoriam, ne ſimus ingrati magnifico largitori, panem monemur quotidianum ſupplicando depoſcere, & ad differentiam irrationabilium animalium, quæ à debitrice natura ſuſcipiunt alimenta, quæ nec cognoſcunt, nec referunt gratias largitori. Eſt & alius quotidianus panis, quo fruemur, cùm ad illam pervenerimus patriam, in qua unus eſt æternus dies nulla nocte claudendus, qui noſter eſt promiſſione quosque in poſſeſſionem veniat, non natura, non lege, quotidianus æternitate illius diei æterni, quem hodie ſcilicet in præſenti ſæculo, ut mereri poſſimus, docemur expetere, non tamen ex condigno quis meruit aut mereri potuit, ſed merito Chriſti Fratris ex humanatione noſtri, cujus Patri per adoptionem ſuam dicimus, Pater noſter: ingerimus preces noſtras, ut ejus merito valeant, cùm ex noſtro dificiunt. Nec non & ſacramentalis panis expetitur, ut nobis ad id proſit, ad quod divinè inſtitutus eſt, ſuperſubſtantialis videlicet ſuper omnem creatam ſubſtantiam dignior ex unione increati Verbi, quotidianus ad abolendos quotidianos defectus, & ad roborandam mentem adverſùs quotidianam pugnam, inſurgentem ex luto carnis & ex materiis viſibilibus & ab inviſibilibus hoſtibus quotidie inviſibiliter excitatam, ad exercendam illam in virtutibus actionem, quæ quotidie fieri divina lege imponitur, aut voluntario conſilio aſſumpta eſt. Quoniam, ut Salvator ait: Joann. 6.
Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi, ſine cujus virtute non poteſt reſiſti vitiis, nec haberi virtutes, quas animus pius quærit. Hunc temporibus priſcis petierunt parvuli, nec erat, qui frangeret eis. Noviſſimè verò Chriſtus tradidit nobis, ut petendo Patri dicamus cum fiducia, panem noſtrum. Thre. 4.

Cap. XXXII.

De quinta petitione orationis Dominicæ, ſecundùm Matthæum & Lucam.

Matth. 6. Lucæ 11. *Dimitte nobis debita noſtra & peccata, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Magnis ſumus debitis obligati paternis & propriis, nec adeſt poſſibilitas de ſolvendo. Ex multitudine debitorum & criminum Patri luminum obnoxii ſubjacemus, deficientes ex emendatione abolere chirographum, niſi Pater dimittat. Sed nec dimittit, niſi prius noſtris debitoribus dimittamus, & hujus conditionis appoſitione veniam docuit poſtulare. Quod ſi non dimiſerimus, magis ad condemnationem, quàm ad veniam petitio iſta porrigitur, & ſemetipſum dijudicat, qui ſic ſibi petit dimitti, nec dimitit. Ex hac conditione ſeu pacto fit, & petitur dimiſſio debitorum noſtrorum, ſi debita nobis noſtris debitoribus relaxamus. Præit omnino dimiſſio filiorum dimiſſionem paternam, & niſi noſtra præcedat, ſua non ſequitur. Advertendum quidem, ne aliis dimittere debita difficile videatur, quod ſi omnia mala, quæ ab hominibus ad alterutrum poſſent inferri, conflarentur in unum, à minima Dei offenſa compoſitione vincerentur. Et nos verò audemus à Patre remiſſionem magnorum ſcelerum poſtulare, debitoribus verò noſtris modica relaxare cunctamur. In nobis igitur eſt, unde poſſumus recipere remiſſionem peccatorum, eo fœdere, quo Deus Pater ſe nobiſcum voluntate ſua, non noſtra ſatisfactione ligavit, ut ſi dimiſerimus aliis, & nobis ipſe dimittet. Alioquin ex nobis nulla poſſet eſſe copia de ſolvendo pro debitis, & propterea dimittit. Sed nec dimitteret, nec etiam opus eſſet dimittere, ſi opes animæ noſtræ atque corporis ſufficerent ad ſolvendum Exigeret quidem juſtus exactor, ſi theſauros ad exhauriendum noſſet in nobis. Sed quia non invenit, quid exigat per juſtitiam, per miſericordiam ſuam magnam vult debita dimittere debitoribus ſuis, ſi nos per miſericordiam noſtram dimiſerimus debitoribus noſtris. Attamen nec intelligendum eſt de debitis rerum in valentibus ſolvere, ſed debitis ſive peccatis injuriarum, & illarum offenſionum, quas quicunque intulit, quod, cùm intulerit, nunquam potuit emendare. Perfectioni autem non ordini juris adſcribitur, temporalem ſubſtantiam ab accipientibus non repetere, ſi facultas aderit in reddendo.

Cap. XXXIII.

De ſexta petitione orationis Dominicæ, ſecundùm Matthæum & Lucam.

Matth. 6. Lucæ 11. *Et ne nos inducas in tentationem.* A Patre miſericordiarum, gratiarum, luminum & conſolationum, omnia opportuna nobis ab ejus æterno filio, ex tempore Fratre noſtro docemur expetere, ut etiam à tentatione cuſtodiat. Non autem timenda eſt tentatio, ſed caſus ad illam. Nec orandum eſt contra ipſam, ne veniat, ſed ne decipiat, aut involvat, cùm venerit. Ipſe Salvator, qui docuit ſic orare, in ſeipſo ante fuerat expertus tentationes ſatanicas, factus jam in experientia humanorum, in quibus in carne ſuccubuit, nunquam tamen in animo ſuperatus, aut per moleſtiam motus, excepto, quòd pro nobis aſſumpſit triſtitiam. Præactum eſt in capite, quod diffundendum erat in corpore, ut fideles ejus tentationis pondera paterentur, non ad ſubverſionem, ſed ad probationem moleſtioris agonis, ut poſt victoriam precioſior corona in tentatorum capite poneretur. Si verò tentatio ex vehementia quempiam ſubvertit, aut ante ne ſubverteretur, humiliter oratum non fuit, aut talis ſuperbia in animo inſidebat, quæ per caſum tentationis propellenda erat. Multis quidem alta ſapientibus, & de ſe præſumentibus inductio permiſſiva in tentationem profuit ad virtutem, ut dirigeret in ſalutem. Sæpe verò ipſa tentatio, tentati demerito cognito vel occulto deduxit in caſum, & caſus in æternum ſupplicium deduxit cadentem. Ac per hoc filius Dei divinè atque humanè homines docens, edixit à Patre petere, non ne tentemur, ſed ne in tentationis barathrum demergamur. Inductio in tentationem, quã petimus devitare, eſt in illud malum ſeu mali finem devenire, prout improbus tentator intendit. Eſt autem à deformibus & difformiter ſæpe aut aliquando immiſſa tentatio. Non tamen omnis inductio devitanda, ſed illius, qui ex principio & medio, & fine perperam agit. Nam tentat Deus, ut probet virtutem, probatamque coronet ut tentavit Abraham in fide, ſpe, & charitate, cùm offerre juberet filium in uno montium ſibi oſtenſo in ſacrificio moriturum. Intendebat quidem Deus non aliquid mali, ſed in ipſo probare virtutes,

tutes. Fidem, quia cùm Iſaac eſſet Filius
promiſſionis in quo multiplicium erat fu-
turum gentium, non eſt mente aut verbo
adverſatus offerre illum juxta mandatum.
Nec hæſitavit quomodo multiplicatio gen-
tium oriretur. Contraria porro erant quod
ex Iſaac multiplicarentur gentes, & quod
in monte mortuus litaretur. Nec obſtat
quod in ſemine quod erat Chriſtus, in fi-
gura talia dicebantur, quin Deus voluerit
Abraham in fide tentare. Ita & in ſpe,
propter cœleſtia capeſſenda contemptu
terreſtrium. In charitate, cùm filium,
in quem totus paternus amor diffunditur,
divinæ juſſioni poſtpoſuit, amplius dili-
gens Deum. Ac per hoc cùm Deus ten-
tat, non eſt petendum, ne in illam fiat in-
ductio, cùm tentet ob probationem vir-
Deut. 13. tutis, ſicut ſcriptum eſt: Si ſurrexerit in
medio tui prophetes, aut qui ſomnium vi-
diſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque
portentum, & everterit quod locutus eſt,
& dixerit tibi, eamus & ſequamur Deos
alienos, quos ignoras & ſerviamus eis,
non audies verba prophetæ illius aut ſom-
niatoris, quia tentat vos Dominus Deus
veſter, ut palam fiat utrum diligatis eum,
an non, in toto corde & in tota anima ve-
ſtra. Nunquam ad perperam agere vel
ſentire tentavit, aut tentat amator homi-
num Deus. Quod Jacobus Chriſti Apo-
ſtolus aſſeverat, præmittens in tentatione
beatitudinem ſufferentis: Beatus vir, qui Jacob. 1.
ſuffert tentationem. quoniam cùm pro-
batus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam
repromiſit Deus diligentibus ſe. Nemo
enim cùm tentatur dicat, quia à Deo tenta-
tur, Deus autem intentator malorum eſt.
Ipſe enim neminem tentat, videlicet ad
ſubverſionem. Unusquiſque autem ten-
tatur à ſua concupiſcentia abſtractus & il-
lectus. Itaque contra inductionem in ten-
tationem pro pruritu concupiſcentiæ co-
ram æterno Patre orandum eſt, & contra
ſatanicam, de qua ſcriptum eſt; Nolite 1. Cor. 7.
fraudare invicem, ſed revertimini in idi-
pſum, ne tentet vos ſatanas propter in-
continentiam veſtram. Et Petrus Ananiæ Actor. 5.
dixit: Cur tentavit ſatanas cor tuum men-
tiri te ſpiritui ſancto, & fraudare de pretio
agri? Hinc quidem contra caſum in ten-
tationem hujuscemodi eſt orandum. Non 1. Co. 10.
autem permittit Deus tentari aliquem ſu-
pra poſſe, faciens cum tentatione proven-
tum. Nec horrida debet eſſe tentatio ſa-
tagentibus in ſuperna. Quoniam non co- 2. Tim. 2.
ronatur, niſi qui legitimè certaverit. Cer-
tamen ſine tentationum bello non geritur.

Cap. XXXIV.

De ſeptima petitione orationis Dominicæ, ſecundùm Matthæum tantum.

SEd libera nos à malo, Amen. Ingru-
Matth. 6. unt undique mala culpabilia, & ex
omni parte pœnalia, nec adeſt nobis
miſeris & infirmis copia evadendi. Nulla
ſuppetit nobis vera facultas explicandi à
connexione malorum, ut ſæpe, cùm ſo-
lui creditur, fit ligatura nodoſior, & cùm
ab uno habetur optata libertas, in reliquo
tenacius innodamur. Libertas quidem
omnibus grata eſt, quanquam aliquis faſci-
natus in delectationem & ſuavitatem ſibi
aptaverit vincula peccatorum, & exhor-
reat libertatem, quemadmodum erat ex-
horrenda captivitas & implicatio deteſtan-
da. Hoc prorinus facit delectatio ſenſua-
lis, quæ vigore mentis, & auxilio gratiæ
non vincitur, unde illico animus vincula-
tur, nec liberari appetit, dom tali dele-
ctationi conſentit. Sed à malo liberari de-
ſiderans propriæ infirmitatis inſpector orat
ad Patrem, dicens: Sed libera nos à malo,
cum quo naſcimur delicto protoplaſto-
rum, traduce carnis, perpetuata damna-
ta propagine, atque ab eo, in quod vo-
luntariè labimur, incurrentes culpam, qua
devenitur in pœnam, quæ malum eſt ſem-
per crudeſcens in creatam, bonamque na-
turam. Malum non fecit Deus. Igitur
congruè petitur libertas ab his, quæ De-
um non poſſident conditorem. Quadri-
forme cognoſcitur omne malum, faciens,
factum, multans & fallens. Faciens ma-
lum eſt tam in Angelis, quàm hominibus,
cum ipſa, per ſeipſam & à ſeipſa deordina-
ta voluntas. Nihil in actum exit, niſi,
cum prius voluntas à ſeipſa fuerit deprava-
ta, nec aliunde habet, quàm à ſeipſa ſuæ
depravationis authorem, quãvis extra ſei-
pſam ſæpe habeas ſuggeſtorem in malitia,
non autem præpotentem in violentia. Et
hoc adverſus hominem, & etiam adver-
sùs Angelos nullus crudelior hoſtis. Ini-
micantur quidem nobis ſpiritus inviſibiles
& maligni & crudeles ſunt, nunquamque
miteſcunt ſuadentes ruinam, non tamen
facientes, niſi conſenſu propriæ volunta-
tis, & ſæviſſimè afficiunt pœnis, in quos
torquendi acceperint poteſtatem. Verum-
tamen non poſſunt in quempiam ſævire
torquendo, niſi prius in ſeipſa voluntas
peccando deſævierit. Ac per hoc non eſt
adversùs aliquod malum tam inceſſanter
orandum, quàm adversùs faciens malum,
videlicet contra malam voluntatem, quæ
non eſt natura mala, ſed volito præter ſupe-
rioris legem. Libera quidem creata eſt,
& arbitrio utitur, ſed cum ſecundùm
legem DEI ſeipſa & cunctis ex-
tra

tra ſeipſam poſitis non utitur, mala effici-
tur. Cujus effectionis cauſa extra ſeipſam
nullo modo quæratur. Malum factum di-
xerim more loquendi, quoniam, qui malũ
facit, nullam poſitionem, nec ipſum ma-
lum ullam poſitionem in aliqua natura ſeu
ſubſtantia ſive quantitate aut qualitate, ſeu
in loco aut in Tempore, ſeu in aliquo exi-
ſtentium viſibilium & inviſibilium efficere
potuit. Totum ejus de privatione nomen,
rationibus & exemplis plurimis, intelle-
ctibus lucidis hoc perſpicuum eſt. Sed o-
ratur adversùs malum factum, non eo in-
tuitu, quo adversùs voluntatem malam,
quæ ſi non eſſet, malefacta non eſſent, pro
qua oratur, ut non ſit mala, ne fiat malum.
Quod ſi usque ad ejus effectum procedi-
tur, ne detineat, ne inſoleſcat, ne firme-
tur conſuetudine, ut antequam ſol noſtræ
intelligentiæ tenebreſcat in nobis, pœni-
tudine vera tollatur, orandum eſt. Proin-
de adversùs primum orandum ne faciat,
adversùs ſecundum ut factum evaneſcat.
Porro fruſtra orandum videtur adversùs
multans, ſi contra præcedentia valuit de-
precatio. Non enim pœna, niſi malos
affectus & effectus culpabiles juſtè ſe-
quitur. Eſt autem multiforme multans,
ut ſunt omnes pœnalites, & omnia adver-
ſantia tenerum ſenſum, & ipſa horrenda,
præ aliis malis mors, per quam anima cor-
pus animatum deſerit, contra quam cun-
ctos ex corruptione ſemine concepto na-
ſcentes inevitabiliter & neceſſario invol-
ventem, incaſſum oratur, niſi fortè id in-
tendatur orando adversùs hujuscemodi
mala, ne tantum in ſenſum crudeſcat, quod
ſpiritus deſperatione aut aliqua exorbita-
tione frangatur. Eſt & æternè multans,
ſed propter peractam, non per pœniten-
tiam juſtam correctam culpam, contra
quod omnis oratio evaneſcit, niſi culpa
tollatur, ſi poſſibilitas aderit, Fallens ve-
rò malum ipſe diabolus eſt, non natura,
ſed incorrigibili voluntate. Naturam qui-
dem bonam excellentiori ordine cùm aliis
creatis accepit, nec amiſit etiam à divina
gratia ſeparatus, qui modis fallendi mul-
tiplicibus ex invidia nititur adversùm hu-
manum genus, contra quem neceſſariò
deprecandum eſt, ut Patris æterni gratia
liberemur ab illo, qui ſemper habet ad
ſubverſionem noſtram implacabilem vo-
luntatem, deceptionum inviſibiles laqueos
ſemper parans, nec greſſuum ſuorum ve-
ſtigia figit, & qua parte velit confodere,
ignoratur, niſi cùm vulnus inflixerit.
Non autem poteſt quempiam vulnerare,
niſi cùm ſcutum protectionis abjecerit ſi-
bi amica in malo perverſa voluntas. Et
cùm fuerit ante præmiſſum, ne nos in-
ducas in tentationem, immediatè adje-
ctum eſt, ſed libera nos à malo, ſcilicet
ſatanicæ tentationis atque deceptionis.
Et, ut perſtringam, ab omni malo, quod
inter Deum & nos diviſionis parietem
poſſit interponendo conſtruere. Petie-
runt quidam multi & variè à malis adver-
ſantibus liberari, aliqui modum appo-
nentes, aliqui innectentes & cauſam,
aliqui mala, quæ patiebantur diſſerentes.
Ajebat Job: Libera me Domine, & po- Job 17.
ne me juxta te, & cujusvis manus pu-
gnet contra me. Liberari hic petebat à
malis per modum quo juxta liberatorem
poneretur, non ſitu corporis ſeu com-
poſitione æqualitatis aut dignitatis, ſed
virtutis, & pacis, & oſtenſionis ad æmu-
los. Nam cùm æmuli eum, quem æ-
mulantur, vident cum rege pacatum pro-
pe ipſum aſſiſtere, deterrentur. Cau-
ſam ſubmittebat David pro ſe, at in fi- Pſal. 48.
gura pro quolibet Chriſtiano loquens:
Cuſtodi animam meam, quoniam ſan-
ctus ſum, ſalvum fac ſervum tuum Deus
meus ſperantem in te. Allegabat hic
duplicem cauſam ut liberaretur, quod
ſanctus erat, quod ad quemlibet Chri-
ſtianum pertinet ſacramenti virtute. A-
liam verò, quoniam de ſeipſo deſperans
omni alia poſtpoſita ſpe, ſolùm in ſum-
mo liberatore ſperabat. Idem etiam Pro- Pſal. 141
pheta mala prementia inferebat, dicens:
Libera me à perſequentibus me, quoni-
am confortati ſunt ſuper me. Peſpicu-
um eſt, quid hujusmodi ſeptem petitio-
nes intendant, ut & omnes fiant, ſubin-
fertur, amen, quod in omni lingua in-
tendit deſiderium, irretroverſibiliter
habens acceſſum ad petita
juxta vota.

Cap. XXXV.

Decretum Salvatoris firmatum, ſuper petitione conditionata in dimiſſione peccatorum, ſecundùm Matthæum.

QUoniam ſolùm petitioni ſuper dimiſſione peccatorum Salvator conditionem appoſuit, ut ſicut dimiſerimus, dimittatur: ne quempiam in mente quomodolibet moveat, aut ne quisquam inveniret oppoſitionem, ne ſimpliciter iſta documenta teneret, ſolum iſtam ſpeciali decreto confirmat, atque declarando promittit bonum exinde proveniens, & à contrario quid ſequeretur oſtendit. dicens: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater veſter cæleſtis debita veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet peccata veſtra.* Vult ſibi Deus ab hominibus obediri noſtra utilitate, non ſua, & quodam pacto faciliter implendæ juſtitiæ, quæ contra legem ejus pro noſtra inventa malitia. ſeu ex fragili figmento contraximus, paterno amore dimittere, vultque deferri creatæ naturæ, ne ratione ſuperinductæ à nobis nequitiæ illam abrogare, aut noſtra jurisdictione multare velimus, ne videamur illam blaſphemiæ incurrere partem, qua homo ſibi divinam arrogat poteſtatem, cùm ſit ſcriptum de ipſo: Mihi vindicta, & ego retribuam. Eorum. quorum intereſt ſubjacere, non intereſt quærere à rege legis editæ rationem, ſed implere illam. maximè ſi omnino irreprehenſibilis eſt. Sic eſt lex Dei. Et pacta futuræ pacis habet edicere ille, à quo petitur, & qui poteſt illam largiri, non ille, qui petit. Ex offenſionibus noſtris Deo indiximus bellum, in quo victi ſumus, vincimurque ſemper, Non eſt autem copia evadendi. Antequam æternæ pœnæ tradamur, pace indigemus, & reconciliari cum ipſo, Proinde ipſe, qui poteſt illam donare poſcentibus, firmato hujusmodi pacto donat, quod ſi dimiſerimus, & ipſe dimittat. Si verò talia pacta non placent, nec cum ipſo taliter volumus habere concordiam, remanebit diſcordia culpæ, quouſque inevitabilis pœnæ ſubactio ſubſequatur, tantò afflictura ſeverius, quantò pactum fuit honeſtius, potuitque facilius obſervari. Scriptum eſt enim: Relinque proximo, ſcilicet nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur.

Matth. 6. Rom. 12. Eccl. 28.

Cap. XXXVI.

De recta intentione juſtitiæ in forma jejunandi à Salvatore data, ſecundùm Matthæum tantum.

AB eo, quod homo creatus in eſſe prodiit, jejunium pariter & eſibilitas fuit, hæc ad licentiam, jejunium ad præceptum ſpectabat. Eſus ad experientiam divinæ bonitatis, quam in rebus creatis ediderat aſſumendis per corpus. jejunium ad obedientiam in oſtenſione noſtræ dilectionis ad Deum in abſtinentia bonorum. Non enim præcepit Deus abſtinere à re mala, quam ipſe non fecerat. Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Nec fuiſſet obedientia hominis vera, ſi mandatum perfeciſſet, abſtineri ab aliqua re inimica naturæ. Ipſe quidem homo ex naturæ inſtinctu omne, quod adverſatur, refugit, quamvis ſub ſpecie boni aſſumendo nocuum aliquando fallatur, cognita Dei voluntate, quod abſtinendum erit ab aſſumendis bonis, quæ tantùm corpori non animæ conferebant. Quotquot enim erant in priſco mundo, quot & poſt ſub quacunque diſtinctione ab aliis viventes pertinentes ad Dei regnum, decentia jejunia celebrarunt. Ac etiam multi credentes in tribulationibus avertere iram Dei, ſua corpora jejuniis affecerunt. Et volentes impetrare optata, interventu jejunii certaverunt. Maniſeſtiſſimæ ſunt, ſatisque vulgatæ hiſtoriæ veteris teſtamenti, ex quibus patet, qui fuerint jejunantes, quæ cauſæ, quive ſecuti effectus, ut Moyſes, Elias, David. Eſt autem jejunium ſimilitudo quædam Angelorum, qui nunquam eſuriunt, neque comedunt in ſupernis, quàmvis in aſſumptis corporibus in hac vita legamus ad evidentiam, & inſinuandum aliquid aliquando comediſſe. Initium ſupernæ patriæ, ubi non eſt appetitus, neque ſumptio corruptibilis creaturæ, aſſimilatio ad Chriſtum, & pars quædam glorificati corporis, quod eſurire nequit, cibo non indiget, eſt naturæ libertas à gula redemptio, ſubtractio in parte armorum diaboli, quibus nos nititur impugnare, atque confodere, depoſitio ſolicitudinis dominantis animi pro corpore ſervo, vivendi ordo, liberatio à doloribus, orandi puritas, caſtigatio ventris, lubricitatis retinatio, manſuetudinis pars, & humilitatis occa-

Geneſ. 1.

ſio

ſio in geſtibus & in verbo. Et evigilare corpus & animam ſæpe ad Deum jejunium fecit. Oppreſſit autem ſenſum ipſa ſaturitas. Jejunium eſt à rebus, à locis & à tempore. Neque tamen infra nimium, ſi coarctat, ſanctum eſt. Convenit jejunium cum ipſa creata natura, quæ neque infirma condita eſt. Igitur debitum jejunium, vel aſſumptum, non debet infirmitatem inducere, ne oratio ex laſſitudine ſit inefficax, nec ex ipſo convenit, quod impediantur opera charitatis, & obedientiæ laborioſæ, cùm expedit. Et propellenda eſt ab ipſo omnis mentalis triſtitia, & omnis ſimulata, & hypocritalis oſtenſio. Pruinde Salvator, cùm de multis actibus virtuoſis regulam agendi & cavendi dederit, nunc de jejunio etiam formam donat, dicens: *Cùm autem jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes.* Ac ſi omnino ſupponat jejunium fieri ex divina ordinatione, imitationeque ſanctorum, ſeu ex animo aſſumente ad frœnandum beſtiale Corpus, ſeu ad corripiendum, quod perperam geſtum eſt, vel ad gratiam aliquam impetrandam, ſive aliquo ſuperveniente mandato prout nunc jejunia plura eccleſia orthodoxa conſtituit. Cùm hujuſcemodi jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes videlicet. Nolite ſpeciem virtutis oſtendere ipſa virtute carentes, nolite triſtes vultus exterius pandere, intrinſecus veram peccatorum & delictorum triſtitiam non habentes. Illa ſola eſt vera triſtitia, qua homo ad pœnitentiam contriſtatur, contritus mole veterum delictorum, & cognitionis peccatorum pondere preſſus. Omnis autem ſeorſum ab iſta triſtitia diſſuadetur. Nolite ergo in jejunio hypocritis ſimiles fieri, qui ſunt pictores Diaboli, periti ſua doctrina in arte pingendi. Non enim pictores, cùm aliquam ex diverſis ſubjectis coloribus volunt formare imaginem, de interioribus curant quomodo ſtomachus, cor, pulmo, jecurque locentur, aut qua ſerie inteſtina cætera diſponantur, ſed duntaxat qualiter exteriora intuentium oculis aptiora reddantur. In ſimilitudinibus autem non veritas ſimulata, ſed potius falſitas invenitur. Et virtus non ſimilitudo veris certatoribus ſit in voto. Ubi autem omne, quod exterius agitur, à vera intrinſecus habita virtute procedit, laudibus addicitur, à vituperio abſolutum. Deteſtabile quidem eſt hypocritarum genus, qui exterminant facies extra naturales terminos, illas præ triſtitia ſeu aliquo artificio immutantes, non ut recto

Matth. 6.

ctè agant à virtute in mentibus prius acti, ſed ut hominibus appareant jejunantes. Qui ſi non jejonant, decipiunt, cùm ſe jejunantes exterminatione facierum oſtendunt. Exterminare quidem eſt extra terminos proprios aliquid ponere. Sed ſi decipiunt homines intuentes, non decipient dæmones, à quibus decepti ſunt, neque decipient illum deſuper inſpectorem, cujus oculi omnia latentia intuentur. Si verò jejunant arte, agentes ut appareant, duplici contritione conterentur, hic pœna jejunii, alibi verò pœna æterni ſupplicii. Multa contra hypocritas ſacer textus eloquitur: Spes hypocritæ peribit, non enim placebit Deo vecordia ſua, & ſicut tela aranearum fiducia ejus, Et alibi: Non veniet in conſpectu ejus omnis hypocrita. Et iterum: Congregatio hypocritæ ſterilis. Et rurſus: Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Vere ad inſtar puncti, ex eo, quod ſequitur: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Ex his quibus poſſumus mercari cœleſtia, perfunctoria & terrena nanciſci, quid huic dementiæ poſſet æquari in malo penitus non invenio. Væ autem accipientibus in hac vita de virtute mercedem. Attamen ſunt ſtudia & actus, quibus merito & inculpatè ſtipes temporalis conquiritur, & impenditur. Quæ autem ordinata ſuot propter acquirenda & captanda cœleſtia, non decet in temporalis mercedis fine conſtitui. Si autem in hac vita finis ſpiritualis exercitii conſtituitur, una conceſſa mercede, altera non ſperetur. Quamobrem hypocritarum gaudium ad inſtar puncti dicitur, cùm inter cætera, quæ poſitionem habent, ipſe ſit brevior. Nil autem brevius reſpectu æternæ felicitatis, quàm in hac vita exultare ad horam. Proinde omni ſtudio, totiſque viribus ſatagendum eſt in rectam intentionem juſtitiæ, ne temporalem aucupando mercedem perdamus æternam. Et ex hoc Salvator cautelam in jejunando ſubjecit: *Tu autem, cùm jejunas, unge Caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Poſſunt Corporis ſordes non ex earum naturt, ſed ex perverſa intentione animam maculare, divinamque generare offenſam. Igitur ad perficiendam in jejunio juſtitiam abſtergenda ſunt à Corpore, ſi qua oſtentationis aliquam notam generant, ut hominibus appareant jejunantes. Unctio capitis ex Patrio more, lotio faciei ex communiori conſuetudine ad cultum corporis pertinent, quem ex præcepto

Salvator inducere non intendit, qui homines in corpore quærit incultos, ſed ſi intermittitur, ut ad captandam humanam laudem triſtitia inducatur. In tantum abhorret hypocritale malum, ut potius velit nitiditatem eſſe in corpore, quàm quod oculis hominum ſimulata virtute ſerviatur. Sufficit autem, quæ æterno Patri ſint nota bona, quæ agimus, quem latere nihil poteſt, qui rectè agentibus publicè vel occultè non temporale, ſed æternam reddet omnino mercedem.

Cap. XXXVII.

Quòd non in terra, ſed in cœlo per opera juſtitiæ tectè facta theſaurizandum ſit, ſecundum Matthæum.

COnſulit noſtræ fragilitati Salvator omnium Chriſtus, & finem verum deſideriis noſtris, & laboribus appoſuit, ne decepti ſudores noſtri locarentur in terra perditionis, ſed copiæ noſtræ, quibus æternè in beatitudine vivitur, commendarentur in Cœlis. Perdoctum atque prædoctum eſt, quo fine ſunt opera juſtitiæ facienda, & adhibita cautela, ne velimus in hac vita eſſe felices, aut aliquam gloriam ab hominibus ex imagine virtutis inquirere, quoniam diſſipavit Deus oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt: quoniam Deus ſprevit eos. Et Apoſtolus: Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Et alibi: Gloria eorum in confuſione, qui terrena ſapiunt. Proinde contempta omni felicitate terrena, in ſuperioribus & tutiſſimis locis ea, quæ nanciſcimur, docuit collocare, ac etiam ſuaſit, penitus ut velimus. Nec voluit nos laborare in vacuum, nec noſtros caſſos eſſe labores, dicens: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur.* Maledicta fuit terra in operibus Adæ, nec benedictionem aliquando reaccepit. Et magnus tentationum æſtus dividitur ſuper terram. Et in Apocalypſi ſcriptum eſt: Væ, væ, væ habitantibus in terra. Et Deus fundavit eam ſuper aquas ſuper fluxibile elementum, quaſi nihil ſtabile ſit in terra, maximè illorum, quæ ab hominibus pro beatitudine appetuntur. Igitur noſtra bona non ſunt reponenda, imo nec quærenda in terra, ſive ſpectent ad gloriam, & famam, ſive ad ea, quæ vulgus bona fortunalia vocat, præter id, quod naturaliter vivitur ad menſuram, quæ non optionem, non voluntatem ſequitur, ſed neceſſitati & naturæ coaptatur. Non fiat bonorum noſtrorum appoſitio ſuper terram. Etenim ipſa in cibum ſerpenti decipienti data eſt, eo malorum futurorum præſagio, quo terrenis diligentes ſint in cibum dæmonum transferendi, conterendique dentibus incredibilium æternarumque pœnarum, quas ipſi patiuntur, & miniſtri earum à Deo præordinati ſunt. Multa pericula ſunt in terra ſuper theſauros hominum & ſuper quæſitas copias rerum, ærugo, & tinea, & fures. Ærugo contra theſauros metallorum, tinea contra veſtes, fures contra omnia, quæ aſportari manibus aut onorariis animalibus poſſent. Querimoniæ hujuſcemodi quotidie plus inclamitant, quod talia damna proveniant, quam poſſet noſter ſermo diſſerere. Heu miſeranda conditio mortaliū, & terrena quærentitum. Quod ſi eis datur conſilium de tutiori locatione rerum, credere atque permutare non feſtinant. Suadetur quippe omnibus credentibus ex Evangelio, ut in cœleſtibus, ſcilicet locis tutiſſimis theſaurizent, & audire atque complere diſſimulant. Non enim dedit Deus de impoſſibilitate præceptum, neque Chriſtus de agendorum difficultate conſilium. Utique poſſibile factum eſt, ideoque conſultum, in cœleſtibus per opera juſtitiæ atque per mandatorum cuſtodiam, & additionem conſiliorum theſauros recondere, juxta quod ſequitur: *Theſaurizate autem vobis theſauros in Cœlo, ubi neque eſt ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Omnis ſpes fidelium non de temporalibus, ſed de æternis, non de terrenis, ſed de cœleſtibus à Chriſto præſtructa atque ſublevata eſt, facto, doctrina, mandato, conſilioque, promiſſione. Spe infuſa Chriſti avelluntur deſideria hominum à terrenis, & ad cœleſtia invitantur. Ipſi homines ſunt cauſandi, ſi negligunt, non ipſe, qui omnia expedientia contulit ad ſalutem. Vult Deus, ut theſaurizemus, non tamen de perſunctoriis, ſed de his, quorum fructus poteſt eſſe perpetuus. Nec ex omni rerum materia conditur theſaurus in ſupernis, ſed ex mandatis, Sacramentis, virtutibus, & ex moribus juſtis. Et præordinavit, ut ex his cumulatio facta bonorum collocaretur in tuto ſpe atque intentione. Sed neque per ea, quæ Chriſtus docuit, atque mandavit, theſaurizari potuit alibi, quàm in Cœlo. Segre-

Pſal. 52. Galat. 1. Philip. 3. Matth. 6. Geneſ. 3. Apoc. 8.

gregatio protinus eſt à terra, & erectio ad ſuprema, omnis Chriſti actio, doctrina, & intentio, imprædabilia conſulit fieri omnia bona noſtra. Nam in cœlo non ærugo, quia nulla metalla nec inſignitæ monetæ ad expendium congregantur, ubi copia ærarii Deus eſt, nec tinea veſtimenta corrodens, ubi non ſunt materiæ veſtium, neque hujuſcemodi artificia, & ubi omnes veſtiti ſunt gloria, neque fures, ubi nulla poteſt eſſe corruptio voluntatis, neque iniquitatis actio in regno bonitatis, ubi eſt abundans omnium bonorum communitas, ut nulli poſſit eſſe furandi neceſſitas ſive facultas, ubi Deus eſt omne beatis æternæ beatitudinis imprædabile, ſummumque verum bonum. Omnis humana intentio & ſtudium dirimitur, ne hic velimus eſſe felices, & præſtruitur, ut illam felicitatem optatam, quæ nec hic inveniri poteſt, in ſuperis inquiramus.

Jere. 41. Poſſunt autem hic theſauri virtutum aggregari hac intentione duntaxat ut liberemur à morte culpæ atque pœnarum, nec non & ut cœleſtia capiamus, ſicut in Jeremia ſcriptum eſt de octaginta viris, quorum cæteris ab Iſmaele Nathaniæ filio interfectis, decem evadentes remanſerunt, qui dixerunt ad Iſmael: Noli occidere nos, qui habemus theſaurum in agro frumenti & hordei, & olei, & mellis, & ceſſavit, & non interfecit eos cum fratribus ſuis. Abſconditus theſaurus ex octaginta, decem viros ab exitio liberavit. Nec obſtat quod per ſapientiam dicitur: Sapientia abſcondita, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque? (Eccl. 20.) Quod intelligitur, quòd unum iſtorum propter invidiam, alterum propter avaritiam occultatur. Contra abſconſionem ſapientiæ ob invidiam dicitur: Quam ſine fictione didici, & ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo. (Sapien. 7.) Contra eam, quæ per avaritiam fit, etiam dictum eſt: Qui abſcondit frumenta in tempore, maledicetur in populis. (Prov. 11.) Sed abſconſio in agro facta, quæ liberavit à morte, alium ſenſum habet. Decem viri ſunt omnes decem præcepta tenentes, quibus etiam non ſufficeret, quod ab æterna morte liberarentur ex illa duntaxat obſervantia præceptorum, niſi & horum adeſſet abſconſio theſaurorum. Ager quidem eſt terra cordis, corporiſque noſtri, quam omni, qua poſſumus ſpirituali cultura debemus excolere, abſcondereque in illo theſauros aptos ad emendum regnum Dei. Abſcondere quidem dixerim, ut in tempore opportuno præſto ſint ad tale commercium, nec non ne prædationi ſubjaceant, cùm ſæpe, quæ latronibus patent, diripiuntur ab eis.

Cap. XXXVIII.

Quòd ex qualitate noſtræ intentionis opera bona vel mala judicentur, ſecundùm Matthæum ſolum.

IN ſuperioribus ſæpe dictum eſt de abundantiori juſtitia & de rectitudine intentionis ad illam perficiendam, ne coram hominibus, ſed ſolum coram Deo fiat. Nunc quidem explicat per ſimilitudinem oculi ad totum Corpus. Eſt quidem oculus totius corporis dux, & auriga ipſum frænans, nunc in unam, nunc in alteram partem, nunc recto tramite, nunc obliquè, nunc retroversè, prout utile ſive minus periculi eſſe perſpexerit, dirigens. Cujus viſus, ſi fuerit vitiatus, totum corpus patietur in progrediendo jacturam. Sic & hominum intentio, ſi tota recta & unica non fuerit, nil rectum in operibus erit. Hinc Salvator dicit: (Matth. 6.) *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si fuerit oculus tuus ſimplex, totum Corpus tuum lucidum erit.* (Lucæ 11.) Oculus exterior eſt lucerna corporis, non cordis, ad cujus viſionem luminis Corpus rectè, debiteque movetur, & operatur. Non enim oculus eſt lumen, ſed ſi ſanus eſt, videt in lumine, quid agendum. Lucerna quippe dicitur non à ſeipſa illuminata, ſed aliunde luminis ſuſceptiva. Sic & oculus non à ſeipſo illuminatus, ſed aliunde luminis ſuſceptivus. Qui ſi fuerit ſimplex omni compoſitione contraria carens, totum corpus lucidè progredietur ad neceſſarios & debitos actus. Sic & intentio cunctorum hominum ratione utentium lucerna eſt intellectualis omnium ſpiritualiter & virtuosè agendorum. Quæ ſi fuerit ſimplex & incompoſitus, ſoli Deo, non hominibus ex actibus virtuoſis placere intendens, omnia opera ſimpla & coram Deo lucentia manent. *Si verò oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit.* A contrario ſuo iſta ſententia contraria claret. Eſt autem oculi exterioris nequitia, cùm nequit ſalubriter, ſed præcipitanter Corpus conducere. Sic eadem imagine nequitia intentionis eſt, cùm quærit placitum hominum, nequit operari divinum. Et cùm pro vita iſta eſt tota ſolicita, totaque diffuſa, pro æterna non ſatagit. Hinc Salvator compoſitivè ſubjecit: *Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Velut ſi ſol obſcuraretur in iſto hemiſphærio, quanta igitur eſſent aliæ obſcuritates? Tenebræ ſunt omnia

exteriora hominum ad rationem inviſibilem & intrinſecam comparata. Quæ ſi perverſa intentione tenebreſcit, quantæ igitur erunt tenebræ exterioris actionis? De ſimplicitate oculorum dicebat Job:
Job. 16. Ad Deum ſtillat oculus meus. Hoc eſt, ſolum in Deum dirigitur intentio mea. Et
Pſal. 24. David: Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos. De nequitia oculorum Jeremias: Oculus meus deprædatus eſt animam meam. Thre. 3.
Quoniam nequam intentio animam tradit exitio. Supra dicta quidem oculi ſimplicis, & nequam ſententia pro rectitudine ſervanda in intentione, pro oratione, eleemoſyna, jejunio exequendis poſita eſt, nec non & pro cunctis operibus ad agendam pro æterna Patria vitam.

Cap. XXXIX.

Quòd, ſi ad perficiendam juſtitiam recta ſervatur intentio, Deo & creaturis ſerviri non poſſit, ſecundùm Matthæum ſolum.

UNus eſt Deus, & Dominus Creator omnium, & conſervator, & gubernator, & largitor bonorum ſuorum per miſericordiam, pœnarum inflictor per juſtitiam, ſolus bonus faciens bonos, ſolus præſtans beatitudinem bonis, qui Angelos & Homines ad ſeipſum fecit velut ad omnium bonorum finem, qui unum habet ſibi filium coæternum, quem pro nobis tradidit ad exitiale ſupplicium, unam animam ſcilicet ſingulam ſingulis dedit, unum corpus ex diverſis membris, unum cor, unam rationem, unam mentem, unam voluntatem, unum viſum in duobus oculis, unum auditum, in duabus auribus, unum adoratum in duabus naribus, unum guſtum in lingua & palato, unum tactum in omnibus membris, unum mundum fecit ex tot diverſis, unam fidem ex tot credibilibus ordinavit, ad unam per unius meritum gloriam electos prædeſtinavit, ab uno à ſe averſos præſcivit, per unum hominem ingredi mortem permiſit, per unum alium vitam reſtituit, prohibet per omnem modum dividi unitatem, & præcavet in doctrina, ne in diverſa tendant, quæ ad unum ſunt ordinata finem, aſſerens per ſimilitudinem, quod nemo Deo & diabolo, nemo Deo & mundo poterit aliquando eodem temporis momento place-
Matth. 6. re. Inquit enim: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Aut enim unum odio habebit,*
Lucæ 6. *& alterum diliget, aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet.* Experientia facti liquet, quod unus ſervus duobus dominis ſervire non poteſt. Duo ſunt Domini ex diverſitate præceptorum, quoniam, ſi unum eſſet præceptum à mille imperantibus egreſſum, in eodem tempore, atque loco, pro uno Domino haberentur. Et unus Dominus habetur pro multis, ſi contraria præciperet obſequenti. Nam in executione mandatorum non Dominorum dualitas aut numeroſitas, ſed præceptorum diverſitas multiplicationem facit, nec unitatem unus Dominus, ſed unitas præceptorum. Neceſſariò factum eſt, ut unus Dominus odio habeatur à ſervo, alter præcipiens, & in præcepto diligatur, aut alter ſuſtineatur in perſona, & ad perficiendum præceptum ejus, ut alter contemnatur in ſe, & in mandato ipſius. Deus verò diligendus atque ſuſtinendus, omnis alius, ſi adverſus, odiendus & contemnendus eſt Dominus. Explicat ſimilitudinem ipſe Salvator adjiciens: *Nemo poteſt Deo ſervire & mammonæ.* Paulo ante prædixerat non theſaurizandum in terra, ſed in Cœlo. Nam in terra condere theſauros, ſervire mammonæ eſt, in Cœlo verò illos reponere, Deo in ſua juſſione ſervire. Proinde tam diverſis dominis in natura, in ſubſtantia, in dignitate, in præcepto, nunquam ab uno ſervo, uno & eodem loco, & tempore ſervitur. Mammona quidem Hebræa lingua, divitiæ ſunt hujus ſæculi, ſeu ille dæmon, qui eis præſidet, & de his acquirendis inſtigat. Negativa & affirmativa domini ſunt utriuſque præcepta. Jubet per negationem Deus, cùm fieri prohibet omne malum adverſans ſpirituali naturæ, diſpicens ſibi, corrumpens legem, deturpans ordinem, gratiæ non conſentiens. Affirmativè verò imperat, conſulit, & ſuadet omne, quod conditæ naturæ hominum inviſibili ſeu ſpirituali conſentaneum eſt, omne honeſtum, & illam virtutem trinitatem, quæ aliter, quàm per infuſionem haberi non poteſt, & ſi quid eſſe poteſt aliarum virtutum, & omne aptum regno Dei & æternæ ſalvationi, cùm ipſe velit omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Equidem è regione ſunt conſilia & præcepta ſatanica ſive mammonica, negativè fieri prohibentia quicquid affirmativè in omni lege Deus edixit. Affirmativè verò fieri ſuadens, & conſulens, quicquid Deus prohibuerit negativè, ut tandem ſimiles ſibi ſint homines in pœna, quos ſimiles inſtruxit in culpa. Impoſſibilitas iſta ſerviendi diverſitati dominorum, quanquam proveniat à contrarietate præceptorum, etiam ab ipſa noſtri animi unitate procedit. Non enim intelle-

ctus

ctus diverſa ſimul intelligit, neque affectus eodem momento afficitur ad diverſa, neque mens Dominorum contrariorum memoriam ſimul habet. Dum ad unum per has animæ potentias intenditur, alterum relinquitur. Succeſſu verò temporis poſſunt diverſa comprehendi à potentiis hujuſcemodi. Sic & diverſis Dominis ſerviri poterit pro diverſitate temporum, & varietate ſeu mutatione voluntatum, ſimulatim verò in omni genere ſimultandi nunquam duobus Dominis ſervietur. Solus Deus facere omnia ſimul poteſt. Igitur poſſibilitas diverſimode ſerviendi eodem tempore omnibus eſt ad-empta. Et Dei eſſe atque diaboli ſive mundi nemo poteſt. Et nulla indifferentia conſtituitur inter deum & hominem, quod qui non ſervit Deo, quod non ſerviat adverſario, ſua confirmante ſententia: Qui non eſt mecum, adversùm me eſt.

Cap. XL.

De inepta ſolicitudine propellenda, ſecundùm Matthæum.

UT autem non credatur ſolum de inviſibili, & adverſario domino, videlicet de ſpiritu maligno, qui animabus noſtris, & corporibus ſatagit dominari, prolata ſententia, ſed etiam de mundo, qui poſitus eſt in maligno, qui ſe hominibus cum ſuis delectationibus ſemper offert, protinus adjunxit removens ſolicitudinem ſuperfluam rerum viſibilium, atque mundanarum, quæ quodammodo in appetitum hominum veniunt, non ut omnis ſolicitudo tollatur, ſed ut taliter agatur ex ſolicitudine, quod nihil de neceſſaria virtute depereat, neque ſit de his ſolicitudo, quæ Pater ſolùm in ſua providentia & poteſtate reliquit, ſed illorum duntaxat, quæ per homines ſunt juſtè complenda, poſſuntque compleri.
Matth. 6. Et hoc eſt, quod adjicio: *Ne ſoliciti ſitis*
Lucæ 11. *animæ veſtræ, quid manducetis, neque cor-*
1. Tim. 6. *pori veſtro, quid induamini. Nonne anima plus eſt, quam eſca, & corpus plus quàm veſtimentum?* Spectant ad corpus de neceſſitate victus & veſtitus, de quibus Apoſtolus: Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Et hæc aut debito & irreprehenſibili quæſtu, aut licito artificio ſunt quærenda, non damnoſa ſolicitudine, quæ conſilio Salvatoris ab anima removetur, cùm dicit: Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manduceris, quæ non in ſui natura manducat, ſed corpus, aut quid induat corpus. Non enim anima debet pro corporis cura ſuam ſubinferre, nec illam ſolicitudinem gerere, quantum & quale alimentum natura producat, nec unde procedat materia induendi, quoniam ipſe qui fecit naturam ad ſubveniendum omnibus illlam divitem fecit. Aliquando etiam in ſcriptura nomine animæ intelligitur ipſa vita, ut in Pſal-
Pſalm. 15. mo: Accipere animam meam conſiliati ſunt. Seu etiam anima tamdiu exiſtit in corpore, quamdiu cibo corpus ali poteſt, non quòd ipſa vivat ex corpore aut propter corpus, ſed in corpore, quamdiu ab illo mortis gladio diſſolvatur. Nec vivit corporali cibo, habet ex natura poſſe vivere præter corpus. Quoquo tamen modo iſta capiantur, à ſalvatore ſolicitudo indebita diſſuadetur, & per compoſitionem depellitur. Quoniam ſi Deus dedit quod plus eſt, & quod minus eſt, erit omnino daturus. Quamobrem dicitur: *Nonne anima plus eſt, quam eſca, & corpus plus, quam veſtimentum?* Ut ſic iſta ſententia contexatur. Si Deus dedit animam, ſcilicet vitam, ſeu ipſam ſtatuit, ut ſit in corpore, aliquamdiu viveret, quæ pluris eſt omni corporali alimento, dabit & eſcam. Et ſi dedit corpus altius omni veſte pendens, dabit & veſtimentum. Igitur & fruſtra hujuſcemodi ſolicitudo exagitat homines ſuper terram. Si verò in id ſolicitudo mortalium tenderet, ut ex communibus naturæ beneficiis aliquid vendicaretur in proprium, ex ſeipſa & in ſeipſa ſolicitudo deluditur, quoniam ptoprium non eſt ex natura, cùm omnibus ſit in numero, pondere & menſura natura communis, nec alicui proprium aliquid de beneficiis ſuis alligaverit. Non tamen dixerim de proprietatibus illis, ao ipſa natura aliquibus ſpeciebus inſertis, ſed de his elementis ſeu elementatis, ex quibus natura miniſtrat corporibus vivificandis atque alendis, ſeu quomodolibet aliter confovendis. Ad quid ſolicitudo congregandarum rerum, ubi tempus ſe ſubtrahit, & locus non conſiſtit, ubi homo moritur, & ſucceſſus rerum ſubſequitur? Retorquet autem Petrus ſolicitudinem ln debitum fi- 1. Pet. 5.
nem dicens: Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in ipſum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Subjectæ quidem ſimilitudines compoſitivè inductæ ſunt, ut indebita ſolicitudo propellatur. *Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Non vos*

magis pluris eſtis illis? Si rejecta ſolicitudine conquirendarum rerum, conquirendique modo depulſo Deus irrationabilia paſcit, quomodo non paſcet hominem, in quo ſuam inſignivit imaginem, quem & redemit per ſanguinem? Proinde importuna eſt hominibus tanta ſolicitudo, cùm gratis animalibus ingratis deus largiatur annonam. Et homo præſtat cunctis, duntaxat exceptis angelis. *Sed quis autem veſtrum cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* Si homo à ſeipſo non poteſt augeri, ut plus quàm à Deo factus eſt, creſcat, aut in cibo ſeu veſtimento capiat, ad quid tantum angit homines ſolicitudo ſuperflua, imo noxia cura? *Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis.* Quid de veſtimentis etiam multicoloriis contioua ſolicitudo moleſtat, quæ omnino omittenda eſt conſideratione minorum? Mioora ſunt homine lilia campi, creſcunt ſine labore, veſtiuntur multicoloriè, abſque hoc, quod à colo in fuſum aliquid nendo ſeu filando trajiciant. Ad quorum compoſitionem Salomon ſapientiſſimus regum, in omni gloria ſua non potuit per ſapientiam ſuam tanta varietate colorum veſtiri. Ideo quidem Salomonem excedentem in ſapientia in exemplum induxit, ut eſſet omnino perſpicuum plus ex natura, quàm ex humana induſtria homines poſſe percipere. Proinde per explicitam comparationem ſolicitudo ipſa damnatur, & fidei modicitas arguitur, cùm adjecit. *Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei.* Luce clarius patet, quod dicitur, in experientia continua rerum. Et hujuſcemodi ſolicitudinem ex defectu fidei provenire inficiari non poteſt, quam omnibus ſuaſionibus Salvator à ſuis fidelibus nititur abrogare, dicens: *Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater veſter, quod his omnibus indigetis.* Scriptum Eccl. 6. eſt: Omnis labor hominis in ore ejus, & anima illius non implebitur. Quoniam quicquid homo ex nimia ſolicitudine congregare videtur, ad hoc fit, ut per os comedendo & bibendo trajiciat, & quod veſtibus plurimis etiam adhibitis vanitatibus veſtiatur. Sed talia gentes, quæ Deum ignorant, & Chriſtum non confitentur, inquirunt, amantes hanc vitam, aliam verò velut neſcii negligentes. Secernere quidem voluit ex his verbis Salvator à gentibus fideles ſuos, quos ſine ſolicitudine gentium præordinat ad aliam vitam, aſſerens noſtras indigentias in notitia Dei patris ſemper exiſtere, à quo poſtulaſſe ſufficiat panem noſtrum, prout ipſe docuit dicere: Pater noſter. Quoniam pater eſt, indigentibus & fidelibus filiis omnino ſubvenit.

Cap. XLI.

De neceſſaria ſolicitudine, qua cum ſua juſtitia primum quæritur regnum Dei, ſecundùm Matthæum ſolùm.

SUpra Salvator orando poſtulare docuit regnum Dei, de quo aliquid dictum eſt. Hic poſtpoſitis omnibus curis ſuadet illud cum juſtitia ſua primo quærere, alio videlicet ſenſu, quo in oratione præmonuit petere regnum Dei. Sive ſit vitæ agendæ, ſive ſperandæ, ante omnia quærendum eſt, & ejus juſtitia. Proin-
Matth. 6. de præter id, quòd in petitione aſſertum eſt, de quæſitione aſſeratur. *Primum quæ-*
Lucæ 12. *rite regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Præeunt ſe mutunt regnum & juſtitia ejus, regnum quidem optione præit, actione verò juſtitia ejus omnino præcedit. Sic enim
Sapie. 10. per Sapientiam dicitur: Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Juſtus à juſtitia dicitur, quæ primo per vias virtutum rectas juſtificat, ut juſtificato Dei regnum oſtendatur. Juſtitia porro Dei regni eſt ipſa fides ſtipata virtutibus cæteris, ſacramentis atque mandatis & operibus bonis, ſine quibus impoſſibile eſt placere Deo, & cum quibus placetur Deo. Igitur, qui non placet Deo, non poſſidebit regnum Dei. Sibi placens ingreditur regnum ejus. Et de Abraham dicitur: Credidit Abraham
Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam, Et Gene. 15.
Apoſtolus ad Romanos juſtitia autem Dei Rom. 3.
per fidem JEſu Chriſti, in omnes & ſu- Rom. 5.
per omnes, qui credunt in eum. Et Paulo poſt: Arbitramur hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis. Et infra: Juſtificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum. Igitur juſtitia regni Dei primo quærenda fides eſt, ſine qua, & an-

te

te quam nihil aptum, nihil rectum ad regnum Dei quæritur. Et ſi quæreretur, non inveniretur. Primo ergo fides quærenda eſt. Sed quomodo quæritur, quæ nullo modo aliter, quàm per infuſionem habetur? Si verò infunditur, fruſtra quæritur, ſi jam infuſa cordibus fuerit. Sed ſi ad incredulos ſeu extra fidem poſitos dictum infertur, omnes quærere debent quod magis catholicum eſt, & quod ſanius & honeſtius, & quod altiori præmio terminatur, & tunc cum iovenerint credibilia hujuscemodi dare voluntatem ad fidem, quam ſolum Deus infundit, maximè, cùm videant validis teſtimoniis roboratam. Si verò ad jam credentes hic ſermo directus eſt, quæſitio juſtitiæ regni Dei ad opera fidei ordinatur, quoniam fides ſine operibus mortua eſt. Et hæc eſt juſtitia regni Dei cunctis renatis in fide, quod ea, quæ ſunt apta & ordinata regni Dei, operemur ſolicitè atque incunctanter ſecundùm rationem fidei. Hæc autem veteris teſtamenti non fuit juſtitia regni Dei, quoniam nemo ex illa factus eſt aptus regno Dei, ſicut Apoſtolus ad Romanos & ad Galatas conteſtatus eſt. Sed ut ſuperius dictum eſt, juſtitia ſuperabundans ſcribis & phariſæis. Niſi juſtitia veſtra abundaverit ſuper ſcribarum & phariſæorum, oon intrabitis in regnum cœlorum. Illa ergo, quæ abundabit, eſt juſtitia regni Dei. Eſt etiam juſtitia regni Dei negatio & abrenunciatio regni mundi, ſicut ante Pilatum Chriſtus teſtatus eſt: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Et alibi eum fugiſſe legimus & quæſiviſſe
Joan. 18. latibulum, ne poſt miraculum panum venirent homines & facerent eum regem.
Joann. 6. Non autem excludimus ex his regna mundi in juſtitia ſæculari regenda per reges & principes, ſed affectum gloriæ mundi in omnibus condemnamus. Juſtitia regni Dei eſt per opera ſub Deo condemnata & judicata voluntas hominum, in tolerantia impoſitorum, & adimpletione juſſorum. Juſtitia regni Dei eſt converſatio in terra facta cœleſtis, juxta quod Apoſtolus ait: Noſtra converſatio in Cœlis eſt. Omnis virtus, omnis affectio, quælibet actio Deo grata, eſt juſtitia regni Dei. Ipſe verò Chriſtus eſt juſtitia potior regni Dei. Ait enim Apoſtolus: Qui factus eſt nobis juſtitia. Quoniam niſi per juſtitiam redemptionis ejus nemo adipiſcetur Philip. 3.
regnum Patris ipſius. Quæſita vero & obtenta juſtitia, facilis eſt quæſitio regni 1. Cor. 1.
vitæ agendæ, facilisque ingreſſus in illud. Et ut audacter dicam, quærere juſtitiam, eſt quærere regnum, illam habere, in regno ejus eſt manere. Regnum verò vitæ ſperandæ huic omnino conjunctum eſt, ut tranſito ponte mortis introeatur in illud. His primo quæſitis, hæc omnia, quæ gentes inquirunt, adjicientur nobis, velut ſi illa ſubſtantialia ſint, hæc verò non ſubſtantiva, ſed adjectiva dicantur. Iterùm velut contra pernicioſum malum ad negationem ſolicitudinis reconvertit ſermonem. Grave malum eſt quod totiens fieri denegatur, ſatisque impreſſum in cordibus, quod tanta repetitione verborum abradit, dicens: *Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim Dies ſolicitus erit ſibiipſi. Sufficit enim Diei malitia ſua.* Quanquam omnino diſſuadeat ſolicitudinem, non tamen omnino excludit, ſed illam infra terminos omnino coarctat, cùm prohibet omnioo de craſtino cogitare, futurum tempus removens, ne in ſolicitudinem veniat, cùm nemo ſciat, quid pariat futura Dies Homini, vitam, an mortem. Pro præſenti eſt adhibenda cura ſolicita evadendi. Nec dies diem in cura præveniat, ne uno die ſolicitudo duplicetur, præſentis temporis & futuri. Habet omnis dies ſolicitudinem ſuam, pro eo quod dicit: Sufficit diei malitia ſua, quæ ab eo eſt, quod aliquis aliquid impertinens facere moliatur. Omnis igitur dies pro emolumento ſuo ſuam malitiam habet.

Cap. XLII.

De miſericordia proximis impendenda, ſecundùm Lucam.

EST cunctis fidelibus forma miſericordiæ data, cùm ad ſimilitudinem dei patris oporteat miſericordiam proximis exhibere Sed ad hæc quis idoneus, ut deum patrem imitari quis poſſit in bonis operibus ſuper ter-
Lucæ. 6. ram, cùm ſalvator dicat: *Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Si ad Dei formam & ſimilitudinem oporteat eſſe miſericordes, prius expedit inveſtigare miſericordiam Dei, & qualiter miſericors factus eſt. Non eſt à nobis ſua miſericordia inveſtiganda, niſi cùm contrahitur ad miſeros: quoniam, qui miſeria carent, miſeridia non indigent. Miſericordia Dei Deus eſt, & ipſe imper-

ſcrutabilis eſt. Non autem omnino latet quomodo miſertus eſt, quoniã miſeris ex ſcriptura cognoſcimus, ex fide tenemus, quod miſertus eſt Deus, odiens vitium & ſervans creatum Sed quomodo (Pſal. 102.) miſertus? Audi Pſalmiſtam: Quomodo miſeretur pater filiorum miſertus eſt dominus timentibus ſe, quoniã ipſe cognovit figmentum noſtrũ. Secernendum eſt inter naturam, quam Deus condidit, & iniquitatem, quam homo ſua perverſa voluntate committit. Igitur propter creatum dimittatur malefactum, & præſtetur venia, ſi petatur, & ſi nulla interſit offenſa. Cùm cognoſcimus alicujus miſeriam, more Dei opem miſericordiæ impendamus, qui velut pater nullo merito præcedente, nulla in poſterum ſperata mercede, amoris gratia, liberalitatis intuitu, filios ſuos, quos genuit, nutrit. Sic Deus pater, quos creavit, miſeretur, fovet, & nutrit, quoniam bonorum noſtrorum ipſe non indiget Miſeretur Deus animabus, cùm iniquitati ſe tradunt, cùm à virtute deficiunt, quas expectat ad pœnitentiam, cùm revertuntur miſeratus dat indulgentiam. Miſeretur corporibus hominum, pro quibus alimenta beneficio naturæ miniſtrat. Sic & nos, cùm cognoverimus miſerias hujuſcemodi pro modulo noſtro miſericordiæ beneficia impendamus, non inquirentes merita, quod ſpectat ad juſtitiam, (Pſal. 13.) ſed ſubuenientes indigentiæ, quod ſpectat ad miſericordiam.

Cap. XLIII.

De indicio temerario devitando, quod & juſta pœna conſequitur, ſecundùm Matthæum & Lucam tantùm.

(Matth. 7. Luc. 6.) NOlite judicare, & non judicabimini. Non ſunt temeraria judicia in quempiam jaculanda, Natura non ſuggerir, diſſuadet ratio, repugnat virtus, & mos humanus omnino diſſentit. Et facientibus ex æqua ſeu ampliori pœna interminatum eſt. Prohibetur hominibus à Deo, ne aliquid malum fiat, & bonum omnino fieri ſuadetur, ſed non eo intuitu, quo Deo malum noceat, quoniã nihil ei nocere poteſt, aut quod diſpliceat, quoniã ipſe paſſiones non recipit, ſed ex eo, quod malum Naturæ hominum adverſatur, & bonum confert ſibi ad viaticum, & ad præmium. Nos autem, quorum intereſt operari debita, & injuncta, & vitare delicta ſive peccata, potius debemus abſtinere à delictis ſive peccatis, quia offenditur Deus, quàm quod nobis pœna ſenſibilis, aut quod divina ſeparatio inferatur. Vſurpatio eſt ſuperioris authoritatis & certæ ſcientiæ judicis omnia cognoſcentis, proximum judicare, Vnda homini authoritas ſuper proximum? unde ſibi certa ſcientia de crimine proximorum? Si aliquando eſt authoritas, fortè ſcientia deeſt: ſi adeſt ſcientia, quandoque authoriatas deficit. Si utrunque adeſt, decerne de proximo: ſi utrunque deeſt, relinque proximum Domino ſuo, authoritatem & ſcientiam certam habenti. Authoritas quidem & ſcientia judicium irreprehenſibile faciunt. Judicandi temeritas omnino eſt peccatum. Hinc Apoſtolus aliorum judicatores acerrimè reprehendit: Tu quis es, (Rom. 14.) qui judicas alienum ſervum? Suo Domino ſtat aut cadit. Et paulo poſt: Tu autem quid judicas fratrem tuum, aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti. Et itaque unuſquisque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus, ſed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum. Et ad Corinthios: Itaque nolite ante tempus judicare, quoad- (1. Cor. 14) uſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit Conſilia cordium. Verumtamen omne malefactum cadit ſub judicio rationis, quod ſit vituperatione dignum. Sed aliud eſt judicare quod perperam factum eſt, aliud judicare facientem. Aliud judicium ſuſpicionis, aliud veritatis judicium. Aliud judicium amoris, aliud judicium quod ex odio, aut ex invidia procedit. Aliud judicium culpæ, aliud judicium quanta malè agens ſit pœna plectendus. Aliud judicium, quod ſolo corde concipitur, & tenetur, aliud quod ore de proximo profertur ad psoximum: Proinde ſequitur: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Hoc quidem dictum eſt ad terrendum, ne fiat judicium. Hoc verò, quod ſequitur, quod ſuo demerito judicandus alium judicandum ſua temeritate non judicet, idcirco unuſquisque ad ſui conſidera-

derationem remittitur *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non conſideras? Aut quomodo dicis fratri tuo: Frater, ſine eijciam feſtucam de oculo tuo, & ecce trabes eſt in oculo tuo? Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui.*

Cap. XLIIII.

Quod bona ſpiritualia non ſint communicanda perverſis ſecundum Matthæum.

NObilitas rationis humanæ colligitur ab illa ratione, quæ omnia ſecundùm rei veritatem continet & decernit, & colligendo judicat, ut digna dignis, & nulla indigna dignis, & nulla digna tribuantur indignis. E regione autem facta, perverſos, & noxios conſueverunt habere ſucceſſus. Neque pretioſitas rerum improbis & imperitis tractatoribus committenda eſt. Neque dignum ducitur, ut filij regum alendi, & morigerandi ruralibus committantur. Nil pretioſius divinis verbis, atque ſacramentis. Nemo nobilior Dei filio, qui continetur in eis. Et quod ſanctum eſt, oportet immaculatè ſervari. Et in veteri teſtamento lavabantur, qui vaſa Domini contrectabant. Et præceptum erat: Mundamini, qui fertis vaſa Domini. Et Iſaiæ 52. panes propoſitionis comedere non debebant, niſi mundi à contactibus Mulierũ. 1 Reg 21 Nunc à ſalvatore prohibetur: *Nolite ſanctum dare canibus. Neque mittatis Margaritas veſtras ante porcos, neforte conculcent eas pedibus ſuis, & converſi dirumpant vos.* Matth. 7. *Sanctum quidem eſt omne, quod ſanctificatur per verbum, omne quod expedit inviolabiliter obſervari. Canes ſunt innitentes rationibus & ſermonibus importunis. Margarita pretioſa ſecreta Dei dicuntur. Porci à voluptate detenti, qui ſancta & pretioſa vilipendunt, & ſæpe adverſus largitorem deſæviunt.*

Cap. XLV.

De ſecuritate data petendi, & fiducia impetrandi, ſecundùm Matthæum.

NOn erat hominibus cauſa, neque juſta ratio, ut à Deo aliquid poſtularent, niſi filius æternus ejus, Per omnia ſibi æqualis factus homo pro nobis, dediſſet audaciam, & impetrandi fiduciam largiretur, velut qui per omnia novit ab æterno paternam voluntatem; æterne nos diligentem antequam eſſemus. Et factus etiam noſtris exigentibus meritis, non dereliquit nos, ſciens æternum patrem miſericordiarum plus velle dare quàm nos velimus accipere, nobilioríque modo ditare, quàm nos petere cognoſcamus, cùm prius docuit dicere: Pater noſter, & quæ petenda ſequuntur. Nunc paternam liberalitatem ediſſerens, agitat ad petendum dicens: Matth. 7. *Petite & accipietis, quærite, & invenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur.* Nullus igitur in petendo tardus, in quærendo ambiguus, in pulſando hebes, cùm Dominus ſit in dando liberalis, in quærendo ſe offert requiſitus, in pulſando eſt oſtium factus. Arguit ex hominibus ad Deum, qui cuncta omni bonitate præcellit, ut promptiores ſint homines ad petendum. *Aut quis ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut ſi petierit piſcem, nunquid ſerpentem porriget ei? Aut ovem, nunquid ſcorpionem porriget ei? Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quanto magis pater veſter dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Lucæ 11. Clarent iſta per ſingula, & alibi in hoc opere ſunt diſſerta.

Cap. XLVI.

De illa parte originalis juſtitiæ; quæ cum proximo aut inter homines eſt ſervanda, ſecundùm Matthæum.

ORiginalis quidem juſtitia in cordibus hominum ſcripta fuit, nec ſonuit verbo, ſeu literis exarata eſt. Eo ipſo, quòd homo ad imaginem Dei factus ſit, illam accepit protoplaſtus, maximè, quia completus creatus eſt, usquequo natura poteſt quos edit parvulos provehere. Cæteri autem ab ipſo geniti propter humanæ naturæ damnatam propaginem, non ſtatim, cùm nati ſunt illam adoriuntur, ſed paulatim coaleſcunt ad illam. Differt quidẽ homo à brutis, & ex eo, quòd per rationem ab alijs animalibus attollitur, ſentit legem originalis juſtitiæ, conſentítque ſibi & alludit, & placet in illa, cùm ætas accreverit.

verit. Quæ lex, ſi apud homines incorrupta manſiſſet, neque Moſaica, neque lex Evangelica in lationibus neceſſariæ fuiſſent. Sufficiebat enim illa ad omne placitum Dei pro ſalute noſtra. Quæ corrupta, nunquam ad plenum potuit reparari, antequam Dei filius mundo in carne viſibilia appareret, cujus doctrina quamvis magna credibilia ſuperhabeat, tota tamen hoc intendit, & facto, & exemplo Chriſtus oſtendit, ut originalis juſtitia reformetur. Ait enim: *Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & prophetæ.* (Matth. 7.) Repetit JEſus, quod ſcriptum (Lucæ 6.) fuerit à principio in cordibus hominum, abſque quòd voce, aut literis traderetur, videlicet qualiter convivendum erat ex mutua ſubventione, aut obſecundatione perſonarum & rerum. De faciendo duntaxat prolata eſt, non non faciendo juſtitiæ originalis doctrina. Sed omne faciendum non faciendum excludit, non autem non faciendum faciendum includit: quoniã omne affirmatum habet omne aliud ſua ratione negatum, non tamen omne negatum habet aliquid aliud ſua ratione affirmatũ. Ac per hoc quod de originali juſtitia dicitur per affirmationem, etiam per negationem exponitur, ut, ſi ſit quod juſtum eſt, quod inuſtũ eſt, non fiat. Non autẽ quod dicitur, reconvertitur, ut, ſi non ſit injuſtũ, quod juſtũ in actione conſiſtat. Igitur ſi ſic juſtum eſt, quòd omnia quæ nobis fieri volumus, aliis faciamus, ex hoc penitus excluditur, quod ea quæ nobis nolumus fieri, nullis aliis inferamus. In hoc eſt lex, ſcilicet Moſaica, diſpoſita in manibus angelorum in monte Sina, prout ille decalogus ad proximum ordinatur in ſeptem videlicet, non autem in illis tribus primis, quæ ſolùm ordinantur ad Deum. Non enim JEſus de illa parte originalis juſtitiæ hæc ajebat, ſed de illa, per quam homines inter ſe debent juſtè vivere, moderatè, magnanimiter, perſeveranter, atque prudenter, ut nemini fiat ulla injuria, & omnibus, ut perſonis propriis ſerviatur. Non ſolùm lex, ſed etiam prophetæ in iſta juſtitia originali conſiſtunt, non in his, quæ futura vaticinando dixerunt, ſed in his, quæ de ordinatis moribus tractaverunt. Et ut perſtringam, omnis doctrina ſimpliciter docens, aut quæ à parabolis trahi poteſt, ſive ab hiſtoriis tropologicè ſumi, ſive à figuris, ſive à prophetiis accipi, quæ mores bonos ædificet, legem originalis juſtitiæ fovet. Amplius autem Chriſtus per Evangelium finem ad principium reconvertit. Agendorum ordo, & principium originalis juſtitia fuit. Ordo poſterior doctrina Evangelica, poſt quam nulla melior, & aptior ad Dei regnum, ad conplendum Dei placitum, & originali juſtitiæ nulla connexior. Primarius ordo convenlendi originalis juſtitia, ſecundarius lex Evangelica, & in unum pariter de convivendo coeunt. Illa ſcripta ſolùm in cordibus, non exarata literis, non docta verbis, iſta verò cordibus infuſa, non ſcripta, & literis exaratur, & verbis docetur. De illa quidem parte legis Evangelicæ dixerim, quæ de convivendo cum proximis lata eſt, cùm præter hoc Evangelica lex alia multa contineat. Protinus inter homines fuiſſet nulla querela, ſi originalis de convivendo juſtitia, prout erat ſcripta in cordibus, ſteiſſet in moribus. Sed illo ab illa inviſibili ſcriptione juſtitium factum fuit. Nam de ſuperiori parte illius juſtitiæ per inobedientiam cecidit Adam: erat enim illius juſtitiæ ſuperior gradus, ut homo tanquam inferior per omnia ſe teneret ad Deum. Alioquin ad ſeipſum ſua voluntate factus ſubderetur miſeriæ, & ſuorũ inferiorum pro inobedientia inobedientiam pateretur. Inferior verò gradus hujus juſtitiæ in convivendo cum proximo conſiſtebat, à quo primus corruit per invidiam ad fratrẽ obſtinatus Cain, ſed unde caſus à quacunque juſtitia, inde luitio tormentorum, & unde obſervantia, inde fruitio præmiorum. Et ut jam dictum eſt, talio juſtitiæ originalis præceſſit, & talio Moſaica legis ſubſequitur. Nunc verò talio Evangelicus, abrogata Moſaica, talionem originalis juſtitiæ revocavit.

Cap. XLVII.

Quòd duplex ſit porta, ſimiliter & via, ſcilicet perditionis & vitæ, quarum unam intrare, alteram declinare Salvator perſuaſit, ſecundùm Matthæum.

SEcundùm diverſitatem civitatum, & civium, & eis præſidentium portæ ſunt conſtitutæ ſimiliter, & ut nec aliunde aut aliter poſſit eſſe ingreſſus, nec ſpacioſitas aut anguſtia ſit ipſarum, niſi ut reges decreverint. Quanquam omne creatum quædam ſit unitas ſub uno domino Deo æterno, vivo & vero imprædabiliter conſtituta, attamen ex voluntate & ex moribus diviſio facta eſt univerſorum, domino Deo ex creaturæ ſuæ demerito permittente, ut quædam pars vo-

cetur

cetur civitas Dei, quædam verò civitas diaboli nuncupetur. Porta quidem & via civitatis Dei anguſtum habet ingreſſum, civitatis verò diaboli porta & via ſpatioſum introitum poſſident. Summusque imperator atque conſultor bonorum omnium atque potiorum JEſus, diſſuaſorque ſub interminatione malorum dixit: *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpacioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam.* In appertione autem oris prima hujus promulgandi ſermonis, regnum cœlorum ſpiritu pauperibus pollicitus eſt, & multis agentibus rectè variè loquendo de beatitudine repromiſit. Et per abundantiorem juſtitiam monſtravit illud poſſe comprehendi, docuit pendendum pro illo, & in illo theſaurizare ſuaſit, ante omnia ipſum quærere ſtatuit. Nunc ne aliquis erret ab imperitia, portam oſtendir, & viam, utramque fore omnino anguſtam. Minus enim in anguſtis, in ſpatioſis verò erratur ſæpe, atque facilius. Lata porro eſt porta, & via perditionis utique ſpatioſa, & multi gradiuntur, intrantque
Matth. 7. per eas. Unde lata? Perniũoſa licentia utentium, qua quiſque quærit, & vult omnibus uti pro libito voluptatis, omni refrœnatione rejecta rationis & legis. Unde via ſpatioſa? Quia nullis coarctata limitibus. Et illum gradiens, ut appetit per devia quæque tendit. Hujus viæ terminus, hujusque portæ ingreſſus tendit ad perditionem, eo demerito, quo quis converſatus in perditis moribus, ſalvantem abhorruit legem. Et multi quidem non conſiderantes hujuscemodi finem & terminum, primi aſpectus atque ingreſſus amœnitate delectati, per eas intrepidè atque lætantiſſimè gradiuntur. Tota protinus è regione ſtrata eſt via, conſtructa eſt porta, quæ perducit ad vitam, cùm animus Dei legibus angitur, ne aliquid concupiſcat illicitum, & frœnatur corpus, ne effluat in nimium, atque ſuperfluum. Sed pauci, qui quærant, & qui gradiantur, & intrent. Sed quod eſt ſæculi amatoribus latum, & ſpatioſum, ad patriam ſuſpirantibus perniciosum videtur. Et quod arctum dicitur, inſpecto fine, corde in Dei amore ampliato, promptiſſimè gradiendum aſſumunt, juxta propheticum dictum: Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum. Pſal. 18.

Cap. XLVIII.

De cautela à falſitatibus hominum, & modo cognoſcendi ſecundùm Matthæum.

VEritas & falſitas modis omnibus adverſantur, nec inter eas fœdus aliquando locum habet, ut poſſit ad concordiam provocare. Una tamen clareſcit ex alia, & cognoſcitur una per alteram. Relucet amplius veritas, cùm à falſitatibus impugnatur. Invincibilis quidem eſt, ſuperari nequit. Suum contrarium atque æmulum non ſinit incognitum, ſed detegit & prodit. Ad cujus probationem falſitate veſtitos omnipotens Deus permiſit inſurgere. Et ſalvator omnium dominus, & magiſter ſuadet cautelam, ne falſitatibus homines involvan-
Matth. 7. tur, & ne ſuſcipiant falſa pro veris, dicens: *Attendite a falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus ſunt autem lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Ad falſitatem cavendam ſatagit omnis veritatis amator, & nemo falli vult, quamvis fallere quærit, & velit. Ad ſeipſum illam dici quilibet amat, non autem omnis eadem lege refundit in proximum. Sed quoniam falſitas neglecta ſæpe à deo fecit divortium, & pœnis innexuit, quæ per humana ora transfunditur: ideo ſalvator à prophetis falſis præmonet attendere, id eſt cuſtodire, qui moribus omnibus humilibusque verbis manſuetudinem, & ſimplicitatem ovinam oſtendunt, intrinſecus autem ſunt ſupi rapaces, ad raptum ſcilicet bonorum, rerum quarumcunque delectabilium inhiantes, ſtudentesque rapere perperam, niſi gratis accipiant, falſi ſunt.

Cap. XLIX.

Quòd auditores & factores verborum Chriſti inconcuſſibilem poſſideant firmitatem, auditores verò & non factores ruinæ patebunt, ſecundùm Matthæum.

VAlidæ virtutis ſunt verba Chriſti, ſi deducantur in actum. Non tamen otiosè audita conferunt auditoribus firmitatem. Magis autem eorum audito, cùm in factione ruinam in auditoribus operatur. Juſto tamen merito ſolidant, & juſto demerito depellunt in præceps. Non eſt firmitas, ſed infirmitas

in hominibus, quamobrem dicebat David: Miſerere mei domine, quoniam infirmus ſum. Et Salomon: Homo infirmus, & Sapien. 9. exigui temporis. Et ab hominibus firmitas quæritur, in rebus à deo creatis non invenitur. Verba Chriſti ordinant ad firmitatem, cùm invitant ad fidem, per quam homo fundatur in Chriſto, qui petra immobilis eſt, quia Deus eſt. Et petra erat 1. Co. 10. Chriſtus. Suadent ſpem, ſcilicet in Chriſto & per Chriſtum. Docent quid diligant per charitatē, ſcilicet ipſum verum, & ſummū Deum, ſine quo omnia ſunt infirma, & vanitati ſubjecta, cum quo euncta ſolidantur. Factio quidem verborum Chriſti eſt, ut ipſi adhæreamus, in ipſo maneamus, ipſum diligamus, in ipſo ſperemus, ipſum vita & moribus imitemur, & efficitur firmitas, quæ ab hominibus quæritur. Hioc Matth. 7. igitur Salvator ait: *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram. Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra firmam petram.* Ex ſitu firmitas eſt, & ex virtute fundamenti, quod eſt Chriſtus JEſus, præter quod aliud ponere nemo poteſt, ut ait Apoſtolus, qui præſtat tuitionem ab omnibus, quæ poſſent inferre ruinam. Pluvia, flumina & venti ad ea 1. Cor. 9. referuntur, quæ ſpiritualiter ſeu inviſibiliter concutiunt. Et nulla ſapientia in mentibus & moribus major, quàm ſic ſituari, ſicque fundari, quod non poſſit concuti, & ſi concuti, non ſubverti. Difficillimum quidem eſt, imo impoſſibile non tentari, ſed ratione fundamenti certiſſimum atque facillimum eſt à ruina defendi. *Et omnis qui audit verba mea, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſupra arenam. Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina ejus magna.* Omnis qui ſuper temporalibus ſuam ſpem ponit, ſaltem mente non avulſus à mundo, ſe ad præcipitium coaptavit vitiorum atque pœnarum.

Cap. L.

De admiratione turbarum ſuper Montano ſermone, ac ipſius ſermonis excellentia, ſecundum Matthæum.

Matth. 7. ET factum eſt, cùm conſummaſſet JEſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus. *Erat enim docens ſicut poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ eorum & phariſæi.* Perfecit JEſus verba concepta per vocem extra ſonantem, qui non fortuitu & improviſè aut impertinenter ſeu incapaciter, ſed ex nullo reprehenſibili, imo per omnia commendabilia verba loquebatur. Quia ut alibi de ipſo ſcriptum eſt, nunquam ſic locutus eſt homo. Admirabilis doctor, quoniam in omnibus fecit dominus admirabilem ſanctum ſuum. Job 7. Et nomen ejus admirabile eſt in univerſa terra. Et antequam naſceretur, prophetatum eſt, quòd vocaretur admirabilis. Admirabilis doctrina, ſapientiam omnē complectens & excedens. Igitur meritò turbæ admirabantur, audientes doctrinam ſupra naturam, ſupra intellectum & ſenſum, extra uſum & communem docendi modum. Sæpe in evangelio lectitamus, quòd doctrina JEſu audientium animos in admiratione ſuſpendebat. Authoritative quidem docebat, quoniam à deo patre omnem acceperat poteſtatem, & tanquam doctrinæ, omniſque ſapientiæ conditor, non tanquam alterius per ſtudium acquiſitæ ſcientiæ promulgator. Theſauri quidem erant in eo omnis ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Etiam aliàs admiratæ ſunt turbæ doctrinam ejus dicentes: Quomodo hic ſcit literas, cùm non didicerit? Necnon iſte ſermo Montanus per omnia excellebat. Hic quidem declaratio & repromiſſio beatitudinum. Hic meritoria exhortatio ad tolerantiam poſſionum. Hic deſcriptio apoſtolorum, prælatorum, atque doctorum. Hic oſtenditur, quòd lex Moſaica non ſolvatur per evangelium, ſed per evangelium, magis impleatur. Hic provocatio ad altiorem juſtitiæ partem. Hic prohibetur, quòd nemini fiat injuria, quòd facta corrigatur, & quòd omnibus mutua charitas debeatur. Hic omnis homo inſtruitur qualiter vivat ad Deum, qualiter ſe habeat ad proximum, & qualiter ordinatus maneat ad ſeipſum. Hic docetur quomodo fiat juſtitia meritoria, quid ſit cavendum in illa. Hic inſtruimur quid orandum atque petendum. Hic prohibetur omne, quod animam turpiter gravat, & quod corpus inaniter occupat. Hic homo invitatur ad regnum, & datur ad perveniendum omne viaticum.

(o)

LIBER XI.

DE DISCEPTATIONIBUS SEU DISPUTATIONIBUS DOMINI SALVATORIS,

Cum Viris, Mulieribus, Diſcipulis, Phariſæis, Scribis, Et in lege peritis, cum Judæis ſeu turbis, plebeis, atque paganis.

Cap. I.

De diſputatione habita cum Samaritana, quid ad intelligentiam catholicam ſignificet ſeu doceat aut præcipiat circa mores, ſecundùm Joannem.

OPTABAT, ordinabat, faciebatque Chriſtus rebus agendis dare materiam, & niſi ſe ad agenda ſuſcepta & à patre injuncta opera ingeſſiſſet, otioſus erat ad impoſita ſibi ab æterno patre, tamen inde actuoſus, & per virtutem otioſus, quo ſe tenebat ad id, quod Verbum aſſumens dirigebat aſſumptum. Cùm cæteris peccatis etiam incuria habetaverat humanum genus, ut non intelligeret, aut intelligere nollet infra quos malorum & bonorum terminos teneretur. Chriſtus verò, quia humanum genus in omnibus bonis deperditis nobiliori modo reparaturus advenerat, prævenit omnes, paravit occaſiones, ut primo quærens quæreretur, quæſitus inveniretur, inventus teneretur, & amaretur, amatus beatitudinem ultimam largiretur. Sed quomodo quæreretur, niſi cognoſceretur? Quiſnam quærit, quod non cognoſcit? Quod ſi inveniret, velut incognitum præteriret. Præit igitur cognitio ad debitum ordinem inquirendi, & inveniendi. Et fortaſſis quærit quis ſcire, quod neſcit, ſicut quis veritatem & ſcientiam ignoratam quærit ſcire à doctoribus & in libris. Et multa, quæ ignorantur, ad ſcientiam inquiruntur, ſed hoc quidem quædam ſcientia præit. Nemo profectò quæreret aliquid ſcire, aut invenire, aut habere, niſi præſciret bonam eſſe ſcientiam, & veritatem, & utile ad habendum, quod invenire ſatagebat. Dignabatur ab hominibus agnoſci, qui dignatus erat pro hominibus naſci, ſed non quærebatur incognitus. Qui ſi deus homo factus eſt, quis agnoſcet eum? Quis niſi doctus ab ipſo aut à ſpiritu ſancto potuiſſet ipſum agnoſcere, aut cogitare præſumpſiſſet quod tale bonum, ſcilicet dei Verbum ineffabiliter incarnatum adveniſſet hominibus ſuper terram? Proinde rationis ordo poſcebat, ut ipſe ineffabili modo id præageret, ut per fidem cognoſceretur, deinde quæreretur, poſt inveniretur, inventus amaretur, amatus non amati, ſed jura ſervaret amantis, cujus eſt beneficia impertiri. Et ipſe diligentes ſe diligit, ſicut ſcriptura proclamat, dicens: Et amatus fit amans amoris officio, Prov. 8. qui ſemper habuit dilectionem ab æterno. Igitur volens in cognitionem venire, unius mulieris occaſionem prætulit & præegit, ut cognoſceretur, ut cætera ſequerentur. In cujus typo eccleſia de gentibus advocanda erat, & ventura in cognitionem domini ſalvatoris. Et eadem imagine omnis anima ſalvanda erat digna ſalvari, ſicque geſtum eſt. *Oportebat JEſum tranſire per Samariam.* Non opportunitate cogente, ſed decente. Sua ſibi Joann, 4. voluntas opportunitatem faciebat, non rerum eventus. Samaria civitas erat magna ædificata ab Amri rege Iſrael in monte, & ab ea tota provincia denominata eſt, unde dicti ſunt Samaritani novem tribus & ſemis Iſraeliticorum, qui receſſerunt in regionem illam ab eo, quo ſe deſeruerunt altrinſecus tempore Roboam filii Salomonis, & remanentibus in Jeruſalem, & circa duabus tribubus & ſemis, ſcilicet Juda & Beniamin & media tribu Manaſſe. *Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sychar, juxta prædium, quod dedit Jacob Joſeph filio ſuo. Et ibi fons Jacob, JEſus autem fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſuper fontem. Hora erat quaſi ſexta.* Civitas ſpecialis & ſingularis illius Gene. 14. provinciæ Samariæ Sichar dicebatur, alio

nomine Sychem. Non tamen tempore Jacob provincia vocabatur Samaria, quamvis illius provincia talis civiras Sychar aut Sychem vocaretur, in qua fuit famoſa ſtupri & doloſæ circumciſionis hiſtoria. Regio, civitas, poſſeſſio, puteus cum actionibus Chriſti aſtruunt magna myſteria, conſtituuntque mores. Venit JEſus vadens velut in peregre per terram peregrinationis humanæ in regionem Samariæ, congruam ſuis voluntatibus, & directionibus, & moribus infundendis viſitat provinciam JEſus. Lana dominl interpretatur Samaria, bonum, quia lana, melius, quia domini. Alba lana coloribus apta eſt, ut colorarius diſpoſuerit colorare. Ipſa quidem divinis coloribus coloranda erat, & hanc in animabus aptirudinem JEſus quærit, ut ejus coloribus inducendis aptè ſubjiciantur, & ita ſint domini, quod aliorum coloribus non fucentur. Colores ejus multiplices ſunt facti ex varietate virtutum, nec omnes unicolore veſtiunrur, ſed veſtimenta multicoloria donantur à domino prout eſt diverſitas, non adverſitas morum in his, qui ſibi ſervire ſtatuerunt. Sicut multa ſunt in uno corpore membra, non tamen eundem actum omnia habent, ſic & multi hominum ſtatus ſunt in eccleſia ſancta dei, velut multicoloria veſtimenta. Sed advertendum, quod pannus tinctus in lana tenacius ſervat colorem, quam tinctus in filo. Proinde à primæva capacitatis optimum eſt fieri lanam domini, ut ipſe coloribus ſibi placitis nos coloret. Ad tegumenrum lana eſt, & depulſionem frigoris. Bene autem his, qui fuerint lana domini, quoniam dat nivem ſicut lanam, quia non amplius tentari permittit, quàm ipſe protexerit. Quod ſi aliqui tentationibus immerguntur, & adverſitatibus ſuperantur, non fuerunr unque lana domini, ſuis tingenda ſive tincta coloribus. Si verò aliam interpretationem ſumpſerimus, amplius aſtruemur ad optimos mores, conjunctio enim domini dictum eſt. Hoc egit in principio deus, ut ſibi homo jungeretur, debir beneficia, & legem, & leges appoſuit, ne ſepara« retur. Venit etiam plenitudine temporum, ſe humanæ naturæ, & humanam naturam ſibi ex toto inſeparabilirer, & æternè conjungens. Hanc ex effectibus hominnm moribusque inquirit, ut ſibi nectamur, ne evertamur. Everti porro non poſſumus, ſi fide & charitate naturæ immobili conjungamur. Erſua præſentia viſitat, quos ſibi noverit in veritate conjunctos Cuſtodia domini etiam Samaria nominatur, ſive cuſtodiens dominum: Job. 7. Si ad Chriſtum referimus, ipſe cuſtos eſt domini miſſus ad cuſtodiam hominum, hinc Job dicit: Quid faciam tibi ô cuſtos hominum? Si ad nos, & domini cuſtodes nos eſſe opportet. Cuſtodes dixerim, non, ut ipſum dominum ſervemus à malo, adversùs quem nihil poteſt adverſi, ſed ut ipſum cuſtodiamus in nobis, ne intermiſſione vitiorum, ac depulſione virtutum recedat à nobis, non ſuo damno, ſed noſtro periculo: Emanuel eſt ſcilicet nobiscum deus. Et ipſe ſalvator aſſeruit: Ecce vobiscum ſum usque ad conſummationem ſæculi. Matt. ult. Proinde cuſtodiamus ipſum, ſcilicet nos in ipſo, ne velut noſtram ſocietatem ad diſplicentiam criminum & delictorum aſpernatus abſcondat. Et in paradiſo poſitus primus homo fuit, ut cuſtodiret illum, & non cuſtodiens deum perdidit, à quo expulſus eſt in hanc calamitoſam vitam. Er cùm mandatum edicitur de cuſtodia vilis vaſis, argumento eſt, quòd theſaurum pretioſum contineat. Mandatur homini, atque conſulitur: Prover. 4. Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quoniam ab ipſo vita procedit. Cur cordis mandatur cuſtodia, niſi quia in ipſo quieſcit Chriſtus hominum vera vita, & ab ipſo procedit vita, cùm credimus Chriſtum vitam. Corde enim creditur ad juſtitiam, & cùm ipſum juxta mandatum ſuum ex toto corde diligimus. Civitas ipſa illius regionis nuncupata Sichar, ex ſua interpretatione aliquid myſteriorum, actorum atque agendorum facit, quæ pœnitentis & pœnitentiæ portat elogium. Et pœnitentiam venerat præjudicare JEſus, & peccatores ad pœnitentiam vocare, quoniã appropinquabit regnum cœlorum. Amat Chriſtus pœnitentes, & eorum finibus appropinquaquare non deſinit, & in ipſorum agello agitatur à ſiti, ſcilicet à deſiderio plus valendi eos, quos ad prædium Joſephinum, ad augmentum ſcilicet gratiæ & virtutum, ad hauriendam alti putei aquam noverit pervenire. Prædium erat, quod multis retro actis temporibus hæreditario jure Jacob patriarcha Joſeph filio ſuo dilecto præ cæteris poſſeſſionem tradiderat. Gene. 23. Optima poſſeſſio, & æquiſſimo jure firmata, quam vivens pater tradit ad filium, & prævalet ad cæteros donatio inter vivos. Donator & donatarius interpretationis decentia verè aſtruunt, quod à nobis Chriſtus inquirit. Supplantator Jacob dictus eſt, ex eo quod plantam uterini fratris naſcendo ſequens tenuit, cùm primo conatus eum prævenire non poſſet. Deceptionem interpretatio videtur oſtendere, ſed optimum eſt decipere mundum, carnem, & diabolum, occultis quippe virtutibus deluduntur. Et mores deducti

ſti ad alteram rerum partem, ſcilicet pro toleratione malorum, æternorum bonorum intuitu, deceptionem viſibilium rerum efficiunt, & qui ſe privat illarum amœnitate, ne ab eadem malè teneretur deluſus, & obſtruxit inimicis inviſibilibus viam, qua venire ſolent ad decipiendum animas, rebus inviſibilibus alligatas, omnino fraudans ſuo malo deſiderio teros hoſtes. Viam illam dixerim voluptuoſam hominum voluntatem. Talis deceptor, talisque deceptio ſupplantator ſive ſupplantatio filium habere, cui poſſeſſionem largitur Joſeph, qui augmentum interpretatur, inſinuat appoſitionem, qua ex virtutibus quis augetur illo augmento inviſibili, quo ante deum per gratiam creſcimus, & ſequentia bona prioribus apdonuntur. Sed nequeunt iſta fieri, niſi primo mundus, caro, diabolus, cùm ſibi placitis vitiis ſupplantentur, & ex hoc augmentum, & appoſitio virtutum generantur, & naſcuntur, & fundum velut inſtructum augmentum accepit à ſupplantatione malorum, prædium ſcilicet cum fonte fundente velut ſpiritualis actionis agrum, cum fonte aquæ ſapientiæ ſalutaris, qua potatur, qui verè timet deum, & facit bona, & continet, & verè juſtitiam apprehendit. Deſcripſimus locum, ad quem Chriſtus fecit adventum, nunc verò quid Chriſtus egerit & dixerit intendamus. *Jeſus autem fatigatus ex itinere, ſedebat ſuper fontem.* Quare fatigatus JEſus, virtus dei eſt. Non ex forma dei, ſed ex forma ſervili. Unde fatigatus ex itinere, quia nec ſubjugalibus uſus eſt. Totum & verum ſe hominem pandit, cùm ex itinere fatigatur, acſi nihil conferret ſolaminis unita divinitas. Itinerabat deus in homine, qui nullo movetur motu extra ſe, hanc dignationem exhibuit in creata natura, quam aſſumpſerat, & hic homo divinè ferebatur perſonatus à Verbo, illis pœnalitatibus reſervatis, quibus per omnia verus homo noſceretur. Attamen creaturæ rationalis liberandæ amor ad fatigationem addixerat. Verè quidem ex itinere fatigatus, erant enim itinera non competentia ſibi. Deus porro verus, & homo verus, & innocens erat. Nullo quidem jure ſibi competebat pede fatigato itinerare per orbem. Quid ſibi Jeroſolima, quid Judæa, quid Galilæa, quid Samaria cum JEſu, ut ejus pedibus calcarentur? Quid JEſus cum eis, ut præſentia ſua viſitare dignaretur? Solùm humani generis redemptio erat in cauſa, talibus JEſu itineribus usque ad exercitium crucis præeunda. Sed nec ob fatigationem corporis vehi voluit animalibus delatoriis, nec leniri ac deſinere ab eundo fortè animo magis, quàm corpore fatigatus. Premebatur quidem ad fatigationis auxeſim noſtrorum ſarcina peccatorum, quousque illa portans conſumeret ſuper lignum. Aſſumpta fatigatio illa erat voluntate tantùm, nulla neceſſitate cogente. Inquiſitivus amor ejus fatigarat mentem & corpus ejus, velut conſuevit fatigare quærentes, donec inveniretur quæſitum. Non- Lucæ 13.
dum JEſus invenerat hominem, quem quærebat, nondum ovis centeſima inventa erat, deductaque ad gregem, nec accenſa erat lucerna evangelica, cum qua drachma decima quæreretur, & inveniretur in theſauris dominicis recondenda, fatigabatur hoc itinere JEſus, donec cœpta perficeret. Qui fatigatus ex itinere hujuſcemodi, ſedebat ſic ſuper fontem. Sic ſedebat quieſcens corpore, prout erat fatigatus ex itinere. Ex itinere laborem, ex ſeſſione quietem corporis oſtendebat, non quia Deus, ſed quia homo erat. Ex aſſumpto, non ex aſſumente iſtæ corporis ſituationes advenerant. *Hora erat quaſi ſexta.* Deſcriptio iſta temporis non paruum myſterium tribuit ad contemplandum. Nam ſexta die factus eſt, qua & peccavit homo, & quaſi hora ſexta ejectus de paradiſo, & ſexta ætate mundi requiſitus eſt, in qua ſexta die incarnatus, & in cruce fixus, & mortuus eſt. Super fontem profundorum myſteriorum dei & profunditatis ſcripturarum. Verè omnibus ſuperſedet, omnia intelligit, omnia novit. Amor ejus ſuperdominatur, rebus non ſubjacet, & ſpiritus ejus ferebatur ſuper aquas, velut amor non ſubjacens rebus, ſed prælatus exiſtens. Sedebat ſuper aquæ fontem, velut novus magiſter, novam cathedram tenens docturus in aquis. Aliter iſte Moyſes, imo longè melior illo, qui fuerat aſſumptus ex aquis, & vox ejus ſuper aquas, ſcilicet conſecrandas ex verbo, in quibus tinctis corporibus animæ lavarentur. Sedebat ſuper fontem velut auceps aves rationales aucupaturus in retibus verbi ſui, in quibus una percepta index ad capiendas alias facta eſt, ut ſubſequens ſeries manifeſtat. Nec ſic otioſus eſt Chriſti adventus ad fontem, quem multa fontis ænigmata præceſſerunt, nam ad fontem ſervus Abraham paranymphus Iſaac ſibi uxorem Rebeccam accepit, quoniam ad baptiſmalem fontem Chriſto anima in eccleſia deſponſatur in æternum, ſi fuerit caſta contubernatura cum Chriſto, & ſpiritus ſanctus accipitur ad fontem, qui adſcribitur in Rebecca, & Eliſæus ſal miſit in fontem, ut ſanaretur aqua, & Chriſtus ſua ſapientia ſanavit infirmitatem ſcientiarum ſæcularium, & omnium populorum, & in

horto ſponſæ fons ſignatus erat. Et abundantia terrenorum ſignetur ſigno Chriſti, ut omnia, cùm in uſum præveniunt ſignentur nomine ſancto ejus. Et ipſe Chriſtus fons venit ad fontem. Fons quidem eſt, inquit, querulando Jeremias de populo Hebræorum. Dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, dicit dominus. Fons aquæ vivæ Chriſtus, nec aliunde provenit hominibus aqua viva, niſi ex ipſo proveniat. Igitur ſedet ad fontem commutaturus aquas mortuas in aquas vivas, ad quas omnes ſitientes jam per prophetam
Iſaiæ 55. invitaverat. Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate & emite. Sedet ſuper fontem aucupator novus, aucupium ſequitur: *Venit ergo mulier de Samaria haurire aquam.* Venit neſcia quid futura, ſed noverat, qui expectabat, qui eam prædeſtinaverat, quam vocavit. Venit haurire aquam de fonte terreno, ſed in modico hauritura erat aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris, venit ad fontem aquæ, ut ſitibunda volucris, ſed mox capienda reti divino clam deſtinato in terra humanitatis aſſumptæ, à quo ſe non potuit, imo noluit explicari. A divinis enim rebus explicari eſt ad perniciem implicari, ipſis verò implicari eſt à rebus noxiis explicari. Sed antequam aquam hauriat, capitur avis iſta, quia præſtavit aures ad verbum, & cœleſti delectata ſibilo immemoriæ potum dedit, jam ſuæ ſitis oblita. Fit protinus in animabus hominum, ſi patienter audiant ſupernè docentem, & inſtruentem de ſuperis notitia, quam ſint excedeotia ſenſum, & de perfunctoris quanto periculo ſuos amatores involverant, quòd reſiliant ab eis, quòd amorem retrahant, quòd ſe ad ſuperna diligenda convertant. Prævenit iſtam JEſus in verbo, antequam
Pſalm. 58. hauriret aquam. Nam & Propheta dicit: Miſericordia ejus prævenit me, quæ niſi præveniret, nemo illam conſequeretur. Dicit ergo ei JEſus: *Da mihi bibere.* Ut ſic ſeries geſta texatur. Fatigatus ſum ex itinere; quieſco laſſus expectans ſi quis aquam ad hunc fontem hauriturus accederet. Tu primo me hic ſedente mulier adveniſti, ſitio, oro te, da mihi bibere. Petit, qui daturus advenerat, illam irretire deſiderans, non corporis ſitim extinguere. Nec enim legimus ipſum poſt omnia etiam potum aquæ ab illa ſumpſiſſe, non ſibi curæ aqua iſta erat. Et fatigatus ex itinere refrigerabatur in animarum potu, non io illius aquæ hauſtu. Inter ſeſſionem Chriſti & illius mulieris adventum diſcipuli abierant in civitatem, ut cibos emerent. Erant enim in regione ab eis extranea, in qua nec quæſtu potuiſſent invenire victum, quia Judæi & Samaritani ab invicem diſcordabant, nec ob hoc paupertati Chriſti & diſcipulorum ejus fiat ab improbis & evangelii calumniatoribus aliqua impoſtura, quia denarios habebat illud ſacrum collegium, quibus in alienis partibus emerent fulcimenta vitæ, non ad voluptatem, & per exceſſum, ſed ad neceſſitatem, & ordinatiſſimum uſum. Et illa pecunia, ſi quæ erat, non multa credenda eſt, nec ex artibus, aut ex commerciis ſeu de bonis hæreditariis aut de poſſeſſionibus ſeu ex cenſu aliquo, ſed de quæſtu aut libera voluntate afferentium proveniſſe. Chriſtus nihil ſibi vendicaverat in proprium. Apoſtoli etiam cuncta reliquerant ſequentes JEſum, non tam pedibus, quàm moribus illum ad poſſibile imitantes. Multi philargyrici poſt Chriſtum fuerant Chriſtianitatis charactere inſigniti in eccleſia dei ſine intermiſſione ſuccedentes, quorum aliquos ego vidi concertans cum eis magna contentione verborum, qui ut eorum avaritiam & philargyriam pariter palliarent, Chriſto & collegio ſancto ejus divitias & rerum proprietatem ex verbis evangelicis non ſanè intellectis nequiter apponebant: quod ita perperam dixerim, ſicut dicere Chriſtum indecentia & incompetentia ſibi ex vitio poſſe committere. Et ex hoc loco ſcripturæ, quòd diſcipuli emerint cibos, & ex loculis Judæ conati ſunt proprietatem rerum temporalium in Chriſto, & diſcipulis ejus aſtruere, non intelligentes proprietatam naturæ conditæ non vitiatæ, in qua dei filius humanitatem aſſumpſit, & proprietatem legis, quæ propter prævaricationes poſita eſt, ſibi convenire non poſſe, ſed mentita eſt iniquitas eis, & evanuerunt in cogitationibus ſuis, cùm omnium dives propter nos factus egenus extiterit. Sed revertamur ad ordinem rei geſtæ. Petens Chriſtus aquam non accepit, ſed ad quæſtionem ab illa invitatus eſt. *Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Judeus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* Ecce enim didaſcalatio & aucupatio cœptæ ſunt. Aſpectu, loquela, geſtu, habitu Chriſtus apparebat de genere Judæorum, qui differebant à Samaritis, quanquam Judæi, & Samaritæ ab uno Patriarcha Jacob deſcendiſſent. Contemplatur mulier virum in admiratione facta, & cur ſibi potum quærat interrogat, non dedignata hominem, ſed admirata petitionem. Erat enim homo JESUS inſigne quid in ſuis actibus & ſermonibus gerens, ut nemo, niſi ſuperbus, & curioſus, ut Herodes,

aut Matt. 19.

aut invidus, ut Sacerdotes templi, & Phariſæi, & ſcribæ ipſum dedignerentur. Proinde hæc mulier non aſpernata virum, ſed anceps in petitione interrogat, dicens: Quomodo tu Judæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? Hic interpretationes nominum, propalandæ ſunt, quoniam in intelligentia ſpirituali Judæa & Samaria ſatis conveniunt. Illa confeſſio interpretatur, illa cuſtodia, illi confitentes, iſti cuſtodes. Confeſſio & cuſtodia in proprietatibus ſuis, pro ſperanda vita in agenda conveniunt, magis quidem neceſſario requiruntur. Sed ex alijs apparentibus cauſis erat ſuborta diſcordia. Fortaſſis in præſagio futurorum neſcia facta eſt iſta mulier, ut interrogaret JEſum, ſi jam tempus reconciliationis adeſſet, quòd JEſus adveniſſet inter diſcordes celebraturus pacem. *Reſpondit JEſus* non ad mulieris interrogata, ut rationem ſuæ petitionis oſtenderet, ſed ad interroganda, cùm prius eum mulier interrogare debuiſſet, quis eſſet: quàm aſſerere, quod Iudæus eſſet, ac etiam obijcere in concitationem utriusque gentis quaſi nec ab ea debuiſſet aquam expetere. Proinde ad interroganda ſalvator reſpondet illam incipiens erudire & ſuis illaqueare ſermonibus velut avem, dicens: *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam.* Conditionaliter loquitur. ergo excuſandus eſt neſciens? Conceſſerim, ſi erudiendi deeſt omnino facultas, ſed nec immunis à culpa, ſi potuit erudiri. De ſcientia infinitæ rei Dominus hanc mulierem cauſare videtur ac ſuum improbare colloquium; pro eo, quod neſciverit donum Dei, ſimiliter & datorem, Infinitus eſt Deus, infinitum eſt donum ejus, quod propriè dicitur Spiritus ſanctus. Per omnia quidem donator & donum æquantur. Quis hominum, aut etiam angelorum ſcire potuit, qoid ſit Deus, quid verò Spiritus ſanctus? non aliud, quàm Deus pater in ſubſtantia, quamvis alius in perſona. Unde igitur iſta ſcire potuit donum Dei? unde cognoſceret Filium donatorem? Inquit certus pro-
Pſal. 138. pheta: Mirabilis facta eſt ſcientia tua
1. Cor. 6. ex me, confortata eſt, & non potero
Job. 2. ad eam. Et lucem habitat inacceſſibilem. Et ad Job de cognoſcendo Deum impoſſibiliter dictum eſt. Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & usque perfectum omnipotentem reperies. Excelſior cœlo eſt, & quid facies? Profundior inferno, & unde cognoſces?

Longior terra menſura ejus, & latior mari. Quam orbem nec iſta mulier, nec aliquis reprehendi poteſt, ſi omnipotentis Dei ſcientia caret. An forte, quia de ſe loquebatur dicens, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere. Sed non de homine puro, neque enim ut homo divinorum donorum poterat eſſe largitor. Si de ſe ut de Deo aſſerebat, incognoſcibilis eſt ab homine Deus. Fortaſſis de ſcientia fidei cauſanda erat, qua carebat. Excuſatur legitimè, quoniam fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Quomodo audient ſine prædicante? Rom. 10.
Quomodo prædicabunt niſi mittantur? Quis iſtam erodivit in fide? Quis eam donis divinis inſtruxit? Quis eam docuit de Dei filio humanato? Quis ad aquam vivam ipſam verbis allexit, ut expeteret ab habente, ut requireret à datore? Sed Chriſti locutio de ſcientia invitatoria erat ad ſcientiam, & nominaos aquam vivam ad ſciendum, quæ & à quo eſſet, alliciebat eam, & ſatagebat ab ea cognoſci, qui dignatus erat de fœmina pro mulieribus & hominibus naſci, & serioſè tendebat in illam, quam noverat illico ſuam diſcipulam & Evangeliſtam fieri. Movetur mulier auditu verborum, & viva delectatur aqua. Attamen hæſitat in verbis, quia hunc, quem audit talia proferentem, ſolum eſſe hominem conſpicatur. Tota ſiſtit in ſenſibus ex naturali more, ac etiam ex arte cudit argumente reſpondendi. Vellet protinus aquam vivam, quia veri & optimi boni appetitus naturalis omnibus datus eſt. Per hujuſcemodi arguens reſpondens inquirit, & jam in humilitate facta velut bonitatis ſerva futura reverenter Dominum vocat, quem irreverenter nuncupaverat ante Judæum dicens: *Domine neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt: Unde ergo habes aquam vivam? Nunquid tu major es patre noſtro Jacob, qui dedit nobis puteum hunc, & ipſe ex eo bibit, & filij ejus, & pecora ejus?* Verba JEſu non diſplicent mulieri, ſed de aque viva, ne dare poſſit undique conglobatim ſibi occurrunt argumenta contraria. Nam fons erat fundens naturaliter aquam, & naturaliter aliquando fundere, aut non æquè deſiſtens, ut pluribus experientia monſtrat. Puteus erat ex arte ad terræ inferiora deſoſſus, nec artificium hauriendi erat in manu Chriſti, & verè altus erat ex inferiori & interiori terra ad ſuperficiem usque conſurgens, & compoſitio novi hominis ad priſcum patriarcham Jacob à credulitate aquæ vivæ hujus mulieris animam refrangebant. Sed nec eum JEſu,

qui Dei eſt filius atque virtus, ex natura, ex arte, ex quacunque compoſitione priſcorum, præſentium & futurorum, etiam & angelorum contentioſè diſſerendum eſt, qui ſuper omnia præſtat omnia omnipotens. Væ autem his, qui de JEſu ſimilibus diſputavere ſententiis, quem ſi hæc mulier per fidem noviſſet, utique tacuiſſet. Sed erudienda erat diſcipulorum more, cùm inveniſſet, quem interrogaret, & à quo reſponſa ſuſciperet, & interrogata reſponſa daret. Hæc mulier Chriſtum ut purum hominem contemplatur, cùm miratur ex novitate loquendi, & ex alta largitione Chriſti ſuſpenditur animus ejus, ſupra intellectum enim ſuum Jeſu verba reſonabant in animo audientis, ſi aquam vivam eſſet poſſibile invenire. Verbum admirabile, verbum delectabile, verbum deſiderabile aqua viva. Proinde ſatis perdoctè inquirit objiciens ad pollicitationem: Domine, neque in quo haurias, ſi ex iſto puteo ſeu ex alio aquam vivam haurire tentares. Non ſe iſta mulier attollebat in ſuperis, unde aqua viva deſcendit, ſed quid de terris aut locis infimis aſcenderet, autumabat. Fallebatur quidem, ſed verum neſciens loquebatur, cùm diceret, neque in quo haurias habes, ſcilicet ſitulam aut inſtrumentum aliud hauriendi. Contemplandum verbum: Nam veritate plenum eſt, cùm Chriſtus arte humana, neque inſtrumento peritia hominum edito, ſua dona pollicebatur, neque hauriebat ex terris de foſſis gratiam & gloriam largiturus, ſed de ſuperis, unde deſcenderat. Ut homo agebat, docebat, informabat hominum mores, patiebatur appoſitas pœnalitates. Ut Deus verò gratiam porrigebat, & daturus in tempore promittebat & gloriam. Vigilans verbum, neque in quo haurias habes. Ad defectum adſcribebat illi homini Chriſto Samaritana mulier, quod cedebat in ſuæ altitudinem poteſtatis, quoniam ſi inſtrumentum deficiebat humanum, aderat omnino divinum. Nec non & objicit altitudinem putei, ad cujus aquam non perveniret corporis manus, non habito inſtrumento. Et puteus altus eſt Sed ſi non homo, tamen altior Deus. Sed attendendus loquendi modus. Si aliqua terræ profunditas à ſuperiore parte, ſcilicet ab ore ad inferiorem deſcendendo menſuretur, dicetur: Locus profundus eſt, ſive puteus, ſive quodcunque voraginoſum, ſive defoſſum. Si verò ac inferiori parte ad ſuperiorem aſcendendo menſuretur, altus appellabitur locus ille. Sic dictum legitur, puteus altus eſt, ita quòd aqua uſque ad os putei non aſcendat, ſed in profundo jacet. Et tu neque in quo haurias habes. Neſcia ut aſina Balaam veritatem fatur dicens, puteus altus eſt. Sed ad intelligendum intellectus altus exquiritur: Si puteus altus eſt, ut ad hauriendum opus ſit inſtrumento, ergo aqua in profundo jacet. Totus mundus velut unus eſt puteus, & abyſſus impenetrabilis, cujus aqua noſtris affectibus non æquatur, quia nihil eſt in hoc mundo, quod ſatiare animas hominum poſſit, quæ ſunt factæ ad Deum. Proinde mulier rationabiliter infert; Unde ergo habes aquam vivam? Sæculum hoc nequam protinus illa caret. Sub cœlo non eſt, ſi à ſurſum uſque ad deorſum, ſi ac imis uſque ad ſummum cuncta perquiram, non eſt aquam vivam ad ſatietatem hominum reperire. Et ſi patres noſtri præteriti aquam vivam nullo modo potuerunt invenire, quibus tu major meis obtutibus non appares, unde ergo habes aquam vivam? Sagax mulier tot Chriſto JEſu objecit inquirendo, unde ſibi vivam polliceretur aquam. *Cui Reſpondit JEſus, & dixit ei*: Omnis, qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo, non ſitiet iterum, ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Omne quod mulier JEſu objecerat, ipſam ſua reſponſione confutat, videlicet quod aqua ſua non ex venia terræ procedit, non jacet in profundis puteis, non reperitur in fontibus, non hauritur ſitula, corporis ore non ſumitur, & ſitim extinguit bibentibus in æternum. Ac ſi diceret JEſus ad mulierem: Non mihi opus eſt inſtrumento hauriendi aquam vivam, quæ in puteis altis terræ non jacet, ut bibendi experientia pandit, quia omnis, qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum. Et tu pluries bibiſti, & iterum ſitibunda veniſti, & quot bibunt præſentes, & quot biberunt priſci, nunquam ſunt aut fuerunt una potatione ſatiati, ſed aqua mea ſic bibitur, ut nunquam ulterius ſitiatur. Aqua, quam ego dabo, non quæ de iſto puteo, aut alio fonte haurienda eſt, ſitim aufert de fonte procedit æterno, infunditur, non hauritur, ſupinato bibitur ore, non in terra verſo, non potatur in vaſe, ſed in æterno fonte, quoniam apud Deum eſt fons vitæ. Aqua iſta bibentibus fit fons aquæ indeficientis atque ſalientis in vitam æternam, ubi nulla ratione ſititur. Pſal. 55.
O quanta benignitas largitoris aquæ qui neſcientibus illam docet, non petentibus offert. Nam divinæ bonitatis

&

& fons ſuijpſius in alios diffuſiuus eſt, & hortos, & campos quærit, in quos diffundatur, & cùm animas quaſi arentes aſpicit terras, quærit illas irrigare, ut inebriet ad fructum, ut ſatiet ad perfectum. Judiciū 1 Hujus aquæ irriguo irrigari Axa agrum petebat à patre, quem accepit, ſuperius Joan. 4. ſcilicet & inferius. Eſt igitur aqua ſaliens in vitam æternam, illa ſpiritus ſancti gratia, qua quis operatur in hac vita opera digna vita æterna, non merito illam accipientis, ſed in merito dantis, quoniam ipſe, qui largitur donum Dei, eſt tota cauſa merendi regnum Dei. Salit aqua, quæ donatur à Chriſto, quoniam ſurſum agunt dona ejus, non ad ima demerguntur. Et ob hoc omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum remittitur, ut ſurſum revocet, qui accepit, & à vita temporali ad æternam, à mortali ad immortalem, à parte ad totalitatem, à terrenis ad cœleſtia, eum, cui donatur potenter inducat. Generat aqua Chriſti JEſu fontem aquæ ſalientis in vitam æternam. Fontem dicit, non fluvium ſive rivulum, qui ex natura ſemper ad inferiora labuntur, ſed contra naturæ uſum, contra uſualem ſcientiam non deorſum defluat, ſed aſcendat, quanquam ſæpe per artem coanguſtatam aquam ſurlum inſpiciamus aſcendere. Sed nec JEſu aqua humana ſurſum arte ſalit, ſed ſupra omnem intellectum, naturam, rationem & artem in ſuperna ſuum prouehit potatorem. Igitur affectemus hanc inviſibilem & immaterialem aquam, quæ non eſt unum de quatuor elementis, quæ ſuper omnia elementa ipſa ſalit. Intelligamus doctam, accipiamus oblatam, bibamus ore cordis, non faucibus corporis, ſi periclitari ſiti recuſamus. Ad quam Samaritana jam avida facta ſibi à JEſu exhiberi petit, cum ad eum dicit: *Domine da mihi hanc aquam, ut non ſitiam neque veniam huc haurire.* Apta petitio, quæ conformis eſt liberalitati donantis, ut non id perat, quod velit accipere, ſed hoc ſolùm petens accipiat quod major dare decreverit. Jam oblita illios aquæ, ad quam venerat hauriendam, & delectata ſalubritate illius aquæ vivæ, quæ offerebatur, petit ſubjectivo & humili verbo: Domine da mihi hanc, quam promittis aquam. Vileſcunt cuncta terrena, & quamſi oblivioni traduntur, cùm cœleſtium placet auditus, & cùm ad ipſa erigitur animus. Et quoniam omnes vellent carere defectibus & contractis pœnalitatibus ex multatione facta in noſtra radice, nec etiam vellent ſubjacere laboribus, proinde iſta mulier hæc duo ſupponit in cauſam cùm promiſſam appetit aquam, ſcilicet, ut non ſitiam, neque veniam huc haurie. Defectus naturæ ſive pœnalitas eſt cauſa ſitis. Et itinerando humanum corpus animo laborat, ac etiam fatigator, quod evenit ut aſſertum eſt in JEſu, quod eſſet ex itinere fatigatus. Jam iſta mulier affectabat beatitudinis partem, amplius ſitire nolens, & quietem cognoverat eſſe bonum, cùm velit ab itinerando, & laborandu deſiſtere. Sed nec dum noverat unde aut quomodo iſta perveniat, & duntaxat pro corpore, non anima talem quærebat aquam, & pro tempore quo modicum victura erat, non pro æternitate, ad quam Chriſtus ipſam & omnes venerat vocaturus. Vigebat iſta quodam naturali affectu, ſub quo quicquid bonum atque optimum & perfectum eſt, cadit: ſed intellectu, ratione & ordine deficiebat, quamobrem dicit ei JEſus: *Vade voca virum tuum, & veni huc.* Mirum ſciolis & inadvertentibus videtur, cùm JEſus dixerit mulieri, voca virum tuum, cùm ipſa jam quinque viros habuerit, & omnibus præmortuis in adulterio ſeu fornicatione moraretur, quomodo indicebatur, voca virum, quem Chriſtus ipſam non habere ſciebat. Sed ſi perſpicaci mente Chriſti facta & dicta ſcrutamur, & ad quid iſtam mulierem, & modum, quo ad cognitionem veri trahere ſatagebat, ſic cum iſta muliere penitus agendum fuit, ut paulatim eruditetur & quòd in Chriſto aliquid inſigne cognoſceretur, & fidem præſtaret dictis, quæ ſupra cognitionem cæterorum hominum vulgabantur, & alligaretur fide pro aſſertione geſtorum, quæ dictis & divinis inductionibus tenitebatur. Quam ob cauſam JEſus dixit: *Vade voca virum tuum*, ut ex reſponſione audiret, quamvis ſciret, *non habeo virum*, ut ex his, quaſi propheticè ad illam inferret, bene dixiſti, non habeo virum, quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes non eſt tuus vir, ad hoc, ut tandem hæc in eum intenderet velut in prophetam, dicens: *Ut video propheta es tu*, ut in Meſſiam & omnium ſalvatorem. Paſſim paulatímque JEſus iſtam mulierem docendo trahit, trahendo docuit, & velut avis potabunda ex aqua cœnoſa, clariorem inveniens aſpernaretur illam, & nobiliuti delectata more acupatico veniret in prædam. Sed iſta in apologiam prædiximus. Igitur ad rerum ordinem revertamus. Dicit ei JEſus: Vade voca virum tuum. Ut in altiorem traijciatur ſenſum, caput mulieris vir, Si acephala non es, voca caput à quo regenda es, Si verò exiſtis acephala, non

non ſunt tibi hujuscemodi divina dona Dei. Reſpondit: Acephala ſum, non habeo virum. Laudat illam bene dixiſſe JESUS, quòd falſitatem non ſubmiſerit, nec veritatem negaverit. *Bene dixiſti, non habeo virum.* Non illam blandiendo laudavit, ſed quia ſimpliciter falſa ſit veritatem, quia virum non habebat. Et declarat illam JEſus non tergiverſaſſe in cauſa, adjiciens: *Quinque enim viros habuiſti, ecce nunc quem habes non eſt tuus vir.* Non eſt iſta ſimilitudo, neque parabola, ſed ſic res geſta extiterat, quæ quinque viros legitimos habuit ex lege naturæ atque Moſaicæ, quibus legibus condebatur pluries matrimonio copulari, ſicut ex lege novi teſtamenti nullæ numeroſæ damnantur nuptiæ, cùm melius ſit nubere, quàm uri. Et illa in tunc adhæſerat fornicario more cuidam viro, non legitimo matrimonio copulata. Et hujus confeſſionem ſceleris JEſus exquirebat ab ipſa tacitè, ſed melius expreſsè cum cautela ſolemni atque laudabili confeſſionem aſtruit fieri criminum, antequam divina beneficia largiatur. Et ad ſacramenta eccleſiæ de novo condenda Chriſtus intendebat, cùm confeſſionem præire ſuadet, antequam abſolutionem criminum, & virtutum gratiam præſtet. Sed contemplanda occurrit nobis noſtri ſalvatoris benignitas, atque prudentia, ex eo, quòd iſtam mulierem provocet ad confeſſionem, & quæ & qualia prærogat. Ne confiteri verecundia ſuffundatur, pollicetur aquam vivam, quam delectata & affecta petit. Cognoſcit illam JEſus fornicariam & pellicem eſſe, quod illa modici aut nihili pendens, ſui facinoris non bene conſcia, cum audacia petit aquam. Non exprobrat eam JEſus, aut objicit in faciem fornicarium malum, talis es, aqua hujusmodi non es digna, ſed honeſtè illam alloquitur ad confeſſionem trahens: Vade voca virum tuum, ſupple, ſi habes, ut non habere virum neceſſariò mulier fateretur, & poſt confeſſionem ſceleris erudiretur ad fidem divinæ cognitionis. Et laudat JEſus hanc confeſſionem, ut inferat abſolutionem, ut præter fidem, inducat in virtutum debitam actionem, & ſecurius facinus fateatur, eam de veritate commendat: Bene dixiſti, quia non habeo virum. Et quod omnino reticebat, ſibi JEſus non exprobando, ſed rememorando aperuit. Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes, aut qui haber te, non eſt tuus vir. *Hoc verè dixiſti.* Prævenit ſummus ſacerdos & pontifex animam peccatricem, quæ ſtabat ante eum, & prædixit ſibi quod illa non pandebat peccatum. Nunc quem habea non eſt tuus vir, ut eam ad pœnitentiam animi provocaret, & quod reſiliret à ſcelere, ſuamque animam omnemque vitam in meliora mutaret. Sed nec omnibus ſacerdotibus ſic competit facere, ut peccatum confitentia etiam ſciens in faciem peccatoris aperiat, ſed prudenter ſibi ſuadeat confiteri, niſi animo deprehenderet ſibi peccatorem in confeſſione ſubjectum, erubeſcentia, timore imponendæ pœnæ ſeu oblivione detineri, tunc piè more Chriſti præveniat confitentem. Ecce quòd omnia in iſta muliere præter intentionem ſed non præter intentionem Chriſti celebrata ſunt, nam illa non iſta de cauſa venerat, ob quam Chriſtus ſuper fontem fatigatus inſederat.

Cap. II.

De diſputatione veræ adorationis, & adventu Meſſiæ, ſecundùm Joannem ſolum.

CUm occultum, & peccatum tacitum mulieris ſibi dominus revelaret, non dedignata, non ſtupefacta, ſed in religionem ſubitò converſa eſt, ſcilicet ad meliorem fidem, & ad utilem inquiſitionem. *Dicit ei mulier, domine ut video propheta es tu.* Unde videbat, quòd fide, ad quam tanta diſputabat, illam JEſus induxerat. Videbat iſta per fidem JEſum eſſe videntem: propheta videns dicitur. Ambo videntes, illa in fide, JEſus intuitivè, illa à vidente præviſa, ut videret. Vidіr omnia videntem, qui ab æterno illam prævidit, & in tempore ſtatuto illam fecit eſſe altè videntem. Nec eum magnum aut divinatorem ſeu ipſum appellavit terrena ſapientem, ſed religioſo nomine dixit, te video eſſe videntem, & dignum duxit

Joann. 4.

cum vidente alta tractando videre, ne otioſum tantum fuiſſet alloquium in magna prudentia facta, ut cum tanto viro, quem credebat videntem, nollet de corporalibus ſed de ſpiritualibus diſputare, non ut amplius peteret aquam, ſed tranſiret in latriam, & majore religione innixa quæſtionem altam inquireret, dicens: *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Jeroſolimis eſt locus, ubi adorare oportet.* Erat protinus iſta contentio & diſceptatio inter Samaritas & Judæos de loco adorationis, atque orationis, ab eo tempore, quo ſchiſma celebratum eſt ſub rege Roboam filio Salomonis. Et huic mulieri pius erat affectus, quæ de cultu veræ religionis inquirebat, & in bonis moribus ſubitò facta eſt, ac omnibus poſteris

ſteris honeſtam converſandi & loquendi tradidit formam, ut cum viro religioſo de religione, cum ſancto de ſanctitate, cum honeſto de honeſtate, cum ſapiente de diſciplina & doctrina, cum bono de bonitate tractandum ſit. Neque ſcioli atque ignari otio tempus tradant, atque ſterilibus verbis loquantur cum, his à quibus non poſſunt utiliter erudiri. Et utique de muliere hujusmodi alterius pellice mirandum, quòd tam citò intravit in theologiam, cùm loqueretur cum JEſu. Sed ille, qui ſibi loquebatur ad aurem in ſono vocis, inſtruebat interius mentem viſione divinæ virtutis. Et quoniam quæſtio alta erat, altiori erat reſponſione ſolvenda, & obſcurum dubium lucidè declarandum. Ad cujus perceptionem mulieris intellectua adhuc invalidua erat, nec poterat hoc quod reſpondendum erat, naturali aut humana ratione oſtendi. Quamobrem JEſus antequam quæſitum enodet, hanc mulierem invitat ad ſidem, dicens: *Mulier crede mibi.* Velut diceret: ſi quod per prophetam extiterat dictum: Niſi credideritis, non intelligetis. Mulier crede mihi te docenti, tibi reſpondenti, quoniam niſi præſtaveris fidem, non intelligea reſponſionem. Fidem præhabere oportet ad intelligendum altitudinem divinorum, non enim humano uſurpantur intellectu, neque naturali ratione capiuntut. Declarat quæſitum JEſus, ſi fides præſto eſt. *Venit bora quando neque in monte boc, neque Jeroſolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Judæis eſt.* Renovationem agendæ vitæ Salvator enuntiat, cùm latriæ cultum transferendum dicit ex locis, non autem futurum in locis. Ubique deus pater incircunſcriptibiliter eſt, ubique adorari poteſt. Adorario verò locum præcipuum non requirit, terminato ſitu non indiget, quoniã ſine ſitu deus adorandus omnibus præſidet, non plaga orientalia aptior, non magis competit occidentalis, non arctos neque meſſembria, non mona, non vallis, non ima ſeu alta domus, non templum deo dicatum, non inhians campus divinæ latriæ conferunt, ut deua pater deſcriptione loci adoretur. Ex hoc dicitur mulieri: Venit hora quin neque in monte hoc. Scilicet Garizin, neque Jeroſolymis in templo adorabitis. Semper fuit ab eo, quod tempus cum creatura rationali factum eſt, hora, quà pater adoraretur adoratione vera. Nam Adam, Abel, Enoch, Noe, Thare, Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph, Aaron, Moyſes, Joſue, Samuel, nondum facto Jeroſolymia templo, nondum facto ſchiſmate in populo Hebræorum, & poſt innumerabiles extiterunt, qui adoranone vera præterquam in templo & monte in veritate deum adoraverunt. Quæ igitur eſt iſta hora, quam nunc quaſi nuper dicat adveniſſe JEſua? Sed pro illis differentibus populis loquebatur, quorum unus tantùm habebat Moſaicos libros, alter & pentateuchum & prophetas, qui veram ſcripturarum intelligentiam non habentes, in rerum agendarum cortice verſabantur, non in ſpirituali ſenſu, ubi veritas lucet. Sed hæc hora venit, ut veritas per dei filium, per ſpiritum ſanctum credentibua daudum in cordibus hominum declararetur, qua pater omnium deus vera latria colatur. Quòd autem improbat Samaritarum neſcientiam & commendat ſcientiam Judæorum quòd ex eia ſalua eſt, in id tendit, quod Samaritæ non habebant aliam ſcientiam, quàm Moſaicam, ſed Judæi propheticam & Chriſtum in carne venientem, & docentem, quanquam ipſi eum non cognoviſſent. Sed Chriſtus tanquam Judæus carnali traduce pro Judæis reſpondit, quòd ſcirent, & quomodo & ubi deus adorandus eſſet, ex quibus erat ſalus, non quòd omnes ſalvarentur, ſed in eis ipſe JEſus omnium ſalus exiſtens, & cauſa, & via, & forma illam promerendi, & cognitor ſalvandorum natus erat. Non eſt ſalus ex Judæia ſeipſoa aut alioa ſalvare valentibus, ſed ideo ex Judæis ſalus, quia ex ipſis natus eſt Chriſtus, qui de adoratione vera illam inſtruena, dixit: *Sed venit bora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate.* Hora declarandæ veritatia nulla fuit, niſi quando Chriſtus mundo prædicaturus apparuit, ſed hora venit, quando Chriſtus in ea venit, & nunc eſt, quia tunc aderat plenitudo temporis, ut veritas latriæ panderetur. Veri adoratores ad adorandum non eligunt locum, velut ex ſitu hoc, aut illo adoratio vera conſiſteret. Illocalis non adoratur in loco, adoratio, quam exigit, non agitur geſtu corporis, quod locum ad ſuas actiones inquirit, ſpiritu ſic in interiori homine agitur. Corde creditur ad juſtitiam, fide ſcilicet, oua juſtificamur. Rom. 10. Fides inſita cordibus hominum geniculat ante deum, ipſa ſibi confitendo tribuit illum honorem & reverentiam, amorem, timorem, illam omnipotentiam ineffabilem, ſapientiam infinitam, bonitatem incomprehenſibilem, æternitatem, immenſitatem, omnem virtutem, illam efficientiam per ſe ſufficientem, à nemine perturbabilem, & omnia illa ſoli regi deo immortali & inviſibili duntaxat competentia eo incomprehenſibili jure, quo alicui creatorum convenire non poſſunt.

Spiritu per ſpem aſcenditur in eum, cum deſperatione omnium ab ipſo factorum, in interioris hominis ſpiritu ſpes eſt, quæ ſupercœleſtem, cœleſtem & ſubcœleſtem omnē creaturam poſtponit, & quaſi nihilipendit, in illo, cum illo, de illo beari, non per alium ſperans, ſicque ipſum anima noſtra colit, ſicque veneratur, ſicque adorat. Non in corpore, non in loco, ſed in ſpiritu charitas ipſa conſiſtit, quæ ad huc ſuum provehit poſſeſſorem, quod ſic deum patrem colat, adoret & diligat, ut non ſolum omnia extra ſe, verum etiam & ſeipſum propter Deum contemnat. Vera dei latria non in actu corporis, non in aptitudine aut aptatione locorum, ſed in intellectuali per fidem & ſpirituali actione conſiſtit. Et in illa irrefragabili veritate, quam facit in colendo deum, omne locale, temporale, corporale, viſibile, ſenſibile, perceptibile, fabile, narrabile, ſcriptibile, finitibile, comparabile, fallibile, variabile, mutabile, ſubjectibile, ſubjicibile, permixnbile, percurribile, indigibile, perturbabile, violabile, pœnale, miſerabile, quomodolibet defectibile aut miſerabile ſeu indigibile, & quodlibet talium ab ipſo abſcribitur, & aſcribitur omne, quod ſummum, & unum, & verum bonum decet eſſe ſive agere, iſta porro eſt veritas, qua pater omnium deus adorandus eſt, quæ omnes ſimilitudines, imagines, opiniones, hæſitationes ab ipſo penitus procul pellit. *Nam & pater tales quærit, qui adorent eum.* Tales quales ipſe interiores & inviſibiles ſpiritus fecit. *Quia ſpiritus eſt deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate adorare oportet.* Spiritus deus eſt, ergo ſimplex & incompoſitus eſt, & ad hanc ſimilitudinem & imaginem hominem fecit, prout erant ſimilitudo, & imago à deo donandæ atque à creatura pro capacitate ſuſcipiendæ. Neque ſubſtantia ſeparata, neque anima unita corpori, aut à corpore ſegregata in illam incompoſitionem & ſimplicitatem divinam potuerunt aſſumi, neque ipſe, qui condidit, potuiſſet aſſumere. Sed quantùm exigit id, quod datum eſt in latria, deus pater illos taleſque requirit, qui eum in ſpiritu inviſibiliter, intellectualiter, ardenter, amabiliter, contemplativè adorent, in ſimplicitate cordis inquirant, quia ſimplex eſt, ſine compoſitione aliqua venerentur, quia incompoſitus eſt Spiritus deus non delectatur corporali latria, ſi ſpiritualis deſit, quæ ſi adſit, in illam prodeſſe requirit, quoniam intellectu, affectu, inevulſibili memoria, timore jucundo, & internis ordinatiſque viſceribus colendus eſt deus Et eoſ, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate adorare oportet. Sic oportet, quod non aliter niſi taliter. Si verò, quæ in ſacris ſcripturis inveniuntur adorationes ab hominibus exhibitæ angelis, ut Abraham fecit: ab homine homini, ut Jacob fecit Eſau, ſalutationes oris, aut reverentiæ geſtu corporis, non adorationes ex latria fuerunt. Et quoquo modo inoleverit adorationis vocabulum, ſive fiat virgini Deiparæ, ſive Angelis ſive ſanctis, mente, verbo, ſive ipſorum imaginibus, geſtu aliquo corporis, non imaginibus, ut ſic editæ ſunt, ſed eis, qui per eas velut per quædam ſigna ſignantur, non oculis, ſed mentibus adoretur, non adoratione, quæ deo patri competit & Chriſto filio ratione deitatis, ſed illa reverentia, qua decet venerari ſanctos ratione ſanctitatis, atque virtutis. Poteſt autem temporalem excludendo mercedem & omnem contrariam opinionem, ſpiritus & veritas ipſa referri, ut divinæ latriæ ſive cultus non aliud, quàm ipſe deus, qui colitur, in præmium inquiratur. Non viſum eſt huic mulieri ſatisfactum ad inquiſitionem ejus tendebat enim per fidem expectationis in alium, quem credebat eſſe majorem, ſcilicet in Meſſiam, qui ab utroque populo Judæorum & Samaritanorum venturus pariter ſperabatur. Credebat jam iſta mulier JEſum tantum eſſe prophetam, Meſſiam verò magis altè pendebat, exiſtimans majoris conſtare virtutis, & ſic plerunque in animo ſcire quærentium aut fidem habentium in aliis, quod fides adhærens majori demitur in minori, ſicque iſta mulier dicit: *Scio quoniam meſſias venit, qui dicitur Chriſtus, cùm ergo venerit ille, annuntiabit nobis omnia.* Velut ſi verecundè loqueretur: Placent mihi dicta tua, ſed Meſſias, qui venturus eſt, quem credo venturum, iſta nobis melius declarabit. Huic mulieri abſonum videbatur, quod de monte ac templo removeretur adoratio dei patris, incapax adhuc erat animus ejus ad ſpiritualia capienda, exterioribus actibus tota ſtabat, ſicque fuerat perdocta, ſicque conſuetudine roborata, ſicque confirmata multitudine populi ſic agentis, difficiliter avellitur error, qui longa doctrina, & conſuetudine, & multitudine roboratur. Sic JEſus, qui cœpit iſtam inſtruere, amplius non ſinit errare, qui eam venerat aucupari, nam irretitam ſuis ſermonibus recedere non permittit, proutdiceret: Mulier ideo mihi de data reſponſione non credis, inhærens fidei potioris, quem credis venturum Meſſiam. Disjice hanc fidem, quòd ipſe ſit melior, non ipſum ſperes, non ipſum expectes, ut veniat, profectò jam venit. *Ego ſum, qui loquor tecum.* O magna dignatio ſalvato-

vatoris, qui ad unius muliercula meretricia ſe in notitiam dedit. Quid igitur eſt homo, qua innotuiſti ei? Confundantur ſuperbi de eo quærentes, concionantes, & diſputantes, quoniam cùm ſimplicibus ſermocinatio ejus. Et alibi ſcriptum
Sapien. 1. eſt: In ſimplicitate cordis veſtri quærite illum, quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autem his, qui fidem habent in illum. Dejecit verbo innoteſcentiæ ſpem, ne ulterius Meſſias expectaretur eſſe venturus, jam venerat, ſed ipſis expectantibus incognitus erat. Effecit in anima fidei ſcientiam, ut mulier ita crederet, generavit rerum temporalium oblivionem, nam nec iſta mulier hauſit aquam, & fecit evangeliſtam, evangelizavit enim ſuis concivibus Chriſtum, vera facta Chriſti diſcipula, capta verbo, fide, amore, in pollicitatione aquæ ſapientiæ ſalutaris.

Cap. III.

De regreſſu mulieris Samaritanæ in civitatem ad evangelizandum JEſum, & quis fructus ſit ex prædicatione ſecutus, ſecundùm Joannem ſolùm.

AVis capta in retibus Salvatoris ſe irretitam gaudens feſtinè alios invitat ad laqueum, quo illaqueata ab omni alio malo nexu diſſolvitur, & obliviſcitur ejus, quod factura venerat. Non haurit de puteo aquam, aliam ex cœlo ſuſceperat, non haurit aquam corporis, mente potata eſt. Non refert hydriam
Joann. 4. plenam, impleverat divinis ſermonibus animam, reliquit hydriam, quia perdidit concupiſcentiam, jam curam carnis amiſerat. *Nam reliquit mulier hydriam ſuam, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Nunquid ipſe eſt Chriſtus?* Non portat aquam relinquens hydriam, ſed de aqua gratiæ quam acceperat, in alios refundebat. Et hoc ſignum, ſi diligitur Chriſtus, quòd is, qui diligit, in ejus amicitiam alios trahit, & ferè corporalis obliviſcitur actionis, & divinis theoriis occupat mentem, & ſpiritualibus exercitiis omnem corpoream dedicat actionem. Miris modis Chriſtus agit in animas, quòd tam citò avertit à ſæculo, & in rerum inviſibilium amorem transformat, convertit impios, & non ſunt in illis affectionibus, in quibus prius erant, deſipiunt terrena converſis, quæ non converſis ante ſapiebant. Guſtantibus cœleſtia ima non ſapiunt, fit invitatorium Samaritana mulier, & ſuos concives invitat ad Chriſtum: Venite & videte, quoniam ergo acceſſi, & inveni, & vidi, & audivi non ſolùm perdoctè ut hominem loquentem, ſed velut prophetam occulta videntem. Dixit enim mihi omnia, quæ feci, igitur venite & videte videntem. Nunquid ipſe eſt Chriſtus? Meſſias ſcilicet, quem omnes communiter expectamus. Non audet adhuc aſſertivè dicere ipſum Chriſtum, quamvis credidiſſet illa hora quando ſibi dictum extitit, ego ſum, qui loquor tecum. Non enim invanum illud verbum innoteſcentiæ fuit effuſum, ſed paulatim ſuggerit, ut credatur in eum ſub dubio verbo, non dubia mente proferens, nunquid ipſe eſt Chriſtus? Bonum eſt hominem hunc in noſtros terminos venientem experiri quis & qualis ſit, ipſum prophetam, id eſt, videntem eſſe cognoſco. Igitur & vos venite & videte, quis ſit aut qualis, fortaſſis ipſe Meſſias, quem omnis populus Judæorum omnino venturum expectat, præſtatur fides dictis, commovit homines fervens & perita ſuaſio mulieris. *Exierunt de civitate, & veniebant ad eum. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia, quæcunque feci. Cùm veniſſent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et manſit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt propter ſermonem ejus, & mulieri dicebant: Jam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt verè ſalvator mundi.* Venientes Samaritani ad Chriſtum, aſpiciunt eum, lætantur, & admirantur novitate perſonæ. Mirabilis & ſpectabilis erat JEſus, etiam contemplatione aſpectus corporei. Audiunt eum, & magis ſtupent novitate verborum, quærunt habere domeſticum hujusmodi peregrinum, offerunt hoſpitium ad manendum, rogant, ut maneat, velut ab ipſo erudiri cupientes, & ſerioſius ſentire de novitate doctrinæ. Aſſentit JEſus precibus piis, præſtat ſeipſum petentibus, non dedignatus petentes, quos venerat erudire, atque aucupare per aucupatam in ſuis ſermonibus avem. manetque cum eis duobus diebus qui per eum nec otioſo tranſiere decurſu, cùm eos quotidie docens inſiſteret, ſed velociter currebat ſermo ejus, & penetrabat intima cordium, & efficiebat in animabus audientium, non omnium, ſed multorum, ut fides infunderetur ad credendum, quæ mundo aperuerat divi-

ni myſterii novitatem, & veniſſe crederetur Meſſias, qui venturus expectabatur à populo. Verè verbum, quod egreſ- Iſaiæ 55. ſum eſt in illa civitate de ore Chriſti, non eſt reverſum ad eum vacuum, ſed ſecundum vaticinium Iſaiæ, cùm multo plures crediderunt in eum propter ſermonem ejus, quàm propter verbum mulieris, quoniam vivus eſt ſermo ejus & efficax & penitrabilior omni gladio ancipiti. Sed nec mirum, ſi plures commovit ad fidem verbum immediatè à Verbo, ſcilicet verbum eructuatum à Verbo incarnato, quàm neophytæ mulieris, quamvis prædicatoribus credere altiſſimæ ſit virtutis & præmii, quod mulieri dicebant Samaritæ, credentes quod non propter eam, ſed auditu, & viſione crediderunt, quod cedebat ad abundantiam pietatis, non inſultando, ſed illudendo votis, ipſi enim audivimus & ſcimus, quia hic eſt verè ſalvator, in omnibus bonis divinis, & humanis, temporalibus, & æternis plus placet rei experientia, quàm auditus. Illa certitudinem habet, iſte fidem. quamvis ipſi Samaritæ neſcirent vera certitudine JEſum eſſe. Sed ampliori modo & adhæſione majori adhæſerant JEſu viſu & auditu, quod Salvator mundi eſſet, quàm ex mulieris verbo didiciſſent, velut ſi quis aquam cujuſdam clariſſimi & abundantiſſimi fontis ex remota parte guſtaſſet in rivo, deinde factus in fide fontis ex rivo deſcendente, ipſe verſus fontem aſcenderet, ex quo ſitibundus ori fonti appoſito potaretur, ex fonte redderetur certior, potatior, hilarior, quàm ex rivo. Sic & Samaritæ in muliere velut in remoto rivo, in JEſu velut in fonte aquam hauſerant & biberant ſalutarem, ita ut confiterentur eum eſſe hominum ſalvatorem. Ad hoc primo & ultimo perducenda eſt, ſi fieri poteſt omnium hominum pia credulitas, ut dei filius æternus æqualis per omnia patri, in humanitate aſſumpta ſalvator ſæculi eſſe credatur. Hoc miris modis ipſe credendus in mentibus hominum egit, & quotidie agit inviſibiliter permonens ad virtutem, ut conferat utilitatem.

Cap. IV.

Declaratio, quis Chriſti verè cibus erat, cùm eum diſcipuli comedere precarentur, ſecundùm Joannem ſolùm.

NOn ſit curæ legentibus de hoc, quod propoſitum eſt, cùm ex ordine literæ debuerit interponi inter converſionem Samaritanæ & Samaritanorum. Sed quia dignum duxi utrorumque converſionem immediatè connectere, hanc apoſtolorum cum JEſu diſceptationem libuit poſtponere, quæ ad magnam informationem agendorum ſic contexta eſt. Dum JEſus innotuiſſet mulieri Samaritanæ, dicens: *Ego ſum qui loquor tecum,*
Joann. 4. *continuo venerunt diſcipuli ejus, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur: Nemo tamen dixit, quid quæris, aut loqueris cum ea?* Venerunt continuo diſcipuli, quia feſtinè agenda faciebant, nec curabant ſibi à laboribus parcere, ut opportuna perficerent. Mos enim eſt verorum omnium ſubjectorum, nunquam in agendis moras innectere. Nec explicitum eſt utrum acceperint cibos ex commercio, aut gratis, ſicut ſuperius dictum eſt, quod iverant in civitatem, ut cibos emerent. Fortaſſis quidem, quod ſicut interrogatus eſt per Samaritanam ad fontem, & appellatus eſt Judæus, ſic & diſcipuli fuerunt in civitate, quæſiti qui eſſent ac cogniti, quòd Judæi, unde coacti fuerunt evangelizare. Se diſcipulos pauperem & egnum habere magiſtrum, ex pauperibus parentibus natum, rectè docentem, tectè atque inopiæ viventem, & nihil ſibi de terrenis opibus, ſeu commodis vendicare, agentémque in ſignis & prodigiis & doctrinis ſupra communem & auditam ſeu cognitam hominum vitam, quam orbem cognitis diſcipulis JEſu loqui ſupra conſuetum in nova doctrina & ſinceritate verborum, & quod eſſent in aſpectu humiles, manſueti, abjecti, nihil, præter quod neceſſarium eſt, quærentes, nec oblatum accipientes, pium eſt dare fidem, quod ſi non pietate, ſaltem humanitate refocillationem debitam accepiſſent, ac etiam paraſſe viam antequam mulier veniret ad Chriſtum. Sed nec in incertis eſt inſiſtendum, quanquam ſæpe veriſimilia & pia videantur, ſed in his, quæ perſpicuè ſacer textus eloquitur. Mirabantur diſcipuli, quòd cum muliere loqueretur, non abhorrentes aut damnantes muliebrem ſexum, cum quo indignum eſſet alloquium, nec damnantes JEſum ſuſpicione dignum, ſed in tanta familiaritate atque humanitate dignantem, quòd cum una muliere tam familiariter loqueretur. Ex quo ſequeretur contrarietas quædam, ſcilicet unde Joannes

ſcripſit

ſcripſit iſta, ſi non audivit. Fortè ſpiritus ſanctus poſt docuit. Aptius quidem videri poſſet, quod aliqui diſcipulorum ſeu apoſtolorum remanſerunt cum JEſu, euntibus alijs ad emendum. Proinde miratio credenda eſt fuiſſe illorum, qui de civitate cibos deferentes advenerant, non illorum qui à principio cum muliere contexti ſermonis aſtiterant. Omnium enim factorum & verborum ſuorum JEſus diſcipulos ſuos, & ſi non omnes, ſaltem aliquos voluit eſſe teſtes, velut qui ſcripturi erant & prædicaturi omni creaturæ Evangelium ſanctum ejus & hiſtoriam in factis & dictis ipſius ad alios, aliorum ad ipſum. Et in eccleſia legimus fuiſſe aliquos hæreticos, maximè Manichæos, qui evangeliū ſecundùm Lucam & Marcum noluerunt recipere, quia non viderunt geſta Chriſti, ſed receperunt ſcripturam Joannis atque Matthæi. Errabant tamen, quoniam ex ſpiritu Dei ſcripſit Lucas & Marcus. Attamen non credentes de ſpiritu ſancto juſtè movebantur iſtos negare, & alios recipere. Quocirca piē credendus eſt omnium factorum & dictorum ſuorum JEſus de viſu & auditu habuiſſe teſtimonium apoſtolorum & diſcipulorum ſuorum. Nam ſi non omnes ſaltem tres ſecum aſſumpſit transfiguratus in monte, quos etiam cæteris prætermiſſis teſtes habere voluit in ſuſcitatione puellæ, ſcilicet Petrum, Jacobum & Joannem, quos & ſi non plures, ſaltem iſtos ſecum retinuiſſe autumari non indebitè poteſt in teſtimonium tantæ diſputationis & inveſtigationis tam altiſſimæ declarationiſque veritatis. Nec expediebat omnes diſcipulos abceſſiſſe pro cibis emendis, ſuffeciſſet enim loculos habens cum ſocio. Non autem hujus ſententiæ aſſertionem inconvincibilem facimus, ſed textum declarando ſupplemus, indiget enim ad eruditionem tardiorum & rudidium evangelium ſupplemento, quoniam ſcriptis & ſacris ſcriptoribus ſententialiter & ſuccinctè hiſtorias in dictis & factis licitum eſt explicare legentibus, dumodo ad ſacram ſcripturam ſupplendo nihil addatur adverſum & abſonum veritati atque virtuti. Sed ſanius intelligentibus altiori indagatione relicta, ad rei geſtæ ordinem revertamur: Cum mirarentur diſcipuli, quòd JEſus cum muliere loqueretur, *Nemo tamen dixit: quid quæris, aut quid loqueris cum ea?* Nam non

Lucæ 6. eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, neque ſervus ſuper Dominum, neque ſciolus quid faciat, debet interrogare ſapientem. In profunda erant reverentia diſcipuli ad JEſum, nec in geſtis aut dictis ejus in aliquo hæſitabant, eum abſque judicio temerario intuebantur, & ſuſpenſi in admiratione mente intendebant in ipſum. Et recedente muliere antequam multitudo de civitate eum ſuſceptura veniſſet: *Rogabant eum diſcipuli ejus, dicentes: Rabbi manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Dicebant ergo diſcipuli ad invicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare?* Ex his patere poteſt ſolum remanſiſſe JEſum & ſine Socio cum muliere contraxiſſe dialogum, niſi admirationem locutionis eum muliere, & oblationem cibi & muſſitationem adinvicem, ſcilicet nunquid aliquis attulit ei manducare, ad eos ſolos diſcipulos referamus, qui ad civitatem pro cibis emendis acceſſerant, ut non audierant ejus diſcurſum. Sed hæc credulitatem neceſſariam neque aſtruunt, neque ſubvertunt. Rogant diſcipuli tanquam hominem manducare JEſum, quem paulo ante cognoverant ex itinere fatigatum. JEſus autem incompatiens humanitati ex toto illi prædominans ejus neglecto cibo, alterius cibi ſe oſtendit eſſe famelicum, quem diſcipuli ex parte neſciebant, quibus adhuc humana ſapientibus, non aſcendentibus potiora declaratur, quis Jeſu cibus ſit penitus in voto. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem patris mei qui miſit me, ut perficiam opus ejus. Nonne vos dicitis: quia adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt ad meſſem.* Eandem ſententiam, quam jam duodennis exiſtens, reſpondit parentibus eum dolendo quærentibus, quoniā in his, quæ patris erant, oportebat ipſum eſſe, nunc apoſtolis, & diſcipulis, non in cura ſui corporis factus reſpondet, meus cibus eſt voluntatem paternam in opere ſuo perficere. Ac ſi perlucidè dicat: Quid de corporali cibo me reficiendum intenditis? licèt corpore fatigatus exiſtam, ſpititus promptiſſimus eſt, laſſitudine non tabeſcit, id quærit efficere, quod à patre in mandatis accepit, cui omnis corporis cura poſtponenda eſt. Ceſſandum eſt ab alimentis & à competentibus corpori, ſi faciendi Domini voluntatem opportuna inſtat occaſio. Paternum opus ab æterno præordinatum, nunc in tempore oſtenſum eſt ſalus æterna credentium, quam præcedit ſana credulitas credendorum, recta ſcientia ſciendorum, ſeu veritatis inobliquata cognitio, quoniam vult Deus omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Sed hoc myſterium ante ſæcula præviſum diſpoſuit pater in filio

ſuo unigenito & æterno, ut homo naſceretur in tempore non ſatus, ſed per ſpiritum ſanctum conceptus in virgine, natus & adultus perficeret opus ejus. Hoc quidem dicebat propter illos Samaritanos, quos ad ſe adventaſſe cernebat, quos & erat ſuſcepturus ad fidem. Proinde omnino ſibi videbatur indignum tunc corpus velle reficere, quamodo erat animas ſpirituali cibo refecturus. Et omnibus curam habentibus animarum forma præſtruitur, ut omnis cura & ſollicitudo corporis, & corporearum rerum ſubinferatur, ubi agi poteſt in profectibus & directionibus animarum. Exemplum ſuæ feſtinæ actionis ſalvator inducit in his, quæ natura in ſegetibus, ait: Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Verè tempus ſic erat ſicque expectabatur, ut quatuor menſibus futuris decurrentibus in ordine temporum, quod ſegetes albeſcerent ad metendum, quo in tempore non vacatur delitijs corporis, ſed laboribus. Sed ante non apponitur meſſi falx, niſi aptè alba fuerit, nec exiſtens omittitur, quin metatur, ne otio delicato, & laborum indulgentia toto anno doleat, qui tempore ſtatuto non meſſuit. Itaque vos levate oculus veſtros, & videte Samaritanos jam albeſcentes ex fide ad meſſem, ita ut metatis, & fructum eos faciatis ad vitam. Totum verò tempus, quod ſequitur usque ad adventum Samaritanorum, id agit & docet, quod apoſtoli meſſuerunt, quod alij ſeminaverunt ſcilicet Prophetæ priſci, & quod una ſit merces Apoſtolorum & Prophetarum, maximè autem informatur inſtructio, ut cum aviditas audiendi verba Dei corda præmovet audientium, tunc non ſileat lingua doctorum, nec intendat corporibus, cùm ſubveniendum eſt languoribus, & piis deſiderijs animarum. Væ autem his, qui cultum propriorum corporum, animarum non ſolùm ſuarum, ſed aliarum cultibus prætulerunt.

Cap. V.

De fractione ſabbati, & edendi aut aliquid faciendi licentia, cùm neceſſitas urget, cùm diſcipuli vellentes ſpicas per ſata tranſirent, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

Matt. 12. Matth. 2. Lucæ 9. FActum eſt autem in ſabbato ſecundo primo, cùm tranſiret per ſata, vellebant diſcipuli ejus ſpicas, & manducabant confricantes manibus. Voluntariæ à ſe actiones Chriſti erant neceſſariæ nobis. Hic quidem tranſitus per ſata fuit ad occaſiones inferendas, unde doctrinaliter quæreretur aliquid in diſceptatione ſuſcepta, & in actione ipſius, & Apoſtolorum penuria ſeu inedia, nec non corporis deficiendi incuria monſtraretur. Tranſit JEſus ad utilitatem aliorum aliquo iturus, qui aut ad compendiandum quo ibat, ſeu quia inde fortaſſis ſemita erat relicta per agros, aut vigilanter intravit in ſata, & urgente hora edendi Chriſtus licentiam dedit ex his, quæ poterant invenire. Non enim credendum diſcipulos Chriſti cum ipſo maximè gradientes, quod aliquid inordinatè aut arbitrariè agerent, niſi decreto magiſtri. Urget corpora fames, & labor itinerandi membra fatigat. Non portant Apoſtoli peram, nil coctum ferunt, aut cibarios panes. Sub egeno & paupere duce egenè paupereque degunt. Prætermiſerant corporum curam, carent unde ponant in itinere menſam, vellunt ſpicas, confricántque manibus ab ariſtis, ut granum crudum comedant: longum erat fortè iter, quàm fame urgente non poterant amplius ſuſtinere corpora fatigata. Aliena ex neceſſitate diripiunt, propria non habentes. Quod jus, quæ lex, quòd iſti apoſtoli aut alij diripiunt alienum? Sed lex neceſſitatis legem proprietatis excludit, & dirigit neceſſitas in commune, quod lex proprium fecit, quod etiam natura ſemper abhorruit, ſcilicet jura proprietatis. Igitur natura & neceſſitas, cùm in unum conveniunt, cuncta in articulo in commune deducunt. Nec diſcipuli vellebant ſpicas ab alijs ſatas, in quibus non laboraverant jure humanæ, ſed jure legis divinæ, jure naturæ, jure neceſſitatis urgentis, non auferentes ſuperfluum at commenſuratum opportunitati eorum. Et omne jus accipiendi & edendi habebant, cùm ſervi facti eſſent, comites creatoris, & dominatoris cunctorũ, in cujus manu ſunt omnia jura regnorũ, legũ atque terrarum, juſta, & injuſta, juſtus ut cuſtodiat, & attollat, injuſta, ut deprimat. Poterat omnino JEſus propria poteſtate tanquam univerſorum dominus, omnia cujuscunque humanorũ jure legum exiſterent, in alium pleno jure transfere.

te. Nec obſtat, quòd jure humano dicitur hoc meum, hoc tuum, cùm omnia ſint Chriſti, nec quod ego, ille laboravit arte propria, proprijs ſumptibus atque ſtudijs, cùm etiam animæ, atque corpora & omnia ingenia, & hominum ſtudis Chriſti legibus & imperio pleno jure ſubjiceant. Sed nec de hoc arguuntur apoſtoli, quòd aliena rapuerint, ſed de violatione ſabbati criminantur. *Nam quidam phariſæorum dicebant illis: Quid facitis, quod non licet in ſabbatis? Et ait illis: Nunquid legiſtis, quid fecerit David, quando neceſſitatem habuit ipſe, & qui cum ipſo erant, quomodo intravit in domum Dei ſub Abyathar principe ſacerdotum, & panes propoſitionis ſumpſit, & manducavit, & dedit eis, qui cum ipſo erant, quos non licebat manducare, niſi tantum ſolis ſacerdotibus. An non legiſtis in lege, quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt?* Perlucidum eſt, quòd omnes leges, & traditiones, & mores ſolvat neceſſitatis articulus, cùm ſalvator David producit in medium, quem neceſſitas aliter inſuferibilis perurgebat, qua cogente, cùm panes laici non adeſſent, ſacerdotales accepit. Eſt autem neceſſitas, quam hic ſalvator in ſolutionem legis ſeu traditionis allegat, cùm una tantum adeſſet copia de periculo evadendi, qua dimiſſa, ſine paſſione non poteſt declinari in aliam partem. Aut neceſſitas eſt urgens periculum, quod quis debet velut animæ noxium devitare. Seu neceſſitas eſt, quod aliter quam taliter fieri omnino nequit. Sive neceſſitas eſt, à qua, ne fiat, ceſſandum non eſt. Et cùm variè de neceſſitate poſſet ſermo deduci, hæc dicta duntaxat expediont, quòd neceſſitas legibus & ceremoniis careat. Silet lex, ubi neceſſitas urget. Si quis autem Regum illam legerit hiſtoriam, inveniet ex qua neceſſitate David cum ſociis ſacerdotales panes comederit, eadem imagine Apoſtoli excuſentur, ſi ſabbatis grana confricata comederint. *An non legiſtis in lege, quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt (Dico autem vobis, quia templo major eſt hic.* Erant quidem ex lege multa decreta perficienda ſabbatia. Quod ſi ſabbatum cuſtodiebatur, lex non ſervabatur: ſi lex perficiebatur, ſabbatum violabatur. Sed potior erat omnino lex in his, quæ fieri debebant ſecundùm ipſam in templo, quam in cuſtodiendo ſabbato, quanquam etiam cuſtodiretur ex lege. Ac etiam ex illa digna memoria, quòd Deus requievit die ſeptimo ex omni opere, quod patrarat. Sed nec criminabantur ſacerdotes ſabbatum violantes in templo, ex authoritate aut dignitate templi ſeu majoritate præcepti. Nec Apoſtoli aliquid agentes in ſabbato authoritate Chriſti, quoniam ipſe major eſt templo, imo major cœlo: major omni mundo, omni angelo, omni creato, cujus imperio ſubjecta ſunt omnia, cujus mandato omnia ſunt licita, cujus authoritas non dependet, quia Deus eſt, & ſi homo, totus unitus Deo, habitat enim in ipſo omnis plenitudo divinitatis etiam corporaliter, ac per hoc licitum eſt omne quod jubet, quod conſulit, quod concedit: qui hujuſcemodi calumnitores de imperitia ſcripturarum & incompaſſione condemnat dicens: *Si autem ſciretis quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium, nunquam condemnaſſetis innocentes.* Verbum dictum ſeipſum legentibus pandit, ut expoſitione non egeat: quoniã miſericordia opus eſt, non legis juſtitia his, qui non contemptu legis aut animi pravitate, ſed neceſſitate urgente aliquid faciunt. *Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum eſt, non homo propter ſabbatum. Itaque Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati.* Quod factum eſt ad obſequium, non debet ad præjudicium reconverti, niſi fortè abuſio accedat, Meretur plecti ſupplicio abutens obſequio, & vapulare plagis malè utens conceſſis. Si verò illa neceſſitas urgeat, quæ excuſat, factor hujuſcemodi ſine crimine reputatur, ſolus decalogus exceptionem in lege non patitur. Ceremonialia verò legis à neceſſitate, ſeu ab aliquo potiori bono ſolvuntur. Omnia propter hominem facta ſunt, & ſabbatum, & omnis dierum ordo. Homo quidem nec factus eſt ob aliquam aliam creaturam, nec propter Deum, ſed ad Deum. Tantummodo factus eſt propter ſeipſum, ut ſe noverit tenere ad Deum. Et cùm hoc apoſtoli Chriſti authoritate ſeu conceſſione feciſſent, liberè hæc potuiſſe concedere Ieſus tanquam verus Dominus profitetur dicens: *Itaque Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati* qui non ſubjacet ſabbato, ſed ſabbatum ſibi, nec ſabbatinis legibus nectitur, ſed ipſe de ſabbato leges dedit, ſupra legem, & ceremonias legis eſt Chriſtus. Voluntate ſe ſubjecit alioquin legi noſtram naturam aſſumens, nulla neceſſitate. Juſtum igitur eſt omne, quod præcipit, omne quod conſulit, omne quod concedit. Omne quod licentiat, licitum eſt, non tamen omne quod permittit, juſtitiam habet. Reges quidem mundi non faciunt juſtas eſſe leges, quod faciunt, ſed ex eo, quod ſecundùm juſtitiam & veritatem regendorum populorum faciunt. Chri-

ſtus

ſtus verò, non quia ſecundùm juſtitiam facit, legem joſtam ſtatuit, ſed quia facit. Suum quippe feciſſe plena juſtitia eſt. Non enim ipſe fecit aliud à ſe bonum, nec quia bonum, ſed quia facit, eſt bonum. Et ut oſtenderet ſe eſſe dominum, & factum eſſe ſabbatum propter hominem, non hominem propter ſabbatum in alio ſabbato habentem aridam manum ſua pietate curavit.

Cap. VI.

De diſceptatione JEſu cum Nicodemo, qui venit ad eum nocte, in qua actum eſt de via ſalutis, & de dilectione Dei Patris, & operibus tenebrarum & lucis, ſecundùm Joannem ſolùm.

IN verbis & operibus, in ſignis, & moribus Chriſti omnium videntium & audiennium permota ſunt corda, ſed differenter, ut aliqui condemnarent, Joan 3. & murmurarent, aliqui mirarentur, aliqui traherentur amore, aliqui fide. In majoribus & minoribus aderat iſta diverſitas. Et inter cæteros. *Quidam homo erat nomine Nicodemus princeps Judæorum.* Hic cùm eſſet inſignis in populo adhibuit fidem JEſu, quin cum ſcribis & phariſæis diſceptaret in templo. Et cùm propter ſigna, quæ faciebat, multi crediditſens in eum, ipſe fuit unus de multis. Sed quanquam princeps timore humano agebatur, aut infamiam horrebat, ſeu à ſynagoga verebatur excludi, ſi ad Chriſtum locuturus publicè acceſſiſſet. Agebatur tamen deſiderio ſciendi hujus ſcilicet Chriſti hominis novitatem, & ſenex exiſtens & magiſtet in populo, palam diſcere ab erubeſcentia pcliebatur. Nondum in veritate fidei totus erat, nec in eorde ejus charitas illa per ſpiritum ſanctum diffuſa, quæ foras emittit timotem, attamen doceri appetens *venit ad JEſum nocte* Aptum myſterium. Venit nocte ad lucem, quia nox ab eo ſicut dies illuminabitur, & ipſe in nocte infidelitatis erat, quanquam aliquali fidei ſcintilla permotus. Omnes ſunt in nocte, & in ipſa perambulant, quouſque veniant ad Chriſtum: velamen adhuc eſt in cordibus Judæorum, quod ad ipſum venire recuſant. Cùm vero tranſitur ad Chriſtum, velamen ex omni parte aufertur. Sed qui ambulat in nocte, offendit utique pedibus corporis, ſed non mentis, ſed requirit lucem illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum, quæ ſicut dies diei eructar verbum, ſic & nox nocti indicar ſcientiam. Nox erat iſte Nicodemus, qua ſynagoga & nox temporis ſibi viam præſtitit, ut ad Chriſti ſcientiam perveniret. Sæpe quidem mala pœnalia occaſionem ad bona ſpiritualia præſtant. Nec tempus quidem, aut locus præjudicant fidei habitæ ſeu quærendæ: nam ſi nox viſum oculis adimit, lumem rationis in animo non extinguit, & Deus in nocte carmina lætitiæ dedit. Mirum autem Cant. 3. cum ſponſa quæſivit per noctem, quem diligit anima ſua. & non invenit, & iſte Nicodemus ad eum nocte venit. Sed illa quæſivit in lectulo ſuo, videlicet delectata quiete, iſte verò, cùm venit, jugum otioſitatis excludit. Qui veniens & inveniens *dixit ei: Rabbi ſcimus, quia à Deo veniſti magiſter. Nemo poteſt hæc ſigna facere: quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Docendus iſte Nicodemus advenerat, quoniã vocat magiſtrum, acſi ipſe diſcipuli formam aſſumpſerit. dicens: Rabbi. Et quamvis vellet doceri amplius, non ex toto ignarus erat, cùm plus doctrinæ, atque ſcientiæ in illo, quàm in cæteris hominibus confitetur, adijciens: ſcimus, quia à Deo veniſti magiſter. Te miſſum à Deo ad magiſterium hominum fateor. Hanc fidem aſtruunt ſigna, & prodigia, quæ tu facis, quæ nemo facere poteſt, niſi eſſet ei Deus aſſiſtens. Erant enim ſigna Chriſti omnino excedentis omnem humanam virtutem, etiam naturam & artem. Magnum vehiculum ad majora ſignata, ſigna per Chriſtum facta in Nicodemi animo paraverunt, ut à ſignis tranſiret ad ſignatum hujuſcemodi, quòd eſſet Deus cum eo. Nondum in fidem veriſſimam vectus erat, quòd ipſe veriſſimus Deus eſſet, prope tamen erat, ut doceretur, & crederet, verius autem & aptius, ut crederet & ſciret. In divinis quidem credulitas ſcientiam præit, in naturalibus & humanis præjens ſcientia non expectat credulitatem. Sed optima diſpoſitio in eo erat, dum fateretur eſſe Deum cum eo, efficacia inſpecta ſignorum, ut ex vicino atque maturè ipſum crederet eſſe Deum. Supplemento verborum ad elucidandum opus eſt, ut patet ex reſpoſione ſalvatoris. *Reſpondens JEſus dixit ei: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Liquet

quet quid ipſum vocando magiſtrum interrogaverit, cui talis de regno dei porrecta eſt reſponſio. Novam delatam impunè nativitatem noſtram Chriſtus voluit præire ſalutem, ex qua eſſet viſio ſeu gradus aſcenſionis in regnum. Erat autem iſta nova nativitas non ex voluntate carnis, neque ex viri voluntate, neque ex ſanguinibus, ſed ex fide, in novitate ſacramentorum ex deo, quam non intelligens Nicodemus in dicto admiratus interrogat. Unde dicit ad eum: *Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire & naſci?* Non attolebatur iſte ſupra naturam, ſecundùm quam duntaxat ſapiebat, aliam nativitatem non intelligens, niſi illam quæ diffuſo ſemine in utero materno carnis traduce perficitur. Propterea JEſus hunc ſuſceptum ad erudiendum diſcipulum inſtruit pedetentim. Hinc *Reſpondit JEſus & dixit ei: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum dei.* Ecce nova nativitas, ex qua nati velut aquilæ poſſunt in ſuperna conſcendere, atque regnum introire ſupernum. Hæc nativitas eſt ex aqua ſanctificata per verbum, & ex ſpiritu ſancto gratiam infundente. Voluit Chriſtus hac nativitate renaſci, quamvis ut deus & homo conceptus ex ſpiritu ſancto non indigeret, ſed prætulit in ſe illam novam nativitatem ſuſcipiens, ex qua regeneratis ſolùm ſpes poſſit adeſſe ſalutis & intrandi regnum dei. De qua re doceri popoſcerat Nicodemus. Indicebatur translatio circuncisionis in aquam, ut duris propter adventum Chriſti leniora ſuccederent, & originalis macula aquæ ablutione tolleretur illa invocatione trinitatis, quam nec Judæus nec alia natio, quam nova Chriſtiana generatio credit. Et ſpiritum ſanctum oſtendebatur adeſſe, ex quo fit iſta nativitas, qui ſanctificaret, ac ſic ſuos mundaret, & ab omnibus levigaret naſcentes, ut poſſint regnum dei liberè introire. Qualis autem ſit iſta nativitas ediſſerit ex eo, quod ſequitur. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Perſpicuum eſt prout in ordine ſuo generativa natura decurrit, quòd ex carne aliud quàm caro non naſcitur: Non enim caro aut corpus poteſt generare ſpiritum, aut ſubſtantiam ſeparatam habentem exiſtere præter corpus, aut in ſubſtantia ſimili ſpirituali. Et quòd naſcitur ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Propellatur generatio, quam præcedit corruptio, & omnis traductio abigatur: quoniam nativitas ex ſpiritu ſola infuſione in adoptione, ſed traductione non fit. Sed quod ex carne naſcitur, in carne ante ſeminantur, & in ſpiritu ſemen aptè jacitur, antequam naſcatur. Veruntamen qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem: & qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Igitur advertendum, qualis ager, quale ſemen, quale natum, qualisque fructus. Quoniam invitamur à carnali nativitate ad ſpiritualem, à naturali ad moralem & ſupernaturalem, ſupra communem capacitatem hominũ verba Chriſti attolebantur. Et quòd non intelligitur plus admirationis accreſcit, ob hoc ſalvator adjecit: *Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos naſci denuo. Spiritus ubi vult, ſpirat, & vocem ejus audis, ſed non ſcis unde veniat, aut quod vadat. Sic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu.* Diſſuta videtur à ſententia ſimilitudo propoſita. Hoc enim erat in Chriſti voluntate, oſtendere, quid nativitas eſt ex ſpiritu. Mirandum videbatur dictum. Admiratio removetur ex his, quæ curſu naturæ aguntur; ſcilicet, quòd ſpiritus, quid & ventus dicitur, ſpirat ubi naturaliter vult, & auditur ſonus ejus, ſed unde ſit egreſſus, aut quod vadat, ejus ignoratur acceſſus. Sic eſt nativitas ex ſpiritu. Facit hanc ſpiritus ſanctus, & auditur vox confitentis id, quod renatus eſt, ſic vox naturæ credentium in eccleſia ſemper ſonat. Hujus tamen almi ſpiritus unde venerit, aut quo acceſſerit motus inviſibilis ignoratur, & agendi ratio inapprehenſibilis eſt ab homine puro, niſi fidei lumine illuſtretur. *Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri?* Sicut ait Apoſtolus Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt dei, ſtultitia eſt enim illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur. Animalia verò erat Nicodemus iſte, & ferè totus inſenſibilis erat, ut myſterium ſpiritus intelligendo non caperet, imo quod dicebatur, aut deliramentum ſibi, aut impoſſibile videretur. Attamen ſupplex in interrogando, & docilis ad doctrinam, ipſum magiſtrum, quem à deo veniſſe jamfaſſus erat, interrogat. Non poteſt ab ignorantia detineri, qui humiliter docere ſcientem interrogat, initium eſt ad ſcientiam ignorata quærere à ſciente, nec vereri erubeſcentiam ſuper eis. Sic enim anima rationalis creata fuit, ut eſſet docibilis de divinis, nec aliqua eſt rationis inſitæ compos tam rudis, quæ ſaltem non poſſet inſtrui de neceſſariis ad ſalutem, ſi commodè aptas aures præſtiterit ad docentem, nec erubuerit interrogare, quæ neſcit, quouſque doceatur. Cor homi-

Can 3.

1. Cor. 2.

minis receptaculum eſt fidei atque doctrinæ. Auris & lingua ſunt vehicula quibus doctrina transfunditur, niſi aliter per ſpiritum ſanctum infundatur. Nam ut ait Apoſtolus fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum dei. Auditus ad aurem, verbum ad linguam pertinet, ut auribus inſonet *Reſpondit JEſus & dixit*
Rom. 10. *ei: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* Non objurgando benignus ſalvator ſic loquitur, ut eum velit per erubeſcentiam velut ignorantem confundere, ſed eum ad docenda excitare propenſius. Unde ſi verborum eſt ſuppreſſa prolatio, id dicere videtur: quamvis tu ſis magiſter in Iſrael, attamen hæc adhuc ignoras, quæ non diſcuntur ab homine, nec à libro, ſed per fidem. Si verò fuerit interrogativa, humiliare illum ſtuduit ad divinam doctrinam capeſcendam. Acſi diceret: Quare magiſter es, & ſic vocaris in populo, & iſta, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt ignoras? Quomodo magiſter diceris, ſi non intelligis, quæ legis, ſi ad utiliora populum non erudis, ſi tantùm literarum corticem noveris, privatus interiora notitia veritatis? Sed noveris altiorem eſſe doctrinam, quàm illa, quam à libro, aut ab homine didiciſti, cujus tu magiſter adhuc non exiſtis ſed te diſcipulum eſſe ſalutaris neceſſitas omnino compellit, quæ tantùm infunditur per fidem, non docetur per vocem. *Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis.* Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, ſi dixero vobis cœleſtia, credetis? Jurejurando loquitur Nicodemo, vera docens eum, qui acceſſerat pro ſalute, pluralitate utens, quod neque ſui erat moris. Semel tamen aliàs factum legimus, cum baptizari expeteret à Joanne, dicens: Sic decet nos im-
Matth. 3. plere omnem juſtitiam. Sed hic etiam pluralitate in loquendo utitur, non intendens patrem aut ſpiritum ſanctum, aliàs verò ſequeretur impertinens intellectus, ſed ſecum aſcivit tacitè in hujuscemodi locutione Joannem Baptiſtam cæterosque prophetas, qui ſciverunt præſentia, & viderunt futura, quamvis ipſe altiori ſapientia, imo totus ſapientia, & omnia prænoſcens, caput cunctorum verè ſcientium & prophetantium eſſet, ut unum corpus credatur orthodoxorum ſapientium atque prophetarum, priſcorum atque novorum, cujus corporis ipſe regens eſt caput. Attendenda eſt ſcientia ſanctè, dignitas & magis dignatio ſalvatoris, qui ſe cum ſuis ſapientibus atque prophetis aſſociat, dicens: Quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur: ut nulla ſit differentia inter priſcam ſcientiam atque novam, hoc duntaxat excepto, quòd illa in figura & umbra & in ſpe futurorum, iſta in veritate & luce, atque in exhibitione verorum. Sed quaſi miratìvè aut increpativè loqueretur, non tantū aſtanti Nicodemo, qui velut in tali doctrina novus diſcipulus ſtabat humilis ante docentem, ſed cunctis Judæis perfidis, qui nec ſibi corpore aſſiſtebant, inquit: *Et teſtimonium noſtrum non accipitis* qui nihil aliud loquimur, niſi quod infallibiliter ſcimus, nec aliter teſtamur, quàm vidimus. De viſu quidem ſunt teſtimonia veriora, decernentibus divinis legibus & humanis. Quòd JEſus ſciverit & viderit, hæſitare non expedit, Joannes ſcivit in utero adhuc clauſus, ſcivit & vidit cum eum aqua Jordanis immerſit. Cæteri verò vates, quorum teſtimonia in divinis codicibus erant, etiam apud Judæos ſumma diligentia cuſtoditis, ſciverunt per infuſionem, & multa in imagine conſpexerunt, quorum veritatem etiam cognoverunt. Nec non ad eorum condemnationem adjecit; *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia credetis?* Diſceptat JEſus cum Nicodemo, ac ſi aſtaret concio Judæorum, quibus aliquod juxta humanum ſenſum credibile ſatis dixerat, & non credebant, quanto minus erant cœleſtia credituri. Et ne quis decipiatur in hiſtoria evangelica per errorem, diligenter advertat, quòd quamvis circa principium ſuæ narrationis hanc diſceptationem videatur intexere, modica JEſu geſta & dicta prætermittens ſecudùm rei veritatem, ut ex aliis evangeliſtis accipitur, omnia geſta & dicta JEſu ab egreſſu ejus à deſerto usque ad annum integrum ipſam certiſſimè præceſſerunt. In quo quidem anno multa contulit cum Judæis quaſi terrena & humana, & juxta ſenſum exiſtentia, credulitati aptè vicina, ſed ab eis non credita, ita ut meritò diceret: Si terrena dixi vobis, & non credetis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis? Non tamen arguit impoſſibilitatem credendi ex animo Judæorum ſed ex differentia credendorum. Verùm quia Salvator Nicodemum nocturnum erudiendum eruditurus ſuſceperat de ſalute, ad cœleſtium credulitatem invitat, ſine qua nulla ſeu nemini ſalus obvenit. *Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in Cœlis.* Ecce illa cœleſtia, de quibus dicebat: quomodo ſi dixero cœleſtia credetis? elucidat, ubi ſalus apponitur primo credenda, ſalvationem

nem eſſe aſſerit in excelſis, parat aſcenſum, aſcenſionisque præſtruit modum. Ac ſi quærenti Nicodemo & omnibus diceret: In monte Sion, ſcilicet in ſupremo cœlo, extat ſalus: ſed nemo ad aliud poteſt aſcendere, niſi ille, qui deſcendit conferat ante aſcendendi virtutem, qui nulli confert, niſi habuerit ante credulitatem ejus, qui deſcendit, & niſi prius ipſe aſcenderit, qui deſcendit, carnem ſuſcipiens factus filius hominis, & in terris humanitate degens, per unionem deitatis ſimul in cœlis exiſtit. Mirum & ineffabile atque incomprehenſibile myſterium, ut filius hominis ſimul in cœlis maneat & in terris. In cœlis in aſſumente deitate, in terris in aſſumpta humanitate. In cœlo & ubique, quia deus, in terris quidem, quia verus homo exiſtit. Sublimia ſunt hæc, ſed & infima & dedecora oportet credere ad ſalutem. Unde & ſequitur: *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita & exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſo non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Infirma de valido, mors aſſeritur de ſemper vivo. Unus eſt filius hominis, qui deſcendit de cœlo, & eſt ibi unde deſcendit, & ipſe idem ſuſpendendus eſt & configendus cruci, & adjiciendus eſt morti. Et per anteactam figuram in æneo ſerpente, contra ſerpentes pulvereos aſſerit eſſe complendum, ut iſta credentes non pereant, ſed habeant vitam æternam. Famoſa eſt hiſtoria, neminem latet ſcripturam veterem lectitantem. Morſibus ſerpentinis peribat Iſraeliticus populus in deſerto, juſto dei deſuper judicio decernente, quo & providente factus ſerpens æreus à Moyſe in ligno altè levatus eſt ad omnium comunem aſpectum, in quem inſpicientes à ſerpentibus venenatis liberi exiſtebant. Eadem imagine pro nobis exaltari in cruce oportuit filium hominis opportunitate noſtra, non ſua, ut qui eum credendo mente conſpexerit, non pereat, ſicut ille populus oculo carnali aſpiciens ſerpentem æneum, in corpore non peribat. Sed non præſtabat figura, quæ nunc exhibet figuratum. Scilicet ut credens non ſolum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Moralia ex dictis protinus aſtruuntur, ut deſcendat, qui cupit aſcenſum, humilietur, qui exaltari in ſupernis deſiderat, & efficiatur cruciformis, qui nititur ad ſalutem. Optimus magiſter JEſus, qui ſummam rei dicit interroganti, & cauſam rei aperit, & nullam aliam quam amoris, dicens: *Sic enim deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Omnia ſiqua cogitari poſſunt, circunciduntur à deo in opere redemptionis humanæ. Sola dilectio cauſa fuit, quia amator hominum deus, non patiebatur perire, periculisque ſubjacere æternis rationalem creaturam, quam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecerat. Cùm venit plenitudo temporis filium dedit, quia tantùm dilexit hominem creatum, ut pro eo daret æternum filium ſuum increatum. Dedit equidem in humanitate fratrem, ſocium atque conſortem, in converſatione exemplum, in doctrina magiſtrum, pro infirmitatibus medicum, cibum ad famem, viaticum ad viam, per quam non reditur, pro redemptione pretium, ut non auro aut argento, aut lapidibus precioſis, aut per virtutem rerum ſive obſidum redemptio ſit facta de nobis, ſed ipſe ſit factus pretium dei filius, qui redemit, ut pretium & redemptor realitate non differant, & redemptus paternam dilectionem & ſuam dignitatem quanti ſit æſtimatus agnoſcat: non qui tanti extiterit, ſed qui tantùm dilectus eſt. Non enim ſua dignitas quamvis magna, ſed paternus & divinus amor eum ſic appendit, & cùm eſſet ad lancem divinæ amicitiæ trutinatus, deus pro homine, pro ſervo filius datus eſt, eo videlicet fœdere, ut credens in eum activa fide, quæ ſpem charitatemque habet annexam, liberatus à periculis vitam conſequatur æternam. *Non enim miſit deus* 1. Tim. 2. *filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Non ad judicium datus eſt dei filius, ſed noſtris exigentibus culpis ad judicium eſt ſuſceptus. Pius, benignus & miſericors Deus eſt, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ſed peccatores & increduli eum ad judicandum trahunt. Iniquitas tribunal judiciale conſtituit, ſalvare vellet, non judicare. Non obſtat, quod alibi ſcriptum eſt dixiſſe JEſum: In judicium veni in hunc mun- Joann. 9. dum. Et illud: Pater omne judicium dedit filio. Et illud, qui judicaturus eſt, Joann. 3. daturusque finalem ſententiam inter hœdos & oves. Et id, quod ſcriptura mul- Matt. 25. tipliciter loquitur, hoc eſt eccleſiæ credulitas de ipſo extremo judicio, quoniam miſſio filii non eſt facta pro judicio, ſed pro ſalute. Judicium verò ſequetur omnino, & factum eſt jam in parte inter homines alti cordis & ſimplices Chriſtianos, exigente iniquitate. Sed ſi judicare vellet, non tot feciſſet prohibitiones à malis, non tot inductiones ad bona, non induxiſſet cautelas, non comminaretur peccantibus, ut caverent, non prædicaſ-

ſet ſeu prædicari juſſiſſet pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, non tot lava-toris ſtatuiſſet & inciſoria & abſtergentia putrida noſtra, non fuiſſet pollicitus indulgentiam pœnitenti, nec miſericordiam redeunti, non toties per prophetas, convertimini ad me averſis peccatoribus indixiſſet, nec ipſe vita, moribus, miraculis, divinis ſermonibus exclamaviſſet, ut crederemus in eum ſalvari cupientes, & tandem non ſolviſſet pretium ſanguinis, talibus opprobriis toleratis & pœnis, morte ſuſcepta pro redemptione generis humani, ſi ad judicium, non ad miſericordiam miſſus eſt. Sed omne judicium fit propter alteram partem, & juſtitia ſumma dictat, quòd non una, ſed cum altera pars affuerit, judicium patiatur. Igitur ſalvare venit filius Dei, non judicare ſæculum. Et alibi ait: Venit
Lucæ 19. enim filius hominis quærere & ſalvum
1. Joan. 4. facere, quod perierat. Et Joannes in
Epiſtola ſua dicit: In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quia ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Sed iniquitas judicium ſuſtinebit, & diſcretionis judicium ſemper fuit ab eo, quo eſſe cœperunt angeli in cœlo, & homines ſuper terram. Propterea ſequitur: *Qui credit in eum, non judicantur: qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei.* Non judicatur credens de incredulitate, aut activè credens de aliqua iniquitate, nec abſolvuntur ex iſta ſententia, quin credentes ſine operibus bonis, aut cum perverſis operibus judicentur. Fides nempe ſine operibus mortua eſt. Qui verò ju-
Jacobi 2. dicatus eſt jam propter incredulitatem,
& de incredulitate, quæ peccatum eſt, adjicietur ad pœnas; niſi credat. Poteſt quidem jam judicatus de incredulitate credere activè, & ſalvabitur: & credens perperam operari, & damnabitur. Declarat autem JEſus unde incredulorum oriatur judicium, dicens *Hoc eſt autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem,* Venit ipſe JEſus in mundum, qui eſt vera lux mentium, illuminans omnem hominem illuminandum venientem etiam in hunc mundum. Sed protervi & contumaces homines, odientes & fugientes hanc inviſibilem lucem, non perſtringentem oculos corporis, ſed interioris hominis, tenebras peccatorum & ignorantiæ amaverunt, quamobrem judicari ſæviter meruerunt, quòd oderunt homines lucem, ab illa fugientes, quia tenebras dilexerunt. Quare autem tenebras amaverunt? *Erant enim opera eorum mala.* Quare mala? Præter legem, præter ordinem, & ſecundùm concupiſcentiam carnis in ſuppreſſione ſpiritus, in libertate voluntatis, in effectu voluptatis. *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Non omnis mali author odit lucem, ſed malè agens: quoniam multi authores malorum ad pœnitudinem ſunt reverſi cum amore lucis, & odio tenebrarum. Qui verò malè agit, ſemper in luctu eſt, reſpicere non vult, quamvis poſſit. Proinde odit lucem, & qui odit non venit ad eam. Nemo accedit ad id, quod odit, niſi aliquando, ut extinguat. Quare non venit ad lucem? Quia ipſa omne ſibi adverſum demonſtrat eſſe, quod eſt, ſi aliquod eſſe contrarium ſuum habet, aut ex toto depellit, aut ut vileſcat, oſtendit. Demonſtrat & arguit veritas omne falſum, ſi appropinquat foribus ejus, & juſtitia quod iniquum eſt, & lux ſcientiæ atque virtutis tenebras ignorantiæ, & vitiorum. Ac per hoc malè agere ſatagens, nolens reprehendi, cupiens placita quæque inordinata perficere, non venit ad arguentem lucem, atque virtutem, ſed in numero damnatorum, in tenebris ſempiternis incunctanter adſcribitur veritatis æmulus, & culpabilium tenebrarum amicus. Et qui non vult argui à vero ad correctionem, per veritatem æternè tenebitur à tortura. *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta.* Libertum ſuum veritas conſtituit poſſeſſorem, & eum à timore & erubeſcentiis malis abſolvit. Veritatis ſectator eſſe in patulo non veretur, neque detrectat notum fieri apud omnes. Audacter producuit in lucem artifex opus ejus, ſi fecit immaculatum, abſcondit autem, ſi aliquid habet impertinens. Innocens ubique ſecurus, & rectè agens publicum non devitat. Lucem appetit, ſi ſana fuerit viſiva potentia, ægra verò ab illa confunditur. Nulla recta opera ſine Deo. Qui operatur in ipſo, non timet argutionem, & poni ad examen penitus non formidat.

Cap. VII.

Quòd Patris & filii opera ſint communia, & indiviſa, & quòd Pater filio cuncta dedierit, ut unus honoretur in altero, ſecundùm Joannem ſolum.

PRærogabat JEſus docendis & agendis materiam, & ut diſceptationis orireiur occaſio ad docendum. Nam cùm ſanaſſet infirmum longævi temporis die ſebbati ad piſcinam, perſecutionem patiebatur à Judæis, quibus

Joann. 5. *reſpondit JEſus: Pater meus usque modo operatur, & ego operor* opere tam mira & ſabbati ſolutionem. Ne purus homo crederetur, & ſua poteſtate feciſſe omnem ſuam actionem filius referebat ad patrem: quòd pater una ſecum non diviſivè talia operaretur, nec eo duntaxat tempore, quo JEſus cœpit facere, & docere, ſed ab eo exordio, quo divina potentia per ſapientiam in opus creationis ex nihilo egreſſe eſt, pater cum filio, filius cum patre, cuncte quæ facta ſunt

Ibidem. operatus eſt, ut nec ipſe pater ab upere noſtræ redemptionis, & Filius ab opere creationis credatur excluſus, cùm usque modo indiviſè operetur pater & filius. Et hoc quidem, quòd patrem ſuum Deum eſſe aſſerebat, fomitem odij miniſtrebat perfidis Judæis, non minus quàm ſabbati ſolutio. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quoniam ipſe non ſolùm ſolvebat ſabbatum, ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Non eredebant Judæi trinitatem in divinis eſſe, neque generationem æternam. Solutionem ſabbati etiam adſcribebant ad crimen, non diſtinguentes inter figuram, & veritatem. *Quibus reſpondit itaque JEſus & dixit eis: Amen, amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit patrem facientem.* Ingeminando verbum affirmat ſententiam, quòd ea, quæ facit opera, non ſolùm ſua ſunt, ſed etiam Patris, cùm nihil poſſet facere filius absque patre. Quod ſolùm verum eſt in æterna generatione, quæ traduce non fit, cum pater & filius unum ſint in ſubſtantia, quamvis uterque ſit diſtincta perſona. Non ergo unum eum patre filius poterit aliquid facere præter patrẽ. In generatione autem quæ traduce peragitur, poteſt filius absque Patre, Pater absque filio, quod voluerit operari, quoniam ibi eſt diſtincta perſona & diviſe ſubſtantia. In divinis autem ſicut ſervatur unitas & inſeparabilitas ſubſtantiæ, ſic ſervatur unitas actionum. Hinc ſequitur: *Quæcumque enim fecerit ille, filius & hæc ſimiliter facit.* Cùm aliter eſſe non poſſit, quòd diviſim à ſeipſa operetur una ſubſtanſtia quamobrem opera non ſunt attribuenda ſolùm filio, cùm illa indiviſè opereiur & pater, & æterna dilectio hoc facit, quod pater omnie refundit in filium. *Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, & majora ei demonſtrabit opera ut vos miremini:* Ex his in nullo filius minor credatur à petre, ſed ad innoteſcentiam noſtram dicta ſunt, quoniam demonſtratio aliquid occultum præhabuit. Sed nec ſit autumandum, quòd pater aliquod occultum habere potuiſſet à conſubſtantiali filio. Verumtamen pro nobis demonſtrat, & demonſtrabit per eum, ut in ejus notitiam veniamus, quoniam æternè pater filium diligit, Dilectio neſcit ſecretum tenere dilecto, etiam in moribus huminum. Exhauſit animos ipſa dilectio, ut quæque ſecreta cordis palam dilecto faciat vis dilectionis. Promde demonſtratio magnurum operum, quam pater fecit in filio, æternam dilectionem oſtendit, & ex dilectione Pater in filio tanta pro nobis facit, eſtque majora facturus, ut omnium mortalium animos in admiratione ſuſpendat: faciet nanque per eum reſurrectionem mortuorum omnium, quod & ſequitur. *Sicut enim pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ſic & filius, quos vult, vivificat.* In admiratione Judæorum animos ſuſpendebat, imo cunctorum mortalium, quod Dei filius factus homo, congruens mortalibus neceſſariò morituris, ipſos potenter revocare puſſet ex mortuis. Et ſi non mirum in patre, utique mirum in filio humanato. Sed non mirum ſanè credentibus, cùm ex incarnatione ſecundum ſubſtantiam deitatis non ſit minuratus à patre. Unde ſicut pater ſuſcitat mortuos, nam plures quidem ſuſcitati fuerant in ueteri teſtamento, antequam de Dei filio ſermo eſſet explicitus, & antequam pater in ipſo poſt variam prophetarum locutionem hominibus loqueretur, & vivificat, quod nunquam vitam habuit, & reſtituit, cùm perdita fuit vita: ſic dedit & filio, ut vivificare poſſet, quos vellet. ſcilicet pater, quia ab æterno ſuos prædeſtinavit electos, ſive quos vult filius, qui redemit in tempore in-

æternum glorificandos. Hinc notum,
quod futura reſurrectio mortuorum, ut
ad patrem æquè ſpectat ad filium, ut
bonis ad Dei honorem, utilitarémque
propriam, reprobis ad terrorem cu-
mulus admirationis accedat. Necnon
& illa vivificatio inviſibilis animarum,
per omnem modum à filio ut à patre
procedit ſecundum utriusque judicium
voluntatis. Attamen ſi omnis transfu-
ſio paternæ voluntatis in filium facta
eſt, ut filius poſſit ſolùm vivificare,
quos velit, ideo ne filius crederetur mi-
noratus à patre in humanitate aſſumpta,
qui per omnia eſt æqualis in divina ſub-
ſtantia. Quàmvis enim minor dica-
tur ex forma ſervili, & etiam ex iſta
forma non incongruè minoretur à ſub-
ſtantiis ſeparatis, ut ſicut de homine
Pſalm. 8. primo aut cæteris dicitur: Minuiſti eum
paulo minus ab angelis ſic iſta ſenten-
tia in Dei filium prout incarnatus eſt,
referatur. Sed, cùm una ſit in trinita-
te deitatis voluntas, aptè verbum ad
utrunque refertur. Sic & filius quos
vult vivificat. Scilicet quos vult pater,
qui poteſtatem vivificandi filio dedit,
ſive quos vult filius, qui hanc poteſta-
tem accepit. Sed voluntas Dei in ſa-
lutem omnium fertur, non tamen om-
nes vivificentur, niſi conditione appo-
ſita. Una quidem, ut ſermones ſint in
cuſtodia memoriæ & dilectionis & fa-
ctionis. Sicque petebat vivificari ap-
petens: Vivifica me & cuſtodiam ſer-
Pſal. 118. mones tuos. Sciebat enim aliter hoc
vivificium habere non poſſe, niſi ſermo-
num Dei ſe polliceretur eſſe cuſtodem.
Seu ad hoc vivificari poſcebat, ut cu-
ſtodiret. Eſt & alia profundæ humilia-
tionis, quoniam alta ſapientes non vi-
vificat, ſed tradidit indignam meritò
mortem. Hinc ſcriptum eſt: Adhæſit
Pſal. 118. pavimento anima mea, vivifica me ſe-
cundùm verbum tuum. Ac ſi vivifi-
cum volens dicat: Pavimento humili-
tatis & dejectionis adhæſi, vivifica ergo
me ſecundum verbum promiſſionis tuæ,
qui ſuperbis reſiſtens ex pollicitatione,
humilibus gratiam præſtas. Et ſimilis
ſubjecta ſententia id affirmat: Humilia-
Ibidem. tus ſum usquequaque, vivifica me ſe-
cundum verbum tuum, ut non imme-
ritò etiam ſic intelligatur hoc fuiſſe pro-
pheticum, quod ſecundùm Dei ver-
bum increatum pro nobis in tempore
incarnatum, vita eſſet omnibus tribu-
enda. Et honeſta concupiſcentia man-
datorum vivificantium petendi dedit
audaciam. Ecce concupivi mandata
tua, in æquitate tua vivifica me. Et
ſicut pater dedit filio in gratia, & in
gloria vivificandi virtutem, ſic ei tradi-
dit judiciariam poteſtatem. *Neque enim
pater judicat quemquam, ſed omne judici-
um dedit filio, ut omnes honorificent filium,
ſicut honorificant patrem, qui miſit eum.*
Perſpicua eſt cauſa, quare pater omne
judicium filio ſuo dederit, ne credatur
minoratus ab eo, ne filio minus. quàm
ſibi tribueretur honoris. Æque vult
filium ut ſe ab omnibus honorari, quem
ab æterno per omnia tenet æqualem.
Incogruum enim penitus eſſet, ut in ho-
noribus aut in quibuscunque datis ſerva-
retur inæqualitas, in quibus per omnia
ſubſtantialiter ſervatur æqualitas. Si ter-
renus dominus vult ſuum honorari ab his,
ad quos miſerit ſervum, multo amplius,
cùm miſerit filium. Sed liquet, quod
qui non honorat filium miſſum, nec Pa-
trem, qui miſit eum: honor autem, quo
eſt Pater & filius honorandus, ſeu tota
trinitas honoranda, ut nulla ſit perſona-
rum acceptio in divinis, ubi trium per-
ſonarum trina ſubſtantia, una unitas,
una inexceptuata æqualitas, eſt totius
fidei dilectionis & latriæ, ut in his Pater
& Filius & Spiritus Sanctus æquali reve-
rentia eſt colendus, nec plus, nec mi-
nus uni quàm alteri tribuatur. Ediſſerit
clarius qualiter vivificat, & quos à mor-
te ſua revocat voluntate, quam ex ſupe-
rioribus pendet ſubjecta ſententia: *Amen,
amen dico vobis, quia qui Verbum meum
audit, & credit in eum, qui miſit me,
habet vitam æternam. Et in judicium non
veniet, ſed tranſiet à morte ad vitam.* Sæ-
pe dicta ſunt iſta in Evangelio de præmio
audiendi verbum Chriſti, & credulitatis
æternæ. Sed unum eſt quod animos au-
dientium in dubio ex toto ſuſpendit, cùm
dicit, quòd audiens verbum & credens
in Patrem, non veniet ad judicium. Quo-
circa ſi hanc ſcripturam. & quandam ali-
am, & unam veteris teſtamenti ſolum
in vocis, ſono aut in literis ſulcatis pen-
ſamus, judicium ex nunc abrogatum eſt.
colligitur ex hoc, quod bonus & ele-
ctus atque ſalvandus non veniet ad judi-
cium, ſecundùm illam ſententiam: Qui 1. Joan, 3.
non credit in filium dei, jam judicatus
eſt. Et ne ſolùm de incredulis dictum
eſſe credatur, etiam de quibuscunque
malis per prophetam dictum eſt: Non Pſal. 1.
reſurgent impii in judicio, neque pec-
catores in conſilio juſtorum. Adverſa
quidem ſunt his alia teſtimonia ſcriptu-
rarum. Et cuncta, quæ fiunt, adducet Eccl. 12.
Deus in judicium pro omni errato, ſive
bonum ſive malum ſit. Et in Evange-
lio Matthæi ſcriptum eſt: Cùm autem Matt. 25.
venerit

venerit filius hominis in Majeſtate ſua. & omnes angeli ejus cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem Majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſeparat oves ab hœdis. Et Apoſtolus ad Romanos: Judicabit Deus occulta hominum ſecundùm Evangelium meum. Et alibi: Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti. Scriptum eſt enim: Vivo ego dicit dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque veſtrum per ſe rationem reddet Deo. Patet ex verbis quodammodo diſſonantia, ſi non aut ſi in judicium veniatur. Et utraque ſcriptura pro eo, quod aſſerit æquè veriſſima eſt. Sed aliter eſt differendum, ut diſſonantia, quæ videtur & non eſt, propellatur. Non venient ad judicium publicum boni & electi, neque mali & reprobi, tanquam de novo ſententiam ſuſcepturi, qui ab æterno fuerunt prædeſtinati ſive præſciti, ſed fient in illo extremo judicio manifeſti ex propriis perſonis & meritis ſive demeritis, & quanta fulgebunt gloria beati, quanta pœna damnati plectentur omnino perſpicuum erit. Nec non & judicium ſæpe in ſcriptura refertur in partem reproborum, prout infra ſcriptum eſt: Et procedent qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in reſurrectionem judicii.

Roma. 2. Rom. 14. Iſaiæ 43.

Cap. VIII.

De eo, quòd JEſus dupliciter poſſit mortuos ſuſcitare; & faciendi judicium habeat plenariam poteſtatem, ſecundùm Joannem ſolùm.

PRocul ab ambitione Chriſtus erat, nec aliquod vitium aut jure damnabile, aut reprehenſibile cohærebat ei, nec eo, quia ſe altiſſimum fatebatur, erat crimini adſcribendum, ad veram credulitatem de ipſo in hominum cordibus imprimendam, ſine qua eſt deſperata ſalus. Omnis Chriſti ſermo & doctrina ſatagebat, ut creditus quis eſſet, amaretur & amatus innoteſceret, innoteſcendo glorificaretur. Filius Dei erat non ex tempore, ut Arrius dixit, ſed ab æterno Deus, in tempore obvelatus in carne, nec cognitus eſt, quia mundus eum non cognovit, nec creditus ne invidia diaboli ſalus obveniat. Attamen ipſe per verba media & alte ſonantia prædicare non deſinit, ut de ipſo ab omnibus omnem fugaret errorem, & quid eſſet, & ad quid in hunc mundum venerat, declararet. Et à poteſtate, quam accepit à patre ſuper vivificandos in anima mortuos, & in corpore neceſſariò morituros exorſus eſt, dicens: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora & nunc eſt quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint vivent.* Sæpe hoc verbum ſecundùm Joannem ingeminat, velut ex Juramento confirmans, quod loquitur. Nondum ab eo quo invidia diaboli mors in orbem terrarum intraverat in anima, in corpore impetens humanam naturam velut gladius biceps usque ad tempus Chriſti, quo mundo in carne apparuit, non venerat hora vitæ, neque ſermo auditus erat, quo mors depelleretur, & vita ſuccederet, ſed ubi Chriſtus advenit, hora venit, & nunc eſt. Et nos etiam dicere poſſumus, qui tanto tempore poſt Chriſtum in hanc calamitoſam vitam devenimus, & nunc eſt, ut nunquam pro ſubſequis tranſierit in prætentum. Sed quod illo in tunc dicebatur, nunc pro his, qui audierunt ſic ſemper ſit, nunc pro his, qui libenter audiunt. Venit hora & nunc eſt, quando mortui in anima confoſſi aculeis peccatorum audient vocem filii Dei, qui dedit voci ſuæ vocem virtutis animas vivificantis, ut qui audierint, vivant. Si mortui, quomodo audiunt? Si audiunt, quomodo mortui ſunt? Mortui lethalibus vulneribus peccatorum, mortui dicuntur in anima, qui tamen corpore vivunt, etiam omnes infideles naturali vita viventes, in anima mortui appellantur, & ſunt. Qui ſi audiunt vocem filii Dei revocantem à morte infidelitatis, cæterorumque vitiorum, & obedienter acceſſerint ad vocantem, in anima reviviſcent, quoniam facilis eſt tranſitus de morte ſpirituali ad ſpiritualem vitam. Et ne impoſſibile videatur, quòd Dei filius fugata hujuscemodi morte poſſit revocare ad vitam, adjectum eſt: *Sicut habet Pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo.* Habet in ſemetipſo Filius vitam, habet ex traditione paterna, unde vox ejus verè audientibus, etiam mortuis in peccatis poteſt conferre vitam, quoniam apud ipſum eſt fons vitæ præſentis ſcilicet & futuræ, virtutis & gloriæ. habet pater in ſemetipſo & à ſemetipſo & per ſemetipſum ab

Joann. 3.

ab æterno vitam, ſic ab æterno, cùm genitus fuerit. non in tempore, cùm ſe carne veſtivit filius, vitam accepit ea poteſtate, ut ſicut per eum omnia facta ſunt, ita & conſerventur, & depertita reſtaurentur. Et ſicut per eum omnia ſpiritualiter & corporaliter vivunt, qui verè ſic vivunt, ſic in utraque ſubſtantia mortua reviviſcunt: ſi reviviſcunt, non quòd per eum omnia mortua revocentur ad vitam, ſed ſi revocantur, non aliter quàm per eum. Et quoniam hæc omnia ideo dicta ſunt, ne filius Dei contemnatur in homine, & ne in aliquo deficere credatur à patre, etiam ei dictum eſt: *Et poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt.* Quare Pater dedit filio judiciariam poteſtatem? quia filius hominis eſt. Negaverim omnino, quòd purus filius hominis puri hanc poteſtatem accepit, & qnòd Pater dederit, ſed quia filius Dei factus eſt filius hominis, ne filius Dei factus homo haberetur contemptui, poteſtatem dedit ei Pater vivificandi & judicia faciendi. Hæc de ſeipſo aſſerit JEſus, ut credatur, quia filius hominis etiam Dei eſt filius, & ipſe unigenitus & æternus Dei filius pro nobis in tempore pleno ab æterno præviſo eſt filius hominis factus, in qua credulitate pendet ſalvandorum omnium ſalus. Et quia hoc in ſinum mirationis ingreditur, ut unum amplius credatur, mirabile mirabili additur, & quòd unum incredibile aut difficulter credibile credatur, incredibilius aut omnino ad credendum difficilius crediturìs apponitur. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filii Dei, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii.* Ac ſi dicat: Quid miramini, ſi vivificandi animas à peccatis, & judicandi ex meritis & demeritis authoritatem à patre accepi. Quoniam plus eſt animas revocare ab inferis, & reſoluta & in pulverem redacta corpora à Sepulchris, quàm ſuſcitare vocem meam audire volentes mortuos in peccatis, & generaliter judicare de meritis atque demeritis. Prima vox, primaque auditio, primaque vivificatio ad eos ſpectat, qui corpore ſeu natura viventes jacent mortui in peccatis. Secunda verò ad eos, quorum animæ detinentur in inferis, & corpora fuerunt poſita in ſepulchris, ſive ſubmerſa ſive comeſta crudeliter à beſtiis, aut quomodolibet redierunt in materiam pulveris, Pro prima & ſecundùm primam reſurrectionem dixit: Venit hora & nunc eſt. Pro ſecunda reſurrectione non addidit, & nunc eſt, ut de futuro, non de labenti tempore à præſenti in præteritum crederetur. Et in prima tantùm dixit, quia mortui audient, in ſecunda verò, mortui, qui ſunt in monumentis, ut aperta diſſertione differeret duplicem reſurrectionem facere accepiſſe traditam poteſtatem, & ad credulitatem unius potiorem eſſe promiſſam. Sed nec ſolum corpora exiſtentia in monumentis, ſed animæ in quibuſcunque locorum receptaculis, exceptis nullis audient vocem mirabiliter atque potenter altè tonantis. Et cùm omnium ſit reſurrectio generalis, quòd omnes animæ recepturæ ſint corpora, & animarum omnium atque corporum ſit reſartienda prima unio diſſoluta, non tamen unus ſine fine fiet omnium finis, quoniam qui bona fecerunt, procedent in reſurrectionem vitæ, glorioſè videlicet & æternè. Nam bons facientibus in nomine Chriſti ſecundùm rationem fidei cæterarùmque virtutum, non debet eſſe alia retributio quàm æterna, glorioſaqùe vita. Nec in iſta vita poſſet eſſe ſanctis juſta & digna retributio ex quibuſcunque beneactis, niſi, cùm poſt omnem debacchationem mortis ejus tandem deſtructo imperio glorioſa æternaqùe vita reſurrectionem ſequeretur. Verè malos totus mundus punire non poſſet, cùm amplius quantumlibet delinquentem quàm per mortem utcunque crudeliter irrogatam multare nequiret, Igitur malè agentes omnino reſurgent, non ad participium, etiam in modico æternæ conſolationis & pacis, ſed ad ſupplicium æternæ damnationis. Ex iſta ſententiaSalvatoris apertè colligitur, quòd erit in corpore reſurrectio bonorum, atque malorum ad diverſos terminos concludenda.

Cap.

Cap. IXI.

Quòd JEſus nihil poteſt facere à ſeipſo, & quòd teſtimonium perhibent de ipſo Pater, Joannes Baptiſta, opera ac ſcripturæ, hominum teſtimonio recuſato, ſecundùm Joannem ſolùm.

CUm Judæi, & equidem alii tantùm in Chriſto formam contemplarentur humanam, ſervilemque, ut nec ultra ex conſideratione proveherentur, neque per opera, neque per verba in ipſo formam Dei altiſſimi faterentur, calumniabantur eum in ſignis & operibus ejus. Et quia non poterant inficiari miracula in tanta evidentia facta, impingebant in eum, quòd ſabbatum propria poteſtate ſolviſſet. Excuſat igitur accuſatam ſervilem formam, impotentem ad ardua hujuſcemodi facienda, cùm in alium refert authoritatem miracula faciendi. *Non poſſum à meipſo facere quicquam.* Nihil poteſt facere à ſeipſo, qui non eſt à ſeipſo. JEſus autem neque ut homo erat à ſeipſo, neque ut Dei filius erat à ſeipſo, quoniam omnis filius genitus eſt pars à Patre. Non ergo ut homo poterat aliquid facere à ſeipſo, neque ut Dei filius, cum ſit æternus & inſeparabiliter Dei Patris filius, cujus à Patre patriſque ab eo ſunt cuncta opera indiviſa, ut ſi verbum dictum referatur ad ſervilem formam, homo, qui à ſeipſo non eſt, à ſeipſo nihil facere poteſt. Si verò ad divinam, etiam à ſeipſo facere nihil poteſt ſine patre, à quo ſubſtantialiter ſeparari non poteſt, ut hæc impotentia pro forma ſervili ſit de nihilitate, quia ut homo de nihilo factus, nihil per ſe valet, pro forma verò Dei ſit de inſeparabilitate, quæ ſubſtantialis & æterna eſt. Propterea pro utraque forma dicit: *Sicut audio, judico,* Hæc ideo dixit ad ſolidandum, quod ſupra dixerat de poteſtate ſibi tradita, de judicio faciendo ſcilicet, & poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt. Quod judicium aſſerit eſſe juſtum, ſi judicat, ſicut à Deo Patre audit, qui poteſtatem judicandi hominis filio contulit, ut judicet viſibiliter, ſicut viſibiliter à mundo judicatus eſt. Proinde ſubjecit: *Et judicium meum juſtum eſt, quia*
Joann. 5. *non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me Patris.* Non erratur, aut poteſt eſſe infidelitas in commiſſis, qui aliter non facit, quàm mittentis noverit voluntatem, Inobliquabilis & juſta eſt æterni patris voluntas, quam ejus filius æternus in tempore filius hominis factus, in judiciaria exequitur actione, non quærens voluntatem temporalem, & humanam, qui novit æternam. Et omnibus perfectis hoc debet eſſe firmum, non agere humanum, cùm noverit, & poſſit adimplere divinum. Et nemo divinæ ſuam præferat voluntatem. Illa cunctis de omnibus & in omnibus præferenda eſt. Satagebat ſe JEſus in animo Judæorum inferre per fidem, teſtimoniis utebatur in argumentum, dicens; *Si ego teſtimonium perhibeo de me, teſtimonium meum non eſt verum. Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me, & ſcio, quia verum eſt teſtimonium, quod perhibet de me.* Chriſtus eſt veritas, verum eſt ergo teſtimonium veritatis Alius autem teſtificans, cujus teſtimonium verum eſt, ipſe Pater eſt. Subinfert etiam de Joanne, quæ jam ipſis requirentibus reddiderat de Chriſto teſtimonium *Vos miſiſtis ad Joannem, & teſtimonium prebibuit veritati.* Miſerant à Jeroſolymis ſacerdotes & levitas, ad interrogandum eum, quis eſſet, qui tunc de Chriſto veritatem confeſſus eſt, quanquam JEſus teſtimonio humano non indigeret, ſed pro illorum ſalute iſta commemorat. Propterea dicit: *Ego autem ab homine teſtimonium non accipio, ſed hæc dico, ut vos ſalvi ſitis.* Non accipit deitas ab humanitate teſtimonium, neque temporale poteſt æternitati ſufficiens teſtimonium dare, nec indigentia urgebat Chriſtum Joannis teſtimonio declarari, ſed hoc pro ipſorum ſalute referebat, ut crederent, & credentes ſalvi fierent. Et ut teſtimonium Joannis veritate polleat, authorizat in veritate Joannem. *Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluiſtis exultare ad horam in luce ejus.* Altitudo virtutum Baptiſtæ Joannis debuit inflectere ad credendum hominum corda in Chriſtum, cùm ipſe de illo teſtimonium daret. Sed obſtinata incredulitas Judæorum non permiſit eos in illa luce ſcilicet in veritate, quam prædicabat, veræ credulitatis feſta peragere. Triſte cum turpi conſiſtit in animo, cùm non exultat in vero. Sed quanquam Joannes de Chriſto verum teſtimonium protuliſſet, majus tamen de ipſo teſtimonium aderat, ſcilicet operum ſuper naturam & omnem virtutem humanam exiſtentium, quod inducit: *Ego autem habeo teſtimonium majus Joanne, opera enim quæ dedit mihi pater, ut perficiam ea. Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater me*

miſit. Gradatim per teſtimonia cudit, ut qui eſt, eſſe credatur, teſtimonium adducens potius quàm Joannis, videlicet operum factorum & futurorum, ad quæ complenda per ordinem à Patre authoritatem etiam & juſſum acceperat, ex quibus omnino credendus erat miſſus à Patre. Opera quidem erant mirabilia, quorum unum paulo ante patratum extiterat ſcilicet curatio infirmi longævi temporis ad piſcinam, cujus rei cauſa hujuscemodi diſceptatio exordium ſumpſit, quæ opera teſtificabantur apertè, nec inficiari quis poterat, quin eſſent divina potius, quàm humana, & quia talium patrator operum eſſet filius Dei, ab ipſo miſſus ad terram talia peracturus. Sæpe quidem ſalvator ad teſtimonium ſui pro utilitate hominum, ut Dei filius crederetur, eos cum quibus diſceptabat, ad conſiderationem ſuorum operum miſit, quæ deitatis, non humanitatis potentiam oſtendebant. Sed protervæ hominum mentes, cùm quempiam ob invidiam perſequuntur, nec ejus virtutibus, nec verbis, nec operibus credunt, magis autem quærunt, unde poſſint obviare virtutibus, verbis dare calumniam, & operibus bonis ac mirabilibus facere impoſturam. Attamen JEſus ad ſummum teſtimonium ſe confert, Patrem voce de ſeipſo teſtificantem inducens: *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perbibuit de me*, videlicet cùm ad fluenta Jordanis à Joanne baptiſma ſuſcepit. *Neque vocem ejus unquam audiſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis.* Si vocem illam non audierunt, ergo excuſandi erant, ſi non crediderunt. Si non viderunt ſpeciem, quomodo potuerunt imitari virtutem. Non habet ſonantem & organizatam vocem Deus, incorporeus etiam eſt, nec eſt in ſui natura viſibilis ab oculo carnis. Igitur in aliquò aſſumpto vox & ſpecies factæ credantur. Neutram tunc Judæi apertis ſenſibus perceperunt, ſed debuerunt credere Joanni, qui jam in tanta fama virtutis excelſerat, ut Chriſtus eſſe crederetur, magis autem ipſi Chriſto, qui per opera miraculoſa & verba virtutis altius loquebatur. Quamobrem ad eorum confutationem adjecit: *Et verbum ejus non babetis in vobis manens, quia quem miſit ille, huic vos non creditis.* Non excuſantur Judæi, qui non crediderunt Joanni, nec excuſantur, quia non audierunt Dei vocem, neque ſpeciem conſpexerunt, ſi Chriſto miſſo non credunt, cujus vita irreprehenſibilis, ex omni parte laudabilis, operatio admirabilis, doctrina infallibilis, patientia inſuperabilis, propter id, quod Chriſtus appoſuit: *Quia ipſi non habebant verbum in eis manens.* Habebant verbum, ſed non manens, pro eo, quòd audiebant, atque audierant, ſed non retinebant, ſed verbum Patris increatum non credebant incarnatum. Et ex verbo incarnato audiebant verbum mirum, verbum virtuoſum. Et quoniam ipſe ſemper eructuabat verbum bonum, necnon & verbum legis, & propherarum, quod de ipſo erat, ipſi per veram intelligentiam non habebant, nec manebat in eis per memoriam ſanam, ideo ſibi à patre miſſo non credebant. Propterea remittit eos ad ſcrutinium ſcripturarum, ubi ſunt de ipſo pronunciantia ſeu prophetica verba: *Scrutamini, inquit, ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere. Et illæ ſunt, quæ teſtimonium perbibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Præceſſerunt omnia Chriſti myſteria teſtimonia veriſſima ſcripturarum, & ſecundùm ſcripturas ſunt completa ſive complenda, quæ reſtant, quæ ideo ſic à Spiritu ſancto ſunt editæ, quia ſic futurum erat, non autem ſic de Chriſto futurum erat, quia ſic ſcripturæ præcinuerunt. Et in ſcripturis legalibus atque propheticis Judæi ſperabant vitam æternam, quæ omnino erat duntaxat conferenda per Chriſtum, in manu cujus omnia poſuit Deus Pater. Ad quem in humanitate dejectum, Judæi duræ cervicis more ſolito exiſtentes venire contemnebant, ut haberent illam vitam ſperatam in ſcripturis non habendam aliter, quàm per Chriſtum. Volebant, & volunt ipſi vitam æternam, & ſperant, ſicut in ſcripturis ſacris pollicitus eſt ſermo divinus, ſed nec cum Chriſto mediatore non habentes intelligentiam ſcripturarum, quæ de iſto mediatore loquuntur, & tantùm contempſerunt ſervilem formam, quòd nullo pacto credidere divinam. Idcirco dicit, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Nulla excuſatio illis eſt, qui tantùm de pertinacia voluntatis propriæ arguuntur. Excuſat ſæpe homines in toto, vel in parte ipſa invincibilis aut nondum victa ignorantia, excuſat inſerta fragilitas, cùm verò ſolùm de voluntate diſentiente agitur, excuſatio nulla ſuffragatur. Hic quidem JEſus cæteris prætermiſſis, Judæos tantùm arguit de contumacia voluntatis, dicens: Et non vultis venire ad me. Voluntati apponuntur omnia bona ſive mala, ſibi virtus, ſibi præmium, ſibi culpa, ſibi ſupplicium, juxta illud, in quo præſtitit aut denegavit aſſenſum. Refutat protinus etiam velut indignus hominum teſtimonia,

nia, cùm dicit: *Claritatem ab hominibus non accipio, ſed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Non clareſcit Deus ab homine, quanquam ab ipſo laudari poſſit, neque Chriſtus indiguit humano teſtimonio declarari, ſed cognoſcebat Judæos Dei dilectione carere, quòd ipſi non diligebant, & meritò nec diligi digni erant. Nam ſi dilexiſſent Deum, non invidiſſent, non paraviſſent rectè agenti calumniam, credidiſſent vera docenti & invitanti ad juſtitiam, & optatam ab hominibus gloriam pollicenti. Non ergo accipiebat ab hominibus claritatem claritas vera & filius æternus, atque dilectus clarificatus à patre, neque conquerebatur, ſi non credebatur eſſe, qui erat, velut cognoſci delectatus ex forma, ſeu indignus ex preſſura, ſed duntaxat ſalutem hominum quærens, velut querela, verbis ſuaſibilibus agebat in eos, ut crederent corde Chriſtum Dei eſſe filium ad perſectam juſtitiam, & confiterentur ore, & opere ad ſalutem, Sic etiam ait Apoſtolus: Corde creditur ad juſtitiam, ore ſit Confeſſio ad ſalutem. Rom. 10. Et fontale malum improperabat eis, qui Deum non diligebant, ad diligendum Deum factus eſt homo bono ſuo, non bono Dei, noſtra etiam dilectione non eget, aut quærit ſua caoſa, ſed noſtra. Et hoc eſt omnis hominis complementum, ut ad Deum dilectione firma ſe teneat, quoniam qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo. Et ipſe per ſſpientiam ait: Egn diligentes me diligo. Prove. 8. Diligens Deum diligetur ab ipſo. Dilectus à Deo protegetur ab adverſis, & in ſinu amantis requieſcit ipſo juxta vota fruens. Qui verò Deum non diligit, eſt ſegregatus à fonte vitæ, factus æternæ morti ſubjectus Alienatus à lumine mentis tenebras patitur, quouſque in exterioribus inexplicabiliter includatur. Omne hominis malum eſt in Dei dilectione non fieri.

Cap. X.

Quòd JEſus non fuerit à Judæis & à multis aliis veniens in nomine Patris ſui receptus, & multi pſeudo- & ipſe Antichriſtus recipientur venientes in ſua virtute, ſecundùm Joannem ſolùm.

SÆpe ſaſſus eſt JEſus ſe in nomine paterno veniſſe, & nihil à ſeipſo facturus atque dicturus, neque propriam gloriam quærens, ut aptius reciperetur ab hominibus omni hæſitatione depulſa. Dignus enim eſt honoratè recipi legstus, qui nil ſuum dicit, agit, aut quærit, quàm commiſſa legantis. Erat legatus Chriſtus ad omnes nationes hominum à Deo Patre miſſus, non ob mittentis rem neque legati, ſed eorum, ad quos miſſus erat negotium agebatur. Rebellia erant hominum corda, & in exordio maximè Judæorum, conſpiciebant oculis legatum, animo non recipiebant, ore contradicebant, perſequebantur eum gratis operibus pravis. Conqueritur meritò ſe non eſſe receptum, prænunciat futuram eis ipſorum demerito fraudem. Equidem dicit: Joann. 5. *Ego enim veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me. Si autem venerit alius in nomine ſuo, illum accipietis.* Veni miſſus in virtute Patris æternè me mittentis in tempore, opera ejus ago, quæ irreprehenſibilia ſunt, & revocantia de errore ad veritatem, de umbris ad lucem, de vitiis ad arces virtutis, de morte ad amatam vitam, & non accepiſtis me, ſaltem in virtute mittentis etiamſi deſpicitis, quod humanum aſpicitis. Si quid meo nomine in verbo aut in opere fieret, juſta eſſet repulſa, juſtior, ſi veſtram ſalutem non quærerem. Aderit omnino deceptio iſta exigente culpa, ut aliquem pſeudoprophetam ſive doctorem, aut Antichriſtum recipiatis ſuo nomine venientem. Juſto etiam & irreprehenſibili judicio agitur demerito hujuſcemodi delinquentium, ut mendacium pro virtute ſuſcipiat, qui oblatam veritatem primitus non accepit, & iniquitatem pro juſtitia, & in devium procedat pro via, & obliquatorem pro duce, & præcipitium pro voto, & naufragium pro portu. Et omnes tali animadverſione plectantur, quòd quibus bonum ante porrigitur, & nolunt recipere, poſtremo cadant in contrariam ſortem, juxta illam ſententiam: Dilexit Pſal. 118. maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Non eſt in his interponere medium terminum, quòd, qui non recipiunt Chriſtum in membris aut in capite, recipient Antichriſtum. 2. Theſ. 2. De quo Apoſtolus volens aſſerere revelationem, pandit meritam receptionem, dicens: Et tunc revelabitur ille iniquus, quem dominus JEſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui, eum cui eſt adventus ſecundùm operationem ſatanæ in omnibus virtutibus, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis his, qui pereunt, eo quòd charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent. Ideo mittit illis Deus operatorem, ut credant mendacio, ut judicentur

omnium incredulorum, & tanta claritate ipſo literali aſpectu refulget, quod expoſitione non indiget. Cujus rei cauſa Salvator ait: Si crederetia Moyſi, crederetia forſitan & mihi. Non dubio animo loquitur Chriſtua, qui omnia novit, cùm forſitan dicit, ſed in duritiam Judæorum impingit, quæ verè flectenda erat ad Chriſtum, etiam poſt Moyſi præſtitam fidem, hinc ergo penitus Judæi apud Deum inexcuſabiliter accuſantur, quod etiam Moyſi nec veraciter crediderunt, ex quo Chriſto non credunt, de quo ille tam aperta prophetia prædixit. Quòd verò adjecit, ſi autem literia illius non creditia, quomodo verbis meia credetia? non componebat in his verbia perſonam, ſed fidem, quia ſi non credebant Moyſi, in quo majorem habebant fidem, ſic nec Chriſto, qui apud eos minori aut nulla fide fulgebat. Liquent multa ex his, quæ dicta ſunt, nec ſecura tergiverſatio eſt ab eis, maximè ad ea, quæ credenda ſunt ſuppoſitu ſcripturarum, quibus primò non præſtita fidea nequaquam Chriſtua perfectè crederetur, quanquam ipſe ſine omni teſtimonio ſcripturarum cordibua hominum ſe poſſit infundere. Veruntamen non alligatua ſcripturarum teſtimoniis, ſine ipſis ipſe non venit, aut egit ſua magna pro hominum ſalute myſteria, & damnatio & ſalvatio ex ipſia innotuit, ut aliter non evenlant, quàm ſcriptæ exiſtant. Non eos Chriſtus aut cæteros credituros rationibus provocat aut invitat, ſed duntaxat per fidem, quæ omnino intelligentiam præit, juxta verbum Iſaiæ dicentia: Niſi credideritia, non Iſaiæ 7.
intelligetia, aut aliàs, non permanebitia. Et hoc eſt meritum noſtrum inniti fidei, non rationibus. Et fidei robur eſt ab ipſis excludi. Et cunctis exemplo Chriſti docentibus eſt dicendi forma relicta, quòd per fidem conentur ad Chriſtum corda hominum inclinare, atque quod omnis intellectus captivetur in obſequium ejus, quoniam ipſe Dei filius aliter quàm per fidem ad ſe corda hominum non vocavit.

Cap. XII.

De operando cibo, qui non perit, ſed permanet in vitam æternam, ſecundùm Joannem ſolùm.

POſt reſurrectionem turbarum ex quinque panibus, & duobus piſcibua tranafretravit JEſua & venit Caphatnaum, quem turbæ, terra, marique ſequentes, pervenientea ad eum dixerunt ei: *Rabbi quando huc veniſti? Reſpondit JEſus & dixit: Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus meis, & ſaturati eſtis.* Non videtur JEſus uſquequaque gratam habuiſſe quæſtionem turbarum ob ipſarum intentionem, quia non tantùm quærebant eum propter mirabilia ſigna, quibus ad altiora invitabantur, ut ipſorum mentea per fidem attollerentur in iſto Chriſto apparenter hominem Deum eſſe, imo ipſum Deum & hominem verum eſſe, ſed quia manducaverant ex illis quinque panibua, & mortalia corpora refecerant, quod ideo quærerent, ut poſſint iterum atque iterum manducare, & corpora moritura reficere. Quod aſpernabatur JEſua, quòd tantùm pro temporalibus, pro corruptibilibus, atque mortalibua, ab hominibus quæreretur, qui venerat daturus æterna incorruptibilia, & ſemper eodem modo manentia, & dare cibum ſempiternè manſurum, non perfunctorium, quem fames iterum ſequitur. Quamobrem alium cibum opere quærendum informat, dicens: *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis vobis dabit. Hunc etiam Pater ſignavit Deus.* Acſi diceret: Quid me quæritis pro corruptibili cibo, qui quamvis ad horam ſatiet afficientem, tamen omnino non tollit? Operamini hoc dico, ſolicitè operam detia, ut illum cibum habeatis qui ſumptua hic ad vitam perducit æternam, & hic incipiena etiam æternè perdurat. Et ne ad habendum impoſſibilitas ſe opponat, filiua hominis dare paratus eſt, dandi habena omnimodam poteſtatem. Dare venit, & vult accipere, volentes inquirit, non accipiens neminem, quàm ſeipſum cauſetur, cùm ab eo, qui habet, offertur. Ne autem propter humanam aut ſervilem formam tantùm oculis carnis objectam impotens crederetur, ſubinfert, ut etiam Deus eſſe credatur. Hinc etiam Pater ſignavit Deua. Hinc etiam ſcilicet filium hominis, qui cibum æternè manentem volentibus pollicetur, Deus Pater ſignavit etiam filium ſuum eſſe, ut non ſolùm filius hominis, ſed etiam credatur Dei filius eſſe, ut inhæſitanter, quod promittit, effectu efficiat. Veruntamen ex falſa intelligentia verbi quidam ex hoc erraverunt, quorum non parvum nu-

merum hominum meis temporibus inveni, qui nihil volentes propriis manibua operari, oſtendentes ſe omni tempore orationibus & contemplationibua vacare, otioſè feriantes, ætate juvenea, corpore feroces, honeſtia operibus valentes intendere, neceſſitati propriæ atque alienæ providere vivendi ſtipem in ſolito quæſtu quærebant, & cùm eis adverſaretur ex geſtis dictiſque ſanctorum, in argumentum aſſumebant verbum ſic eſſe à ſalvatore dictum: Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Sed perſpicuum eſt ex ſequentibua verbis, quòd negativè non dixerit de honeſto exercitio corporali, ſed quòd homines non tantùm hujua vitæ fulcimenta curarent, magis intenderent, quomodo æternè in beatitudine utriusque hominis permanerent. Intellexerunt per quid exile turbæ, quòd & Dei agenda opera quærerentur. Proinde interrogant: *Dixerunt ergo ad eum: Quid ergo faciemus ut operemur opera Dei? Reſpondit JEſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille.* Opua Dei non ratione corporia poſuit, ſed ut ſit actus interior in credulitate miſſi, atque mittentis. Non tamen JEſua ex hoc bonum opus actuale excluſit, ſed præcipit opus mentis, quod eſt credere hunc JEſum Chriſtum Dei verum filium, ab æterno Patre pro ſalute hominum miſſum. Eſt ergo hoc firmiter opus Dei, quoniam ſolus Deua fidem in cordibua hominum operatur, nec aliquis illam propria virtute nanciſcitur, aut meretur, quoniam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Qui verò ſibi non placet, privatur, unde mereatur. Eſt ergo fides duntaxat in anima opua Dei, necnon & qui ad ſalutem ſatagunt, eſſe convenit actuoſos primò in inviſibilitate credendorum, & omnium, quæ fidem inviſibiliter conſequuntur. Et quoniam fides ſine operibua mortua eſt, etiam opus Dei exterius decreto divinæ legia peragitur. Magnum eſt ergo fidei ſacramentum, cùm dicitur opua Dei. Sed ſi quod Deus creando egit inſpicimus, omne in eſſe perductum dicitur, imo eſt penitus opua Dei, quod ſua varietate atque magnitudine prodit artificem, potuitque cognoſci, ut ſcriptum eſt: à magnitudine etiam ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter potuit eorum creator videri. Quid igitur eſt, quid fides dici-
Sapie. 5. tur opua Dei? Equidem advertendum, quod aliud eſt opus Dei ab ipſo factum, aliud à bonis agendum. Primum omnem, quod egit, aut agit, ſeu faciet Deus, Secundum verò id eſſe à nobis, quod fieri ponitur in placitum ejua ſecundùm legem, & edictum ipſiua, ipſa fidea ex inviſibilibua, ut credatur in eum, quem ad noa propter nos ad terraa miſit Pater æternua, ſine qua nemo videt, nec videbit Deum, etiam quem illa ſanctorum patrum prioritaa in patria videre non meruit, niſi merito ejua, qui à Patre in plenitudine temporis miſſua, ab illis fuerat creditus affuturus, novitasque noſtra illum ſic affuiſſe, nec defuiſſe jam credit, necnon & cæteræ virtutea ordinatæ infuſæque in mentibus hominum pro ſupernis, & id, quod imponit impræteribile lege agendum, etiam ignorato fine, ſive in aliquo præter rerum ordinem præterire verè ordinem uſumque comunem durum videretur vel abſonum, opua eſt Dei, ex eo, quod vult, & jubet, & agendi præſtat virtutem, ſine qua nemo quipiam rectum agit. Eſt etiam opua noſtrum, quia nos facimus noſtraque utilitate, non ſua. Non ſolùm autem JEſus hoc exigebat, ut eum crederent eſſe, qui erat, ſed ut ſibi crederent in doctrina ſana, quam dabat, Multi etiam Deum ſive Chriſtum credunt, doctrinæ verò factiſque non credunt. Et cum Judæi apertè cognoſcerent, quod de ſeipſo Chriſtua dominua loquebatur in forma ſervili, divina non eredita, & velut ſignis aſſoliti ſigna poſtulant ad credendum cum rememoratione priſcorum. *Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis ſignum, ut videamus, & cre-* 1.Cor. 1.
damus tibi? Quid operaris? Patres noſtri manna manducaverunt in deſerto ſicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eja manducare. Verum eſt quod Apoſtolus ſcripſit: Judæi ſigna petunt, Græci ſapientiam. Ab initio, quo Deus eoa ſegregavit à gentibua, in ſignis eorum animoa educavit, & oculos pavit, ex quibus propter eorum cordis duritiam ferè crediderunt illa facientibus, nunc quidem memorea Moyſi unum de ſuia ſignia ſatis aptum ad id, quod Salvator jam dixerat, ut operarentur cibum qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam, inducunt, & inquiunt, Moyſes dedit Patribus noſtria Panem de Cœlo in deſerto, de quo ipſi manducaverunt. Tu ergo, qui noa ad te credendum eſſe Dei Filium ab ipſo miſſum, tuis ſuaſionibua niteris, quod ſignum facia, ut ipſum oculis corporeis videamua, & tibi mente credamus. Pro tergiverſatione iſta verba erant, quoniam multa jam jam ſigna fecerat, nec credebant, & maximè immediatè præteritum, quod

tot

tot millia hominum de quinque panibus ſatiaverat, eorum animos debuit, ut crederent, commovere. Sed qui credere non vult, quærit, quo avertatur. Et qui renuit facere, quod jubetur, in excuſationis ſuffugium tendit. Infirmum tamen, ob ſigna præſtare fidem, quanquam Judæi & Moyſi, & Prophetis, & aliqui Chriſto, & in principio naſcentis eccleſiæ plurimi ob ſigna crediderunt. Veritas & vita validiores ſunt, præferuntur etiam ſignis omnibus, & exemplis. *Dixit ergo eis JEſus: Amen, amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis Dei eſt, qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mundo.* Liquet, quòd Moyſes non dedit de cœlo panem verum, quamvis oraverit pro populo eſurienti, ne fame inter deſerta perirent, cui Deus providit de manna, non de cœlo, ſed iſto nobis vicino aere juſſu Dei generato, quod Deus pluvendo dedit, juxta illud: Et pluit illis manna ad manducandum. Sed

Pſalm 77. panis Dei panis verus eſt ipſe Dei filius, qui de cœlo, non aliter, quàm propria voluntate deſcendit. Panis etiam Dei eſt, qui deſendit de cœlo, & dat vitam mundo. Vita ſolerter ab hominibus quæritur affectata propenſius, ſed utinam hominum deſideria ea ſolicitudine in totam vitam ferrentur, ſicut feruntur in partem, pro qua homines tanta patiuntur. Chriſtus autem deſcendit totam conferre vitam, & homines à partialitate in totalitatem transferre, pro iſta quoque vita panis terrenus inquiritur, qui ad æternam conferre aliquid nequit. Pro æterna capeſſenda ſeipſum panem conſtituit, qui eſt panis Dei in mundo degentibus vitam donans, ſi illum ſuo modo ad veſcendum accipiant, ac per hoc à ſe vitam pollicetur æternam, ut in deſiderium veſcendi deveniant. Et jam auditores aliqui commoti in ſermonibus Salvatoris deſiderant hunc panem, & à pollicente quærunt. Semper etiam laus bonæ rei deſiderium dedit, & traxit ad ſe quærendam. *Dixerunt ergo ad eum: Domine ſemper da nobis panem hunc.* Subjecta poſtulatio, cùm Dominum vocant, & confeſſio jam eſt ſupra id, quòd forma ſervilis apparet. Suppoſita omnino debet eſſe petitio, cùm à ſuperiore aliquod quæritur. Petunt ſemper dare panem hominibus vitam dantem, quia vivere ſemper optabant, ut appetit animus quorumcunque mortalium timentiũ perdere vitam per mortem acerbam. Petebant commeſtibilem panem credentes hanc habere virtutem, & more quo alium comederunt autumabant, ut mulier Samaritana etiam à Chriſto vivam depopoſcit aquam, ne ſitiret, ne fatigaretur ad hauſtum. Non attolebantur eorum in altitudine dicti mentes, humanè ſapiebant ex deſiderio, ſic quærebant ex deſiderio vitæ. *Dixit autem eis JEſus: Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet unquam. Sed dixi vobis, quia vidiſtis me, & non credidiſtis.* Effert adhuc virtutum laudibus panem, & magni effectus præconio in deſiderium trajicit eo, quòd famen ex toto auffert, atque ſitim, & exponit, quod aliorum more eſt eſilis, ut ſe parent ad debitum eſum, quoniam ſola fide ſatiabiliter manducatur. Arguit autem eos, quòd eis dixerit rei veritatem, ſed non crediderunt, quia viderunt ſolùm formam ſervilem. Credidiſſent autem ei etiam in forma ſervili, ſi per fidem eis forma dominabilis aſtitiſſet, ut ſic verborum, imo ſententiarum contextus eluceat. Dixi vobis omnem veritatem, maximè de ſpirituali, non de corporali, de ſupernaturali, non de naturali, de æterno, non de temporali, de refocillante animas, non corpora cibo. Sed quia vidiſtis me non diſcretum à forma ſervili per inviſibilem formam Dei, non credidiſtis meis operibus neque verbis. Vidiſtis etiam miracula facientem & contempſiſtis, & non creditis de vero pane, qui animas reficit, & ad vitam æternam mittit. Et ſi vos non creditis, ſunt & erunt, qui credent, quia omne quod dat mihi Pater ad me veniet, & eum, qui venit ad me non ejiciam foras. Quibus datum eſt à Patre, ut credant in me, dati ſunt mihi, & qui mihi dati ſunt, ad me venient itinere paſſibusque virtutum, ego verò ſic venientes non ejiciam foras à domo virtutum, atque fidelium, neque à domo civium ſupernorum, nec ejicientur in tenebras exteriores, ubi fletus eſt & ſtridor dentium, quoniam non eſt in rebus forinſecus delectatio verè fidelium, ſed in interiori homine in his, quæ non videntur, coram Deo exultant, quoniam, ut ait Apoſtolus: Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Non ejicientur foras, qui exteriora non amaverant, imo plerunque contempſerant, ſed in hoc omne ſtudium dantes, ut Chriſtum crederent, ex toto corde diligerent, & habitatorem intus haberent. Hoc quidem dicebat JEſus in deſignationem reprobationis Judæorum & populi gentilis eligendi, atque ſalvandi, quem Deus Pater æterna prædeſtinatione filio dederat, daturusque erat in juſtitia fidei, ut ſibi corpus credentium coaptaretur, cùm veniret ad filium, nec ejiciendus nolens, niſi volens operaretur quiſpiam aliqua dejectione digna.

gna. Nam ſicut, qui credit patrem, credit & filium, & quod dicitur, reconvertitur: ſic omne quod habet pater, habet & filius à patre tamen accipiens. Quibus ſit datum, & quibus non, ut ad filium credendo perveniant, quare his & non illis, quo merito aut demerito, non eſt inveſtigabile à mortalibus, ſed tantùm laudentur irreprehenſibiles miſericordia & juſtita Dei, & juſtè hominum demerita condemnentur. Igitur permanens ci-bus in vitam æternam filius Dei eſt humanatus pro nobis de cœlis adveniens, in operatione fidei enim credentibus datur, denegatur incredulis.

Cap. XIII.

De voluntate Dei patris, quam filius ſe fatetur implere in operatione ſalutis humanæ, ſecundùm Joannem ſolùm.

DIſceptat variis ſermonibus Dei filius cum Judæis, & hoe agit, ut credant in eum, quod ipſe ſit ſolus vita æterna hominum qui de cœlo deſcendit, Et quoniam ſupta dixerat, panis enim Dei eſt, qui deſcendit de cœlo, & dar vitam mundo, nunc apertè aſſerit de ſeipſo, quòd verè ſit ille panis, & cauſam prodit, quare deſcenderit, ne otioſus tantus crederetur

Jon. 6. deſcenſus, dicens: *Quia deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.* Hæc eſt mei adventus cauſa, quoniam deſcendi de cœlo ad ima mortalium non meam voluntatem facere, non meam gloriam quærere, ſed ejus, qui me legavit. Sæpe quidem iſta ſententia tacta eſt. Sed ſi Patris & filij eſt una ſubſtantia, una deitas eſt, & igitur una voluntas. Cur ergo voluntatem ſuam à patris voluntare ſecernit, acſi alia eſſet Patris, quam ut perficiat, venit, alia ſua, quam facere non diſponit? Equidem patris & filij cum unius ſint ſubſtantiæ, una eſt voluntas. Sed diſtinguit formam Dei à forma ſervili, & quòd à ſeipſo non eſt, & à ſeipſo non venit, ſed ab eo, qui miſit, ut nihil contemptui pateat, quia hominum, nec quod ſua cauſa, ſua re, ſua utilitate in hanc umbroſam vitam deſcenderit, ut autem neque mittentem crederent ad ſeipſum aliquid mittendo filium quærere, & audientes citius inclinarentur ad fidem patris elucidat voluntatem. *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.* Si omne, quod dedit mihi pater, ad me veniet non foras eijciendum, quare dedit pater? Quia voluntas ejus eſt, ut nemo perdatur, nemo damnetur, nullus excludatur à regno ejus, quòd nemo extra civilitatem ſupernam foris cum apoſtaticis ſpiritibus maneat. Et ſi perdi videtur ad horam, ſi mors corpori adimit ſenſum, ſi anima ipſum deſerit, ſi redierit in priſtinum pulverem, ſi per omnia eſt diſſoluta compago, voluntas ejus eſt, ut illud reſuſcitem in noviſſimo die, quod & faciendi ab ipſo poteſtatem accepi. Perſpicua eſt Dei voluntas de humana natuta, quòd ex juſtitia culpa exigente in carne, nõ in anima moriatur, & quòd in eadem carne die noviſſimo ſuſcitetur. Sed in his, qui ſibi à patre ab æterno jure prædeſtinationis dati ſunt, & in veritate fidei ad ipſum acceſſerunt, reſuſcitabuntur ad gloriam, cæteris relictis ad pœnam. Venturus eſt noviſſimus dies, ultra quem non erit amplius dies ſucceſſione nocturna, ſed aut æterna lux aut obſcuritas ſempiterna. Finis apponendus eſt mundo, cœpit enim, ſed non, ut ad nihilum redeat, unde ſumptus, ſed meliori conditione donandus in electis, deteriore in reprobis. Iterum de paterna voluntate revalidat qood dixerat, ut ab auditione promiſſorum accenderentur animi audientium ad credendum, cum ſubinfert: *Hæc eſt voluntas patris mei, qui miſit me, ut omnis, qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Habet ne voluntas Dei ſuppoſitam cauſam? Minimè. Nihil enim cauſa ipſius voluntatis, ſed ipſa ſumma & prima cauſa bonorum omnium cunctorúmque exiſtentium, malorum verò non cauſa, quamvis creaverit ſubſtantias bonas, quæ propria voluntate deliquerunt. Igitur ſi quis perdatur à ſeipſo deperit. Nam voluntas ejus eſt, ut quod filio datum eſt, non pereat. Et pater omnià dedit filio, ſed multi aut non accedunt, aut propria voluntate ſe auferunt errore decepti videntes in reprobam partem. Attamen juſtitiam poſuit unde homo mereatur & vitam æternam nanciſci poſſit, quæ in deſiderio cunctorum eſt. Juſtitia verò quam miſericordia divina remuneratione perſequitur, eſt ipſa filii Dei credulitas, non quòd ipſa cauſa divinæ voluntatis exiſtat, ut hoc velit, ſed ipſa Dei voluntas ſic ab æterno conſtituit atque prævidit, ut omnis, qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. In dubio ver-

ba

ba ſunt, quæſtione animos tangunt. Si videro refertur ad oculos corporales, ſolum qui tempore Chriſti fuerunt in regione Judæa, in cauſa ſunt damnandi ſive ſalvandi, imo damnationis ſive ſalutis, quoniam poſt aſcenſionem Chriſtus non eſt amplius converſatus in terris, ut videri à mortalibus ulterius poſſit. Sed ſi ad viſionem internam inferimus, quæ differentia inter videre, & credere interponatur? quoniam excepta viſione patriæ, quid in hac eſt videre, niſi credere, quid credere, niſi videre? Videmus cùm credimus, credimus, cùm videmus. Credere videre in ænigmate eſt. Sic & Apoſtolus ait: Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate tunc autem facie ad faciem, & hoc eſt, quia credimus, in ænigmate videmus. Et alibi: Vidimus JEſum per paſſionem mortis gloria & honore coronatum? qui non de viſione corporis, neque de non credentibus, ſed de credentibus loquitur. Quid ergo eſt, videt & credit? Quæ eſt viſio, ad quam jungenda eſt credulitas? Quæ eſt iſta credulitas, quam viſio præcedit, cùm æterna viſio ſequatur poſt fidem temporis hujus, nec fides ad viſionem, ſed viſio ſequatur ad fidem. Sed quoniam Evangelica verba, quæ viam ſalutis omnibus altruunt, non alligata ſunt tempori, loco vel alicui genti, ſed communia ſunt pro tempore, pro omni natione hominum, quæ ſub cœlo eſt, pro capacitate volentium. Proinde eſt, quod dicitur: *Ut omnis, qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam.* Sic fideliter pieque capitur, ut viſio ſit in lectione ſive auditu. Nam qui legit ea, quæ de Chriſto figuraliter & prophetice ſcripta ſunt in evangelio, quæ ſunt dicta & acta per eum, & pro eo, quodammodo videt etiamſi non credat: Qui etiam audit ab aliquo prædicante, quandam viſionem mente gerit, absque quod ſit adhibita fides. Et communi uſu loquendi pro omni ſenſu accipitur viſus, & de potentiis aliorum ſenſuum in perceptione objectorum ſæpe alicui videre dicatur. Ad hujuſcemodi viſionē quæcunque credulitas ſequitur, quæcunque avertitur. Quod autem auditus pro viſione miniſtret, ad quam ſequatur credulitas, ut in notitiam veniat ſententia ſalvatoris, ut omnis, qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Audi apoſtolum Paulum allegantem etiam alia teſtimonia ſcripturarum: Omnis etiam, quicunque invocaverit nomen domini, ſalvus erit. Joelem prophetam allegat Apoſtolus, & illico ſubinfert quòd probare diſpoſuit. Quomodo ergo invocabunt eum, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Ecce JEſus dicit, vidit & credit. Apoſtolus ait: Quomodo credent, ſi non audierunt? Ubi Chriſtus videre ſeu viſionē præmiſit ad credendum. Apoſtolus præmiſit auditum. Et adjecit: Ergo fides eſt ex auditu, auditus autem per Verbum Dei. Ac per hoc viſio, quam Chriſtus, & auditus quem Apoſtolus Paulus ad credendum prætulit, ſolis nominibus diſtinguitur. Reſuſcitatio ſæpe promiſſa id agit, ut vita iſta non diligatur, ſpes avellatur à ſæculo, nil timore fiat, ut quisà virtute, aut à veritate exorbitet, non cedatur à terroribus tyrannorum, non ſit corpus in cura, quomodo pereat, quid patiatur, qua morte finiatur, cùm JEſu reſuſcitare velit in noviſſimo die. Igitur voluntas Patris æterni, quam filius in tempore miſſus exequitur, eſt, ut per juſtitiam fidei fideles ſalventur, ut non perdantur æternè, ut ad vitam per eum, quem credunt, reſuſcitentur æternam. Dignum enim eſt, qui vitam, quæ Chriſtus eſt, in ſuo tempore ſemper portavit in corde, quòd poſt mortem ad æternam vitam potiendam reſuſcitetur in noviſſimo die.

Rom. 10.

Cap. XIV.

De murmuratione Judæorum adverſùs Chriſtum, quia dixit: Ego ſum panis vivus, &c. quam ipſe ob ipſorum incredulitatem repreſſit, ſecundùm Joannem.

Nolens veritati acquieſcere, quærit reſilire. A ratione ſuperatus in vitè inquirit ſuper eam. Subdi renuens juſtitiæ bellum parat, devictus in cauſa ſibi non placita quærulatur de judice, hebes intellectus de altitudine dogmatum murmurat. Alta de ſeipſo dominus loquebatur, ſed vera & expedientia mortalibus. Nec ad jactantiam ſui, ſed ad noſtram miſeriam depellendam, conferendamque vitam in protoplaſtis perditam loquebatur, promulgabat inficiabilem veritatem, ſuaſionibus irrefragabilibus utebatur, exigebat ſubmitti ad fidem animos. Et iſta erant Judæis implacita cervicoſis. Erant enim in tanta evidentia facta Chriſti, verba

ba verò ejus luce clarius refulgebant, non valentes aliter ſe tueri ad auxeſim eorum criminum, murmuri coaptaverant cor & linguam. Et hoc malum proprium eſt perverſorum. *Murmurabant ergo Judæi*
Joann. 6. *quia dixiſſet:* Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi, & dicebant: Nonne hic eſt JEſus filius Joſeph, cujus nos novimus Patrem & Matrem? Quomodo dicit hic, quia de cœlo deſcendi? In omnium rerum cauſa, negotio & actione, ad viliſſimam partem ſe tradit ille, qui murmurat, omnia jura deficiunt murmuranti.. Et ipſa murmuratio teſtis eſt quod nulla ſibi ratio ſuffragatur, non ſibi adſcribit inſiſtentem eclipſim interius & exterius ille. qui murmurat. Sed refundit in rectè agentem atque docentem, non aſcendebat ad doctrinam Chriſti intellectus exiguus Judæorum, quia non ſe humiliaverat, ut ad illam percipiendam exaltaretur, igitur omnibus ſibi deficiennbus murmurabant. Quomodo? Adversùs Chriſtum & doctrinam ejus, quia ſe fatebatur deſcendiſſe de Cœlo, & vivum panem eſſe pro vita æterna conferenda mortalibus. Ut in eis erat, juſtam aſſerebant iniquam murmurationem, contemplantes duntaxat formam ejus ſervilem. & genealogiam, terrenam ſcientes generationem deſpexerunt æternam, ut omnino dicerent non de cœlo deſcendiſſe, cujus cognoverant genituram & omnem conſortem ſeu cognatum propinquitate generis nominaliter & ex perſona ſciebant. Sed nec hoc eis ad excuſationis ſuffragium cedit, ſi ſecundùm carnem ſciunt domini parentelam, ſi non credunt, quòd de cœlo deſcenderit. Quoniam ſicut utrumque potuit, ſic & fecit, & de cœlo deſcendere, & ut homo factus genealogiam carnis habere, ut in libris ſuperioribus actum eſt. *Reſpondit ergo JEſus, & dixit eis; Nolite murmurare invicem, nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, attraxerit eum.* Reſculpit murmurationem JEſus, quia de incredulitate veniebat. Nec ipſi credere poterant ipſum eſſe cœleſtem, niſi accepiſſent à Patre, qui eos, qui credunt, trahit ad filium. Poſſet quidem homo alium hominem ad tertium hominem trahere, ſed ad filium non niſi Pater, & ad Patrem nemo quenpiam, niſi filius trahit, in relatione quidem hujus tractionis eſt virtus. Non etiam creditur, ſed nec ſcitur filius, niſi à Patre, neque Pater niſi per filium in notitiam venit. Quæ per relationem dicuntur, unum niſi per reſpectum alterius non cognoſcitur. Secus autem eſt de his. quæ ſecundùm ſubſtantiam, aut ad ſeipſa dicerentur. Arguuntur ergo Judæi, quòd non credebant Deum Patrem eſſe, ut nec filio tractu inviſibili jungerentur. Nec culpa non trahendi eſt refundenda in Patrem, ſed in eos, qui trahi nolunt, dum ſe alibi reſtibus ligant, ne trahantur. Non enim violentia trahit Pater ad filium, neque utitur poteſtate premente. In voluntatibus agitur, ut trahantur ad filium, una ſemper eſt præſto, ea quæ divina eſt, ſi humana conſentit, fit connexio, ſi diſſentit, averſio eſt in cauſa. Bonum eſt trahere, quoniam à Deo eſt, ſed trahi ſe permittere perficit unionem, & tractus finale præmium habet. Quod & pollicetur JEſus. Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Mors in experimento erat à primo innocente interempto per fratrem, nec in quoquã abolita, odio & tædio & timori hominibus erat, velut potiſſimè amatum deſtruens, quoniam vita placita erat. Et cùm ipſa non poſſet depelli deſuper firma decernente juſtitia, erat in parte ſola miſericordia, ſi iterum poſt debacchationem ejus reſurrectio eſſet ad vitam, porro erat, ſed non vera, non arte, non angelica, ſeu diabolica poteſtate, aut humana virtute. Solius Dei erat homines revocare ex mortuis, qui per filium miſſum ad ima noſtra, reſurrectionem hominibus mortalibus repromittit, prius factus ipſe in humanitate mortalis, quo merito liberaret ab imperio mortis. Et hæc duntaxat tractis à patre, ut credant in filium, ut ad beatam & æternam vitam reſurgant, promiſſio facta eſt. Et velut admirans, quòd non ſe trahi permitterent, aut duritiam eorum cervicis improperans ſcripturam prophetæ allegat, quod poſſibile penitus eſt homines edoceri, & ſuaderi eis, quòd hic JEſus ſit Filius Dei, pro ſalute hominum miſſus à Patre. *Eſt ſcriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.* Iſaiam maximè Salvator inducit, ut eorum animos ad credulitatem adducat, quod poſſunt omnes homines à Deo divina doceri, quamvis non omnes doceantur, & ab eo, quod factus eſt homo primus, ordinatus eſt ad ſcientiam divinorum. Aliter diabolus non potuiſſet eum decipere pollicendo ſcientiam, niſi cognoviſſet ad divinam ſcientiam ordinatum. Nec Adam præſtitiſſet aſſenſum, niſi quia ſe cognoſcebat etiam ſciendo majora poſſe percipere, cùm jam ſic arduam ſcientiam accepiſſet, ut cuncta creata per competentia nomina deſignaret. Igitur ſola voluntas obſtat diſcipulam fieri per ſcientiam fidei, velut ſuperba ſatagens per rationes, aut per ſigna divina cognoſcere. Sed docibiles Dei docentur à Deo, qui non vocibus ſtre-

pit

pit ad aures, ſed corda perfundit. Et ſi lingua humana divini oraculi facta eſt inſtrumentum, ſolus Deus in cordibus hominum, ut credant, inviſibiliter operatur. Proinde *omnis qui audivit a Patre & didicit, venit ad me.* Audire à Patre ſine medio non eſt per verba ſonantia, ſed infuſione peragitur. Sed audiuntur ab omnibus ea, quæ ſunt à Patre, non tamen omnis, qui audit à docente doctrinam eloquii ſui ſemper didicit, & eſt qui didicit. Eademque imagine multi divinum quid audiunt, & non diſcunt, ſed ille, qui audiens didicit, venit credens ad filium. Sonat in eccleſia vox divina, & quod mirum in lingua mortali multi audiunt, ſed non diſcunt, ex impatientia, ex incuria, ex negligentia, ex implicatione, ex faſtidio auditorum, ex colligatione animi ad materias, ex affectibus placitis, qui diſſolvi timent. Et quia ſermo Dei vivus, ſi capitur, diſcerpit ab omnibus animum, ex inclinabilitate cordis ad viſibilia, ex faſtu animi, ex in apparentia eorum, quæ dicuntur, evenit, ſi non diſcitur, quod docetur, Attamen audire à Deo Patre ex viſione non eſſe filius manifeſtat, dicens: *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.* Solus filius ab æterno Patrem vidit, atque cognovit, non tanquam alium in ſubſtantia, ſed tanquam alium in perſona, nun ut ſeparatum à ſe, velut objectum viſus aliud eſt, quàm viſus, ſed unum erat, imo eſt filii viſio & objectum Patris, quia ipſe & Pater unum ſunt. Nemo autem hanc viſionem habuit, aut habebit, etiam in illa patria viſio angelorum & omnium beatorum non erit, ut viſio filii, ab æterno unum exiſtentis cum paterna ſubſtantia Nec confert, quod alii evangeliſtæ dicunt, & cui voluerit filius revelare, quod viſio cæterorum viſioni filii ſit æqualis, quoniam illius ab æterno, illorum ex tempore, illius in ſubſtantia, illorum in accepto, illius in proprio, illorum in dato, illius in ſeipſo, illorum in participatione. Quòd ſi hoc de patria dixerim, multò magis negaverim etiam in via filium alicui revelare patrem, ut ejus, & qui revelationem accipit; ſi æqua cognitio.

Cap. XV.

Quòd qui crediderit in Dei Filium, vitam mereatur æternam; quia ipſe panis eſt vivus illam præſtans, ſecundùm Joannem ſolum.

Si vita æterna in deſiderio mortalium facta eſt, credatur in filium, qui juramento illam pollicetur. *Amen, amen dico vobis; qui credit in me, habet vitam æternam.* Ineffabile protinus eſt fidei meritum, ut vitam mereatur æternam. Deus ille tale pretium poſuit, ut tanti penderetur, non eſt inveſtiganda ratio, ſed ejus juſtitia facienda. Habet credulitas vitam æternam in promiſſione, donec de perſeverantibus ſpecies largiatur. Confirmat hoc JEſus ex eo, quòd eſt, ex eo, quòd in priſca vita non fuit. Hinc dicta exquirantur, ut intelligantur, unde credens Dei Filium habet vitam æternam? ex eo, quod dicit: *Ego ſum panis vitæ.* Unde priſci non habuerunt? Ex eo, quod adjecit: *Patres veſtri manducaverunt in deſerto manna, & mortui ſunt.* Ergo vita ex pane vitæ. Mors non ex Moyſe, neque ex manna, ſed ex invidia diaboli per Adam. dicit enim ſcriptura: Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. Quare igitur manducatio mannæ in hanc diſceptationem venit? Quia, cùm mors jam eſſet intruducta in orbem, non potuit auferri per Moyſen, neque per comeſtionem mannæ, quod populus ex pluitione Dei manducaverat in deſerto. *Sed hic eſt panis qui de Cœlo deſcendit, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur.* Ecce quod ex pane cœleſti comeſto imperium mortis deſtruitur, mors æterna omnino ſeperatur. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Non ſatis reputatum eſt, quòd ex pane comeſto mors æterna ſuperetur, niſi è regione vita tribuatur æterna. Proinde, cùm panis ſit omnino cœleſtis, ex eo manducans in æternum vivet. Ex ipſo cœleſti veròque pane, ſi fide vera comeditur, æternæ mortis imperium in hominis comeſtione evaneſcit, æterna vita confertur. Quod & ait: *Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Exponit quis ſit panis vivus de cœlo deſcendeas, quòd ſit ſua caro danda in mortem pro omnium vita mortalium. Sed neque caro de cœlo deſcendit, quoniam incarnari volens, neque corpus portavit de cœlo, ſed aſſumpſit ex virgine. Quomodo

Sapien. 2.

modo igitur panis vivus, qui de cœlo deſcendit, caro ſua eſt? Si deſcendit de cœlo, non caro. Si caro, non deſcendit de cœlo. Eſt panis vivus JEſus de cœlo adveniens carnem aſſumens, & uniente gratia tres ſubſtantiæ ſanctæ ſunt una perſona, non quòd caro de cœlo deſcenderit, ſed ſit unum facta cum aſſumente Dei Filio, qui deſcendit. Qui etiam ſignanter illam carnem aſſumptam, non deitatem naturaliter & æternè immortalem, non animam immorituram ex nihilo cteatam pro mundi vita daret in mortem, ut unica mors Chriſti duplicem mortem noſtram excluderet, & ad vitam æternam in duplici ſubſtantia præaptaret. Necnon & in cibum eandem daturus erat, cùm propria & ſecreta poteſtate in illam tranſſubſtantiando elementata converteret, & relinqueret mortalibus ſimilem, imo eandem potentiam convertendi atque ſumendi.

Cap. XVI.

Quòd in diſceptatione Chriſti cum Judæis de vitali cibo etiam Judæorum litigatio ſit exorta, ſecundùm Joannem ſolum.

NUnquam niſi inter unam & alteram partem contentio naſcitur, nunquam niſi inter diſſidentes litigatio generatur, Nam aliqui attolebantur ad doctrinam de cibo non quærentes rationem, tendebant in fidem, appetentes vitam æternam, non habentes quod apponerent doctrinæ propter defectum docentis, neque docenti propter falſitatem doctrinæ. Aliqui verò tumebant non valentes in factum, nitebantur in modum. Nam audito verbo: panis, quem ego dabo, caro mea eſt. *Litigabant ergo ad*
Joann. 6. *invicem dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Simpliciter credens factum non quærit modum, aliàs non eſſet ſimplex ipſa credulitas. Et ſignum eſt fidei fluctuantis, cùm myſteriorum Chriſti modus inquiritur, inſiſtentes adhuc in proceſſu naturæ, cùm aliqua ultra ipſam audiunt, modum nitentes inquirunt. Videntur litigare Judæi velut in hac diſceptatione diviſi, quia litigium agitur inter adverſas partes, & invicem conquirunt illi proponentes qui in fidei ſimplicitate non ſtabant. Quale autem Verbum hoc, quis inſolitus ſermo, quod iſtius hominis caro ſit cibus nobis tradendus ad eſum? Toti in ſenſibus erant, receſſerant ab internis. Quis unquam Judæorum commedit humanam carnem, niſi extrema illa neceſſitas coarctaſſet, ut in obſidione factum ſcribitur? Quis à ſeipſo partem carnis ſecavit, ut aliis præſtaret in cibum? Quis ſe totum interfecit, ut pabulum fieret aliorum? Abhorret ſenſus, aſpernatur ratio humanā edere carnem. Quomodo ergo iſte carnem ſuam ad manducandum poterit dare nobis? Et ſi eſſet eſilis edendusque pro æterna vita cito conſumeretur, pauci modicum quid acciperent. Multitudo reliqua ſalvandorum quid comedendum acciperet? Hujuſcemodi cogitationes verſabantur apud animas imperitas, fidei non ſubjectas, diffidentes de potentia pollicentis, ne modus inveniri poſſet, quo caro ſua veniret honeſtè ſine horrore manducantis in cibum. At quia JEſus non ediſſerit modum, ſed conatur in factum, videamus, ut caro ſua omnino comedatur, & ad hoc, ut fiat, minatur, & pollicetur. *Dixit ergo eis JEſus: Amen, amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habebit vitam æternam. Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Non ſedat Salvator litigium Judæorum hæſitantium de modo, apologiam non facit. Suadet carnem ſuam in cibum accipere, & ſanguinem in potum, ni fiat, interminatur vitæ carentiam, ut fiat, vitam promittit æternam. Et ſi mors cunctos depaſcens, obicem de vita æterna faceret ad credendum, etiam ſæpius reſurrectionem diei ultimi repromittit, utiliorem partem pro auditoribus ratus, quæſitorum in credendis non reddere rationem, ne infirmaret fidem, quæ rationibus non fulcitur. Quæ ſi redduntur, fides ipſa minuitur, & tandem ejus demitur præmium proveniens ex eo, quod non videtur, creditur id etiam quod nulla intelligitur ratione, ſeu per naturam evidens demonſtratio prærogatur, aſtruens eis ſubſequis formam, ne concionando credenda in reddendam rationem trajiciant, ne fidei meritum adimant. Ac per hoc, quia Deus eſt, qui hæc ſic ordinavit, in quibus fidei ſcientiam poſuit. In qua juſtitiam ſupra veterem legem, imo ſine compoſitione perfectam, quia illa im-

imperfecta erat, ſtatuit in qua ſolvos facere homines ab æterno prædeſtinavit. Non quæratur à mortalibus modus operum divinorum, neque ratio factibilium: Nec ſi à faſtuoſis quæritur, quis rationem reddere conetur. Superbè quæritur, amplius ſuperbit, ſi quis intitur elucidare modum & rationem eorum; quæ humanas intelligentias omnino tranſcendunt. Quorum modus & ratio ſola eſt divina volnntas; quia ſicut voluit, ita ordinavit, & fecit. Cujus velle modum ſuarum actionum inquirere, tale dixerim, quale ſi proprio humero quis vellet imponere totum orbem.

Cap. XVII.

Quòd cibus carnis Chriſti & potus ſanguinis ejus ſecundùm rationem & modum fidei ſumpti, verè donent vitam æternam; ſecundùm Joannem ſolum.

Gene. 2. LIcentiam habuerunt protoplaſti in paradiſo delitiarum poſiti, edere de omni ligno, quo ille hortus conſitus erat, etiam de ligno vitæ, quod comeſtum vitam præſtabat, tantum de uno prohibitio facta eſt, non tanquam de malo; quia nullum malum Deus fecerat, ſed ut in illo probaretur obedientia ſubjecti, & imperium præceptoris, quæ probatio de re mala eſſe non debuit. Et ſub interminatione mortis prohibitio facta eſt, ut cautius ſervaretur. Non autem in prohibitione ſervata ſive abſtinentia promiſſum aliquid eſt; quoniam abſtinentia & prohibitione non apponit præmium divina juſtitia, ſed ſatis eſt, ſi ſupplicium non incurrit. Præmium autem ligno vitæ appoſitum erat, ſi ſumptum fuiſſet ad eſum. Igitur cavere à malo præmium non meretur, ſed pœnam evadit, bonum verò agere non ſolùm effugit ſupplicium, ſed nanciſcitur præmium. Applicaverunt ad prohibita voluntatem, & opus ſuaſione callidi tortuoſi; & incurrerunt mortem, ad quam facti non erant, & privabantur vita, pro qua & ad quam facti erant, non edentes illud vitale lignum. Cætera verò ligna per indifferentiam erant. Igitur omne humanum genus morte multatum, & vita privatum erat, nec ei aderat aliunde ſpes fugiendæ mortis, petendæque vitæ, niſi cùm Deus in ſuo imperio jam contemptus, hominum miſeratus voluit ſubvenire. Verum quia per cibum vetitum mors in ultione fuit, & in privatione vita, per intactum conceſſum, per cibum cœleſtem, editum diviné, verum, ſyncerum, ſine admixtione contrarii depelleretur horrida & odioſa mors, & vita optata redderetur, dum ſervetur obedientia de ſumendo, prout in vetito inobedientia eſt
Joann. 6. ſervata. Et hoc eſt, quod Salvator dicit: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus; Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo.* Per cibum mala, per cibum bona proveniunt, ſed non per eundem; nullus tamen cibus eſt malus, ſed mala ſumptio eſſe poteſt. Omnis creatura Dei bona, omnis cibus valetudini aptus, quia natura bonus, ſed melior unus alio invenitur, nullus tamen cibus eſt verus ad amatam promiſſamque vitam, niſi unus de quo JEſus: Caro mea verè eſt cibus. Omnis cibus, ſi bonus eſt & verus, ex eo; quod eſt, & aptus ad iſtam fallacem vitam pro tempore, non æternè. Ad vitam veram æterneque manentem, ſolus eſt Chriſti caro. Et quemadmodum cibum potus conſequitur, ſic carnem ſanguis. Igitur & ſanguis ejus verus eſt potus, ſicut caro verus eſt cibus. Omnis verò ratione utens veritatem in omnibus quærit, in nulla falli vult, quanquam perverſus ſæpe fallere velit. Nullus vellet paſci ſomniato cibo, neque picto, ſed vero, ſi famem pateretur, indigeretque cibari. Si fames verò cruciat, nil pendit, ſi dormiens ſomniet eſum, aut videat pictum in pariete cibum. Venter repletus ridet ex his quouſque vacuetur. Vivere appetens vitæ fulcimenta conquirit, & eo meliora, quibus ſanior vita ſervetur. Proinde quia veræ famis inedia cruciamur, quia vivere in æternum vellemus; quia cuncta terrena in veritate non ſatiant, non mortem depellunt, vitam æternam non præſtant; verum cibum, verumque potum oblatum debita ſumptione capiamus. Sed unde deſtructio mortis? Ex cibo potuque cœleſti. Quomodo quis eruetur ab illa? quomodo æterna vita ex hujuſcemodi donabitur? Ex manſione in illo, qui ſuper mortem habet imperium, & æternam tradere vitam à patre traditam poteſtatem. Quomodo ergo in illo manebimus? Per comeſtionem carnis, ſumptionemque ſanguinis, quoniam qui manducat meam carnem, & bibit me-

um ſanguinem, in me manet, & ego in illo, Mutua fit manſio ex his aſſumptis, ut ille in nobis maneat tanquam vita in mortali, & nos in illo tanquam in fonte vitæ. Si ipſe, qui eſt vera & æterna vita manet in nobis, & nos verò mortales in Chriſto vita manebimus, abolebitur mors, æternaque vita in poſſeſſione fiet ex interpoſito ſervatoque pacto, quod carnem ejus comedamus, bibamus & ſanguinem. Evidens in fide ratio devitanda mortis concedendæque vitæ ſubjungitur: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem. Et qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Originalis, & fontalis, & prima, & principium vitæ Pater, à quo & in quo filius vivens propter Patrem. Vita quidem Patris & filii una eſt, & nobis aliunde quàm ab ipſo eſſe non poteſt. Propterea dicit: *Qui manducat me, ipſe vivet propter me.* Non monemur manducare Patrem, quoniam Pater non aſſumpſit manducabilem carnem, ſed filium illam aſſumentem, ut vita noſtra ſit in filio & in Patre: in filio, ſi ejus carnem manducaverimus: in Patre, quoniam ab ipſo eſt filius. *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.* Ad confirmationem auditurorum & crediturorum ſæpe repetitur hujuſcemodi verbum, ad differentiam illius panis, qui manna dicebatur, quod Deus in deſerto patribus pluit, cùm ille non præſtiterit vitam, ſed iſte præſtat æternam. Propterea ſequitur: *Non ſicut patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt.* Ac ſi patenter dicat: Hic JEſus Dei Filius panis eſt de Cœlo deſcendens, ſed non ſicut ille panis in manna, quem Patres veſtri manducantes etiam mortem corporis ſunt experti, quoniam ex illo vita non erat. Reficiebat ad horam corpora juxta vota, mitigebatque famem, non autem depellebat. Iſte verò præſtat vitam, famemque depellit. Proinde, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, quia ipſe eſt vita æterna ex patre, quamvis temporalis ſit ex matre. In omnibus autem his verbis nec modũ manducationis aperuit, de quo maximè fuerat litigatio ad invicem Judæorum, ut ſupra perlatum eſt, ne fidei robur decreſceret, & meritum ejus non tam altè appenderetur in lance. In fide factum, in fide modus exiſtit. Plus enim eſt, quod voluit hoc facere, fecitque, quàm modus in facto, atqui ſi factum in fide, modus non erit in declaratione. Non etiam præponitur hujuſmodi cœleſti facto modus ejus. Si quis igitur in omnibus actionibus ſalvatoris ſibi præſtiterit ex captivato intellectu facto fidem, non quærat ulterius modom & rationem. Eo autem fortè de modo reticebat, quoniam adhuc non paraverat, aut dederat cibum ex ſua carne, quem in ultima cœna fecit, cùm in carnem ſuam panem, & in ſanguinem ſuum vinum inviſibili & divina poteſtate convertit, ipſe prius ſumens, deinde cæteris diſcipulis ad manducandum & ad bibendum tradidit. Non tamen ex hoc, quomodo illa converſio & manducatio fiat carnis, alicui mortalium, niſi veris fidelibus ex fide, non ex rationibus aut demonſtrationibus patuit, hoc duntaxat multiplici verbo aſſerens, quod hujuſcemodi cibus carnis & potus vini operatur ſumentibus ad vitam æternam ſub pollicitatione veritatis. Et civitas in qua hæc promulgata doctrina, credulitati facit argumentum, ex eo, quod evangeliſta ſubjecit: *Hæc dixit in ſynagoga docens in Capharnaum*, quæ interpretatur villa pin-
guedinis. Et pinguis eſt panis JEſu, de Gene. 49.
quo in benedictione Azer prophetatum fuit: Azer pinguis panis ejus, & præbebit delitias regibus.

Cap. XVIII.

Quòd ſermo de cibo vitali aliquibus diſcipulis viſus ſit durus; quorum murmurationem Chriſtus conatus eſt auferre. ſecundùm Joannem ſolùm.

NOn capitur à parvis ingeniis dogmátum altitudo. Temperandus eſt ſermo ad intelligendi virtutem, & intelligentiæ facultatem. Si doctor ſupergreditur, aut non quærit intelligi, aut in admiratione fieri appetit, ibi verò ſterilitas, hic vanitas. Sed nec JEſus in his erat, ſatagebat, ut intelligeretur, & devitabat jactantiam. Unde igitur ſermo ejus ad intelligendum ſeu proficiendum durus viſus eſt? Unde adversùs Chriſtum murmuratio eſt exorta? Non ex altitudine verbi, quamvis altiſſimi, offerebatur enim fidei, non intellectui naturali, defectum cujus ad intelligendum ſuppleviſſet & fides. Si novus & inſolitus, in admiratione animum debuiſſet ſuſpendere, non in illam improbitatem inducere, ut veritatem appellarent duritiam, & murmurarent adversùs recta loquentem. Sed mos eſt hominum perverſorum, & erectarum cervicum, id in doctrinam doctorum re-

fundere

fundere quod animo geſtant, & allegare impoſſibilitatem in præceptis, & murmurare de rectis, nec exercent intellectum, ut ſciant, ne impoſita faciant, impoſturam inquirentes adversùs ſanam doctrinam. Et ſæpe doctorem murmurando blaſphemant, neque conſiderant dictum, dicentemque non advertunt. Sicque de ſermone verbi vitalis mala reſponſio facta eſt, ſicut evangeliſta teſtatur, dicens: *Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire?* Dicebantur aliqui Chriſti diſcipuli ex auditu ſermonum ejus, quidamque ſequela, ſed hi non erant de numero duodecim apoſtolorum, aut de numero ſeptuaginta duorum diſcipulorum, de quorum numero nemo periit, niſi unus: ſed diſcipuli erant, dum audirent, ſequerenturque perſonam. Qui ſermonem humilem, ſanum, congruum humanis inviſibilibusque languoribus, omnibus volentibus aptum, pulchrum, per omnia reprehenſione carentem, durum appellaverunt ad intelligendum fortè, ſed nec excuſatio, dicebatur enim, ut crederetur, aut ad agendum videbatur difficilis. Equidem ſi corpore agendum aliquid indixiſſet, ſeu moleſtum ſenſibus, aut difficile, aut impoſſibile, quid ineptum & inverecundum. Neutrum habebat, ſed duritia erat in animo Judæorum, qui duræ cervicis homines à creatore omnium appellati ſunt: Ideo durum appellaverunt ſermonem ejus, impoſſibilitatem ſibi obediendi adjicientes. Quis poteſt eum audire? Auditi protinus auribus corporis potuit, ſed ad intelligentiam & obedientiam ipſa impoſſibilitas refertur. Hi non humiliter venerant ad doctrinam, tumebant animo, cauſam quærebant ut à ſalvatore diſcederent, velut qui cauſam quærit, qui vult recedere ab amico, ſed non datam à Chriſto, à ſeipſis illegitimam invenerunt. *Sed ſciens autem JEſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli ejus, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem, ubi erat prius. Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam.* Sciebat omnia, quæ cogitabantur, & dicebantur, atque fiebant ab hominibus apud ſeipſum, non perceptione ſenſuum facta relatione, ſed propria cognitione divina, quam nihil latere poteſt, qua novit, quod aut eſt in cordibus, aut ſuppreſſis ſermonibus murmurabant, & inonerosus ſibi providebat ipſis, ne decepti reſilirent, & vitam æternam perderent promiſſam in cibo vitæ. Dixit eis: Hoc vos ſcandalizat, quòd dixi de cibo vitæ in æternum manente, quod vitam æternam dat, quam non habuerunt patres in manna, quòd prætuli me Moyſi, quia dixi me vivum eſſe panem, qui de cœlo deſcendi, quod reſurrectionem promiſi futuram in noviſſimo die, quòd in me credere vitam eſt nanciſci æternam, quòd ad ipſam habendam oportet meam manducare carnem, quæ verus eſt cibus, & meum bibere ſanguinem, qui verus eſt potus. Si iſta ſunt, quæ vos ſcandalizant, me tantum hominem cogitantes, innitentes eo, quod genealogiam ex carne cognoſcitis, rectè tamen ſapientes ſciunt iſta omnino ſenſum & omnem hominum excellere tranſcendereque virtutem. Sed plus in me viſuri ſeu de me audituri eſtis, ut ſi quamvis homo dixi, virtute divina tamen faſſus ſum. Proinde ſi videritis filium hominis quem me ſolùm eſſe cogitatis, aſcendentem ubi erat prius, quia Dei filius, aſcendentem ut homo, ubi prius erat ut Deus, patebit credendi via, faciliter cogitatio retundetur, quod carnalis genealogia mihi adimat poteſtatem, & ſi qua dicta vos ſcandalizant, animos veſtros in fide quietabunt, & ſcandalum ex viſa carne ſumptum delebitur, quoniam ſpiritus eſt, qui vivificat, caro autem non prodeſt quicquam. Nolite carnem aſpicere ad nihilum ipſa valet. Omnis caro fœnum, & prudentia carnis mors eſt. Etiam caro Chriſti ſic inſpecta nihil utilitatis afferre poteſt, ſi deitas, quæ ſpiritus eſt, in unione cum ipſa non eſſet. Caro, ut apertè ſumatur totus homo, non prodeſt, niſi deitas in fide ſit cum homine. Caro etiam ſuo more loquitur, ſed illa, quæ loquitur lingua carnis, ſpiritum habent & vitam. Ideo dicit ipſe JEſus: *Verba quæ ergo locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Inde dictum: Caro quam aſpicitis & cogitàtis non prodeſt, neque illam ad veſtrum prædicavi profectum, etiam cum ſumendam tanquam verum cibum adixi, ſine ſpirituali unione deducta cum credulitate deitatis æternæ, nec ſine ſpirituali intelligentia veritatis, ac per hoc injuſta erat ſupra diſſerta cogitatio Judæorum, ſed juſta reprehenſio, Salvatoris, irrationabile ſcandalum, ſed ejus ſedatio rationabilis, cùm ad id tenderet JEſus, ut, quod ab ore humano procederet, ſpiritus & vita eſſe crederetur. Sed aliquorum incredulitas obſiſtebat, quam Salvator aperuit, dicens: *Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat JEſus ab initio, qui eſſent non credentes, & qui eſſet traditurus eum.* Perſpicuum, atque luce clarius eſt, quod Deus neque potentia, neque ratione

ted-

reddita utebatur in dictis actionibus ejus, ſed tantum nitebatur ad introducendam fidem ad corda, quæ audiebant, & quòd ex incredulitate ad ſua dicta omne ſcandalum erat, ex hoc, quòd ait: Sunt quidam ex vobis,qui non credunt. Quòd ſi crederent, non ſcandalizentur in his, quæ à JEſu dicta ſunt, imo potius lætarentur, quoniam verba ſunt ad eundem in domom domini, in quorum figura loquebatur David: Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, quoniam ex his in Domum Domini ibimus. Non latebat JEſum ab eo, quo cœperat congregare diſcipulos, credulitatem aliquibus non affuiſſe, aut etiam defuiſſe, necnon & prænoverat proditorem. (Pſal. 121.) Seu ab initio pro æterno verba ſunt evangeliſtæ, non Salvatoris. Quj & *dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à patre meo.* Hoc jam eſt ſupra diſſertum.

Cap. XIX.

De diſcipulis, qui non credentes verba domini receſſerunt retro abeuntes, ſecundùm Joannem ſolùm.

COnvertit ad dominum fides, incredulitas verò venire non ſinit, aut svertit, Nectit fides, incredulitas latè vagatur, aut jugatum ſolvit. Fides verborum altitudinem non veretur, quibus ſubjecta ſuperfertur non terretur ab inapprehenſibili, omnia capit credens. Apprehenſio naturalis è regione conſiſtit, & incredulitas graditur in perverſum. Ipſi ſemetipſos accuſant, qui non adhæſerunt ex corde in fide invariabili, qui ex in captibilitate verborum retroceſſerunt. (Joann. 6.) Unde Evangeliſta, non Salvator ediſſerit. *Ex hoc multi diſcipulorum abierunt retro, & jam non cum illò ambulabant.* A Chriſto deficere non eſt eum quo fiat honeſtum fœdus, & cùm receditur ab ipſo, non ad domum aut ad quietem, ſed in mortem itur. Etenim ipſe vita. Et lapſus eſt ad errores veritate relicta, etiam ipſe veritas cùm ſit. Necnon per devia quæque tendit, qui rectam deſerit viam. Ipſe quippe via factus nobis ad pœnitentiam. Væ! igitur qui relinquunt iter rectum, & vadunt per vias tenebroſas, ſed qui retrocedunt, de dei regno deſperent, quoniam nemo mittens manum ad aratrum & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei, quod ſe in ampliora extendentibus non retroverſis datur, Vile vinculum eſt, quod verba diſſoluunt. Quid ſi adjecta tormenta fuiſſent? Nexus utique fidei & amoris Chriſti, ſi verus extiterit, ex verbis, & pœnis, atque tormentis etiam interminando quis mortem amplius innodatur, & ſub preſſuris increſcit, & æquè ut verba deridet verbera. Sed puſillanimes ſibique placentes, verborum autem indignatione difficili ſeu impoſſibili ab intellectu puro non adjuvante fide aut dubietate, ſeu quodlibet hebetudine reſtricti & territi retroſpiciunt, & non ambulant mente, vita moribùsque cum eo, ſine quo erratur & incidit ur in latrones, & urſos, & nunquam optatum devenitur in terminum. Velut in virtutibus omnium bonarum actionum principium eſt fides, ſic incredulitas excludens à bonis in voraginem omnium malorum immerſit. Nullus quàm puræ fidei major nexus, ſed qui citò reſiliunt, nondum attigêre illam fidei puritatem, aut non addiderunt fidei charitatem. Et nulla ſejunctio remotior, quàm infidelitatis, & non adhibitæ charitatis. Abeunt ergo retro, qui repetunt affectu perverſo ea, quæ non odio dimiſerunt, & in moribus perditis reverſantur, quos jure reliquerunt. Abeunt retro, relabuntur in indirectionem voluntatis, qui regulari nolunt cœleſtibus diſciplinis, contra quos Petrus in epiſtola ſua dicit: (2. Petri 2.) Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitionem ſalvatoris domini noſtri JEſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt cognitionem retrorſum converti ab eo,quod illis traditum eſt ſancto mandato. Contingit etiam illis illud veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti, Divina librante juſtitia nemo hæſitet deteriorem fieri retrorſum converſum, quàm non fuiſſe converſum. Qui enim ſemel improbabili ratione placuit, ſine peccato inexcuſabili diſplicere non poteſt. Eſt etiam manifeſtus error, à ratione mentem avertere. Et quanquam de myſteriis ſalvatoris ratio aperta reddi non poſſit, tamen ab ipſo recedere nulla ratio ſuggerit, neque ſuaderi poteſt irrefragabili argumento. Satis enim eſt ad ſequelam ejus non habere oppoſitam cauſam, neque relinquendo propitiam,

Cap. XX.

De diſcipulis, qui electi à Chriſto ipſum ſolum eligentes cætera contempſerunt, ſecundùm Joannem ſolùm.

PEr interrogationem verbalem JEſus ſuos diſcipulos experitur, quid elegerint, quamvis corda omnium ſciret, ſed ad confeſſionem oretenus trahit. Quod ſi corde ad juſtitiam, quæ per fidem eſt, credunt, oretenus exprimant quod ſentiunt ad ſalutem, & ut pateat fides bonorum per incredulitatem perverſorum, & incredulorum eluceat pervicacia confeſſione fidelium. Necnon, ut JEſus prodat ſe agere libertate, non coactione, voluntate, non neceſſitate, ſicque velle ipſi adhærere volentes, & permittere abire volentes, idcirco quibusdam recedentibus JEſus ad duodecim eſt locutus. *Dixit ergo JEſus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire?* Quia receſſerunt aliqui ob incredulitatem in arbitrio proprio conſtituti. Sciens tamen latebras mentium ipſorum, illos interrogat, ſi abire alio volunt, ſicut illi abierunt, ut permittat abſceſſum. Ac ſi eos ſermone tali alloqueretur: Meum fuit vos recipere venientes, venire veſtrum: meum retinere diſcipulos, veſtrum eſt penes manere doctorem, aut abire liberi, ut veniſtis. Non cogo, non aufero libertatem. Vidiſtis quæ feci, audiſtis quæ dixi. Eſt ne ſermo durus, cùm præcipit, cùm conſulit, cùm juſte minatur, cùm miſericorditer pollicetur? Capit enim veſter in fide intellectus. Eſt ne quid in cauſa? Vultis ne abire increduli, an mecum manere credentes? Non quod Chriſtus velit ab ipſo celebrari divortium, ſed ſinit unumquenque ſuum placitum quærere, ſive ſic, aut ne aſſequatur, & libero uti arbitrio. Attamen ab his, qui fide ſibi intremula adhæſerunt dicitur: *Nam reſpondet ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Juſtam honeſtamque deſperationem propter optimam & infallibilem ſpem apoſtoli conſciverant, cùm Petrus reſpondet pro omnibus: Domine ad quem ibimus? Deſperavimus de omni homine, quoniam maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Et nolite ſperare in principibus in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Et quis eſt, qui nos eruat de poteſtate tenebrarum, qui transferat in regnum æternum, niſi tu ſolus, qui verba vitæ æternæ habes? Et nos mente credimus, & per miracula facta cognovimus, & tu infudiſti cordibus noſtris fidem, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Supergrediuntur apoſtoli hac confeſſione Judæos, qui tantùm Joſeph & Mariæ filium aſſerebant, Dei Filium confitentes, in quo ſolo ſpe omni alia derelicta, pro vita æterna ſperantes, uti dicerent; Et nos vivere in æternum quærimus, ad hoc ſatagimus, ut in æternum vivamus, igitur ad quem ibimus, ut vivamus? Ubique dominatur mors, & ſi creatura eſt aliqua, quæ non moriatur, vitam alteri conferre non poteſt. Tu vita, & apud te eſt fons vitæ, non tranſitoriæ, ſed æternæ. Verba tua depromunt, quæ ſunt æternæ vitæ. Alias legimus Petrum pro omnibus apoſtolis confeſſionem de Chriſto ſimilem protuliſſe non per revelationem à carne aut à ſanguine, ſed prædoctus à patre. Ita & hic don humana ſapientia, ſed divina perfuſus verbum confeſſionis ſalutiferæ eructavit. Sed ibi quaſi pro ſe locutus beatificatus eſt, hic verò exceptionem unius audivit à confeſſione, quam fecerat, cùm pro omnibus loqueretur, dicens: Et nos credimus, & cognovimus, neſciens unum eſſe diabolum inter eos, quem Chriſtus declarat ex mala qualitate, tacens ex nomine. *Reſpondit eis JEſus: Nonne duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt?* JEſus elegit apoſtolos, non ipſi dominum JEſum elegerunt, ſed electi, ut ſalvi fierent, conſenſerunt: attamen unus, qui non conſenſit, diabolus factus eſt à ſeipſo, malitia, non natura. Utque vellet differere Chriſtus: Non mirum ſi aliqui abierunt retro, quos non tanta prærogativa dignitatis elegi, cùm vos duodecim præ cæteris inſigniverim, quos Apoſtolos nominavi, etiam inter vos unus de electis à me, ſed non ante mundi conſtitutionem, aut ab æterno, quoniam non ſic jam eſſet diabolus. Nec omnes hoc animo creditis & tenetis, quod ore confeſſus eſt Petrus, cùm inter vos unus veſtrum exiſtat diabolus. Daclarat autem exangeliſta in ſcribendo evangelium quis hic fuerit, cujus nomen Chriſtus ſemper tacuit. *Dicebat autem de Juda Simonis Iſcariotis, Hic enim erat traditurus eum, cùm eſſet unus ex duodecim.* Perſpicuum eſt non eſſe diabolum natura, ſed vitio:

cùm

cùm à ſalvatore Judas ſit diabolus appellatus, qui fuerat electus apoſtolus. Timor cum cautela præſtruitur, ſi homo poteſt ſua malitia diabolus fieri, cujus nomen horrendum eſt nominare. Veruntamen multi nomen exhorrent, ſed facta diaboli non abhorrent. Sed tolerabilius eſſet, diabolum videre, quàm eſſe: ipſum vexantem pati, quàm fieri. Ac per hoc, ſi Judas proditor à ſeipſo potuit diabolus fieri, quot igitur ſunt depravata mente facti diaboli? Quid igitur expedit diabolo ſpirituali, ut ad culpam homines tentet, ſi ipſi ſibi homines facti ſunt dæmones? Nemo cauſetur adversùs inviſibilem hoſtem, dicens: hoc mihi fecit diabolus, ſi homo à ſeipſo eſt diabolus factus. Et ſicut primus diabolus à ſeipſo factus, non ab alio, ſic homo diabolus non fit, niſi à ſemetipſo. Non enim traduce naturali diabolus à diabolo gignitur, neque cuditur arte, manu ſeu aliquo inſtrumento, ſive à ſpirituali tantùm, ſive à conjuncto diabolo. Inſit igitur hominibus cautus timor, & timoroſa cautela, magis à ſeipſis ne diaboli fiant, quàm ne à jam factis tententur, quàmve ſocientur. Nam in inferno crudelior erit pœna ſua pravitate ſe videre diabolum factum, quàm cunctos alios ſibi habere adhibitos ad tormentum, & ad æternum conſortium. Necnon timendo caveant, & cavendo contremiſcant, ſi qui ſint, etiamſi eſſe aliquid magni videantur, ne efficiantur ex peccato diaboli, cùm audiunt diabolum factum unum ex duodecim diſcipulis filii Dei, cui non profuit Chriſti præſentia, ſuperna ſibi declarata doctrina, & apoſtolorum ſancta ſocietas, quin à ſeipſo efficeretur diabolus, cùm aliis antiquis dæmonibus in æterno igne ſociandus.

Cap. XXI.

De diſceptatione habita inter JEſum & Phariſæos & ſcribas ſuper munditia ſpiritus & munditia corporis, ſecundùm Matthæum & Marcum.

Acti ab invidia ſeu per odium, quod præter rationem eſt in alterum ardentes quærunt ſemper unde calumnientur, & adversùs exoſum etiam in minimis captionis laqueos tendunt. Ex iniquitatis inceſſu phariſæi & ſcribæ Chriſtum perſequebantur. Eſt etiam & perverſorum genus, qui omne, quod agi vident, alia lege quàm agant, reprehendunt: faſtu præſumentes omnia debere fieri lege inventa potius, quàm divina. Et ſi divinæ deferunt, quandoque audent & ſuas inventiones legi divinæ componere, ut eadem cenſura ſerventur. Sunt & qui omne, quod non agitur eorum ſanctionibus, exiſtimant eis adverſum, necnon & authores in hoſtilitatem recipiunt, in quos verborum & morum improbitate deſæviunt. Necnon & reperiuntur, qui cultui corporis intendentes, ſua interiora dimiſerunt, quorum omnium ſimilitudinem gerunt phariſæi & ſcribæ. De quibus dicitur: *quod, cùm veniſſet JEſus in terram Genezareth, & feciſſet multa miracula, tunc acceſſerunt ad eum phariſæi, & quidam de ſcribis venientes à Jeroſolimis. Et cùm vidiſſent quoſdam de diſcipulis ejus communibus, id eſt, non lotis manibus manducare panem, vituperaverunt.* Nihil factum, nihil urbanum, nihil ad cultum corporis, nil alienis oculis placitum ſuos diſcipulos Chriſtus docuerat, ſed omnem mundi corporis contemptum, ut etiam menſam in contemptu corporalis munditiæ ponerent, panem ſeu cibum illotis manibus manducantes. Regni cœlorum urbanitatem docebat JEſus, & animarum nitiditatem, non corporum baptiſmata prædicabat. Et interioribus ſuis intenti, exteriorem cultum per omnia parvipendunt. Et argumento fit, quòd exterioribus dediti, ſua interiora ſpreverunt. Exteriora ſpernentes, intima ornare conantur, in ipſiſque delectantur. Atqui ſi aliquando contingat extra in aliquo fieri, pœnaliter ſunt, citò ad intima ſua redeunt, quæ virtutibus colunt, ſed exteriorem corporis incuriam in aliis vituperant, illam in ſemetipſis amantes. Laudetur tamen divinum magiſterium pro ſupernis, & diſcipulorum humilis obedientia in agendis. Et è regione ſunt, qui exteriora ſua magis quàm ſua interiora colunt. Phariſæi enim & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditiones ſeniorum, & cùm à foro veniunt, niſi baptizentur, non comedunt. Et alia multa, quæ tradita ſunt illis ſervare, baptiſmata calicum & urceorum & æramentorum & lectorum. *Et interrogabant eum phariſæi & ſcribæ, dicentes: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum?*

Matth. 7. Matt. 15.

num? Non enim lavant manus, cùm panem manducant. Ecce cultus corporis, ecce nitor exterior, ecce munditia inutilis & baptiſmus ſterilis. Ordinationes, & ceremoniæ traditionesque hominum ſunt iſtæ, non Dei, nullo modo divinis exequandæ præceptis, etiamſi multa utilia continerent, cùm nihili ſint pendendæ, pro eo, quòd diverſa baptiſmata corporum, & vaſorum maculas internas non abluunt, ſed habent quandam jucunditatem forinſecam, & perfunctoriam, incompaſſibilem ad virtutem, necnon & duntaxat humanè ſentientes, quia quæ corpori congruunt, pro decreto & lege ſuſcipiunt, id agentes, ut velut edicta divina ſerventur. Ideo audacia improba doctorem & diſcipulos arguunt, dicentes: Quare diſcipuli tui transgrediuntur traditiones ſeniorum? Si diſcipuli, ergo ex doctrina magiſtri aliquid negligunt agendum, aut non faciendum committunt, diſcipulorum culpa potius refunditur in doctorem. Cauſam interrogant, non ut laudent, ſed ſi aſſignatur, ut improbent, & cauſam habeant contra eum. Sed quæ talis transgreſſio? Non enim lavant manus cùm panem manducant. Quærit invidia in minimis calumniam adversùs quem agitur. Quid enim habebit delicti, aut criminis manducans illota manu? Ad ſeipſum horror illius lotionis erat. Et ſi fortè ad commenſalem, plus erat tolerare aliquando infirmum membro diminutum, & quod amplius moribus ſpurcum, quàm manibus illotum. Non enim lavant manus, cùm panem manducant, quoniam jam tranſlati erant ad Chriſtum à ceremoniis Judæorum, qui non exteriora, ſed interiora docuit baptizare. Indicio ſanè erat ſapientibus, quod cœleſtis magiſter cœleſtisque doctrina, & quòd in illa diſcipuli jam facti erant, ſubinferentes omnem corporis curam carnisque nitorem. Contemplandum eſt multò mentis intuitu in proceſſu hujus almi regis, cum quibus commilitonibus quibusque familiis graditur, ineptis ad humana, & nulla mundi gloria fulgentibus, ſed regno Dei aptis. Sed iſta ſua doctrina ineptos ad iſta pro illis aptos effecerat, quamvis etiam tales elegerit, ut ab ipſis primoribus rudimentis ruſticitatem potius, quàm facetiam redolerent, ad adſtruendam hanc fidem, ut omne quod agebatur, crederetur divinum non humanum: JEſus tamen ſummus apologeticus non reſpondet malè quæſitis, ſed per inexcuſabilem culpam retutat quærentes, *Ipſe autem reſpondens, ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Sunt traditiones & mandata hominum, quæ divinis congruunt, & conferunt, ut ſerventur, & hæc tenenda ſunt. Sed ſunt, quæ nec conferunt, nec avertunt. Horum nec in obſervatione præmium, nec in prævaricatione demeritum in conſpectu ſummi judicis omnia judicio infallibili decernentis, niſi ab inſtituentibus ex authoritate pro prævaricatione pœna realis ſeu perſonalis eſſet appoſita. Sunt, quæ obſervata infringunt divina, virtutemque depellunt. Hæc ſub quacunque interminatione pœnarum, etiam mortis ſervanda non ſunt, & ſtatuentes contemnendi, reprehendendique factores. Itaque JEſus arguit phariſæos. Quæ ſunt ſtudioſius obſervanda præcepta, divina an humana? Liquet, quia divina. Vos igitur impingitis in diſcipulos meos transgredientes traditiones ſeniorum, quæ absque culpa transgredi poſſunt, & non confundimini pœnitentes, quod propter iſtas traditiones divina mandata contemnitis, quæ præter Dei offenſam nulla poſſunt ratione contemni. Ordinaverunt propter avaritiam & cupiditatem, quod filii juxta præceptum domini non honorarent parentes, eo videlicet honore, quo ſubveniendum eſt eis, cùm neceſſitas adeſt, & urget inopia, quod quidem ordinaverant ſub falſa ſpecie pietatis, ut à parentibus ſubtracta neceſſaria munera deferrentur in templum, in uſum philargycum ſacerdotum. *Nam* Exod. 20.
Deus dixit & Moyſes: Honora patrem tuum & matrem tuam. Et qui maledixerit Deut. 5.
patri vel matri, morte moriatur, Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri vel matri, munus ſeu corban quod eſt donum quodcunque, eſt ex me, tibi proderit, & ultra non dimittitis quicquam facere patri ſuo aut matri, recidentes verbum Dei propter traditionem veſtram, quam tradidiſtis, & ſimilia hujusmodi multa facitis. Introducit JEſus diſceptando explicitum à Deo & Moyſe præceptum, ut cupa pateat ex contemptu. Erat in lege Dei præceptum ut parentes honorarentur à filiis omni honore, quem filii ſecundùm honeſtatem poſſent exhibere parentibus. Sed traditio humana cupida & avara id egerat, ut in honore debito à filiis fallerentur, & ſi nulla expoſitio adderetur in litera, quæ ſic erat, ſufficit patrona ſententia ſalvatoris, qua colligitur, quod traditionibus hominum Dei præceptum venerat in contemptum. Sed nec inſiſtendum textui literali, quoniam aperiendo ſingula multa explicatio ſequeretur. Sed excepta rei ſententia utraque veritas pateat, literæ videlicet & rei geſtæ & perperam ordinatæ,

quòd filii quicquid poterant accipere, at-
que ſubtrahere parentibus, necnon lu-
crum proprium partum laborè manuum,
ſeu quocunque ſtudio, non daretur in ſub-
ventione parentum, ſed deferretur in cor-
bonam templi, de qua ſcriptum alibi eſt
de pretio relato per Judam. Non licet
Matt. 27. eos mittere in carbonam, quia pretium
ſanguinis eſt. Erat autem corbona, ubi
ponebatur in templo pecunia ſacerdotum.
Sed ex tali traditione non confundebantur,
quod mittebatur quaſi furtum, quod de
lege naturæ, de jure legis Moſaicæ à Deo
datæ, à filiis pro ſubventione parentibus
debebatur, & reſcindebatur præceptum,
quod erat de honore parentum. Et mul-
ta contemnendo divina mandata faciebant,
quæ Salvator non protulit, ſed eos ad con-
ſiderationem remiſit introrſum. Exinde
Iſaiæ 29. ſequitur: *Hypocritæ, bene prophetavit de
vobis Iſaias, dicens: Populus hic labiis me
honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*
Ad confutationem Judæorum, & eorum
reverberandam calumniam, priſcorum
teſtimoniis utitur prophetarum, non quod
eorum ſit major aut æqualis in docendo
authoritas, ſed quia Judæi prophetis præ-
teritis credere fatebantur, ſed non Chri-
ſto, quem perſequebantur ut nequam.
Et præſertim profert Salvator teſtimoni-
um Iſaiæ, qui apertè prædixit malitiam
Judæorum, quæ in hypocriſi maximè
fundabatur, ſed quæ interioribus dereli-
ctis, tantùm extiora colit, nihil veritati
afferens, ſed vanitati, exiſtere negligen-
tes ſolùm apparere feſtinant. Profitetur
labiis quod eſt rationis atque virtutis, cor
verò è regione conſiſtit, & quod exe-
crandum amplius, longinquam à virtute
incolit regionem. Erat hoc vitium Ju-
dæorum, eſt hodie perverſorum fideli-
um, qui Chriſtum tantùm labiis confi-
tentur, cor autem eorum à Chriſto re-
cedit, malè vadens in peregre, non mo-
tu corporeo, ſed irregulato affectu, in
remotam à Deo per vias non bonas pa-
triam vitiorum, imo ſic concito gradu
pergit, quousque in oblivionem Dei ve-
niatur, qua nulla regio remotior eſt à
Deo. Sed ait propheta: Intelligite, qui
Pſalm 49. obliviſcimini Deum, ne quando rapiat,
&, non ſit, qui eripiat. De corde longè
facto Deus conqueritur, & cor maximè
cuſtodire jubet, cor exquirit, & inſtruit,
cor jubet excoli, minaturque ſibi. Ar-
guit cor hominum tanquam fontale ma-
lum, ubi nequitia, & omnis malitia in-
Pſal. 4. cipit, & deſinit, inquiens per prophetas:
Filii hominum uſquequo gravi corde?
Pſal. 77. Et iterum: Cor autem eorum non erat
rectum cum eo. Et Jeremias dicit: Abie-
Jerem. 7. runt in pravitate cordis ſui. Et alibi:
Ecce unuſquiſque ambulat poſt pravita- Jere. 18.
tem cordis ſui mali. Et à cuſtodia ob-
ſervari præcipit: Omni cuſtodia ſerva cor Prov. 4.
tuum, quoniam ex ipſo vita procedit.
Et quærit ipſum præ cæteris, quæ in ho- Prov. 23.
mine ſunt. Fili, præbe mihi cor tuum.
Inſtruit: Deprime cor tuum, & ſuſtine.
Nil tam excolendum jubet. Redite præ-
vicatores ad cor. Eidem fit læva, ſed
juſta comminatio ſcripturarum: Væ diſ- Eccleſ. 2.
ſolutis corde. Et qui perverſi eſt cordis,
non inveniet bonum. Sed hæc eſt per- Iſaiæ 49.
verſitas perverſitatum, cùm ſe elongant
à Deo, ſed vanitas eſt atque penitus eva- Eccleſ. 2.
neſcit, labiis honorare Deum, & ab ipſo
prodire in longum. Unde ſequitur: *In* Prov. 17.
*vanum me colunt docentes doctrinas, & præ-
cepta hominum. Derelinquentes etiam man-
data Dei, tenetis traditiones hominum, bap-
tiſma calicum & urceorum, & alia his ſi-
milia facitis multa.* Non habet frugem
boni operis Dei cultus in verbo aut ope-
re ſimulato, ſi hominum doctrina porri-
gitur, & tenetur, & mandatum Dei re-
linquitur, quod refragari nequit. Man-
datum quippe hominum cordi fieri non
poteſt, ad exteriora hominum fit, ſed in-
tuitu vario. Dei verò mandatum cor
primo ſuis calcaribus angit, ſuisque loris
frœnat, & ſua ſcopa terit, traditio qui-
dem hominum vaſa baptizat à fece. *Et
convocatis ad ſe turbis, dixit eis: Audite
& intelligite: Non quod intrat in os coin-
quinat hominem, ſed quod procedit ex ore,
hoc coinquinat hominem. Si quis habet au-
res audiendi, audiat.* Cavet providus do-
ctor ne ſimpliciores ab aſtutis fallantur,
& ne ſuſcipiant falſa pro veris. Hoc eti-
am præcipuum habeat, qui præeſt in do-
ctrina, ut ſuo ſtudio ſatagat, ne minus
capaces pro veris falſa ſuſcipiant, ne ali-
quo fallantur errore, ne ſub ſpecie pietatis
impiè agant, ne virus animas necet per-
verſorum dogmatum. Præſtruit hoc ſal-
vator, cùm turbas præmonet, ne inniten-
tes exteriori munditiæ intus ſordidi fiant,
cùm exteriora & corporalia, interiora &
ſpiritualia maculare non poſſint. Imma-
culabilis eſt enim omnis anima ab omni
alio corporali ſeu ſpirituali, præterquam à
ſeipſa. Verum quia verbum non videba-
tur usquequaque plebejum, ad intelle-
ctualem conſiderationem JEſus provocat
auditores: Si quis habet aures audiendi,
audiat: videlicet, ut intelligat, & caveat.
Fruſtra eſt auditus verborum, ſi non ſe-
quitur intellectus. Ad nihilum valet ver-
borum intelligentia, ſi cautionem & pro-
hibitionem aut actionem inſinuat, ſi tra-
duntur neglectui. Activum eſſe debet ad
utranque partem, quod tanto ſtudio au-
diendi edicitur.

Cap.

Cap. XXII.

De ſcandalo exorto ſuper eo, quod JEſus phariſæis & ſcribis veritatem dixerat, quòd populus hic labiis me honorat, ſecundùm Matthæum & Marcum.

QUorum cor elongatum eſt à Deo, & à veritate ſejunctum eſt, & velut æmuli ejus ſcandalizantur in illa, cùm edixerit detegens, quod ſub umbra velabatur. Et quoniam ex verbo Salvatoris ſcandalizati ſunt phariſæi, diſcipuli velut pavidi, aut ignari, quare JEſus ſcandalizaverit, ſeu pro cautela dominum & Magiſtrum audierunt:
Matt. 15. *Tunc accedentes diſcipuli ejus dixerunt ei: Scis, quia*
Marci. 7. *phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt.* Accedunt diſcipuli ad magiſtrum, ut dicant aut enuncient quæ ſentiunt inter eos vulgari. *At ille reſpondens ait: Omnis plantatio, quam non platavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.* Mirum dictum, & expoſitione indigens. Nihil enim eſt,
Geneſ. 2. quod Pater non plantaverit. Plantavit paradiſum voluptatis à principio, & homines poſuit in eo, & peccatum ibi eſt, & delictum. Plantavit vineam iſtam, videlicet ſynagogam, quam tranſtulit de Aegypto in Jeruſalem, & ipſa reproba facta eſt. Omnia Deus Pater fecit, & valde bona fecit, & nihil eſt, quod ipſe non plantaverit. Quid igitur eſt, aut quo ſenſu dicitur, quòd ſit, aut poſſit eſſe plantatio, quam non plantaverit Pater, & propterea prope in eradicatione futura. Ex ſuperioribus pendet gratia verbi, ut plantatio non à Patre ſit illa humana traditio contra mandatum Dei, & illa vita hypocritalis, qua Deus Pater ſolis verbis ex ore colitur, cor verò talium non eſt rectum cum eo, nec fideles inveniuntur in teſtamento ſancto ejus, ita quod ſive in doctrina, aut in traditione dicitur, in vita & moribus agitur, ſi à patre, à quo cuncta bona proveniunt, non jacitur, aut ei quomodolibet adversùm extiterit, eradicacitur. Liquidum enim eſt, non eſſe Patris plantationem, ſi quid ab hominibus traditum eſt in ſui prævaricationem mandati, nec hypocritarum congregationem eſſe à Deo, quia ipſorum congregatio ſterilis, & qui veritatis colunt imaginem, non ipſam diligunt animo, aut ſequuntur moribus veritatem, quæ omnibus præferenda, quam Deus in omnibus diligit, & ipſam præcipuè ab hominibus quærit. Sic etiam ſcriptum eſt. Quoniam veritatem requirit do-
Pſal. 30. minus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam. Si requirit veritatem, punit ſuperbiam, quæ in hypocriſi eidem adverſatur. Sed nec magnopendendum,

imo nihili pendendum eſt ſcandalum perverſorum, ſi ex juſta reprehenſione ſcandalizantur. Etenim adjiciunt peccata peccatis, ut ea ſint adjecta peccata, quòd nolunt corrigi, quòd male acta tueantur, quòd excuſent. Sed pejus quidem nolle corrigi, quæ prima fovea peccatorum, à qua nemo, niſi corrigi velit, eruitur. Perverſi autem difficile corriguntur. Deleti quidem ſunt ſive non ſcripti in libro vi- Eccleſ. 1.
tæ, qui de veritate ſcandalum ſumunt, qui ſermonibus non acquieſcunt, qui correptioni rebelles exiſtunt. Nec relinquenda doctrina verorum, atque virtutum pro ſcandalo perverſorum, maximè, cùm fuerit publica, non privata, ad plures, non ad unum edita, ad totam concionem, non ad ſingularem. Proinde ſequitur: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Permittite illos ſcandalizari, ait dominus, quoniam à mentis cæcitate detinentur, nolentes reſpirare in veritatis lucem. Scandalum eſt oculis macularis lux, ſed nec obtegenda propter eos, nec propter perverſos veritas omittenda. Cæci ſunt, cæcum habent ſequentem cæcum, duces cæci in præceps vadunt præcipitio, adjiciuntque ſequentes. Sed ſi cæci, quomodo duces? Si duces, quomodo cæci? Si populus cæcus, quomodo ſequitur? Si ſequitur, quomodo cæcus exiſtit? Ex voluntaria ignorantia cæcitas ducum erat, plebejorum verò ex ducibus creditis ſapientibus atque videntibus cauſabatur. Sed illorum infelicior, iſtorum culpa levior erat, ſemper quidem divina juſtitia decernente, quod culpa gravior eorum, qui peccant malo, præcognitoque propoſito, & ignorantiam poſſident pertinacem, quam feſtinè poſſunt depellere, quàm eorum, qui delinquunt doctrina ſeu exemplo majorum, & ipſorum ſtudio ab ignorantia ſunt detenti. Sed quibus culpa gravior, acerbior pœna erit. Veruntamen hujuſcemodi ducatus ſine utriusque partis pœna non agitur, quoniam *cæcus autem, ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* In foveam ſcilicet culparum, atque pœnarum, quia juſto Dei judicio fit, ut unuſquiſque cadat in foveam, quam facit. Ille mali ducatus, iſte ſequelæ perverſæ, ſed illius magna, iſtius minor erit. Major culpa ducis devii in præcipitiis quàm ſequentis, ſic & pœna profundior, & illius mitior erit multatio.

Cap. XXIII.

Determinatio JEſu in iſta diſceptatione, quid ſit, & quid non, quod poſſit hominem maculare, ad interrogationem diſcipulorum in reſponſione data, ſecundùm Matthæum & Marcum.

TArditas intellectus in his, quæ dicebantur, ipſos diſcipulos detinebat, ut non intelligerent, quod à Chriſto phariſæis, & ſcribis, atque plebeis cæteris dicebatur. Et arguenda eſt tarditas intelligendi, cùm crepitat doctor. Futura tamen citò intelligentia eſt, quod, cùm neſcitur, erubeſcentia interrogare non prohibet, & amor ſciendi, interrogandi præſtat audaciam. His itaque auditis, cùm

Marci 7. *JEſus introiſſet in domum a turba, interrogabant eum diſcipuli ejus parabolam.* Et aliter: *Reſpondens autem Petrus dixit e.*: Ediſſere nobis parabolam iſtam. At ille dixit: Adhuc vos ſic imprudentes, & ſine intellectu eſtis? Non intelligitis, quia omne extrinſecus introjens in hominem, non poteſt eum coinquinare, quia non introit in cor ejus, ſed in ventrem evadit, & in ſeceſſum emittitur purgans omnes eſcas? Seorſum à turba diſcibilius eſt interrogare magiſtrum, ne turba turbans inquietet unam & reliquam partem. Et licèt menti & ori Chriſti nulla poſſent impedimenta provenire, tamen diſcipuli poterant impediri. Aptius nobis aſtructum eſt, ut à turbis ſemoti cum Deo Patre, cum JEſu filio ejus noſtra negotia expediamus, ſive quærendo ſcientiam, ſive poſtulando virtutem, aut expediens. Arguit Chriſtus imprudentiam inſiſtentem & carentiam intellectus, quoniam quæ dicebantur, erant omni rationabiliter ſapienti perſpicua, nec in cunctationem vertenda, ex eo quidem, quòd ab extra ingrediens corpus, non maculat animam, quæ habet exiſtere præter corpus, quamvis cùm creatur, infundatur in corpus. Et macula criminoſa non eſt ex corpore fœdo, ſed ex anima fœda, quæ non fœdatur eſcis, ſed vitiis voluntariis. Non etiam ſubſtantia incorporea corporeis ſubſtantiis attingitur, ut fœdetur, aut emundetur, quamvis lavetur baptiſmo, non ipſam, ſed corpus attingente, & depravata patiatur per divinam juſtitiam à corporeo igne. Sicut corpus non habet impreſſionem ab aliquo exiſtente non corporeſolido ſive diaphano, & capax non eſt ſcientiæ ſive virtutis: ſic ſpiritualis ſubſtantia receptaculum non eſt eſcarum corporearum turpantium, aut eorum, quæ à corporalibus poſſent mundare contagiis, aut aliquid inferre ſenſibus ornamenti. Corpus contactu ſive ſenſu ſe habet ad alia corpora, minimè autem eodem modo ad ea, quæ omnino ſpiritualia ſunt. Nam & lux, & ventus, cùm quodammodo ſpiritus dicantur, ſpiritus verò non ſunt, etenim quid corporeum habent. Spiritus verò neque ad corpus, neque in aliquid in natura ſui ſimile ſenſu conjungitur. Non enim anima corpus ſentit, ſed cognoſcit, corpus verò animam non ſentit, ſed per eam corporalia ſentit, neque per eam cognoſcit, ſed eo anima utitur ad cognoſcendum, velut inſtrumento incluſa in ipſo, ſeparata quidem cognitionem ampliorem habebit ſuo à Deo indito modo, non corporali vitio. Ac per hoc ſicut diverſa ſunt nec ejuſdem naturæ corpus & ſpiritus, ſic diverſa ſunt, quæ utrunque mundant, ſive deturpant. Curatio quidem corporis qualiſcunque ſit, non pertinet ad virtutem, neque vitium habet, niſi cùm rationalis virtus ad illam cum Dei lege, aut propter Dei legem acceſſerit. Interiora hominis ſpiritualia colenda ſunt, & ornanda ſpiritualibus ornamentis, & iiſdem ornamentis fulcienda, exteriora quidem ſolùm neceſſitate, non voluptate, ſeu vanitate colenda ſunt. Sed ne dum illotio coinquinat, imo nec ſumptio quorumcunque ciborum hominem maculat. Nec obſtat quorundam animalium ad eſum prohibitio facta in veteri teſtamento, in figura futurorum, cùm facta non ſit velut de re mala, quæ maculare ſumentem hominem poſſet, ſicut nec arbor ſcientiæ boni & mali, tanquam mala prohibitia eſt, ſed ut hominis ad Deum quædam obedientia conſervaretur. Omnia quidem creata ſunt, & omnia entia bonitatem poſſident naturalem. Scriptum eſt enim: Opera domini univerſa bona valde. Et ibidem: Eccle 39.
Bona bonis creata ſunt ab initio. Quoniam Apoſtolus arguens quorundã errorem de 1.Tim.4.
abſtinentia ciborum velut de re mala, contradicit, dicens: Omnis creatura Dei bona, & nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione accipitur, ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Et ad Titum: Omnia munda mundis, coin- Tit. 1.
quinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum mentes, & conſcientiæ. Non ergo aliquid

extra

extra poſitum ſive ſumptum poteſt hominem coinquinare, cùm non ingrediatur ad cor, ſcilicet ad ſubſtantiam animæ ſpiritualem, ſed in ventrem corporeum corporalis cibus ingreditur, & ad ſeceſſum digeſtus aut ingeſtus trajicietur, & purgatio fit eſcarum virtute naturæ, quarum aliquæ convertuntur in ſubſtantiam corporis, ejiciuntur quædam jure digeſtionis. Sed maculam ingerunt homini criminoſam ea, quæ de corde malè deliberante procedunt: ſic etiam Salvator hanc ſententiam terminat: *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant homines. De corde etiam exeunt cogitationes malæ: homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia: avaritia, nequitiæ, dolus, impudicitia, oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & hæc ſunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare non coinquinant hominem.* Ecce Salvatoris ſententia irrefragabilis ſuper his, quæ poſſunt hominem maculare, quæ de corde procedunt in actum. Nam in corde fit electio dicendorum, & agendorum bonorum, ſive malorum. In corde deliberatio, cur, quando, quomodo procedatur in opus. Quod ſi in corde prius iſta non fierent, nec bonum opus præmium, nec malum ſupplicium ſequeretur. At ubi perperam in corde inviſibiliter ſancitum eſt, egreſſio ad actiones maculas habet, unde coinquinatur homo culpabilis factus coram Deo deteſtante hujuſcemodi actiones, & ſua lege prohibente, ne per electionem fiant. Non quidem incuria corporis, quam nihilo Deus pendit, homini inquinationem apponit, quoniam è regione Chriſtus ad ſequelam ſuam ſqualidam & incultam, aſperamque cœleſtium appetitores invitat.

Et orthodoxa eccleſia, fideliſque anima non ſic à ſponſo ſe factam in exterioribus cognoſcit incultam, gaudens in interioribus pulchritudinem virtutum habere, ſicut in epithalamiis legitur: Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Jeruſalem, ſicut pellis Salomonis. Cant. 1. Nigredinem atque corporis incuriam exterius ſe fatetur habere, ſed formoſitatem interius. Et Pſalmiſta conſonat: Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus in fimbriis aureis. Pſal. 44. Verum, quia Deus tales quærit, omnes à ſiniſtra conſideratione avertit, non culpam eſſe incuriam exteriorem, neque intendum illi. Nolite conſiderate, quòd fuſca ſim, Cant. 1. quia decoloravit me ſol. Si ſol juſtitiæ decolorat, ſi non jubet, magis autem reprehendit exteriorem corporis curam, quid eſt, quòd illa omiſiſſe adſcribi poſſet ad culpam? Unde ex hoc turpitudo in natura, unde macola in perſona, unde coinquinatio in rationabili creatura? Sæpe ſordes exteriores teſtimonium ſunt virtutis, & non curata cutis arguit honeſtatem, & ſine nota criminis impertinens non agitur cultus carnis. Non eſt iſta virtuoſa religio, ſed religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. Jacobi 1. Quoniam qui ingreditur ſine macula, habitabit in monte Pſal. 14. ſancto ejus. Sunt autem iſta, quæ maculant, à quibus cavere jubemur: Cogitatio mala, & cætera, quæ ſequuntur. Iſta alibi ſunt diſſerta, in Libro contra vitia. Hic ſequeretur diſceptatio de dimittenda uxore, ſed quia ſuprà Libro X. de ſermone domini in monte, capite XX. diſſeruiſſe me recolo, ideo eam in hoc loco cauſa brevitatis prætermitto.

Cap. XXIV.

De ambulatione JEſu in Galilæam, in qua devitabat ſævitiam Judæorum, ſecundùm Joannem ſolum.

NOn adſcribitur ignaviæ, neque timori, quòd JEſus Judæos eum quærentes interficere devitabat, quoniam nondum venerat hora mortis ejus, quam non neceſſitate, ſed ſola voluntate venerat tolerare. Nihil quod geſſit in forma ſervi, formæ Dei domini derogavit. Fugiens & aſſiſtens, patiens pœnas & incolumis exiſtens, vivens & moriens Deus & homo erat. Conſulit autem poſteris, cùm aliquando improbos hoſtes declinavit, ut non ad membrorum adſcriberetur infamiam ex diſcretione aut ex timore facta declinatio à perverſis, ſi præceſſiſſet in capite. Sic etiam ſcriptum eſt: *Ambulabat JEſus in Galilæam. Non enim volebat* Joann. 7. *in Judæam ambulare, quia quærebant eum*

Judæi

Judæi interficere. Præter quod ſitus re-
gionum, quorum alter in montibus,
alter in planicie tendebatur, & præter
id, quod nominum interpretatio intel-
lectibus poſſet offerre, & præter id,
quod allegoricum habet, & præter re-
rum ſie geſtarum ipſe geſtus JEſus in
animabus intelligentium multa fovet ad
imitationem activam. Noluit JEſus
occaſionem ſicariis offerre, avertit po-
tius. Igitur absque peccato non agi-
tur præparare viam, ut juſtè ſive inju-
ſtè iratus efficiat, quod ira deliberat,
etiam ſi decretum iræ non poſſet effice-
re, nec ad ampliorem iram provocan-
dus eſt hoſtus, qui ex viſu exoſi ampli-
us furit. Ergo ſi quis alterius patitur
iram, odium, invidiam, ſemper ejus
devitabit aſpectum, relinquet ex hoe
patriam aut proprium incolatum, abi-
bit ſemper in peregre à propria manſio-
ne, dimittet ſuos, quibus tenetur jure
naturæ, amicumque, ut fugiat inimi-
cum, omnem cognationem, ut devi-
tet hoſtem, non timore tantùm, ne in
eum prævaleat, ſed ne amplius furist,
ſicut Chriſtus, qui non timore, ſed
diſcretione ceſſit ad horam. Faciet
quisquis in tali conſtitutus articulo,
quod nunquam feciſſet pro Chriſto,
quanquam & pro Chriſto factum poſſet
intelligi, ſi quis fugiens non ſibi timens,
ne poſſet ſuperari, ſed veritus, ne ho-
ſtis culpabiliter deterius poſſit iraſci.
Opus eſt hunc diſtinquere ſermonem.
A mundo abdicati pro eis dictum acci-
piant. Si vos perſecuti fuerint in una
civitate, fugite in aliam. Sæculo co-
pulati dictum Apoſtoli teneant: Provi-
Matt.10. dentes bona, non tantùm coram Deo,
ſed etiam coram omnibus hominibus.
Si fieri poteſt, quod in vobis eſt, cum
1.Cor. 2. omnibus hominibus pacem habentes.
Non voſmetipſos defendentes, ſed da-
Rom.12. te locum iræ, non illum locum, quo
quis cedat è patria, ſed non reſpondeat
verbum malum verbo malo, neque ma-
ledictum maledicto, neque manum in-
jiciat, neque paret adverſum, ſed de-
ſtruat, ſi paratum agnoverit. Sed ſi
expedit, ſemper ſe inculpata tutela tu-
eatur. Ideo in Apoſtolo ſequitur, ſcri- Ibidem.
ptum eſt: Mihi vindictam, & ego re-
tribuam dicit dominus. Si dominus
dicit, maledictus ergo, qui contradi-
cit, aut è regione facit. Et quod ſe-
quitur: Noli vinci à malo, ſed vince
in bono malum. Alia quidem in hac
declinatione JEſu offertur nobis norma
vivendi, ut in converſatione devitemus
eos, qui malo propoſito ſemper ſunt,
& ſibiipſis ſapientes videntur, conver-
ſationi humilium attendentes, & eo-
rum, qui depravata mente non ſunt.
Nunquam enim legimus JEſum habuiſſe
in Galilæa contradictionem, ſicut in
Judæa ſuſtinuit. Et quàmvis ſecundùm
Apoſtolum inſtandum ſit prædicationi 2.Tim. 5.
opportunè & importunè, pro loco,
perſonis & tempore, alia ſententia non
infringitur, ubi non eſt auditus, non
effundas ſermonem, ſed illis effunden- Eccl. 32.
dus, qui mente pertinaci non contra-
dicunt, etiamſi ex hebete intellectu il-
lico non aſſentiunt. Plebejorum enim
turba in Galilæa ſequebatur & audiebat
JEſum, quem in Judæa perſequebatur
impia crudelitas phariſæorum, pontifi-
cum, ſacerdotum, atque ſcribarum.
Et nec ſpe incerta, ut convertatur ini-
micus, deſerendus eſt amicus conver-
ſus, aut qui libenter audit de proximo
convertendus. Nemo igitur adversùs
Chriſtum cauſam querelæ quærat in
moribus, & ſermonibus ejus, ſummam
providentiam & diſpenſationem oppor-
tunam in omnibus tenuit, ut meritò
judicetur, qui non reprehenſibile
reprehendit.

Cap.

Cap. XXV.

De diſcepatione habita inter Jeſum & fratres ejus, non credentes in eum de ſua manifeſtatione futura in feſto, ſecundùm Joannem ſolùm.

INcredulitas bonitatis, tendit ad aliam partem & reddit pro ipſa ſermonem. Odium interdum, ſi non aliter nocet, proditionem parat. Libido humanæ laudis quærit, unde ſe jactet, & ut habeat loquitur verba ventoſa. Ex omnibus aut ex parte facta ſunt ad Jeſum verba ſequentia. Nam dum Jeſus declinans Judæos, in Galilæam ambularet. *Erat autem in proximo dies feſtus Judæorum ſcenopegia.*. Feſtum ex mandato & ordinatione celebrant Judæi tabernaculorum illorum, quæ prædeceſſores patres ab egreſſu de Ægypto ſub ducatu Moyſi poſuerant in deſerto, ut rememorarentur eorum, quæ pro eis Deus oſtenderat. Ad quam feſtivitatem Jeſum fratres ejus ſuggerebant aſcendere. *Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Tranſi hinc, & vade in Judæam, ut & diſcipuli tui videant opera tua, quæ tu facis. Nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipſe in palàm eſſe. Si hæc facis, manifeſta teipſum mundo. Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Humanè de Chriſto ſapiebant, imo cum vitio, dum eum fratres ejus ad feſtum, ubi multitudo convenerat, propellebant quaſi eſſet laudis appetitor. Sed ideo cum vitio, quia non eſt bene inſtituti hominis humanam gloriam quærere, necnon & ſuum jus proprium virtus perdit, ſi gloriæ ſervit humanæ, quæ verſa vice deberet ipſa ſervire virtuti. Submittebant hi Chriſto improbam cauſam. Si quæris palam fieri, cum operaris tam magna in occulto? Velut quædam occultatio eſſet in Galilæa morari, efficiendo miracula comparatione ad Jeruſalem, ubi erat multitudo civium adventantium frequenter, & peritia ſacerdotum & ſcribarum, & celſitudo pontificum. Faciebat & fecerat miracula Jeſus in Galilæa, quibus conſpectis ad talem ſuaſionem faciendam ſunt ipſi permoti, ſed hoc agebat incredulitas, quoniam hi fratres non credebant in eum, non illi, qui jam in apoſtolatum & diſcipulatum aſſumpti erant, ſed alii de ſua carnali cognatione. Nec uterini, ut quidam hæretici dicere præſumpſerunt, condemnantes virginem matrem, quæ ante partum & poſt partum unigeniti virgo manſit. Sed hoc mirandum inter cætera geſta filii Dei, quod ex carnali matre paſſus eſt habere cognationem carnalem, quanquam in aliquem cognatum non ferretur amore carnis, ſed amore virtutis. An fortè odium in eum exagitabat eos, ut citò moreretur, cùm ad eos familiaritate non fieret, neque amore præcipuo, ut inter cognatos jure propinquitatis exigitur, ſcientes quòd eum ad necem quærebat invidia Judæorum. Et ipſi jam invidere cœperant aliis fratribus, qui ad Chriſtum tranſierant, ad cujus diſcipulatum potuiſſent & ipſi tranſire, ſi incredulitas obicem non feciſſet. Et fortaſſis Salvatoris gloriam ex prodigiis acquirere præoptabant. Sed nequaquam eſt injuſtis petitionibus annuendum, neque impertinentibus ſuaſionibus præſtandus aſſenſus. Et conſtantem oportet eſſe ad blandimenta verborum eum, qui virtutis quærit, aut habet ornatum, ne effluat, aut remaneat ab honeſto. Hinc Jeſus virtutum & morum forma reſpondet. *Dicit ergo eis Jeſus, Tempus meum nondum advenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.* Nondum erat tempus mortis, cùm moriturus eſſet, quæ ſibi præterquam ad velle dominari nòn poterat, neque gloriæ tempus pro reſurrectione, pro aſcenſione, judicio extremo futuro. Et cùm ipſe temporis eſſet dominus, temporis ſucceſſionibus voluit ſubjacere, ut ordo ſervaretur in agendis pro tempore, quoniam in tempore homo eſt factus ex matre, & ſi non quia Deus, tamen quia homo viciſſitudinem temporum habuit, & nihil egit temporaliter, niſi prout ab æterno extitit diffinitum. Et quoniam omnia tempus habent, ſe ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub ſole, ipſe verò ſub ſole factus ſolis creator, ſe ſpatiis temporum menſuravit. Et per tempus etiam eſt quandoque differentia bonorum atque malorum, ut boni futurum expectent, velintque in illo florere, mali præſens, in quo exultare deſiderant. Floridum tempus ſemper ad deſideria ſæcularia, in tempore tribulationis, qui eſt juſtus, exultat. Sicque deprecatur præferens quod expectat: Domine, miſerere noſtri, te enim expectavimus, eſto brachium noſtrum in mane, & ſalus noſtra in tempore tribulationis. Et Tobias dicit: Cùm iratus fueris, miſericordiam facis, & in tempore

Eccles 3.
Iſaiæ 33.
Tobiæ 3.

tribulationis peccata dimittis. Et Eſther in tempore tribulationis orabat fidenter, Eſther 8. dicens : Memento domine, & oſtende te nobis in tempore tribulationis noſtræ. Ad improbationem etiam malorum hominum, qui tempus ad virtutem non ordinant, neque agunt actiones rationabilibus competentes, objicitur obſervan- Jerem. 8. tia temporum irrationabilium : Milvus in cœlo cognavit tempus ſuum, turtur, hirundo & ciconia cognovit tempus adventus ſui, populus autem meus non cognovit judicium domini. Advertendum ergo, quod conditor temporis æternus eſt, non enim præterquam ab æterno authore potuiſſent tempora condi, & ipſe ſe contraxit ad tempus, ut tempore menſuraretur cum actionibus ſuis ad rationabile creatum ſe coaptans quod aſſumpſit, quod agebat & agit cum tempore. Præterquam cum tempore nihil agere poteſt in utraque ſubſtantia, nec præcipere id ratus, ne videretur totus vehemens, quod ſolum ſpectat ad ſpiritum, non corpus inglorium quanquam & ipſe haberet ex utero glorioſum, attamen nec dux præceps erat, & mora oſtendebat in actione prudentiam. Sed unum eſt tempus omnium creatorum, nec diſcontinuatur tempus, aut aliquam intercapedinem habet. Semper quidem fluit velut modicus amnis, quouſque ingrediatur in magnum æternitatis amnem. Et quod non eſt, non habet tempus. Cùm verò eſſe cœperit, eſt in tempore, non in alio, quàm quod creatum eſt à principio, non enim denuo tempora Deus creat. Sed quid eſt tempus meum & tempus veſtrum, cùm unum ſit tempus? Neque hic eſt illa diviſio temporum per quatuor qualitates, vernalem, æſtivalem, autumnalem, hyemalem, neque illa, qua tempus dividitur in ætates, ætas in ſæculum, ſæculum in luſtra, luſtrum in annos, annus in menſes, menſis in hebdomadas, hebdomada in dies, dies in horas, hora in gradus, gradus in minutias, & deinceps. Nec illa, quæ diſponitur per ætates hominum quouſque moriantur, ſed pro re futura ſecundum nunc & tunc id dixerim. Quod futura eſt per me in conqueſtu magnæ gloriæ, non iſto nunc, quoniam tempus mihi non dominatur, ſed cùm faciam, tunc tempus erit, non cùm erit, ergo faciam. Erat enim in tempore Chriſtus homo. Ad rem verò veſtram agendam ſemper tempus paratum habetis, quia non tempus vobis, ſed vos tempori ſubjacetis, ut non quando facitis, tunc tempus ſit, ſed cum tempus datum habetis, operamini, quæ vultis. Iterum de non acquieſcendo conſiliis frivolis, odii aliam cauſam appoſuit, dicens : *Non poteſt vos odiſſe mundus, me autem odit, quia teſtimonium perbibeo de illo, quia opera ejus mala ſunt.* Non erat Jeſu & illorum fratrum una conditio, neque cum mundo una conventio, quoniam illi mundum diligentes, diligebantur à mundo neque mundus ſuos amatores odio infeſtabat, amicitia enim mutua tenebantur. De hominibus rationalibus ſermo, non de eo, quod ſenſu & ratione caret, quod capax amoris & odii eſſe non poteſt. Jeſus autem jam in mundanorum odio factus erat, teſtificans vita, verbo, quod erant eorum opera mala. Quod ſi Chriſti vita, mos atque doctrina in ſubtilem contemplationem veniunt, quod eſt ſanctum, agit in ſemetipſo, & comminatur triſte & repromittit cœleſte, quod eſt honeſtum amoris & moris docet. Et hoc maximè palàm egit, & docuit ſcilicet teſtimonia contra mundum. Quid enim Joan. 6. aliud eſt teſtificari adverſus mundum, niſi fugere pompam ejus, & per omnia è regione incedere, atque loqui? Renuit, & Joan. 9. fugit rex fieri, teſtificans in judicio præſidis, quod regnum ſuum non erat de hoc mundo. Et nihil appetere de amœnitatibus ejus, nam & filius hominis non habet ubi caput ſuum reclinet. Mundus divitias quærit, ipſe cùm eſſet dives, pro nobis egenus eſt factus. Mundus cognationem diligit, & ipſum ſanctum odium indixit fieri inter charus : Seipſum omnis homo amat, ipſe animam odire mandavit. Pœnam refugit ſenſus tener, ipſe crucem portare ſuis ſequacibus ſtatuit. Amat oblectari hominis caro & ſenſum delectabilia objecta ſine lege percipere, ipſe caſtitatem appoſuit, & omnem uſum legibus regulavit. Tandem, ut mundus in omnibus hominibus crucifixus eſſet, vitam finivit, mortem toleravit per crucem. Et ut nemini ulla rependendi malum pro malo eſſet audacia, ſed è contrario benedicendi, cùm malediceretur, non maledicebat : cùm pateretur, non comminabatur, & pro perſecutoribus exoravit. Non teſtificatur Jeſus adverſùs mundum velut naturà malum, cúm non ſit adverſùs opera mala, cúm etiam peccata hominum reprehendit, nec abſtinuit ſe, nec abſtinere mandavit, velut à re mala, cùm eſſet bonus natura, ſed compoſitionis potioris æterni & incommutabilis, bona minora voluit, mandavitque contemni. Ut reſponſio malè ſuggerentibus ſic eluceat, ita explicat, Si ſuadetis me Jeroſolymam in feſtivo tempore aſcendere pro gloria capeſſenda, non quæro illam ab hoſte, nec ut hoſtis offerret, adverſùs quem vita,

verbo

verbo teſtimonia cudo, quia opera mala facit, ſed vos ab ipſo quæraris gloriam, quem vos amantem amatis. Et ob hoc adjecit : *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc.* Ego autem non aſcendam ad diem feſtum iſtum, quia meum tempus nondum completum eſt. Hæc cùm dixiſſet JESUS manſit in Galilæa. Iſaiæ, 1. Prophetatum erat, non eſſe Deo accepta feſta Judæorum, neomeniam & ſabbata, & feſtivitates alias non feram. Iniqui ſunt, cœtus veſtri, calendas veſtras & ſolennitates veſtras odivit anima mea, facta ſunt mihi moleſta. Propterea dicit JEſus fratribus ſuis : Vos, qui perſunctoria quæritis, aſcendite ad diem feſtum hunc, ſed ego, qui iniquitatem ſemper odio habui, non aſcendam. Piè egit pro nobis in ſe formam, in humanis feſtivitatibus non intereſſe, neque lætari, quoniam veris Chriſtianis nulla præterquam de virtute & puritate conſcientiæ debet eſſe feſtivitas ſuper terram. Omnes obligamur ad pœnam ratione culparum nondum abolitarum. Et per Chriſtum remiſſio, & reconciliatio facta eſt, in nobis adhuc peccatum regnat, & fomes peccati viget, iniquitas regnat, operatur in corde, in ſenſibus patet, & delictum adverſùs nos clamat. Et ſi bona interdum fiant, ſuperantur aliquando numeroſitate, aut mole malorum. Et ſi omnia benefecerimus, perſoluimuſque debitum, ſervi tamen inutiles ſumus, & ſubjacemus innumeris caſibus viſibilium & inviſibilium malorum. Anceps ex omni parte vita, certiſſima mors. Certa dijudicatio de jam actis, infallibilis ſententia judicis. Et finalis terminus omnino ſub ignorantia eſt. Quis ergo agit diem feſtum, ſub tanta trepidatione malorum? Quis invenire ſatagit mundum riſum? Quoniam quis eſt qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferi ? Quis exultabit in feſto Deo infeſto, niſi amens, aut aliam vitam deſperans, ſeu qui ſomniantium ſemper ſimilitudinem geſtat ? Et tempus ſuum non eſſe completum proteſtando Chriſtus enunciat, & manſit ex conſtantia invariabili in Galilæa, feſtivitates humanas abhorrens, non ex eo, quod mandatum erat illas fieri, ſed ex eo, quod illi in luxuriam, avaritiam, vanitatemque converterant, ut id, quod bonum eſt ex natura, ſeu ex ſanctione bona, diligatur, author tamen malus agendo in participio interdum devitetur. Bonum divinum officium, nec ad participium veri catholici recipiunt anathema. Et ſanctorum patrum atque pontificum decrevit authoritas, ut excellens bonum non audiatur, nec hoſtia ſancta videatur in manu publici concubinarii ſacerdotis,

Cap. XXIV.

De occulto aſcenſu JEſu ad diem feſtum, & de murmure Judæorum, ſecundùm Joannem ſolùm.

DEnegaverat JEſus non aſcendere ad diem feſtum. Mirum cur aſcendit. An fallere voluit veritus inſidias ? Neque fecit, aut dixit in hac cauſa mendacium, nec expavit, nec denegavit aſcenſum, ſed cauſam, ſocietatem, & tempus, & modum, ne ob id, propter quod illi ſuadebant aſcenſum, neque cum illis, neque in tempore ab illis inſpecto, ſed in tempore ab eo præfinito, cujus diſpoſitione tempora peraguntur, aſcenderet. Equidem & modum, quem ſuadebant manifeſtum, in occulto fecit. Joan, 7. Hinc dicitur : *Ut autem aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum.* Non manifeſtè, ſed in occulto. Decreverat JEſus aſcendere ad diem feſtum, non pro vanitate propria, ſed pro utilitate aliena, quam non humanis conſiliis, ſed miris, & modis ineffabilibus procurabat. Ideo aſcendentibus illis ipſe ſua infallibili directione aſcendit occultè, non manifeſtè, ſed nec territus, imo per omnia impavidus. Attamen ſic de illo pateretur loquendi materia, ſicut revelandæ erant ex multis cordibus cogitationes. Et dies feſtivos ſciens expectabat quis eſſet aptior ad doctrinam, quam tentabat inferre. Nihil enim improviſum, & abs re fiebat, aut dicebatur ab eo. Satagant ergo qui Chriſtum ſe imitari fatentur, aut volunt, non eandem cauſam habere cum mundo, ſive cum amatoribus mundi. Quorum enim erat cauſa ſimilis, ſive gloria ſive pœna debeatur, non erit in toto ſeu parte diſſimilis. Societatem devitent illorum, quorum mores rationabiliter improbantur, imo etiam, quorum non eſt vita probabilis: Nam bonus malo ſociatus levigat ejus culpam quodammodo, purgat infamiam, præſtat audaciam, & de iniquo bono ſociato injuſtè vulgatur teſtimonium bonitatis. Et fortè ipſe, qui bonus erat, inficitur opere, aut oritur infamia, aut vileſcit ex infami ſocietate malorum, niſi fortè ſpes foret de correctione perverſi, ut ad

bonum fieret ſuaſione converſus. Quoniam quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Et tempus ad agenda captandum eſt, prout quis in animo aliquid dixerit agendum, nam Chriſtus præfixerat docere in feſto illo, non inaniter lætari. Et doctrina expectat tempus, cùm ſit tempus loquendi, & tempus docendi. Diverſi quidem affectus expectent tempora pro diverſis. Sed qui Chriſti ſunt virtutibus tantùm tempora aptent, ut non tranſeant vacua bonitate. Poteſt enim fieri, ut omne tempus ſit dicatum Deo, etiamſi ſomnus obrepat, ſi corpus edat, ſi quieſcat, ſi in actionibus ſit, ſi omnia dirigantur in poſitum nobis à Deo finem, & qui habet à ſapientia, à virtute modum, & ab his qui non pro mundo, ſed pro Deo inſtruendo modificant, modum ab immoderatis atque immodeſtis non exigant, importune dantes non audiant. Omnis modus natura bonus, nec in agendo aliquid melius, ſed ſæpe intentio ſeu finis illum culpabilem fecit. Et quoniam ſolitus erat JEſus ad dies feſtivos aſcendere, ut haberet docendi materiam, & notum jam Judæis extiterat, ideo non videntes eum Judæi murmuraverunt. *Judæi ergo quærebant eum in die feſto, & dicebant: Ubi eſt ille? Et murmur multus erat de illo in turba. Quidam enim dicebant, quia bonus eſt. Alii autem dicebant: Non, ſed ſeducit turbas.* Quærebatur JEſus in feſto à Judæis diſpari cultu, diſpari affectu, ad audiendum à multis, diſpertitum à pluribus ad calumniam, & jam implebatur Verbum Simeonis, quod erat in ſignum poſitus, cui contradicebatur, & revelabantur cogitationes de ipſo, adhærentium in fide ſibi ſaltem quòd bonus eſſet, & diſſidentium quòd malus eſſet. Duplicem linguam Chriſtus in populo habebat, laudantem atque vituperantem. Nec ex hoc Chriſtus ſe extulit aut dejecit. Æquo animo erat ad utramque linguam. Quis ergo non patienter ferat, ſi abſque culpa ſubjacet murmuri & prolatæ infamiæ, cùm in ſortem hanc veniſſe audierit Filium Dei? Quis ſe tollat in altum, cùm laudatur juſtè, aut injuſtè, cùm nunquam ſe extollebat Filius Dei? Ad bonitatem autem ejus non apponebatur cauſa, non enim erat expediens. Seipſa bonitas claret. Ad malitiam verò impoſitam ſibi etiam cauſam adjectam legimus, quia ſeducit turbas, ut eo ſit illa murmuratio crimінoſior, quo in vitium virtutem ipſam trajiciunt, & inſanè ſentientes virtutem vitium dicunt, cùm ſeductionem turbarum aſſerunt, quod erat de cavendis atque agendis documentum divinum, moribus hominum pro præſenti vita & pro futura neceſſarium. Plerique quidem in hanc malitiæ voraginem cadunt, quibus per Propheram Deus ſæve comminatur: Væ! qui dicitis malum bonum, & bunum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum dulce, & dulce amarum. Iſaiæ, 5. *Nemo tamen de ipſo palam loquebatur propter metum Judæorum.* Non credendus metus ad eos, qui ex invidia & malo propoſito perſequebantur Chriſtum, & commovebant adverſùs eum linguam doloſam, quoniam ipſi apertè palamque loquebantur verba ſeditionis & calumniæ contra Chriſtum, ſed ad eos erat metus, qui pro illo voluiſſent bona proferre. Semper virtus velut in latibulo fuit iniquitate regnante, & ſiluit ubi malitia tenebat imperium, necnon & virtus in paucis ob multitudinem improborum ut pavida ſæpe ſtetit. Et ſi aliquando zelo acta proceſſit in publicum, in rebus & corpore damna tulit, quamvis in anima lucra inviſibilia præſto eſſent. Attamen nemo, niſi Spiritu Dei fultus, audet ſub dominante nequitia perſequente rectum loqui juſtum, & verum, Neque ſolus aut modica concio inter multiplicatum conventum malignantium audet in parte virtutis, ſed tacendo ſe fovet, gemit & dolet, cavens ſibi dum veretur malorum infrangibilem aciem, diffidens illam ſuperare, aut ſibi æquare virtute. In hujuſcemodi negotio diſcretione opus eſt, ne ſterilis ſit congreſſus. At ubi ſpiritus ſuperior invaleſcit in animo, fruſtratur omnium hominum terror, prout poſt ejus adventum in Chriſti agoniſtis experimento & fide eccleſia cognoſcit, qui omnium tyrannorum & ſatellitum ſuperato terrore, pro Chriſto audacter locuti ſunt, & morte crudelius intentata atque inflicta, pro Chriſto impavidè atque libentes occubuerunt, & ſæviſſimè obtruncati ſunt,

Cap.

Cap. XXVII.

Diſceptatio facta de doctrina JEſu à quo ſit, ſecundùm Joannem ſolùm.

VEra bonitàs opportunè & importunè ſe ingerit, opportunis ſe dare cupiens. Et vera ſapientia ſe vellet infundere, & quærit capaces, à quibus capi poſſit, & docendo corda dilatat, ut ſi fieri poſſet tota capiatur, & gaudet inquiri ut doceat, & parat materiam dubiorum, ut quæſita removeat hæſitationem, & aperiat veritatem. Hoc egit JEſus, cum occultè aſcendiſſet ad feſtum. Joan. 7. *Qui jam die feſto mediante aſcendit in templum, & docebat, & mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit?* Satagebat JEſus in templo, & ſynagogis, & in concione utilia, & cœleſtia verba fari, ne ex occultatione pateretur ſua doctrina calumniam, lucem pro illa quæſivit, non tenebras: Publicum, non privatum: Concionem magnam potius, quàm modicam claſſem, ut probabilis ex omni parte probaretur, aut improbabilis omnis improbans retunderetur. Ex hoc aſcendit in templum in die feſto mediante quarto, ſcilicet die, diebus feſtivis exiſtentibus ſeptem, & docebat ea, quæ Filium Dei docere decebat in aſſumpto homine, maximè legis intelligentiam, ut non in littera ſolùm ſiſterent, ſed apprehenderent illam veritatem, ad quam facta erat. Et ænigmata & umbras ſcripturarum educebat in lucem. Et prophetias verorum vatum docendo perducebat ad terminum. Docebat credenda, non incredulitatem: Nam credenda, & fidelia in doctrina ſunt eſſeque poſſunt, credulitas verò ſive fides ex infuſione ſolùm, in doctrina verò nunquam. Declinanda cautione, & agenda ex virtute docebat. Nihil tamen impertinens, aut ſupervacaneum ab ore ſuo credatur exiſſe. Verùm, quia ſecundùm ſulcationem, & exarationem elementorum Hebraicorum, quæ Moyſes tradidit populo Judæorum loquebatur, & ſcripturas, ut erant, ore facundo, diſerta lingua proferebat, in admirationem ſui traxit animos auditorum, eorum præſertim, qui educationem ejus velut inertem agnoverant. Iners quidem fuit, attamen abſque macula in humanis omnis vita Salvatoris, ita ut ex admiratione mutua dicerent: Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit? Inter cætera, quæ Chriſtus ſupra hominem ſervavit, cùm voluiſſet per omnia aſſimilari fratribus ſuis, hoc ſatis ad contemplandum homines trahit, quòd diſcere ab homine noluit, cùm ad veritatem humanitatis oſtendendam, & ad legem cuſtodiendam voluiſſet circumcidi, præſentari in templo, fugere in Ægyptum, ſubdi parentibus, baptizari, jejunare, comedere, bibere, fatigari, dormire, lachrymari, & cætera talium, diſcere verò recuſavit. Hoc fortè in cauſa, quòd diſcere ignorantiam præſupponit, ignorantia vitium, & defectus ex vitio, cætera verò pœnalia ſunt multotiens pro vitio, non tamen ipſa vitium, necnon & ignorantia defectus eſt animi, & illa corporis. Nullum tamen defectum executivum anima Chriſti accepit, quanquam triſtari in anima pro nobis non ex vitio voluiſſet, nec minoris ſcientiæ natus, quàm Adam creatus eſt, qui plenus ſcientia factus eſt. Et ſimulatio fuiſſet, infinitam ſapientiam ad ſcholas hominum acceſſiſſe, illorumque perquiſiſſe gymnaſia, & doctrina cœleſtis qua humana corda volebat inſtruere, non à Deo infuſa, ſed ab homine videretur accepta. Et ſi propheta ſycomoricus non ſcholaſticè, ſed divinè accepit ſcientiam divinorum, cur & Chriſtus voluiſſet ad divina, ſeu ad humana doctorem? Nec ex opportunitate decebat pro humanitatis veritate monſtranda, ſive pro reverentia legis, quòd ſubderetur ipſe magiſtris. Tria enim ſunt, in quibus Chriſtum in tanto noſtræ redemptionis perficiendo myſterio decuit per excellentiam agere, potentia, ſapientia, virtus. Prima in miraculis, ſecunda in doctrina oſtenſa eſt, tertia quòd nil quæſivit humanum, quòd per omnia irreprehenſibilis, & per patientiam in adverſis inſuperabilis fuit. Equidem ſic iſta tenuit, & exercuit, ut in aliis, quòd verus homo erat, & quòd legem non ſoluebat, oſtenderet. Veruntamen iſta admiratio Judæorum, cùm inficiari non poſſit, quòd Chriſtus præter humanam doctrinam ſcientiam habebat, ipſorum perfidiam arguit, pro eo, quòd debuiſſent illico ad Chriſtum vera pietate converti. Nec relinquitur excuſatio his, qui vident mirabilia, quæ negari nequeunt, ſi non credunt. Æque arguit eorum diffidentiam, & multorum exiſtentium in hoc ſchemate malo, qui diffidunt, aut abnegant nemini poſſe, aut debere boni præcellentis aliquid provenire, niſi adſit naturalis induſtria, & adjuvet artificialis pe-

ritia, & ſolertia ſemper agat, ut capiat: Et ſi non denegant divinam potentiam, cui nil poteſt reſiſtere, cui omnia facilia ſubjacent ad faciendum, & jam factum negare non verentur factum non eſſe, vel fieri. Et egoipſe hujus operis ex Deo author, certè millies cum inflatis ſcientia natutali altercationem habui, obſtantibus procaci ore, duro corde, quod præter philoſophicam ſcientiam ſtudii ſudore interpoſito, non poterat haberi ſcientia divinorum. Et quòd ſic, non aliter ad illa poſſit eſſe acceſſus, pertinaci animo velut qui deferentes naturæ plus quàm gratiæ, hoc aſſerebant, quorum aliquos probabili experientia convici, oſtendens plus eſſe datum gratiæ, quàm naturæ. Quid enim ſibi vult dicere: Quomodo hic litteras poterit ſcire, cùm non didicerit? Quod de Chriſto infandiſſimum cùm eſſet omnino, ad alios Deo dicatos converto ſermonem. Quæ hominum veſania ſolùm deferre naturæ, artis ſtudio, ſolertiæ hominum, quòd plus hominibus poſſint afferre, quam gratia, quæ repente agit, ſubito imprimit, infallibiliter docet, inhæſitanter indoctis facit exiſtere mentes, & luce clarius etiam, quæ aliis videntur obſcura, demonſtrat. Et cum modus ſcientiæ ſive doctrinæ Chriſti quæreretur à Judæis, *JEſus reſpondit: Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me patris.* De nova nativitate per aquam, de eſu carnis ejus, de ſua doctrina, & de exaltatione per crucem à Chriſto & de Chriſto quæſitus eſt modus, & juxta quæſitum, aut juxta veritatem ab ipſo eſt porrecta reſponſio. Quæſivit Nicodemus, quomodo poſſit homo naſci, cùm ſit ſenex? Joan. 3. Quæſiverunt Judæi: Et quomodo poteſt nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Et alibi: Quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Nunc de ſcientia: Quomodo hic ſcit litteras, cùm non didicerit? Uti & aliis & hic videmus factum, quia litteras & litteraliter loquitur, quæ ſunt legis, & prophetarum. Et quòd non didicit litteras ſcimus. Patet non clandeſtinam & privatam converſationem habuiſſe JEſum, cùm Judæi ſcirent eum non à magiſtro didiciſſe ſcripturam. Sed ſciendi modum dicit JEſus non apprehenſibilem eſſe ab homine puro, ſicut & ſequitur: Mea doctrina, quam profero lingua carnis, & ideo mea, non eſt mea ex authoritate carnis ſive humanitatis, ſed ejus, qui miſit me Dei patris, cui æquor in forma deitatis. Velut una legatio eſt legati, & legantis. Unde ſi legatus quiſpiam quæreretur, cujus eſſet legatio, reſpondere poſſet: Mea eſt legatio, quia mihi commiſſa. Non eſt mea, quia non authoritate propria, ſed illam ab alio miſſus accepi. An fortaſſis mea doctrina non mea ſolùm, ſed ejus, qui miſit me patris? Ecce modus ſcientiæ Chriſti per omnia ineffabilis eſt, quia Deus æternus eſt, cui nihil acceſſit, vel deceſſit ex tempore addens aut detrahens deitati, nec aliud eſt Deus, quam ſcientia ejus: Anima verò ejus unita illico deitati omni ſapientia repleta eſt, ita ut in Chriſto ſint ſecundùm Apoſtolum omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſcondiri, non per traditionem doctorum, ſed ipſa virtute unionis. Etiam ut homo theſauros incomprehenſibiles ſapientiæ, & ſcientiæ habuit. Igitur ore humano deprompta doctrina erat Chriſti hominis, & authoritate verò erat Dei patris. Et cùm ipſe non habuerit in ſciendo explicabilem modum, attamen cæteris illam ſcire volentibus explicat modum dicens: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrina mea utrum ex DEO ſit, an ego à meipſo loquor.* Advertenda eſt ſignata locutio Salvatoris. Si quis voluntatem Dei fecerit, ſciet diſcernere de doctrina Chriſti, utrum ſit à Deo, an ab homine puro. Non tamen ſic ſentiendum eſt, quòd voluntarius Dei, omnem Chriſti doctrinam prout eſt à Deo intelligat, niſi quòd voluntatem Dei faciamus, ſit omnis ejus ad nos delata doctrina. Nec quempiam fallat id dictum eſſe, quòd Dei faciens voluntatem, de Chriſti ſciat judicare doctrina, utrum ſit à Deo, cùm ipſe Chriſtus propter illud, & nil aliud docuerit homines, quàm Dei facere voluntatem. Et qui vult facere voluntatem Dei, & cùm audierit, intelliget unde ſit, quoniam timore ſuo initiabitur. Et intellectus bonus omnibus Pſalm. 110. facientibus eum. Et Job in receſſu à malo, Job. 28. quod eſt divinæ voluntatis, intelligentiam eſſe aſſeruit. Et recedere à malo intelligentia, velut activus ſit verior intellectus, & intelligit utiliter, qui operatur, & fruſtra intelligit, qui non agit. Intelligit voluntarius Dei de doctrina Chriſti, quoniam, qui non ſuam, ſed Dei vult facere voluntatem, intelligit à Deo Chriſti eſſe doctrinam, qui ſolùm divina docuit, non humana. Et, ut non dubiè Chriſti doctrinam à Deo eſſe credat, vulgare proverbium ad Prov. 19. ipſum referat: Doctrina viri per patientiam noſcitur. Conſlentur ergo in unum quæcunque ſunt objecta JEſu, verbis, factis, quomodo, & quamobrem & à quibus, ſi huic viro aliquando patientia defuit, ſi ſuperari in animo potuit, ſi actus aliquando ira eſt, ſi non malefacientibus benefecit, ſi malèdicentibus non benedixit,

dixit, ſi non toleravit reprobos in colloquio, in conſortio etiam proprium proditorem. Prolixum & quaſi ſupervacaneum eſſet in Chriſto patientiæ commendare virtutem, ex qua ſua doctrina non eſſe humana, ſed divina clareſcit. Quis enim potuiſſet talia æquanimiter tolerare, niſi Chriſtus æternus Dei Filius homo verus, aut is, cui ipſe dederit, divinè, non humanè ſeu naturali virtute? Ac per hoc per patientiam viri hujus, ſua doctrina intelligitur eſſe divina potius quam humana. Et ut perſtringam, totum Evangelium ejus, dùm ſane inſpicitur, ex omni varietate loquendi divinum eſt doctrinale, ad homines verùm ore humano prolatum. Sed improba cogitatio Judæorum & importuna quæſitio, dum in doctrina ſentiebant inconvincibilem veritatem, quòd quærebant originem. Ex qua imagine poſſunt argui plus debito curioſi, dum quærunt rerum originem, ſcientes ipſarum efficaciam atque virtutem. Nonne in herbis, in lapidibus pretioſis ab indigentibus potius exquiritur effectus, quam ortus. Neque neceſſarium eſt ſcire, unde prodeant, ſed quid utendo efficiant. Arguendus eſſet famelicus habens in manu panem, ſi non comederet antequam originem noſceret? Quid intereſt, aut refert ſcire, aut neſcire res, quibus neceſſario utimur, unde à primævo proceſſerint, ſi nobis factæ ſunt præſto ad uſum, & ad utilitatem expediunt. Aceipiunt indigentes panem oblatum, nec exquirunt, quis ſator, aut meſſor in granis, aut in qua patria ſeu cujus agro, aut quis piſtor extiterit. Neque qua vite natum, quibus torcularibus preſſum, qua vegete immiſſum, quo authore deductum fuerit vinum, non curat ſitiens ante propinatum habens, ſed tantùm id hauſtu, ejus depellere ſitim. Non calefacit ignis amplius in lignis cognita ſylva, nec minus incognita, Quid de origine lucis inquiritur, cùm ipſa tibi ad agendum opportuna facta ſit præſto? Cur ergo de veritate quæris exordium? Cur authorem, ſi tibi ipſa placet? Si oſtendit, ut eureris putrida tua, ut valeas in ſuperna, etiam opportuna miniſtrat. Plus enim eſt veritas à ſeipſa, quam à quoquam proferente poſſit exiſtere. Sumit medicamina ægrotus, quæ medicus adminiſtrat, nec qua patria, quo authore, quo ſint delata navigio interogat ſanitatem quærit ex eis, non proceſſum ad illam. Quid ergo cognita veritate neceſſaria plus de illa quærunt, aut volunt illam improbare, quia diſplicet, improbans quod malè placet, aut cauſam invenerit defectionis ab illa, veriti altitudinem præceptoris ejus, non attendentes jucunditatem converſationis illius, ut cùm non poſſunt inveſtigare ſuam originem, culpam retorqueant in doctorem. Non minor veritas reperta ſulcatione characterum in quibuſcunque codicibus, ignorans authore ſeu ſcriptore, ſi valentior, aut notitia foret, imperatorum regumque ſubditi, cùm edictum ab eis acceperint in ſcriptis, obedire ſe parant, non quærentes cujus manus ſulcaverit imperiale mandatum, ſcientes hujuſcemodi notitiam ſive neſcientiam nil adimi vel conferri in authoritate imperialis edicti. Nullum imperium ab æterno majus, quàm veritas, quæ ante omnia, cùm omnibus etiam poſt omnia, ſi poſſibile foret deficere, ipſa manet. Super omnia eſt, omnibus prævalet, nemo eſt, qui ſe abſcondat ab inveſtigatione ejus. Luminoſa eſt, nullis obſcuranda ſeu tenebris depellenda eſt. Inconvincibilis eſt, cujus edictum abſque certiſſima pœna non contemnitur. Non ergo quæratur quomodo, aut unde quis illam enunciet, ſi cognoſcitur dictum, quo veritas eſt. Cognoſcit igitur voluntarius Dei doctrinam Chriſti eſſe à Deo, quia, cùm non quærit voluntatem facere ſuam, doctrinam Chriſti audiens aſſerit eſſe divinam, cùm ea, quæ Dei ſunt, non quæ mundi ſunt illa contineat, ex quo liquet, Chriſtum non à ſeipſo, ſed à Deo fuiſſe locutum. *Quoniam qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit.* Scientia ſcripturarum, ut rei experientia pandit, aliquo tradente percipitur. Proinde, qui loquitur ſecundum litteras, & ſcripturas, non ſibi uſurpet ſcientiam, ſed referat in doctorem. Et legatus non legationem ſibi arroget, ſed leganti: Alioquin gloriam propriam negotiaretur. JEſus verò cuncta referebat in patrem, à quo ſe miſſum ſæpiſſimè faſſus eſt, unum non erat de ſua doctrina cunctandum, aut ejus origo quærenda, quoniam verax eſt Chriſtus. Ex hoc quidem, *Qui autem quærit gloriam ejus, qui miſit illum, hic verax eſt, & injuſtitia in illo non eſt.* Hoc quidem dicebat JEſus ad convincendam ſævam perfidiam Judæorum, qui eum quærebant ad mortem, cùm verax eſſet, duntaxat hominibus doctrinam paternam promulgans.

Cap. XXVIII.

Oſtendit Jeſus Judæos prævaricatores Moſaicæ legis in Chriſto, ſe autem legem non ſolviſſe demonſtrat, ſecundùm Joannem.

LEx Moyſi data eſt, circumciſio non Moyſi data, nec ex lege fuit, ſed patribus data fuit, primo videlicet Abrahæ. Si cuſtodiretur lex in ſabbato non fieret, circumciſio ſit inſoluta lege. Opus autem fieri poſſet in ſabbato æquale circumciſioni, aut excedens, etiam ſine prævaricatione legis. Sed lex Moyſi penitus homicidium prohibet, niſi juſtitia contemptæ legis judicaverit hominem obtruncandum: ex hoc quidem Jeſus arguens ſævam perfidiam Judæorum, dicit: *Nonne Moyſes dedit vobis legem? Et nemo ex vobis facit legem. Quid me quæritis interficere?* (Joan. 7.) Moſaica lex, quam accepiſtis ab eo fieri, homicidium vetat, & nemo veſtrum illam cuſtodit, cùm me omnes concorditer quæritis ad necem. Sed ut quid? Cùm ſim verax, cùm non quæram gloriam meam, cùm injuſtitia in me reperiri non poſſit. Veruntamen depravati adjiciunt mala malis, & annectunt peccata peccatis: unde deberent corrigi, inde in pejora labuntur. *Reſpondit ei turba: Dæmonium habes. Quis te quærit interficere?* Ecce malorum cumulatio ad præacta, ſicariæ voluntati peſſimum convitium jungunt, dicentes hominem ſanctum & juſtum habere dæmonia. Sed quoniam mente dæmonium geſtabant, & agitabantur ab eo, tali nomine appellabant exoſum, & publicè mentiebantur negantes velle interficere, quem modis omnibus venabantur ad mortem. Proprium peſſimorum eſt, ut malitiam, quam animo gerunt, aliis imponant, & cùm convincuntur negent malum velle facere, ſi non perfecerunt. Perfectum verò inficiari non poſſunt, rei evidentia luceſcente, ſed inveniunt, ut norunt, excuſationes varias in peccatis, ad eorum axaggerationem malorum. Non reſpondet Jeſus objecto convinio in ſumma patientia factus, nec refutat verbo vero mendacium verum, præſcius illos amplius multiplicaturos peccata: ſed diſcretione utens, & patientiam ſervans, ſed ſua verba in eam partem contraxit, qua evidenter oſtenderet, legis eſſe non ſolutorem, & eorum adverſus eum indignationem injuſtam. *Hinc reſpondit Jeſus, & dixit eis: Unum opus feci, & omnes miramini. Propterea dedit vobis Moyſes circumciſionem, non quia ex Moyſe eſt, ſed ex patribus. Et in ſabbato circumciditis hominem.* Ex eo quod infirmum longævi temporis Chriſtus curaverat in ſabbato ad piſcinam, dependet iſta contentio, non quòd plura bona opera Jeſus in ſabbato non feciſſet, ſicut in multis evangelium clamat. Sed nec interpoſitio eſt alterius miraculi facti in ſabbato uſque ad diſceptationem hanc, niſi fortè illud de muliere curva immediatè præceſiſſet, quæ fuit curata ſabbato, ſed ordo geſtorum diſſentit. Sed nec ad rem diſſerendam ſe objicit, ad apologiam IEſu intendendum eſt. Circumciſionem dedit vobis Moyſes, non ex ſe ipſo, aut ex lege data in monte Sina, ſed quæ ex patribus longè eis data erat. Et cùm puer natus octavo die ſit circumcidendus, ut ſabbato natus octavo die ſabbati fiat circuncisus, & lex Moyſi ex hoc inſoluta manet. Proinde *Si circumciſionem accepit homo in ſabbato, ut non ſolvatur lex Moyſi, mihi indignamini, qui totum hominem ſanum feci in ſabbato?* Si lex Moyſi non ſolvitur in ſabbato circumciſione ſuſcepta, quæ totum hominem non ſalvum facit, ſed in parte, cur indignamini mihi, qui totum hominem in anima & corpore ſalvum feci? Ergo erat injuſta dignatio Judæotum, cùm plus boni egiſſet ſanando totum hominem, quam circumciſio ſanando hominis partem. Id dicendum, quòd ſi actione minoris in ſabbato lex non ſolvitur, quæ jubebat ſabbatum cuſtodiri, nec ſolvitur actione potioris. Rationem reddendo Chriſtus diſceptabat, humilitatem agens, qui poterat authoritate ſuperare. Decentius autem eſt, ubi ratio reddi poteſt ipſa, quam imperio uti, & ad magnam dignationem magis herois & humilem conſiſtentiam ejus infertur in reddita ratione cum ſubditis fieri, quos poteſt omnino authoritate ſuperare. Hujuſcemodi modum ſervat in omnibus Jeſus, quoniam invalida eſt ratio, quæ ſuperioris authoritate ſulcitur. Nec ad rationem probabilem apponenda eſt, niſi producenda ſit adverſus adverſantem pertinaciter rationi cùm non rationi ſuffragatur authoritas, ſed reproborum improbitatem, & contumaciam ipſa culpabat. Et cùm ratione ageret Jeſus, monuit ſecundum exteriorem aſpectum contra veritatem temerariè judicantes, dicens: *Nolite judicare ſecundùm faciem*

faciem, ſed juſtum judicium judicate. Uti
diceret : Ex exteriori aſpectu vobis appa-
ret, quia curavi ſabbato, ſolviſſe legem,
ſed non ſolvi ſecundùm veritatem, ſicut
vos non ſolvitis per peritomen. Igitur
nolite ſic improviſè judicia jaculare ſe-
cundùm id, quod foris quoniam homi-
1. Reg. 16. nes vident, quæ foris apparent, Deus
autem intuetur cor. Sed judicate ſecun-
dùm juſtum judicium, ut innocens non
damnetur, nemo ſine culpa propria in
perſona puniatur. Nec hoc dicebat Je-
ſus timens, aut nolens ab eis occidi, qui
venit pro eis & pro omnibus mori, ſed
eos revocabat ad veritatem, & depellebat
errorem, quo ſæpe judicium clauditur,
& veritas exulatur. Ideoque revocat ad
Deutr. 1. judicium æquitatis, ut non ex aſpectu, ſed
ex juſtitia judicent, nec in acceptione per-
Deut. 17. ſonarum, ſicut ſcriptum eſt : Quod ju-
ſtum eſt, judicate illos, ſive ſit civis, ſive
Prov. 17. peregrinus. Et maledictus, qui pervertit
judicium. Sed viri mali non cogitant ju-
dicium, qui autem timent Deum animad-
vertunt omnia. Et per ſapientiam dicitur Sapient. 1.
Diligite juſtitiam, qui judicatis terram;
quoniam nemo rectè judicat, niſi juſtitiam
diligat. Et dominus per Prophetam : Ju Zach. 7.
dicium verum judicate. Libramento mul-
to opus eſt in proferendo judicia, & exa-
minare cauſam per ea, quibus poſſit per
juſtitiam potius abſolvi, quàm condemna-
ri, qui concitus eſt reus. Amplius ju-
tia ſe habet, ne innocens ſupplicium luat,
quàm quod reus debita pœna fodiatur.
Videntur multa digna ſuppliciis, & ſubito
intuitu condemnationem habent, & repre-
hendi poſſunt. Cùm verò trutinantur æ-
qua lance juſtitiæ, & in ſtatera veritatis &
rationis appenduntur, abſolvuntur. In Pſalm. 57.
hoc quidem verbo cuncti admonentur :
Nolite judicare ſecundùm feciem, ſed ju-
ſtum judicate. Hinc Pſalmiſta dicit : Si
verè unque juſtitiam loquimini, rectè ju-
dicate filii hominum.

Cap. XXIX.

De diſceptatione habita inter Judæos de Chriſto, ſi eſſet, ſi cognitus, ſi bene proceſſerit, cum reſponſione Jeſu, ſecundùm Joannem.

NOtum palamque factum erat o-
dium Judæorum in Chriſtum,
qui eis etiam palam & intrepi-
dè loquebatur, ita ut turbæ mi-
rarentur & colloquerentur adinvicem di-
Joan. 7. ſceptando de Chriſto. *Dicebat ergo qui-
dam ex Jeroſolymis : Nonne hic eſt, quem
Judæi quærunt interficere? Ecce palam loqui-
tur, & nihil ei dicunt.* Erat hoc verbum
aliquorum ad deſiderium feſtinæ mortis
Jeſu, aliquorum uti mirantium, aliquo-
rum uti lætantium, quod non tangebatur,
dum publicè loqueretur. Et hæſitatio co-
gnitionis tenebat animos aliquorum dicen-
tium : *Nunquid verè cognoverunt principes,
quia hic eſt Chriſtus? Sed hunc ſcimus unde ſit.
Chriſtus autem, cùm venerit nemo ſcit, un-
de ſit.* Anceps verbum, id tamen habens
in ſenſu. Ideo hic jam quæſitus ad ne-
cem, palam loquens non capitur, non in-
terficitur, non exprobatur in verbis. Quia
fortè principes ſacerdotum, à quibus hoc
agendi dependet authoritas, verè agno-
ſcunt ipſum eſſe Meſſiam expectatum, qui
modo arcent impetum Judæorum, ne ad
interitum capiatur. Sed è regione verita-
tem non intellectam ſibiipſis objiciunt,
necnon & mendacium veritate mixtum.
Summa ſententia inter Judæos eſt, quòd
generatio Meſſiæ, ac etiam in modo igno-
retur adventus. Verum eſt hoc uſquequa-
que, in quo perſpicua eſt ipſorum damna-
tio. Quoniam Chriſtus Meſſias expecta- Act. 8.
tus ſic erat, cujus generatio ignoratur,
quia æterna. Et generationem ejus quis
enarrabit? Et modus incognitus, quia per
portam clauſam ex virgine. Et hoc di-
ctum habet, Chriſtus autem, cùm venerit,
nemo ſcit, unde ſit. Mixtum verò veri-
tate mendacium, præmiſſum verbum
habet. Sed hunc ſcimus, unde ſit.
Quia ſciebant parentes ſecundùm carnem,
quorum alter putativus, alter duntaxat
verus erat. Sciebant civitatem, & patriam,
deitatem tamen in ipſo, imo Deum neſcie-
bant. Hinc mendacio aſſcripti ſunt, pro-
pterea Chriſtus clamoſa voce veritatem
confirmat, mendacium deſtruit. *Clama-
bat ergo docens in templo Jeſus, dicens : Et
me ſcitis, & unde ſim ſcitis.* Affirmat
etiam hoc Jeſus, quod ſciebant eum ſecun-
dùm carnalem generationem, & educa-
tionem, & patriam, denegat autem quod
æternam originem ignorabant. Et cùm
etiam poſſit intelligi, atque cognoſci, quòd
& ſic non credebant. *Et à me ipſo non
veni, ſed verus eſt, qui miſit me pater, quem
vos neſcitis.* Veluti diceret. Quomodo
me cognoſcitis, qui à meipſo non veni?
Et cùm miſſus ſim, ignoratis mittentem
Deum verum, & æternum patrem, & qui
patrem ignorant, filium non cognoſcunt,

& ſi patrem neſcitis, filium quomodo cognoſcetis? *Summa ſententia in hac re*, quoniam cognitio unius relatorum ex altero tota pendet. Et unius ignorantia ſcientiam alterius deſtruit, ſeu neſcientiam parit. Ex omnibus his augebatur culpa inexcuſabilis Judæorum in cognitione Chriſti. Quoniam, ſi ſciebant illum ex ſtemmate. non venerabantur ſanctitatem, quam in eo inficiari non poterant ſi non ſciebant, unde eſſet, non poterant reſiſtere veritati eos nudatè convincenti, neque præſtabant verbis fidem, ut intelligerent veritatem. Sed ipſe Jeſus, cui credendum erat, ſolus ſuam æternam ſciebat originem. Proinde dicebat: *Ego ſcio eum. Et ſi dixero, quia neſcio eum, ero ſimilis vobis mendax. Et ſcio eum, quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.* Pandit ſuo verbo ſui ipſius ſcientiam Chriſtus, fidem ab auditoribus exigens, cùm aliter in ejus cognitionem tranſiri non poſſit, niſi per fidei poteſtatem. Et edocet non ſolúm aſſertione falſorum, ſeu confeſſione non entium eſſe mendacium, ſed etiam in negatione notorum, efficitur imo cognoſcitur hac ſententia Salvatoris mendax, qui ſe dixerit neſcire, quod novit, cùm dicit: Et ſi dixero, quia neſcio eum, ero ſimilis vobis mendax. Sed rei veritatem Chriſtus non denegat, ſed fatetur: Et ſcio eum, quia ab ipſo ſum & ipſe me miſit. Replicatio verborum ſimilium in loquendo ſive in ſententia non plus affert veritatis, quoniam exprimit vim affectus in eos, qui per fidem ad intelligentiam veritatis vocantur. Sed perduellis fit ex veritate perfidia, ex reddita ratione perverſitas, & furiunt ex manſueto loquente. *Nam quærebant eum apprehendere, & nemo miſit manum in illum, quia nondum venerat hora ejus.* Sæpe quæſierunt Chriſtum Judæi, ſed propoſito malo, tamen eum non, niſi quando voluit invenerunt ad necem, ad quam venabantur illum. Bono tamen propoſito inveniſſent ocyus, & tutius tenuiſſent. Manus quidem hoſtis non poterat in eum ex ſe, niſi ab eo permiſſa, qui quando voluit capiendum ſe in manibus hoſtium dedit. Quoniam nec aliquid recepit adverſi poteſtate agentium perditè contra eum, ſed voluntate propria, qui ea hora, qua voluit capi, & teneri, paſſus eſt ab eis, qui eum inſectabantur. Nec ipſe ad horam, ſed ad ipſum hora ordinata erat. Et quoniam nequam erat anima in Judæorum populo præcellentium, non ſit infecta conditio plebejorum. Ideo *de turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Chriſtus, cùm venerit, nunquam plura ſigna faciet, quam quæ hic fecit?* Non erat plena iſta credulitas de filio Dei, ſed de quodam homine ſancto, cùm ei adhuc futurum poſtponant Meſſiam, & ex ſignis magis, quam ex veritate trahebantur ad eum. Nec fuit adhæſio ad ſequelam, nec ad juſtitiam, ut ex confeſſione ſalus ſequeretur. Cùm nec eum tunc fuiſſent auſi coram ſacerdotibus, & principibus confiteri, aut pro ipſo dediſſent ſe in objectum verborum atque factorum, erat tamen animus eorum mitis in Chriſtum, ubi alii ſæviebant. Sed nec ſuffeciſſet eis illa corde concepta modica fides, niſi occaſione data, & accepta progreſſura fuiſſet in publicum coram hominibus confitendo Jeſum. Ex hoc enim ſalus ſecundùm ſententiam ejus: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego Marc. 8.
eum coram patre meo. Et è regione dictum eſt: Qui me negaverit coram hominibus, Lucæ 12.
negabo & ego eum coram patre meo.

Cap. XXX.

De eo, quòd principes & phariſæi miſerint miniſtros, ut apprehenderent Jeſum. Et de diſceptatione exorta ſuper quæſitione non inventura eum, ſecundùm Joannem.

SI qua virtus, & ex ipſa in omnibus actus, & agens ſecundùm eam, nemini occaſionem criminis adminiſtrat. Sed iduratus animo capit ex ipſo unde in pejora labatur, & inde læditur quæ ſibi ad recte agendum præſto auxilium erat. Et cupientibus perperam agere juſtitia æmula eſt, quæ obliquum vetat, rectumque laudet. Placet pernicioſa libertas omnibus immodeſtis, regulatio diſplicet, quibus nec ſatis eſt mala voluntas & actio, ſed conantur ex omni parte captivare veritatem. Et ex imagine captivatis, quam patiuntur in animo, alios nituntur intrudere, vellentque ſi facultas foret delere juſtos, quos infeſtos habent à vita. Unde ſequitur: *Audierunt Jeſum phariſæi* Joan. 7.
turbam murmurantem de illo hæc. Et miſerunt Principes & Phariſæi miniſtros, ut apprehenderet eum. Non poteſt ſuſtinere malus, quòd de bono dignum aliquid divulgetur, & diverberatur in animo, ſi fama ejus increſcat. Ecce alteram murmuris partem Phariſæi de Chriſto pati non poſ-

ſunt.

ſunt. Habebat enim Jeſus, ut jam prædictum eſt, utramque murmuris partem, ſolùm bona odio erat eis. Et ne invaleſceret miniſtros miſerunt, ut eum apprehenderent, quem ex modico jam cœperat turba laudare, quòd ab eis expectatus Meſſias, cùm venerit, non ſit quàm ipſe ampliora ſigna facturus. Sed cognita eſt à Chriſto pernicioſa legatio, cogniti legati, cognitique legantes, id inde. *Dixit ergo eis Jeſus, adbuc modicum tempus vobiſcum ſum, & vado ad eum, qui miſit me. Quæretis me, & non invenietis, & ubi ego ſum, vos non poteſtis venire.* Innovavit loquendi modum, cùm miniſtros aſpexit, non tamen ad eos ſingillatim derivando ſermonem. Sed cæteri Judæi cum miniſtris, & miniſtri cum eis advertere poterant hujusmodi Innovationis cauſam. Ceu diceret, ut quid feſtinant Phariſæi me morti tradere, & ad tale facinus præoccupare tempus, cùm modico tempore ſim manſurus ipſe vobiſcum? ut eum ſenſum habeat iſta locutio, quòd ſic Jeſus venerat omnino moriturus, nec alio mortis genere exceſſiſſet à mundo, niſi ſic fuiſſet occiſus. Unde ait: Legatus ſum, legatione fungor, citò complebitur miniſterium legationis meæ. Qui me legavit expectat, & vado feſtinus ad eum, qui miſit me. Vos autem quæretis me, & non invenietis. Non bono ſed malo propoſito, quòd ſi bono, utique inveniretis quærentes? Quia ego ſum ſcilicet apud Deum patrem in eadem ſubſtantia deitatis in æternitate manſionis quo vos venire nequitis, quia non creditis, poſſetis, ſi crederetis. Mixta verba ſunt hæc, oſtendentia formam Dei & ſervi. Modico tempore dixit ſe Jeſus in mundo manſurum. Sed nec illo modico dignus extitit omnis mundus, ut Deum & Dominum atque factorem ſuum in humana forma creatura videret atque ſentiret. Neque dignus erat mundus converſatione ipſius. (1. Joan. 5.) Et cum totus jam in maligno poſitus eſſet, benignitatem ipſius portare non potuit. Ivit à quo nunquam receſſit, & receſſit, quem nunquam à ſua cura dimiſit. Facta eſt, fit & fiet quæſitio ejus, non autem inventio, niſi ſapientiæ lege, ſicut ſcriptum eſt: (Sapient. 1.) Sentite de domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis veſtri quærite illum. (1. Tim. 6.) Quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum. Apparet autem his, qui fidem habent in illum. Acceſſus ad eum impoſſibilis eſt, lucem habitat inacceſſibilem, fides tamen ad meritum & ad præmium penetrare in illam poteſt. Impertinenter tamen intellexerunt hæc dicta Judæi. *Unde dixerunt ergo Judæi ad ſemetipſos: Quo bic iturus eſt, quia non inveniemus eum? Nunquid in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus gentes? Quis eſt bic ſermo, quem dixit: Quæretis me, & non invenietis, & ubi ſum ego, vos non poteſtis venire?* Non capiebat verba divina perfidum pectus, & cùm ad illa conaretur intellectus non debita via incidit in errorem. Acſi crederent Jeſum abſcedere à Judæis, & tranſiturum ad gentes, quas diſperſas Judæi vocabant propter cultum varium idolorum, & quòd nec ſub una lege, aut ſub uno ſacrificandi ſtudio claudebantur. Ad quas forſan gentes, ſi Chriſtus iviſſet, Judæis impoſſibilis videbatur acceſſus, non ſpatio terræ, aut interpoſitione aquarum, aut greſſu pedum, ſed prohibitione legis, & diſſimilitudine morum non eſſe licentiam, aut quod gentes, quibus ex miraculis, & doctrina poſſet acceptus fieri, eum ab aliis tuerentur. Ita tamen quod arcerent etiam hoſtili potentia, ſi quos cognoviſſent auſu temerario, nocendi conatu ad eum voluiſſe accedere.

Cap. XXXI.

Quòd Jeſus clamaverit, invitans ſitientes ad aquæ vivæ potum, ſecundùm Joannem.

(Hebræ. 1.) DEſideria hominum per diverſa ſpe fruſtrata vagantia in ſe Chriſtus terminaturus advenerat, ſi ei homines adhæſiſſent. Hæres quidem univerſorum eſt, & per eum facta ſunt ſæcula, omnibus bona omnia factus eſt, & ipſe ſe omnibus offert, omnesque invitat, ut nemo de verecundia gradiendi ad eum, ſeu de impoſſibilitate cauſetur. Ipſe invitat, ipſe præſtat accedendi petendique audaciam. Exponit ipſe donum volentibus. Non culpatur inexhauribilis largitas ejus. Negligentiæ hominum eſt, quod ejus dona non accipiuntur, noſtræ deſidiæ, quod ejus beneficia reſpuuntur. Hinc dicitur: *in noviſſimo autem die magno feſtivitatis ſtabat Jeſus, & clamabat, dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Die feſto mediante, aſcendit JESUS in templum, & docebat.

Nunc in noviſſimo feſtivitatis die, ſcilicet ſeptimo, qui celebrior cæteris erat, ſtabat JEſus in templo, forſan eminentius ſolito, ut in eum oculi omnium verterentur, & audiretur aptius vox ejus in clamare deprompta. Invitatoria quidem erat: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Satiare vult Chriſtus deſideria noſtra, quæ ſignantur in ſiti, porro aliunde ſatiari non poſſunt, non ad ſitim corporis potum offert. Multam aquam creavit ab initio Deus decies terram excedentem. Et ferè ubique invenitur aqua pro ſiti corporis depellenda, ſed liquorem alium, non ſenſu corporis perceptibilem pollicetur. Præceſſerant hujus invitatorii vocem in typo multa geſta & oracula prophetarum, ut perlucidè cognoſceretur quid ſit id, ad quod Chriſtus voce clamoſa vocat. Sitivit populus Iſraeliticus in manu Moyſi eductus de Ægypto aquam in deſerto, ubi non invenerat juxta votum. Et accepit ex petra, bis Moyſi virga percutienti illam. In deſerto hujus mundi ſedibus incertis vagatur hominum genus, nihil firmum ſtabileque [Num. 20,] tenens. Deſiderat, anhelat, multaque cupit, languet circa deſideria multa. Sed non invenit in theſauris naturæ, unde ſatietur. Supra naturam propinatur aqua, quia de ſilice, de petra bis Moſaica virga cæſa. Omnia in figura contingebant illis. Et bibebant de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Bis una virga percuſſus poteſtate ſua quidem. Etenim virga oſtendit regiam etiam & judicariam poteſtatem. Moyſes percutiens, ipſe Chriſtus eſt, ut ipſe percutiens, ipſe petra percuſſa. Quoniam ſemetipſum propria voluntate tradidit in omnem humani generis liberationem, provectionemque adiſperata, ut ipſe ſit percutiens & percuſſus. Bis nempe, in anima pro triſtitia, in corpore pro pœna ſenſibili. Aquæ largiſſimæ tunc temporis de petra fluentes, aquam redemptionis in ſanguine, & aquam ablutionis in baptiſmo figurabant; ita largiſſimæ, ut pretium, quo eſt celebrata redemptio, àqua in qua baptiſmus ordinatus eſt, & omnes homines potaverit ope ſua. Igitur ſi quis ſitit redimi, ſi quis ſitit lavari à ſordibus peccatorum, ad Chriſtum clamantem in noviſſimo feſtivitatis die, in [1. Cor. 10,] fine temporum accedat: Quoniam nos ſumus, in quos finis ſæculorum obvenit. Et dicentem audiat: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Sed ſi non ſitit, non veniat. Non enim accipiet non ſitiens, ſi ſitire poteſt. Ad ſitientes duntaxat facta eſt invitatio. Sic enim proclamaverat Do- [Iſaiæ. 55.] minus per prophetam: Omnes ſitientes venite ad aquas, non acceptatæ pretio ſeu aliqua permutatione rerum, ſed promptitudine inobliquatæ voluntatis. Inde ſubjecit: Et qui non habetis argentum, properate, & emite, & comedite. Venite, emite abſque ulla commutatione vinum & lac. Ad multiplices potus vocat, aquarum, vini & lactis. Potus aquarum ex ſuperioribus liquet, vini ad hauſtum ſcilicet Evangelicæ doctrinæ, lactis, ut per veritatem mentis & morum cum dulcedine bibant ad imaginem parvulorum, qui lacte puro & dulci cùm delectatione paſcuntur. Et in perſona CHRISTI prædictum erat. [Cant. 5.] Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini chariſſimi. [Pſalm. 22.] Ecce vinum inebrians. Attende menſuram. Et calix meus inebrians quam præclarus eſt. Et ebrietas hominem quaſi alienum facit. Clamat quidem Chriſtus, ut accedamus ad eum, & bibamus. Sed vinum ejus & menſura ſeu vas, quo apponitur ori, ebrietatem facit, illam videlicet, qua vocatus à Chriſto, ab omni mundo viſibili efficitur in animo alienus. Væ! qui ab hac ebrietate ſecernitur, in hac cauſa ebrietas rectum, ſobrietas pravum ſapit. Inebriat vinum Chriſti ea imagine, qua ore præceptum eſt, ut injuriantem, & injurias, lædentem, & læſiones, honores, & vituperia, laudantes & deridentes, aurum & ſtercus, notos & extraneos æqua lance deriſionis appendat, ut ea ſimilitudine vino Chriſti ebrius cuncta libret. Igitur vitium eſt ebrietas, ſed non ex vino Chriſti, ad quod chariſſimi invitantur. Inebriat & calix non à ſe, ſed adhuc ex potione contenta. Et menſura eſt, qua vinum propinatur. Menſura [Joan. 18.] Chriſti fuit omnino ſemeſtris. Quoniam dedit ſibi pater, ut diceret adverſanti. Calicem quem dedit mihi pater, non vis, ut bibam illum? Ac per hoc hujuſmodi calix ori cordis appoſitus per conſiderationem inebriat per amorem. Si quis ergo [Prov. 2.] ſitit, ad Chriſtum vadat, & bibat. Hac ſiti agebatur David, cùm aquam de Beth- [Pſalm. 41.] leemico fonte ſitivit, etenim Chriſtus Bethleemiticus erat. Et alibi decantavit: Quemadmodum deſiderat cervus ad fontem aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini. Qui ergo vitam deſiderat, vadat ad clamantem alta voce JEſum. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat; Ipſe fontem vivum ad auferendam noſtram ſitim habet. Sed intellectus Verborum eſt pro filiis Chore, qui calvus interpretatur, ut ex titulo Pſalmi liquet, id eſt, pro filiis Chriſti in monte Calvario crucifixi. O-

mnes

mnes quamvis invitentur ad aquas, ad novum Chriſti potum, non tamen accipiunt, niſi ſint filii calvi Chriſti Salvatoris. Et his Apoc. 21. dicitur quod in Apocalypſi ſcribitur: Et Jerem. 2. ſponſus & ſponſa dicunt, veni, & qui audit, dicat veni. Et qui ſitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. A Chriſto autem deficientibus dicitur: Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Aut quid tibi cum via Aſſyriorum, ut bibas aquam fluminis? Hæ aquæ non ſatiant, vitam optatam non tri-Joan. 7. buunt. Et cùm ſolùm verè credentes accipiant, ideo adjectum eſt: *Qui credit in me ſicut dicit ſcriptura: Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Iſta verba ſunt Chriſti, ſed non aliter explicari expedit, quàm Evangeliſta ſubjecit. *Hoc autem dicebat de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat ſpiritus datus, quia JEſus nondum erat clarificatus.* Spiritus Sanctus in typo fluminum aquæ vivæ decurrentis deſignatus eſt, qui ante aſcenſionem, in qua maximè clarificatio Chriſti patuit, tantæ multitudini neque in tantis ſignis datus non fuerat. Quamvis multi ante illam inſignem donationem habuerunt Spiritum Sanctum ad prophetandum, ad ſanctificationem, ad facienda miracula, ſed non datus ante glorificationem ejus per reſurrectionem futuram, in aſcenſionem monſtrandam. Dari quidem poterat Spiritus Sanctus ante omnia hæc, ſed complenda erant omnia myſteria filii antequam Spiritus Sancti in tanta evidentia, in ſonitu, in linguis igneis celebraretur adventus. Qui more fluminum aquarum viventium defluxit in cordibus eorum, qui acceperunt ad irrigandum orbem terrarum, ſicut ſcriptum eſt: Spiritus Domini replevit orbem Sapien. 1. terrarum, Ecc. 24. contemptu terrenorum, amore cœleſtium, divinis doctrinis, moribus novis, virtutibus & ſacramentis ſalutaribus, & imbre miraculorum opplevit. Verum quia unde flumina exeunt revertuntur, ideo Spiritus Sanctus fluminibus aſſimilatus eſt, quia quo venit vadit, ſecum trahens quos ceperit.

Cap. XXXII.

Quòd ex prædictis Verbis Salvatoris orta ſit diſceptatio, ex qua inter Judæos diſſenſio facta eſt, ſecundùm Joannem ſolùm.

ERant verba Chriſti omnino excedentia communem hominum ſenſum, ſed ipſe præſtabat volentibus intellectum. Ad hoc edebantur, ut audientes ad eum tota intentione convertrentur, & fide moribusque ſequerentur ad percipiendum ab eo deſideratam æternam vitam. Nec erat in proferendo varietas, ut ad acceptos minus vel magis edita viderentur. Expandebantur ut retia, pro piſcibus aut avibus venientibus pariter capiendis. Quòd ſi non capiuntur, non eſt in retibus culpa expanſis jure venandi. Sed ſicut piſces, aut aves non venientes non veniunt in capturam, venientes hærent: Sic verba Chriſti venandi ad vitam homines omni jure deprompta non omnes audientes ceperunt, nec de fructu ſemiverbii ſeu Verborum, ſed inæqualitate auditorum, qui non eodem animo ad illa ſuſpenſi erant, ſicque patet diverſitas. Ex illo ergo *turba, cùm audiſſet hos ſermones ejus, dicebant: Hic eſt verè propheta. Alii dicebant: Hic* Joan. 7. *eſt Chriſtus. Quidam dicebant: Numquid à* Mich. 5. *Galilæa Chriſtus venit? Nonne ſcriptura dicit, quia ex ſemine David & de Bethlem caſtello unde erat David, venit Chriſtus?* Diſceptabatur de Chriſto, variè quidem, ut videns crederetur, ſeu expectatus Meſſias. Erant & aliqui eum cognoſcentes ex genere, ex educatione Galilæum, ex civitate Nazareth, ſita in regione Galilææ. Scientes ſecundùm carnem genealogiam ejus ex utroque parente, gnari ſcripturarum, & prophetiarum, reprimentes dictum & opinionem, quòd à Galilæa Meſſias venturus non ſit, magis autem à Bethleem ſecundùm ſcripturam. Sicut Nathan de Matth. 2. mandato Domini prædixerat David, & ſicut prophetaverat ante Micheas, ſecundùm cujus prophetiam reſponſum fuit à ſcribis Herodi, de Chriſto ſciſcitanti ad inquiſitionem Magorum. Sed unde Judæi cauſantur in Chriſtum, inde accuſantur, & contra eos ſententia juſta divoluitur. Quoniam & Chriſtus Bethleemita erat, natus ibidem tempore deſcriptionis orbis, cum ſignis & portentis advenientibus orbi, annotatis in libris gentilium. Quanquam illa non commendaverit ſtylo, aut ſi commendaverit in tunc, in poſterum abolevit perfidia Judæorum. Qui & ſi non poterant ſupprimere ipſum eſſe prophetam, negabant ipſum eſſe Meſſiam. Sed unde ſe palliant, deteguntur, & implicantur, quo explicari ſe credunt. Diſſenſio itaque facta eſt in turba propter eum. Semper inter verum & falſum, bonum & malum,

lucem & tenebras, pios & impios, juſtos & injuſtos, humiles & ſuperbos, humiliter ſentientes, & alta ſapientes, ſimplices & aſtutos, diſſenſio reperta eſt. Etſi permixta concio hujuſmodi diſſerentium, tandem patuit concio ſaniorum & intantùm proceſſit autumatio diſciſſa de Chriſto, ut una partium manus in eum mittere niteretur, ut caperet, ſed nec & altera præſumpſit, ut pavida in tutelam. Neque aliquando in Evangelio legimus, quod defenſionem humanam aliquando habuerit à ſævientibus in eum, imo is, qui præſumſit, illico mandatum accepit, ut eductum gladium converteret in vaginam. Expoſitus erat Chriſtus à patre ad tolerantiam adverſorum, ſed voluntas ſua inſeparabilis erat. Manifeſtat hoc actio nequam. *Hinc quidam autem ex hi volebant apprehendere eum, ſed nemo miſit ſuper illum manus.* Non ſemper agit facultas, quod deliberat mala voluntas, quæ ſi non corrigitur, facultas refrænatur, aut à potentiore virtute, aut à ſeipſa minus audace in effectu, quàm mala voluntas fuerit in affectu. Itaque quidam miniſtrorum volebant Chriſtum capere, ſed à Chriſti virtute manus eorum prohibita eſt, ut adverterent, quòd Chriſtum apprehendere non erat humanæ poteſtatis, ſed ipſius duntaxat propriæ voluntatis.

Cap. XXXIII.

Quòd miniſtri non apprehendentes JEſum reverſi ſint, ex quo diſceptatio exorta eſt, quid in eum ſit ſecundùm veram juſtitiam decernendum, ſecundùm Joannem ſolùm.

NOn ſemper miniſtri perficiunt imperata majorum virtute aliqua acti, cognoſcentes eſſe nequiſſimum, quod jubetur, Deo prohibenti perperam agere, magis quam hominibus deferentes. Aliqui non valentes perficere imperatum, etiam habentes animum malè paratum, non perficiunt juſſum nequam. Pleriſque in ipſa prima divulgatione mandati apparet edictum jubentis perverſum eſſe juſtiſſimum. At ubi, cùm ſubitò non exit in opus mala facultas, interdum de opere inſtruitur interius inordinata voluntas. Ex hoc à temperantia detineri oporteret miniſtrorum manum, ne ſubitò perficerent juſſum, aut illico inferrent in aliis læſionem mandato ſuſceptam. Quoniam in ſubitatione confunditur innocens, taliter quod non valet medela poſt vulnus, neque vita reſtituitur ab homine, cùm mors præfuit irrogata. Et ſæpe poſt malè geſtum liquet veritas innocentiæ, cui non confert etiam voluntarium remedium inferentis. Unde miniſtri à doctrina ſana Chriſti præventi, non illum tetigerunt, in optimo documento facti poſteris, ne ſubitò perficiant incompacta juſſa majorum. *Venerunt ergo miniſtri ad pontifices, & phariſæos, & dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis illum? Reſponderunt miniſtri: Nunquam ſic locutus eſt homo.*

Joan. 7. Revertuntur miniſtri ad pontifices, à quibus miſſi fuerant ad propriam actionem ſpe fruſtrata mittentium, qui eos animo irato interrogabant. Quare non adduxiſtis eum? Uti dicerent: Nos vos miſimus ad capturam, quare igitur non cæpiſtis eum, ut captum deferretis ad nos? Excuſant ſe miniſtri ex locutione capienda JEſu, quòd, uti locutus ipſe, nunquam ſic fuerit alius locutus. Homines iſti erant, & ſupra hominem de Chriſto ſentiebant, ex eo quidem, quod in manſuetudine audierant verbum ejus. In quo virtus erat poſſe corda hominum mutare, non tamen poteſtate ſolùm, cùm poſſet, ſed etiam humili pietate audientium eorum corda mutabat. — Apparitores ſævi à ſævis miſſi principibus, manſueti ad verbum Domini facti ſunt, à quo animorum ſedata ſævitia, & corporum frænata facultas. Nullus ſe tueretur à verbo dominico, ſi ad audiendum aptaret aurem. Molleſcunt dura corda, pertinacia effugatur, molleſcit duritia mentis, & ad aptitudinem agendorum ipſa ineptitudo reducitur, obliquata ratio redit in rectum, aſperum deplanatur, ſi animæquiori animo verbum veritatis accipitur. Hujuſcemodi miniſtri mittuntur, ut capiant, audiunt, & quieſcunt. Et nec in culpa ſunt, ſi ad meliora converſi non perficiunt juſſa, quæ nequiter ſuſceperunt, ſi non obſecundant juſſionibus criminoſis. Et fortaſſis dicet quis: Ergo in culpa ſunt ſervi, ſi non perficiunt omnia juſſa majorum, ſi juramento, aut pacto eis ſe conſtrinxerint. Equidem, ſi edictum non adverſatur juſtitiæ, veritati, atque virtuti. Ubi autem è regione conſiſteret, juſtitia, veritas, virtus ſunt juſſionibus omnibus præferendæ. Adverſùs iſtas nulla lex, nulla ſanctio, juſſio nulla, ſi in re hac apologia interpoſita magis placet. Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo loquitur,

tur. Ut ex hoc liqueat, ideo non cepiſſe JEſum, quoniam ſupra omnem modum omnium hominum loquebatur. Et ſi calculatio fieret à protoplaſtis uſque ad Chriſtum per omnes mundi originales homines, & ab illa prima omnium maxima rarè incluſorum egreſſu, quouſque per omnes nationes, per omnes ætates, per omnes tribus, populos, & linguas uſque ad ipſum Chriſtum, nunquam ſic locutus eſt homo, Pſalm. 115. Ita locutus, ut inimici faterentur, quorum teſtimonium plus affert in judicio veritatis. Et homo erat verus, ſed ſupra hominem loquebatur. Et omnis homo mendax, ipſe ſolus verax. Ideo nunquam ſic loquutus eſt homo, ſicut loquebatur JEſus, qui non ſolùm homo, ſed Dei Filius erat, in quo, & per quem pater hominibus loquebatur æternus. Quod & poſt omnem ejus locutionem de ipſo ſcripſit Apoſtolus: Multifariè multisque modis olim loquens Deus patribus in prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio. Ergo Hebr. 1. non abs re dictum, nunquam ſic locutus eſt homo. Non ad ornatum verbi laus iſta depromitur, ſed ad affectum. Penetraverat enim illorum animos ſermo ejus, & mutationis ad affectum habebat effectum, & de cœleſtibus & honeſtis erat, nil habens immodeſtum, nil recompingibile, nihil præter rationem, & utilitatem, & ordinem, continens æquè quod eſt totius virtutis, & gratiæ, ordinatum ad gloriam, & delectationem afferebat amatoribus veritatis, jure oſtendens vitium, & ſuadens ſanctum odium ejus, & parans gradus infallibiles aſcenſionis in cœlum. Veruntamen infeſta fuit laus iſta phariſæis, ut ſeductionem opinarentur in cordibus referentium. *Reſponderunt ergo eis phariſæi: Nunquid & vos ſeducti eſtis?* Optimum eis, imo cunctis, qui à veritate ſeducuntur, quia introducuntur, quo excludi nolunt, & beatus, quem ſecum ducit veritas, quem ſecum virtus probata trahit. Inferunt verò phariſæi fallax argumentum, quòd Chriſto non ſit præſtanda fides, altitudinis ſtatum, & ignorantiam ex natura, dicentes: *Nunquid aliquis ex principibus credidit in eum, aut ex phariſæis? Sed hæc turba, quæ non novit legem, & maledicti ſunt.* Sic arguunt quaſi fides Chriſti daretur excellentioribus ſtatibus hominum, non perſonæ. Et negaretur his, qui ad ſcientiam ſcripturarum non ordinavêre naturam, & in datione hujuſcemodi fidei eſſet acceptio perſonarum. Sed nec dignitati, nec ſtatui, nec ſcientiæ, nec magnitudini corporum, ſed humili voluntati confertur. Neque credendum eſt conferri non poſſe humilibus, quod ex ſuperbia majoribus denegatur. Proinde ſi principes, & phariſæi non credebant in Chriſtum, non ex hoc adimebatur, ne poſſent in illum credere plebei, nec majorum credulitas & authoritas conferunt his, quæ creduntur, nec aliquid adimunt, ſi non credunt, ut ſi principum & phariſæorum pertinacia Chriſtum non credidit, quod Chriſtus non fuerit is, qui fuit, & velut olim in Romanis apud quos aliquis haberi Deus non poterat, niſi ſenatui placuiſſet. Non enim facit rei creditæ veritate quorumcunque credulitas, ſed quia vera eſt, ideo credenda cenſetur. Attamen permodicè objectum pro Chriſto fuit verbo ſeu facto ad repellendam pervicaciam Judæorum, unus quidem curavit eos in uſum rationis reducere. *Dicit Nicodemus ad eos, ille, qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipſis.* Nunquid lex noſtra judicat hominem, niſi audierit ab ipſo prius, & cognoverit, quid faciat? Eſt expedientis expeditæque veritatis errorem concionis ratione reprimere, & remittere ad juſtitiam legis eos, qui voluntates proprias pro juſtis legibus habent. Lex Dei eſt, necnon hominum rectè ſentientium, non dicere aut facere quenquam reum, niſi prævaricatione legis, nec aliter, niſi taliter reus quiſquam cenſendus eſt. Ut inveniatur reus, oportet quod ejus ſciatur reatus, qui aut confeſſione rei, aut veris teſtibus innoteſcit. Proinde Nicodemus, qui per cognitionem juſtitiæ in eum judicari cenſebat, erat occultus diſcipulus JEſu, à quo jam doctrinam veritatis acceperat. Pro cujus innocentia ſe obicem faciebat, ne in eum ageretur temeritate non lege, ratus quidem, quòd ſi æquo animo audiretur in judicio conſtitutus, quòd inveniretur juſtus, & deſiviſſent venari ad mortem, quem innocentem per omnia reperiſſent. Sed nil gravius ad bonitatis ſubverſionem, ad illidendum innoxium, ad erogandum publicum bonum, privatumque deſtruendum, quàm ſi concio tota fuerit, quàm ſi qui habent in manibus leges, qui præſunt, qui habent ex lege diſcernere, agitat invidia, incendit ira, odium vexat, placitum dominatur, veritas exilio eſt. Apud quos eo valet virtus unius, quo ſtilla modica vini ſuperjecta magno & rapido flumini ad ſaporem, imo velut injectum oleum lignis igni ſuppoſitis majus facit incendium. *Hinc reſponderunt, & dixerunt ei: Nunquid & tu Galilæus es? Scrutare ſcripturas, & vide quia propheta à Galilæa non ſurgit. Et reverſi ſunt unusquiſque in domum ſuam.* Interpretantur in reprobum ſenſum, quod ſana mente conſultum eſt, & credunt

amore

amore primo pro compatriota dediſſe conſilium, qui pro veritate, atque juſtitia conſulebat. Inde dicunt: Nunquid & tu Galilæus es? Qui pro JEſu Galilæo loqueris, ut ejus amore aut honorandæ patriæ aſſeris eſſe prophetam, cùm nulla ſcriptura contineat illam regionem honore prophetico illuſtrandam, maximè propheta magno, quem Meſſiam omnes unanimiter expectamus. Proinde ſi Galilæus non es, cur pro Galilæo verba diffundis? Perverſus hominum mos, cùm aliquem ad diſplicentiam ceperit, ipſam non patitur nec eos amicos, etiam ipſam veritatem ſibi faventem velut æmulam habet.. Non poterant iſti pati JEſum, nec ejus amicum ſuſtinent Nicodemum, qui etiam magis pro veritate, atque juſtitia, quam pro amicitiis conſilium dederat. Et reverſi ſunt ſinguli in domos ſingulas, de captione Chriſti conſilio diſſipato.

Cap. XXXIV.

De diſceptatione orta inter Chriſtum, & phariſæos ſuper adultera punienda, ſecundùm Joannem ſolum.

QUærunt impii pios involuere, & cùm cauſam juſtam non habeant, quærunt, & ut excuſatius faciant, interdum inſerunt rigorem juſtitiæ & ſpeciem honeſtatis. Joan. 8. *Nam cùm veniſſet JEſus in templum, & omnis populus venit ad eum, & ſedens docebat eos.* Docebat in templo propter conventum Judæorum, ut palam fieret doctrina eloquii ſui, ne de clandeſtino poſſet accuſari. Et omnis populus ſcilicet plebejus erat ad audiendum, cum intentione diſpari. Sed æmula invidia Judæorum, falſo pro juſtitia conſultabunda ex adverſo illico venit calumniatura judicem, impeditura utilem prædicationem. *Adducunt autem ſcribæ, & phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier deprehenſa eſt in adulterio: In lege autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis de ea? Hoc autem dicebant tentantes eum, ut poſſent eum accuſare.* Culpa pœnam meretur, & hoc ſolum boni habet, quia ordinatur ad pœnam. Nihil pœnale niſi culpabile, ſed non omnibus una pœna. Varietas pœnarum ex varietate culparum infligitur. Ex ordinatione divina & humana puniendi modus exordium ſumpſit, Lex Moyſi à Deo fuit, in qua juſſum eſt reum adulterii, ictibus lapidum ſubjacere quouſque moreretur. Servanda lex eſt, quia juſta & ſancta. Et pium etiam eſt parcere delinquenti, ſed tamen pœnitenti. Quid igitur diſcernendum inter miſericordiam, & judicium, Pſalm. 100. David dicit: Miſericordiam & judicium cantabo tibi domine. Adeunt phariſæi Chriſtum, ſed tentatione maligna, ut decernat inter juſtitiam, & miſericordiam temporalem, ſi pro qua parte per eos judicandum in adultera eſt. Et id eorum tentatio intendebat, ut ſi pro juſtitia decréverit, velut crudelis reus habeatur à populo: Si pro miſericordia, ſit reus in lege, quæ mandat adulteros lapidare. Temperat reſponſum JEſus advertens tentationem, nec inferens calumniæ cauſam, ſed ex peccatis eorum tentationem reprimit, calumniam abſtulit, & pepercit adulteræ pœnitenti. Non ediſſerit pro juſtitia, pro miſericordia non promulgat, ſed contra iniquitatem invehit, agitque ut culpet eos, qui non pro amore juſtitiæ, non pro reverentia miſerendi, ſed animo perſequendi de judicio æquitatis interrogant. Quorum inter cæteros malos ſævum hominum genus eſt, velle inferre jacturam ſub ſpecie veritatis & ad necandum de pharetra virtutis ſagittam educere venenoſam, atque de umbra pietatis peltam facere ad impietatis tutelam. Nec tam erubeſcibile judicaretur, atque tam criminoſum ex actu, ſi de ſævitia tegumenta non quæreret. Verum his reſponſo non porrecto juxta quæſitum, & votum, ad conſiderationem propriæ iniquitatis eos remiſit introrſum. *JEſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra.* Interrogatus verbo, ſcripto reſpondet, ut evidentius ſtabiliuſque ſit quæſito reſponſum, ſed quid ſcripſerit textus evangelicus præterit. Et mirum ſi ſcriptura hujuſmodi lecta fuit, quod non fuerit commendata memoriæ. Sed id piè credendum eſt, quòd primo digito miraculoſè in lapidè aliquo pavimenti, ut nec pulvis in tanta copia fuerit, quod literarum ſulcationem potuiſſet ſuſcipere, ſi fuerit quidem, ſcripſerit illam ſententiam, quam perſeverantibus in exquiſitione ſententiæ ore protulit. *Cùm autem perſeverarent interrogantes eum, erexit ſe & dixit: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Ergo niſi, qui culpa caret, accuſare poteſt. Non aget lege judex in criminoſos, ſi fuerit ipſe criminoſus, cùm ſæpe majoribus criminibus ſedentes

dentes in tribunalibus implicentur, quàm qui eorum etiam juſta ſententia obtruncantur. Etenim indubiè judicabit, ſed authoritas aderit judicandi. Non omnis iniquitas adimit authoritatem. Sancitum ex legibus eſt, quibus criminibus judex exauthoretur, & prohibitum quibus non incumbat judicium facere. In cauſa hujus adulteræ Chriſtus malitiam Judæorum inſpexit, qui potius quærebant Chriſtum propter adulteram accuſare, quàm propter deteſtabile adulterium & legis Moſaicæ zelum illam fœminam lapidare. Nam & ſi juſtè in adulteram legis zelo ſæviebant, injuſtè tamen in Chriſtum, quærentes eum in cauſa illius criminari. Meritò propter injuſtitiam hanc facere juſtitiam perdiderunt, confuſi à conſcientia propriorum criminum. Necnon & authoritate Chriſtus in cauſa iſta uſus eſt, cui pater omne judicium dederat, quod ex eo perſpicuum eſt, quo illi reſpondere auſi non fuerunt, nec hanc mulierem abſolutam ab eo amplius in judicio convenire, ut lapidibus ſubjaceret. *Et iterum ſe inclinans ſcribebat in terra* ad majurem affirmationem litteræ, atque ferendæ ſententiæ. Dederat jam ſententiam de judicio exercendo, ſed non à criminoſis, daturus erat de abſolutione adulteræ mulieris. *Audientes autem unus poſt unum exibant, incipientes à ſenioribus uſque ad noviſſimos.* Majoribus forſan, quam adultera criminibus tenebantur, & animi confuſionem exterius proteſtati ſunt, cùm exirent de templo. Ecce fugiunt à juſto criminoſi, à veritate mendaces, à pietate impii. Exeunt de templo Dei, qui jam in animo templum, imo fanum diaboli facti erant. Depravata mens à veritate convicta, à conſcientia condemnata, etiam non corrigitur. Quantò melius iſtis fuiſſet, ſi Chriſto fide atque amore adhæſiſſent, quærentes ejus doctrinam, precati veniam, converſi ad meliorem vitam, quam erubeſcentes in animo & facie ſeceſſiſſe. Profundam benignitatem ſervavit cum eis JEſus, ut tamdiu ſtetiſſet inclinatus quouſque de templo egrederentur, ne ab aſpectu faciei ejus majore confuſione obumbrarentur. *Et manſit JEſus ſolus, & mulier in medio ſtans. Erigens autem ſe JEſus dixit ei: Mulier ubi ſunt, qui te accuſabant? Nemo te condemnavit? Quæ dixit: Nemo domine.* Remanſit ſolus JEſus à ſocietate mala, juſtus ab impiis, æquus judex à judicibus iniquis, verus à falſis, miſericors à ſævis, à quibus ſolitarium fieri eſt æquum. Non ſegregat bonus conſtans à malis, dum credit prodeſſe, dum eorum utilitati conſulit, dum ſperat eos ad meliora convertere. Sed ipſi pertinaces in malo, à conſtante in bono ſe avellunt, cùm eis arguens in veritate odio factus eſt. Remanet inſatiatus in univerſo ſolus, quoniam nemo bonus, niſi ſolus Deus, ab omnibus ſegregatus in æternitate, immenſitate, quantitate, ſapientia, veritate, poteſtate, & ut perſtringam, in omni genere, in omni cauſa, in omni modo diſſerendi. Relictus à ſenioribus, quoniam à ſenioribus egreſſa eſt iniquitas uſque ad noviſſimos, quoniam non eſt qui faciat bonum, nec eſt uſque ad unum. Erat ſolus non à plebeis, ſed à majoribus derelictus, quos ipſe non reliquit, ſed ipſi eum reliquerunt, Nec quempiam Deus deſerit, ſed ſibi malè conſcii Deum deſerunt & prætereunt. Nemo cauſetur in eum, quod à Deo deſertus, Deum ipſe deſeruit, qui non deſereret, ſi non deſeretur, ſed prius deſertus à malis, eos ad poſtremum deſeruit. Nunc quidem deſertus à ſapientibus ſecundùm carnem, mulierem adulteram ſociam habet in templo. Ecce Deus, ecce homo, ecce creator, ecce creatura, ecce juſtus, ecce peccatrix, ecce beatitudo, ecce miſeria, ecce largitor, ecce accipiens, ecce copia, ecce indigentia, ecce donans peccata converſis, ecce converſa pœnitens, & convicta ſtabat in medio populi plebei aſſiſtentis egreſſis primoribus, conſtituta tamen inter ſpem & metum. Spes erigebat illam ex interpellato judice, cujus benignitatem audierat, & præſentialiter viderat. Noverat proinde proceſſum ejus, quem non ferentes ejus accuſatores abſceſſerant. Metus verò inſidebat in animo ex culpa dignè plectenda, quàm inficiari non poterat. Et inter hæc aſtabat æquiſſimus judex, qui falli nequit, cauſam novit, à quo tergiverſari non pnteſt. Suſpenſa iſta erat ad incertam ſententiam, utrum verò fruſtranda ſpe, aut percutienda metu. Sicque degit omnis vita mortalium, ratione utentium, quam ex culpa metus deprimit, ex miſericordia ſublevat ſpes, attamen incerti ad quam partem divoluatur hominum nutabunda conditio, certus & æquus judex utra qualiter expectetur. In iſta verò cauſa Chriſtus jndex juſtus adulteram ipſam alloquitur, laturus de ipſa ſententiam. Qui erigens ſe à ſecunda inclinatione, dicit: Mulier ubi ſunt, qui de accuſabant? Ad reddendam gratiam & humilem adulteram, interrogat, jam ipſe illos viderat excedentes. Quis judex poſt accuſationem editam te condemnavit? Dixit ei mulier: Nemo domine. Nemo videlicet hominum. Sed eam interior conſcientia accuſabat, quæ quemlibet ſibi malè conſcium hominem accuſare ac ſti-

ac ſtimulare non deſinit, etiam ſi deſit ſtimulator exterior. *Dixit autem JEſus: Nec ego te condemnabo.* Si te non condemnavit homo, nec ego Deus & homo, qui veni peccatores ad pœnitentiam revocare. Et velut authoritatem habens deſuper ſibi datam, ipſam ne lapidaretur, abſoluit, eam donans priſtinæ libertati antequam fuiſſet in judicio conſtituta, dicens: *Vade, & noli peccare.* Non te condemno, quia nec ad hoc miſſus ſum, ſicut ſcriptum eſt: Non enim miſit Deus Filium ſuum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Jam abolenda erat per miſericordiam Salvatoris illa legalis ſeveritas, & jugum jam computreſcere cœperat à facie olei, & donabantur peccata converſis. Necnon incondemnatam liberat, ut vadat, ſed honeſto greſſu, & inculpato veſtigio, cùm adjecit, & amplius noli peccare. Igitur ipſam peccaviſſe liquet. Nec injuriam facit legi, ſi non judicat ſecundùm legem conditor legis, à quo ſæva Moſaica illo in tempore, nunc in fine miſſa lex evangelica venit.

Cap. XXXV.

De diſceptatione inter Chriſtum, & phariſæos ex eo, quòd dixerit ſe eſſe lucem mundi.

NOn inaniter loquebatur Chriſtus de ſe alta pronuntians, qui nec agitari poterat vento jactantiæ, ſed pronuntiat verum, ne bonum exiſtens incognitum maneat, cognoſci ſatagit non ſua re, ſed noſtra. Dilucidat quid eſt, ut cognoſcatur, ut cognitus ametur, àmatus habeat ſectatores, ſectantes ſecernantur à tenebris, & lumen æternæ vitæ poſſideant. Sicque ait: *Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Lux mundi non viſibilis & corporalis, qui ſolem habet ad lumen in poteſtatem diei, & lunam & ſtellas in poteſtatem noctis, ſed mundi intellectualis & inviſibilis, interiorem oculum irradiat iſta lux. Igitur veritas eſt, ad cujus lumen inviſibiliter ambulatur, ut non exorbitent duo pedes interiores in via, donec veniatur in terminum deſtinatum, intellectus pariter & affectus, & timor & amor. Rectè gradi cupientem, hanc lucem ſequi oportet, quoniam tenebræ undique circundant, à quibus non eſt egreſſus, niſi ad lucem, non evaſio, niſi per lucem, non devitatio, niſi cum luce. Suſpirant omnes in vitam, cujus amor inſitus eſt, ut ab eo, quòd Deus ſpiravit in faciem hominis ſpiraculum vitæ, & factus eſt in animam viventem, & Deus vita eſt, & ad ſimilitudinem Dei homo factus eſt. Igitur appetit jure creationis omnis homo vitam, & omne perpetuum, ſi bonum eſt, & vita bona eſt ab eo, quod creata eſt, optima verò, ſi ad increatam ſe teneat. Lux iſta, quæ noviter mundo in carne apparuit, dirigit, trahit, perducit in vitam. Advertendum quidem, quia non dixit, habebit vitam, ſed habebit lumen vitæ. Eſt enim lux & lumen. Lux eſt ipſa ſubſtantia luminoſa, id lumen, quod ab ea diffunditur ad illuminandum, Chriſtus cùm tota ſit lux, & in eo quod Deus, ipſa ſubſtantia veritatis, ſi ſequimur illum, diffundit in nobis lumen vitæ, agendæ ſcilicet & ſperandæ, ut verè ſciamus, quid debeamus agere pro vita, quam ex ſua pollicitatione ſperamus. Quamobrem ad profectum noſtrum ſe pandit eſſe quod eſt, cùm dicit, ego ſum lux mundi, & ad ſequelam accit, cùm è veſtigio conſurgit oppugnatio Judæorum. *Dixerunt ergo Judæi: Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum.* Ex aſpectu forinſeco juſta erat adverſatio Judæorum, non plus quàm de homine puro credentium de JEſu. Et nemini per exceſſum de ſeipſo loquenti credendum eſt. Secus eſſet, ſi alii hujuſcemodi magnalia de ipſo loquerentur, quibus abs re præſtaretur fides, cùm credibilia nuntiarent. Poſſit etiam non impiè adhiberi fides de ſe vera dicentibus, ſi ſupra id, quod eſt hominis, non attollerentur. Sed cùm ea, quæ dicuntur, excedunt omnino humanæ intelligentiæ facultatem, & aſſerens, ſi non infra tamen intra, & non ſupra homines æſtimatur, difficulter in credulitatem veniunt. Proinde phariſæi ad Chriſtum è regione inſurgunt, quod ſuum teſtimonium non ſit verum, & in ſua cauſa ex aliqua lege nemo accipitur teſtis, multò minus, & judex. Sed ſecus in cauſa hac JEſus aſſerit de ſeipſo, in authoritate rei & verbi factus. *Unde reſpondit JEſus & dixit eis: Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum, quia ſcio unde venio, aut quo vado, vos autem neſcitis, unde venio, aut quo vado.* Ex certa ſcientia Chriſtus ſibi vendicat in verbis ſuis propriis veritatem & audien-

Joan. 8.
Pſalm. 13.

dientium fidem, ut credant, quod loquitur. Et ex ignorantia ipſorum obſiſtentium Judæorum improbat contradictionem, cùm ipſe de ſeipſo plenam ſcientiam habeat, noſcatque proceſſum, & Judæi à neſcientia teneantur, ut adventum & regreſſum ejus ignorent. Ac per hoc verum eſt teſtimonium ſcientis, falſa contradictio neſcientis. Necnon eos improbat, quod carnaliter, non ex veritate judicium proferunt. *Vos ſecundùm carnem judicatis*, uti diceret: Secundùm ea, quæ videntur, fertis judicium duntaxat in me carnem intuentes, carnaliter me ſapere, atque ſicut mente ſolùm carnalia ſapitis, judicaris, unde judicium veſtrum à veritate reprobatur. Carnem ſolam videtis, ſubſtantiam aliam non cognoſcitis. Proinde ſi me lucem aſſerui, quid cum carne? Si ſequelam exegi non ex carne, ſi à tenebris eximo, non de carne, ſi vitam polliceor, non per carnis authoritatem, quamvis paulo poſt redemptionis pretium ſit futura. Aliud eſt unde me lucem mundi eſſe prædixi, credibile ſolùm in via, in patria verò intuibile purgatis ſive beatis. Aliud eſt, unde ſequelam quæro, quanquam nemo ſequi poſſit humano more, niſi quod præire intuetur. Et mea doctrina vita, in quibus me prætuli ad ſequendum, depello tenebras, non ex carne, ſed ex illa infallibili veritate. Dabo vitam non de carne in modico moritura, ſed de immortali ſubſtantia deitatis. Hæc non intuemini vos carnales, ideo *ſecundùm carnem judicatis, ego non judicio quenquam* ſcilicet ſecundùm carnem, ſed ſecundùm veri-
Rom, 2. tatem. Inquit enim Apoſtolus: Eſt autem judicium Dei ſecundùm veritatem. Tenet omnes Verborum horum terror, quoniam non ſecundùm exteriora, ſed ſecundùm interiora judicabit JEſus. Igitur nemo ſibi applaudat, nemo ſe deludat, quoniam ex vehementia interiorum affectionum ſoli Deo cognitarum, ad unam & ad alteram ſortem divinum judicium erit nulla tergiverſatione vitandum. Et ex hoc ſecundùm veritatem Chriſtus judicare ſe aſſerit, quia ſolus non judicat. *Et ſi ego judicio, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me pater Et in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum te-*
Deut. 7. *ſtimonium verum eſt.* Ex eo, quòd ſemper cum filio pater eſt, filiuſque à patre, ſuum verum approbat eſſe teſtimonium, producens in medium legem à ſe Moyſi datam, quam in nullo ſuſpectam habebant, volens eos potius quàm poteſtate convincere teſtimonio ſcripturarum. Sanè actum ſemper, & dictum eſt in diſceptationibus à JEſu, & in mores poſteros derivandum, quòd ratione, ſcientia & probabili veritate, non faſtu, non arrogantia nitamur convincere, qui nobiſcum ad probandum ſua & improbandum noſtra, verbis cauſam agitando concertant. Allegat legem Judæorum velut doctrinam à ſe alienam, & ipſe illam dederat, ſed ex ſcripturis, quibus fides ipſorum inhæſerat, dicta ſua validat, & reprimit pertinaciam Judæorum. Idcirco addidit: Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de meipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me pater. Pluries in ſuperioribus tactum eſt, quatenus pater de filio teſtimonium protulit. Et cùm opponere amplius nequirent, eſſentque convicti, & ad divinam quæſtionem novis inquiſitionibus facere niſi ſunt, dicentes: *Ubi eſt pater tuus?* Quoniam JEſus veritatem teſtimonii ſui vendicabat ex patre, ob hoc Judæi de patre interrogant, cùm ipſum ſecundùm carnem judicantes crederent eſſe Joſeph, ex quo non potuiſſet Chriſtus de ſe aſſere tam eximia. Impudentes animi pertinaceſque in malo, cum convincuntur, cùm in reſponſione deficiunt, aut ſe contrahunt in blaſphemiam, aut ea interrogant, quibus non poſſit dari honeſta, grata ſeu vera reſponſio, neque apologia fieri ſine dedecore reſpondentis. Quamobrem iſti de patre JEſu interrogant, prout ſibi loquendi ſerie inſultarent. Ut quid promittis vitam homo mortalis, quod ſi quis te ſequatur, habeat lumen vitæ? Ut quid nobis tibi repugnantibus, quòd tuum teſtimonium non ſit verum, ex authoritate paterna aſſeverando validius facis? Ediſſere de patre, ubi eſt pater tuus? Nonne agnovimus, nonne mortuus, nonne homo inter cæteros dejectus, nonne carpentarius? ubi eſt ergo pater tuus, de cujus poteſtate te jactas? Et per ea conantur infirmare JEſum, unde ſe præpotentem facit. Verùm quia non de carnali parente, ſed de Deo patre Chriſtus authoritate munit dicta, facta & omnia geſta ejus. *Reſpondit JEſus: Neque me ſcitis, neque patrem meum. Si me ſciretis, forſitan & patrem meum ſciretis.* Sæpe de hac ignorantia Judæi arguti ſunt, cujus depulſio eſſet per ſcientiam relativam, ut cognitio unius relativorum in cognitionem alterius trahat. *Hæc verba locutus eſt JEſus in gazophylacio docens in templo.* Non abs re per evangeliſtam cum templo deſcriptus eſt locus in templo, ubi talia verba ferebantur. Nam ſi gazophylacium locum reſervationis divitiarum & theſaurorum templi volumus autumare, ad contemptum omnium divitiarum verba compoſitione pollicitationis melioris, ſcilicet lucis, evaſionis à tenebris, & habendæ vitæ perpetuæ.

Igitur ut contemnantur terrena, juxta ea cœleſtia promittuntur. Si verò exedram popularem templi locum gazophylacium eſſe advertimus, in ſpe futurorum magnorum bonorum plebei à Chriſto fiunt, cùm illi ab ipſo docebantur in eorum loco in templo. Et invitantur ad ſequelam veræ lucis, malè agentibus odioſè, ut ne ipſi malè agant, ne in tenebris remaneant, ut ab ipſo accipiant doctrinam agendæ vitæ, qui à Judæis & pontificibus templi obliqua agendorum in doctrina & exemplo malè ſuſceperant. *Et nemo apprehendit eum, quia nondum venit hora ejus.* Quod ſæpe in Evangelio ſcriptum eſt, quòd JEſus tentus non eſt, nondum ſua hora, inſinuat imprætermiſſe ad hoc aſtitiſſe voluntates & conſilia phariſæorum, & data fuiſſe apparitoribus mandata, ut Chriſtus caperetur ad mortem, & Ipſius duntaxat moriendi poteſtatem, atque voluntatem, cui non prævalebat alia quæque mala voluntas, ſive facultas.

Cap. XXXVI.

Diſceptatio exorta ex eo, quòd JEſus quæſitus non inveniretur à Judæis in peccato ſuo morituris, ſecundùm Joannem ſolum.

Joan. 8. SÆpe iturum ſe prædixerat JEſus illo, unde venerat, ad illa perficiendum, propter quæ miſſus erat, ad vadationem ejus annectebat Judæorum fruſtrandam quæſitionem & exitium criminale & impoſſibilitatem ſequelæ, dicens: *Ego vado & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Quo ego vado, vos non poteſtis venire.* Vadit JEſus ut homo, non ut Deus, vadit ad propoſitum ſibi à patre in cruce ſuper omnia memorabile certamen, in quo moriens vulneribus voluntariis dedit omnibus malis & omnibus adverſantibus ad ſalutem generalem conflictum. Vadit ad eum, qui miſit illum, non aliquo motu immobilis & immutabilis deitatis, nec ex forma Dei aſſerit ſe vaſurum. Vadit poſt officium horridi ligni, poſt relictam ſepulchri thecam, reſumptumque corpus, penetraturus in aſcenſione cœlos, ad mittentem ſummum verum Deum patrem. Quærendus erat non intentione inveniendi, quem qui rectè quæſivit, invenit: Et ſemetipſum ex toto quærentibus, ut inveniatur, offert, ut ſcriptura dicit:
Jerem. 29. Cùm me quæſieritis in toto corde veſtro, tunc inveniar à vobis. Toto corde quærit, qui non in alia diſtrahitur, nec aliud eum ipſo, nec propter aliud ipſum, & omnium affectionum ſtudio ad ipſum habendum ſe contulit. Et velut male quæſituris corrupta intentione aliquo ſtudio Judæis dicit: Et in peccato veſtro moriemini. In quo peccato? Infidelitatis atque perfidiæ, atque impœnitentiæ pro malè geſtis. Sed aliud eſt facere peccatum, aliud vivere in peccato, aliud vivere ad peccatum, aliud mori in peccato, aliud illud è veſtigio patratum corrigere, aliud cùm unum & idem crebro iteratur, aliud cùm unum ſolum temporis longævitate durverit, authore ad pœnitentiam nondum converſo, aliud cùm conſuetudinem induerit, emendare. Peccat omnis, qui non venit ad Dei legem, & qui acceptam transgreditur, & qui negligit obſervare promiſſa. Vivit in peccato, qui patratum non corrigit, & diluit pœnitentia, etiam ſi nolit amplius addere per effectum. Vivit ad peccatum, cui ſemper malè agendi ſuſpirat affectus, & perficit facultate, cui melius aut minus eſſet periculi, ſi in peccato moreretur, quàm depravata voluntate vivere ad peccatum. Corrigit è veſtigio, qui poſt actionem ejus ſine interpoſito tempore vera pœnitentia ducitur. Unum iteratur, cùm ſe quis uno vitio mancipaverit ad affectum ejus, cæteris intentione ſemotis. Attamen ſolum unius reus, etiamſi ab aliis caveat, omnem virtutem offendit, æmulam protinus habens. Dureſcit ex tempore patratum malum, & ſi non multiplicetur ex opere, multiplicatur ex tempore. Uti ſi quis homicidium ſolum fecerit, non addens malum ſimile vel diverſum, cùm in pœnitentiam venire contemnit illius patrati ſceleris. Peccandi conſuetudine ſe veſtivit, qui delectationem culpabilem & peccandi libidinem & uſum rerum indifferentium eo perduxit, quo edendi, bibendi, dormiendi, quieſcendi, induendi eſt perducta neceſſitas. Judæis verò à Chriſto prædicitur, quòd ſint in peccato infidelitatis, ab inquiſitioni fruſtrati, omnino morituri, non quòd prædicatio Chriſti aliter eſſe non poſſe ſtatuat, ſed niſi reſipiſcant. Quo ego vado, vos non poteſtis venire, ad quærendum & inveniendum. *Dicebant ergo Judæi: Nunquid interficiet ſemetipſum, quia dicit: Quo ego vado vos non poteſtis venire?* ut ſupra. Et Joan. 8. hic carnaliter intellexerunt Judæi dictum Domini Salvatoris. Nam ubi dixerunt: Et nunquid in diſperſionem gentium iturus eſt?

eſt? Hic verè dicunt: Nunquid interficiet ſemetipſum? Obſcuratus atque ſuperbus intellectus ſemper in reprobam partem interpretatur verba juſtorum, aſſeritque impiè dictum, quod totum de pietate venit. Culpat eos JEſus, oſtendens unde ipſorum intellectus tenebris tegebatur, & dicebat eis: *Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum. Vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo.* Omnia creata deorſum ſunt ab eo, qui condidit. Nec humanus intellectus aſſurgit in divina, qui natura deorſum eſt, niſi lumine fidei illuſtretur. Et cùm homo ſit factus ad imaginem ejus, qui de ſuperius eſt, vitioſa concupiſcentia traxit in ima, ut præter id, quòd natura non attollit in alta, etiam culpa voluntaria plus dejecit. Et intellectus mundo copulatus, & inferiora dilectione quærens, intendens in illis, ſperans ſe in eis boni aliquid repenturum præter legem rebus impoſitam, non intelligit ea, quæ divinè dicuntur, potius credens intelligere, pervertit audita, in ſeipſo ante perverſus. Deorſum creatum exiſtens rationem habens, & voluntate inclinatum ad ſua inferiora efficitur, infra illa etiam minoratur, ſi non natura, ex vitio, non habet aſpectum ad id, quod omni præcellentia cuncta præcellit. Et quo ſe per ſuperbiam animus in ſuperiora extollit, eo amplius in inferiora dejicitur. Sic Lucifer de cœlo, Adam de paradiſo, Nabuchodonoſor de ſolio regni ſui ab hominibus abjectus eſt, in ſimilitudinem animalium factus. Et de perverſo dicitur:
Pſalm. 48. Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit: Comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Et iniquitates ad inferiora gravant, ut ſcriptum legitamus: Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. Pſalm. 37. Sanata eſt etiam à JEſu mulier à natali infirmitate decem & octo annis detenta, ut non poſſet ſurſum aſpicere, illos inſinuans, qui vitio ſunt facti deorſum, & ad ſuperiora intuitum mentis non levant. Luc. 13. Et mundi amicus ejus efficitur civis, in tanto affectu factus cum illo, ut ab eo ſeparari ad modicum nolit, perhorreſcatque de ſeparatione ſermonem. JEſus de ſupernis, Judæi de imis erant. JEſus non de mundo, cujus nil quærebat, atque gerebat, Judæi omnem ejus ſpeciem animo, actione poſſibili amplectabantur. His ſiquidem differentiis ſectatores Chriſti ab aliis cæteris ſecernuntur. Et cùm hæc eſſet cauſa incredulitatis, *intulit eis JEſus: Dixi vobis, quia moriemini in peccatis veſtris. Si ergo non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* Prædixit JEſus, non ut eveniret Judæis, ſed quia ſic futurum erat eis, ut morerentur in peccato incredulitatis, in quo mori eſt omne meritum perdere humanæ redemptionis, & eis in pœna ſociari, qui credunt, & contremiſcunt, quos in culpa excedunt homines non credentes. Ad quorum improperium dicitur: Dæmones credunt, & contremiſcunt. Cùm plerique hominum non credant neque contremiſcant, plerique credant, & contremiſcant. Nemo tamen contremiſcit ex Deo aut ex ſeipſo, niſi credat eum. Multi verò credunt & contremiſcunt, ſed non operantur ex fide in fide. Sunt & qui credunt, contremiſcunt, & operantur, & horum eſt laudanda & digna conditio.

Cap. XXXVII.

Quòd interrogatus JEſus, quis eſſet, aſſerat ſe principium, ſecundùm Joannem.

AD nil ſuo agendi docendique modo tam nitebatur JEſus, quam ad credulitatem ſui accire Judæos, quibus primo credidit eloquia ſua, & aliis deinceps. Claret hoc lectitantibus Evangelium. Hujuſque rei cauſa retinentibus Judæis accienti Chriſto, majores, prolixiores, profundiores diſceptationes, quam ex aliis dictis factiſque inter Chriſtum & Judæos exortæ ſunt. Et in iſta diſceptatione, cùm de moriendo in peccato incredulitatis prædiceretur eis, ut ſe hujuſcemodi credulitati aſſerant non teneri, callidè de perſona Salvatoris interrogant. *Dicebant ergo ei: Tu quis es?* Ut JEſum ſupprimerent, hæc interrogatio facta eſt, uti ſe à credendo avertere jure vellent. Joan. 8. Credenda ſunt incognita illa, quæ ſunt omnino inapprehenſibilia, excedentia hominum intellectum. Te quidem cognovimus & omnem cognationem tuam, ad quam cognitam non eſt opportuna credulitas. Homo es, ut homo natus, educatus & converſatus es mole corporis, ut cæteri auctus & ætate menſuratus. Quis ergo es, ut te credamus, quem apertè cognoſcimus?

ſcimus? Et cùm Jeſum ipſi ſolùm ex tempore metirentur, ipſe de æternitate reſpondit. *Dixit eis Jeſus : Principium, qui & loquor vobis.* Non quæro, neque vos venor ad fidem. quia homo ſum, ſeu ex meo ſtemmate cognito vobis, neque quòd nutritus aut converſatus ut homo, aut calculatus cum tempore, aut ex his prædico vobis & interminatus ſum mortem, ſed quia Deus cum homine æternus in tempore vobis fatus : Quoniam ego principium qui loquor vobis. Primum quidem in quo creata ſunt omnia, ut ſcriptum (Geneſ. 1.) eſt : In principio creavit Deus cœlum & terram. (Apoc. 22.) Et principium ante quod nihil, quod in poſterum Joannes aſſeruit : In principio erat Verbum. Et per revelationem Joannes vidit : Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis. Et principium & origo vitæ, virtutis & gratiæ. Igitur non me per ætates apud vos improba cogitatione cenſeatis, ut me ſecundùm carnem de veſtra gente natum judicetis, nec aſpiciatis ætatem, qua ut homo multis veſtrum inferior ſum. Sed cùm me interrogatis quis ſim, abſcedat tentatio, propellatur calumnia, præſto ſit fides, illam reſponſioni date, ut non moriamini in peccato veſtro. Ego ſum principium qui loquor vobis quæcunque loquor. Et multa habeo de vobis loqui & judicare, ſed qui miſit me verax eſt. Habebat multa Jeſus loqui contra Judæos, & eo multa quo ipſi multùm peccaverunt, & peccabant, & judicare debito tempore ſuper eos de incredulitate ipſorum ad ipſum, ex eo quod verax erat ille, qui miſerat, in cujus authoritate loquebatur. Proinde dicit : *Et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.* Sæpe diſſertum eſt Jeſum aliud non fuiſſe locutum, quam quod accepit à patre. Ad condemnationem incredulorum, & ad confirmandam credentium ſpem credo dictum eſt, quod Verbum eructaverit veritatis, prout dictaverat verax pater. *Et non cognoverunt, quia patrem eis dicebat Deum.* Cognoſcere Deum patrem non eſt facultatis humanæ, inſitæ tantum fidei officium eſt. Tempus tamen, quo credendus erat, apponit. *Cùm exaltaveritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum, & à meipſo facio nihil, ſicut docuit me pater, hæc loquor.* Aperit crucis myſterium futurum in filio hominis, non in filio Dei patris ex ſenſu pœnalitatis, quanquam etiam in illa paſſione Dei filius inſeparabili unione fuerit cum filio hominis. Et exaltationem appelat negotium paſſionis, quòd Chriſtus eſſet exaltandus ad pœnam, & ad mortem publicè tolerandam tanquam publicus reus. Tunc in tanta tolerantia pœnarum, in tanta abjectione hominis abolendi, in tam ſæva perfidia Judæorum, in tanta derelictione à charis, à notis, in tanta executione judicii tam perverſi, deſuper elucidandus erat, quod eſſet filius Dei, ut quem Judæi negaverant, mundus inſenſibilis commotione varia fateretur. Et in lege periti à prophetis præmoniti, quem non crediderant, gentilitas teſtaretur, dicens : Verè filius Dei erat iſte. Necnon & plurimi Judæorum poſt exaltationem in cruce per adventum Spiritus Sancti, (Matth. 27.) prædicantibus apoſtolis ſunt cogneſcentes in fide quis Jeſus eſſet, à quo eſſet, quid loqueretur, in qua virtute loqueretur. Et ideo in illa exaltatione per crucem, & poſt illam in cognitionem veniet, ex eo quod adjecit : *Et qui miſit me, mecum eſt, & non relinquit me ſolum, quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Secum in omnibus actionibus ejus erat Deus pater, qui miſerat eum, & indiviſa protinus erat, eſtque omnis actio trinitatis. Et ſi Dei filius in aſſumpta carne derelictus eſt non tamen ſolùm à patre ſe fatetur eſſe derelictum, quod omnino impoſſibile cenſendum, quòd filius à patre per modicum avelleretur, aut quia pater à ſe filium ſequeſtraret, neque quod aſſumptum fuit, eſſe potuit phariſæum. Ex quo id ſentiendum, quod pater ſemper fuit cum filio aſſumente carnem ex tempore, ſicut extiterat in æternitate. Necnon & filii placitæ actiones merito exigebant ſolicitudinem à patre filium non habere, quoniam placitum paternum ſemper agebat. O utinam in membra talis virtus capitis derivetur, ut ne ſoli relinquamur, ſemper Dei placitum faciamus.

Cap. XXXVIII.

Erat diſceptatio inter Jeſum & Judæos de vero diſcipulatu, & de libertate, quam veritas confert, ſecundùm Joannem ſolum.

OMnis doctrina & omne quod docetur, omniſque doctor trifarie præſtruitur ad docendos. Primò, ut veniatur in ſcientiam, aut credulitatem eorum, quæ traduntur. Secundò, ut in traditis & acceptis maneatur memoria & affectu,

affectu, & actione congrua. Tertio fructus oſtenditur. Omnis enim cultus, omne ſtudium, omne quodlibet, agon omnis in finem, in fructum, in præmium tendit. Alias præter ordinem eſſent hominum intentiones, ſimiliter & actiones. Omnia quippe ſuo jure ordinantur in finem. Sic quidem docendo egit doctor eximius, doctorumque forma Ieſus, ut primò docendo exigeret fidem, exhibita verò fide ſuaderet firmitatem, & monſtraret utilitatem. Sicque ſcriptum eſt:
Joan. 8. *Hoc illo loquente, multi crediderunt in eum.* Ideo talia loquebatur, ut crederetur in eum, & creditum eſt, & ſuadendo in doctrina ſeu fide ſuſcepta conſtantiam fructum exponit. *Dicebat ergo Jeſus ad eos, qui credebant ei, Judæos: Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Vos, qui credidiſtis meum audiendo ſermonem, parum vobis eſſet, niſi maneatis in illo, in quo manentes gloria mei diſcipulatus ornabitur, qui ſolùm in auditu non eſt, neque in ſcientia, neque in credulitate concepta dataque verbis, ſed in manſione per actiones, ut fiat, quod dicitur ad vitiorum & ad propoſitum ſtudium, Et immanſio ad perſeverantiam referatur, ne quis repetat quod jure dimiſit, neque gradum figat, ac ſi ſufficientiam haberet actorum, imo in ampliora ſe porrigat, ea conſideratione, quaſi in virtute novitius, non profeſſus, non ſibi viſus dignum aliquid egiſſe. Sic quidem manere in ſuſcepta doctrina verum diſcipulum Chriſti facit. Cujus doctrina vera, certa, ſuavis, veritatis cognitionem præſtans, quia veris Chriſti diſcipulis datur cognitio veritatis. Quoniam Chriſtus omne, quod docet, veritas eſt, quæ, cùm cognita fuerit, confert optabilem ab omnibus libertatem. Multis periculis ſubjacemus, à variis malisque dominis tyrannicè peſſundamur, à quibus ſit agendum
Job. 5. eſt conſequi libertatem. Sed ſola veritas eam largitur ſolis veris diſcipulis Salvatoris. Scribitur in lib. beati Job, quod ſeptem mala conſueverunt homines premere, à quibus ipſe liberandus eſſet. In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non continget te malum, In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladii. A flagello linguæ abſconderis, & non timebis calamitatem, cùm ſupervenerit, fame & tempeſtate ridebis, & beſtiam terræ non formidabis. Septem hic mala hujuſmodi ſerie numerantur, mors, gladius, flagellum, calamitas, fames, tempeſtas & beſtia. Mors ſeparatio à vita eſt in quam nequit, ſed mortalem rationabilemque creaturam ſeparat, ne cum vita ſocietur. Et hæc eſt mors, ſcilicet peccatum ad mortem, de quo Joannes in 1. Joan. 5. canonica ſua dicit: Eſt peccatum ad mortem, etiam pro illo dico, ne ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum ad mortem. Liberat ergo veritas cognita diſcipulos Chriſti à morte peccati, & damnationis æternæ, non à morte, qua ſpiritus & caro abinvicem diſtinguuntur. Gladius atrocem & inevitabilem perſecutionem inſinuat, in qua veritas tuetur ejus alumnum, non ut ne patiatur, ſed ne ſuccumbat, propoſita ſibi ſpe in pollicitatione indefectibilium bonorum. Veruntamen in bello educitur gladius, ut adverſarius obtruncetur, occultum & inteſtinum eſt bellum. Sic eſt gladius omne videlicet quod à vita, quæ Deus eſt, ſecat & dividit, quem veritas depulit. Flagellat lingua nequam omnem hominis bonitatem. Sed protegit veritas à reſticuloſis flagellis, oſtendens linguam duloſam non poſſe dare jacturam innocentibus & amatoribus ejus, à quo flagello protectus Joſeph in Ægypto, Daniel à ſatrapis regis Babylonis, Suſanna per Danielem à ſacerdotibus falſis. Nec linguæ humanæ flagellum verberat apud Deum, ubi veritas, ſi teſtis & advocata eſt, tuetur ſibi familiarem, ne luat falſo ſupplicium, ſi non in veritate peccavit. Calamitas ubique adeſt, maximè vacuitas divinorum bonorum atque virtutum. Veritas autem ſuum non ſinit vacuum poſſeſſorem, oſtenditque unde poſſit anima noſtra repleri, educens in aptum perſunctoriæ rei defectum. Et cum fames non panis & vini, ſed audiendi verbum Dei ſæpe abfuerit, veritas tollit. Solent homines alternationes temporum perhorreſcere, ut ſi aſperæ ſint, tempeſtates vocantur. Sed veritas quæ temporum viciſſitudines non patitur, liberat ſibi aſciſcitum, ut cum tempore qualitatibus animæ non varietur. Beſtia terræ ſerpens antiquus eſt anfractuoſè incedens ſuper pectus ſuum in terra, & terra ſcilicet terreni homines ſunt cibus ejus, & inſidiatur calcaneo fœmineo, videlicet cunctorum effœminatorum, qui ſunt in terra, ut ſecum trahat, ubi & ipſe perditus eſt. Beſtia terræ ideo dicitur, quia contra ortos in terra eſt congreſſus ejus. De cœlo quidem fuit ejectus, nec locus ejus amplius inventus eſt ibi. Sed quoniam ipſe mendax eſt, & pater ejus, ut ſubjectum ſcriptum eſt, ideo ſola veritas liberat à mendace. Liberat etiam veritas, à quibus expetebat liberari David,

David, dicens : Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ ſcilicet à peccatis, quæ ſic appellata ſunt. Omnis libertas à malo, & in bono, à veritate procedit. Ad veram libertatem nil præter
Sopho. 1. ipſam valet. Sic propheta ait : Argentum eorum & aurum non valebit liberare eos
Ezech. 1. in die furoris domini. Et alius idem canit : Quia, quod non liberavit ab indebita culpa, non liberavit à debita pœna inflicta Dei juſta ſententia. Sed non intelligebant Judæi eſſe libertatem, niſi à ſervitute, quam ſolum eſſe ſubjecti corporis imperio ſuperioris autumabant. *Hinc reſponderunt ei : Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus unquam. Quomodo tu dicis, liberi eritis?* Ingenuitatem à traduce Judæi ſibi vendicabant, aſſerentes ſe nemini ſervorum jure ſeu more ſervitutis obſequia præbuiſſe, quaſi liberandi non eſſent, cùm ſe non cognoſcerent eſſe addictos ſervituti, ſecundùm carnis conſiderationem ſeipſos metientes. *Reſpondit Jeſus : Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Servitutem criminis ſentiebat Jeſus, non fortunæ, Judæi verò fortunæ, non criminis. Et mirum quidem, quod homo ſervus conſtituatur operationis ſuæ, cùm artifices multa efficiant, multa homines operentur ad eorum utilitatem, non ut his operibus exhibeant ſervitutem. Fabricat quis domum & cætera talium quæ in uſum humanum obveniunt, ut ipſa utiliter ſerviant, non ut eis à factore ſerviatur. Quid igitur in faciendo peccatum factor conſtituitur ſervus ejus? Cujus ejus, quod non eſt? Peccatum enim neque naturam, neque ſubſtantiam, neque aliquam entitatem habet. Homo natura eſt, ſubſtantiam habet & poſitivum eſſe, quomodo ſerviet ei, quod non eſt? Quale dabit ſervitutis obſequium? In quo miniſtrabit? Fit peccatum præterit actio, remanet factor. Igitur ejus, quod eſt, ad id quod non eſt, quæ poteſt eſſe conventio ſervitutis? Patrona enim ſententia Salvatoris peremptus eſt, negari non poteſt, ut dixit, ita eſt. Quoniam qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Id verò dixerim, quod eum ex mala voluntate actio mala proveniat, quæ & ſi tranſeat, voluntas tamen mala cum actione mala non tranſit, remanet quidem, cui malè imperanti homo ab ea peſſundatus, in multis perverſis actionibus ſervit, niſi à ſuperiori poteſtate per gratiam liberetur. Necnon ex eo ſervus à ſervando dictus, quòd captus à culpa ſervetur ad pœnam, velut deprehenſus in furto uſquequo Judex pro tribunali ſedeat, in carcere ad patibulum reſervatur. Et in bello captus ſervatur quandoque in obſequio capientium in vinculis, quouſque redimatur. Eadem imagine captus in bello vitiorum ad ſupplicium omnino ſervatur, niſi ſufficiens redemptor adveniat. Etiam eo intellectu peccatum faciens ipſius conſtituitur ſervus, quod ex peccato antiquo peccatori ſcilicet diabolo mancipatur, niſi liberet, qui verè filius eſt. Proinde ſequitur : *Servus non manet in domo in æternum filius autem manet in æternum. Si ergo filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* Quanquam peccati ſervus aliquamdiu vivere videatur, tamen demum ejiciendus eſt in infernum, niſi ante vitæ terminum converſus ad veritatem, per Dei filium liberetur, qui ſolùm præſtare poteſt hominibus libertatem. Nam ſic ſcriptum eſt, & 2. Petr. 2.
rerum experientia docet : A quo quis ſuperatus eſt, hujus ſervus eſt. Superatus à ſuperiore jugum à cervice non poteſt excutere, niſi ſuperior alius eruat à tyrannide ſuperantis. Superat nos diabolus, non nobilitate naturæ, qua homines incunctanter excedit, non potentia, quamvis maxima ſit : non ſapientia, quanquam præfulgeat, ſed cùm ipſo congreſſu voluntas noſtra molleſcit, abjicit arma data in natura & gratia, cùm ſe avertit à ſuperis, in ima converſa. Per averſionem à Deo, à diabolo ſuperatur homo. Non ſuperaretur, ſi ſe teneret ad Deum, Inſuperabilis eſt, qui ſibi ex toto adhæret & invincibilis ſibi unitus ex omni ſe, in omni loco, & tempore. Nemo ſubjectorum aggrederetur militem ad latus imperatoris conſpectum exiſtere. Omnis quidem creatura reprobra, & accepta, invitè aut voluntariè Deo ſubjicitur. Cognoſcunt prorinus adverſariæ poteſtates hominem dicatum Deo, & deditum ditioni ejus, & quam graditur viam, eo videlicet quo eam etiam per modicum ſuggerendo non poſſunt inflectere in alteram partem. Ac per hoc non ſuperant, non æquantur, inſeriores ſunt omnino ſuppoſito ex fœdere virtutum, & obſervannæ juſſionumque ſupremæ dominanti. Veruntamen ſua voluntaria ſuccumbentia ſuperatus, ſolùm per filium poteſt conſequi libertatem. Suum quippe eſt in ſervitutem venire, ſolius filii à peſſundatione hujuſcemodi liberare. Quamobrem dictum eſt : Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis. Attamen Jeſus affirmando generationem, improbat iniquitatem, dicens : *Scio quia filii Abrahæ eſtis : Sed quæritis me interficere, quia ſermo meus non capit in vobis.* Non inficiatur Jeſus, imo aſſerit id dictum Judæorum :

dæorum : Semen Abrahæ ſumus. Sævitiam, & injuſtitiam eorum arguendo aperit, eo, quòd teſtatur eis peſſimam voluntatem, & impigram ſolicitudinem ad inferendam necem, ſubdens cauſam perverſæ incapacitatis, ſcilicet quòd ſermo ejus non capiebatur ab eis, qui captus cepiſſet ad bonum capientes, & inſtruxiſſet ad virtutem, ut mortem juſti non tanta inquietitudine venarentur. Omnia mala proveniunt, nulla bona fiunt ab incapacitate divini ſermonis, quo qui eruditi non ſunt, ſemper perperam, & nil rectum agunt. Advertendum porro, quòd ab Jeſu in id tendit iſta contentio, ut eos filios diaboli eſſe concludat, ad id, ut per Dei filium ſatagant liberari. Præfert tamen ſeipſum, ut ex ſua juſtitia eos juſtè poſſit arguere, atque ab errore revocare. *Ego quod vidi apud patrem loquor, & vos, quæ vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis.* Pro ſe de Deo patre dicebat, pro Judæis de patre diabolo loquebatur, apud quem didicerunt mala, quæ fecerant, & quæ facturi erant. *Reſponderunt & dixerunt ei : Pater noſter Abraham eſt.* Repetunt quod dixerunt. *Dicit eis Jeſus : Si filii Abrahæ eſtis opera Abrahæ facite.* Ad veram filiationem ſpectat eſtque juſtum jugum impoſitum collo ejus ut imitetur irreprehenſibilem, & optimæ vitæ patrem generatione vel carne, & degenerare convincitur, qui non facit. Affirmat Jeſus Abrahæ bonitatem, ut confundat de ſua generatione nequiter gloriantes. *Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum, quam audivi à Deo, hoc Abraham non fecit.* Arguens Judæos, Abrahamque commendans, ſe verum hominem, & Dei filium confitetur. Quæritis nterficere hominem, non Deum : non enim erat is niſus in Deum ſummum. Et verus homo exiſtens, divinum faciebat alloquium, ut Dei filius, de his quæ audivit à patre. Effert laudibus Abraham, quòd nunquam in verum & juſtum hominem per injuſtitiam fuerit debacchatus. Nec obſtat quod geſſit in liberatione Loth, ſubſtantiæque ſuæ, ut ipſe fuerit minoris virtutis, vel nunc infringatur commendatio ſalvatoris : quoniam adverſus graſſatores injuſtè, juſtum eſt arma movere, oppreſſumque vi eripere à nequiter opprimente. Intendit Jeſus contra iſtos, ut ſe deliquiſſe cognoſcant. *Vos facitis opera patris veſtri.* De diabolo aſſerebat Jeſus, illi autem aliter advertebant. *Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non ſumus nati unum patrem habemus Deum.* Rati ſunt Judæi, quòd Chriſtus eos de idololatria criminaretur, cùm Abraham non negaret ipſorum eſſe patrem, & alium ad imitationem objeciſſet. Proinde nituntur inficiari objectum crimen, negantes idololatriam, quòd nunquam fornicati ſunt cum lapide, neque cum ligno, neque cum aliquo metallo ſculpto ſeu fabricato, aut trajecto in idolum. Nam & fornicatio à Deo appellata idololatria eſt, ut ſcriptura dicit : Perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te. Sed in vero cultu Pſalm. 72. unius Dei aſſerunt ſe manſiſſe. Non autem tunc Jeſus ex objectis verbis in idololatriam intendebat, ſed in illam ſævam perfidiam, qua credere nolentes etiam ipſum venabantur ad mortem. Unde & urget eos : *Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo proceſſi, & veni.* Erat & eſt omnium bonorum ſive malorum unus verus Deus pater, ſed non omnes ipſum patrem imitationis habebant, aut præcepti, ut velut paterna ejus mandata tenerent. Et boni filii diligunt, quem patrem diligere credunt. Neque diligi poteſt pater diligens filium, niſi & dilectus à patre filius diligatur. Hinc dicta Judæorum reſponſione ſua reverberat. Auſi eſtis patrem veſtrum aſſerere verum & unum Deum, igitur imitamini eum, mandata cuſtodite paterna, odite quod odit, diligite, quod diligit. Iniquitatem odit, cur me quæritis interficere? Filium ſuum ab æterno genitum diligit, cur me non diligitis, qui ab ipſo proceſſi in publicum, carnem aſſumpturus, & veni in hunc miſerum mundum? *Neque enim à meipſo veni, ſed ille ipſe me miſit. Quare loquelam meam non cognoſcitis? Quia non poteſtis audire ſermonem meum.* Negatio Jeſu ad ſeipſum, ſolùm ſe à patre miſſum affirmat. Credendi aperit viam, cùm de ſeipſo præſumptivè arroganter non loquitur. Urget increpationibus rationis eos. Si à patre non à meipſo veni, ſi aliud non loquor, quam quod audivi à patre, ſi Deus pater veſter eſt, quare non cognoſcitis verbum meum? Ideo non cognoſcitis, quia æquo animo meum non poteſtis audire ſermonem, qui vos erudiret ad fidem excitaret ad dilectionem, ordinaret ad opus. Atqui omnibus iſte ſermo increpativus congruit. Si Deum verum noſtrum dicimus patrem, cur non diligimus filium? Igitur diligamus eum. Si ex Deo loquitur, cur non accipimus verbum ejus? Ergo accipiamus. Si neutra facimus, argutio eſt, quòd ſermonem ejus non audivimus aure cordis intenta, quanquam corporalis ſuſpenſa quandoque maneat. Dum profertur, ad omnia inſtructionem habet ſermo Chriſti, & efficaciam ad omnia opportunam.

portunam. Hoc tantum primo exigit, libenter audiatur in quæſtionem aliquam non trajectua. Quod ſi auditus in hæſitaiionem aut quæſtionem immittitur, eo ipſo ſuam efficaciam perdit, non in ſe, ſed in eia, qui circa eum curioſitate aguntur. Fide, non quæſtione aut indagatione ſubtili virtutem ſuam operatur in nobis.

Cap. XXXIX.

Quòd in hac diſputatione Jeſus apertè Judæos filios diaboli apellaviert, ſecundùm Joannem ſolùm.

NOn prodeſt nobilitas generis, & paterna bonitas in filios non tranafunditur, neque virtus more hominum aut arborum propagatur, quoniam tantùm caro de carne naſcitur, non virtus originem habet ex carne, cujus ſolus Deus poteſt eſſe largitor. Inaniter igitur Judæi de Abraham ſibi gloriam vendicabant, quòd de ſuis lumbis eſſent traducti continuata progenie. Nec valet legitimitas thori, omni corporali fornicatione ſemota, ſeu conventionem non habuiſſe cum idolis, patrem aſſerere Deum inhærenti perfidiæ, niſi ab honeſta credulitate pellatur, nec animo injuſtè aut invidioſè ſævienti. Et velut factor peccati ejua ſervus efficitur, ſic imitator diaboli omnino ipſius factus eſt filius. Ecce pater creationis Deus, pater generis Abraham, non negantur, non excluduntur. Et pater iniquitatis ex voluntate paternandi ex ipſo, ex voluntate imitandi ex filiis diabolus conſtitutus eſt, ut prodit infallibilis ſententia Salvatoris, cujus ſermone per inaudientiam negato edixit: *Vos ex*

Joan. 8. *patre diabolo eſtis*. Cùm Judæi de Abraham ſe patre jactarent, cujus opera non imitabantur, ut Deum verum, unum & ſummum, ad cultum & dilectionem faterentur patrem, & aut ignoranter aut certa ſcientia inficiarentur ſe criminari dignoa, præſto ſemper animo ad juſti mortem, ipſorum perfidiam, atque ſævitiam ſic infregit, quòd diabolua iniquitate jam eis pater tertius factus erat, non jure alio paternitatis præterquam imitatione complementoque ſuarum voluntatum, & in iſta cauſa occidendi eum, cui nullo jure mors dominari poterat, nec debebat. Propterea dicit: *Et deſideria patris veſtri vultis facere.* Scilicet interficere hominem innocentem. Omne deſiderium diaboli adverſus virtutes ſuosque poſſeſſores eſt. Sed quid ſi poſſet adverſus originalem bonitatem? *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo.* Ab effectu viſibili & longæva experientia noto, ab eo quod eſt homo & cædo, unde homicidium, inde homicida ſuiipſius à ſeipſo exorſus, deinde in omnes, ſi facultas ſuppeteret, appellatus eſt. Egit tamen prout in ſeipſo fuit, cùm originalem radicem humani generis ſuadendo & ſuggerendo, non violentia vulneravit, promittendo decepit in falſitate verborum, à paradiſo & protoplaſtos & prolem à vera vita fecit extorres, homicida erat ab initio. Et Jo- Joan. 9.

annes ait: Ab initio diabolus peccat. Quomodo ab initio? Quia eo, quòd factua eſt extemplo ſuperbiit, & in illa veritate, qua factus erat, ut ſe cum ſuo factore inhærendo teneret, non ſtetit. Acceperat enim cognitionem veritatia, quòd verè ex nihilo factus erat, quòd verè non à ſeipſo, non alius, ſed ſolùm fecerat eum Deus, quòd verè ſtare poterat, quòd verè ultrix juſtitia Dei in delinquentes futura erat, quòd verè ad æternam beatitudinem factus erat, quòd verè ſignaculum ſimilitudinis divinæ acceperat, quòd verè perfectionem creatæ naturæ habebat, quòd verè beatitudo præter Deum non erat, quòd verè ab ipſo Deo dilectus erat, quòd veritas Deus erat, ſed in veritate non ſtetit, & veritas in eo non eſt ad alios nuncianda, quanquam in eo remanſit veritas naturalis bonitatis, in quam ad auferendam deſævire nil poteſt. Sed veritas non eſt in intentione ejus, fallere nititur, omnem averſionis viam agnovit, nil ad decipiendum ejua intelligentiam ſubterfugit. Frænatur autem, ne tantùm noceat, quantum cupit. *Cùm loquitur mendacium ex propriis loquitur.* Non enim à Deo habuit, ut mentiretur, nec ab alio authore accepit, ut mendacium loqueretur. Qui non loquitur auri, ſed cordi, non ſtrepena, ſed inviſibiliter, cúm non arcetur, virua ſuæ mendacitatis inſundit, mordens in ſilentio eum, quem à Deo ſibi permiſſum aggredi ſtatuit. Eo verò mendacium ex propriis loquitur, *quia mendax eſt & pater ejus.* Mendax ſibi, quoniam mentita eſt iniquitas ſibi, mendax omnibus, cùm omnea decipere velit. Et pater eſt mendacii, quia ipſe primus fabricator eſt ejus. Pater ejua, quia ſicut homo prole carnis ſatagit, ut pater ſit, ſic diabolus agit, ut ex mendacio poſſit filios

filiasve

filias va generare. Timor ergo & tremor veniant ſuper omnes: Magis verò cautela, cùm peccatum patratum ejus jugo ſervitutis colla ſubjiciat, & ſæva perfidia patrem habeat diabolum mendacem, mendaciique patrem, qui ſuos filios ſic erudit, ut ſimiles habeat in culpa, quos tandem conſortes habere poſſit in pœna. Et ad Judæus ſermo: Juſtum auditis, hujus filii facti eſtis, huic creditis, qui ſuo mendacio cunctos venatur ad mortem. *Ego autem quia veritatem dico vobis, non creditis mihi.* Ferè querulatur JEſus non ſua re, ſed audientium damno, eo quòd veritatem loquatur non receptus ad fidem. Et omnino implacita veritas his, qui placita ſua quærunt. Ideo homini illam dicenti non creditur, quia placitis hominum adverſatur. Porro ex hoc implacita, quia placita humana & terrena non recipit, ſed è regione conſiſtit, eis adverſatur, & percutit. Facilè autem præſtatur fides ei, qui habet Verbum humanum, & à concione, & à ſingulis fidei gratiam portat.

Cap. XL.

De diſceptatione orta ſuper credenda veritate, quam Chriſtus ſe dicere aſſerebat, ſecundùm Joannem ſolum.

TEgebant omnem orbem nebulæ falſitatis, & tenebræ inviſibiles in Ægypto hujus mundi erant, quas pro luce homines dilexerunt. Veritas exulabat, mendacium, cujus diabolus inventor & pater eſt, verè in omnes obrepſerat, ut meritò Adæ filii arguerentur per Prophetam: Filii hominum uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Omne quoque negotium perambulabat in tenebris. Peſſundabatur à maligno diabolo mundus, ubi ſua opera ferebantur. Sed in hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli, quæ, niſi ab ipſo diſſolvi non poterant, qui cum venerit prædicare orſus falſitati & mendacio ejus appoſuit veritatem. Sic quippe refellendus erat. Non eſt credita Chriſti veritas à Judæis, quibus primo Chriſtus illam prædicavit. Quæ cauſa, quæ ratio, unde improbatur, quo tergiverſabitur, unde ad non credendum poteſt eſſe excuſatio Judæorum? Forſan peccatum enunciatis. Proinde ſi peccatum doctoris in cauſa, non veretur ſtare judicio Chriſti, examini ſe ſubjicere vult. Sedeat pro tribunali judex, veniant accuſatores, introducantur teſtes. Quærit innocens objectorem, argutorem inquirit. Non timet agitationem criminalis cauſæ conſcientia pura. Qui omnes judicare poteſtatem habet arguere cunctos poteſt, in hujuſcemodi Verbum promptus erupit: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Veritas de ſe lucet, ſeipſa placet honeſtis. Eſt ne peccatum interjectum inter veritatem & credulitatem, ne conveniant? Eſt qui me peccatum commiſiſſe cognoverit? Quis me arguet de quocunque peccato? Ubi
Isai. 50. eſt adverſarius meus? Accedat ad me, ſtemus in judicio ſimul. Quis eſt qui me condemnat? Quam ob cauſam, ſi non poſſum argui de peccato. Equidem, nam & peccare non poterat, neque velle, cur non creditis mihi dicenti vobis inconvincibilem veritatem? Sic & in Job de diſce- Job. 6.
ptatione hujuſcemodi prædictum erat, qui ſuis importunis conſolatoribus inferebat: Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis, cùm ex vobis nullus ſit, qui poſſit arguere me? Veritati detrahunt, qui non credunt, & ut non credant falſò inſimulant aſſertorem. Verum quia ſupervacaneum eſſet velle diſſertione Verborum Chriſtum reddere innocentem, velut clariſſimum diem fulgentemque lucem conare facere ſcintillulis clariorem, intendendum eſt in cauſam, cur non creditur proferenti veritatem. *Qui ex DEO eſt, verba DEI audit.* Joan. 8.
Proptera vos non auditis, quia ex DEO non eſtis. Omne habens exiſtere à Deo eſt, ita ut ſit, & maneat quod eſt. Eſt & alius eſſendi modus à Deo, ut ſupra illud, quod acceptum eſt in natura qua ſumus, aliquid ex gratia capiamus inhærentes ei, agentes omnia per legem ejus, cupientes ſcire ad actionem conjungendam voluntatem ipſius. Etiam omnis, qui natus eſt ex Deo, 1. Joan. 3.
peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. Et in hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli, ut id dictum: Qui eſt ex Deo, verba Dei audit, pertineat ad filios Dei. Et adverſum Verbum: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis, ad diaboli filios referatur. Ac per hoc cupiens in hac vita cognoſcere Deum, audiat verba Dei, cujus cognitio in fide conceditur, & fides ex auditu eſt, auditus autem per Verbum Dei. Volens amare Deum, audiat Verbum Dei: Eru-

ditur in illo ad zelum ſecundùm ſcientiam. Diſpoſitus ad agones, ad actiones ex præcepto atque conſilio audiat Verbum Dei, ne ſupra ſe indebitè raptus in inferiora labatur, aut rectum greſſum facere ratus oberret. Cupidus inſtruere audiat Verbum Dei, ſine quo doctrina & diſciplina pariter ſunt contemptui. Sibi cavens audiat Verbum Dei, docens noxia cuncta cavere. Nullius ſcientiæ verba docent cavere tam noxia, quoniam æterna mala nulla ſcientia novit, nullius hominis intelligentia conſpexit, & uti de incognitis debitam non dederunt cautelam. Se aptans regno Dei, audiat Verbum Dei, quoniam ad Dei regnum duntaxat inſtruit Dei Verbum. Et ſi omnia ſciens audiat Verbum Dei, ut ſe verorum amatorem & caſtorum eloquiorum eſſe demonſtret, & ſi omnino neſcius, audiat Verbum Dei, ut in ipſo ad ſcientiam inſtruatur. Et ſi ſciolus, audiat Verbum Dei, ob quod ad plenitudinem ſcientiæ fit acceſſus. Necnon & inimici Dei audiant Verbum Dei, prohibens inimicitias, & amicitias juſtis legibus ordinans. Nemo ſe ab auditu Verborum Dei ſecernat, illud audire ſine exceptione omnes opus habent, omnibus congruit, omnium capacitati ſe coaptat, ſine quo nemo inſtructus, nemo recta graditur via, nemo venit in cognitionem veritatis. Quapropter à Salvatore dictum eſt : Si veritatem loquitur, cur ei non creditur? Et cauſa juſta, ſed peſſima ſubrogatur : Qui eſt ex Deo, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Quicunque non ſunt ex Deo, non audiunt verba Dei. Mala utique cauſa, quamvis vera: Quoniam, qui non ex Deo, ex diabolo eſt per malitiam, & ad eum ſpectat per pœnam. Non eſt dare tertiam partem hominum ex adultis, ut ſit tertius populus. Unus Dei & alter diaboli. Qui non ex Deo, ex diabolo eſt, qui verba Dei audire non ſinit, cujus mandata in cœlo primus ipſe contempſit. Averſa igitur aure ab auditu Verborum Dei fides ad credendum non ſubvenit, cùm ipſa ſit ex auditu, auditus per Verbum Dei. Sicque dicenti per veritatem non creditur, ea multatione futura, qua unuſquiſque à veritate damnatur, à qua quis ſponte victus adverſus omnia perſeverat invictus, à qua invictus à vitiis cunctis eſt victus. Sed nemo eſt, qui ſi ultro à veritate non vincitur, quin ab ipſa invitè ſuperetur. Adverſus omnes acies ſecurus obſiſtit, qui voluntate libera ſubjicitur veritati. Quem enim ſponte deditum habuit, ab omnibus tuita eſt, & ſecurum ſtare ante judicium fecit. Et de ea veritate profecto dictum eſt : Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno. Et alibi ſcriptum eſt: Pſalm. 90. Pius & miſericors Dominus, & remittit in tempore tribulationis peccata. Et protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate. In regnum introire fecit cuſtodientes illam, ut Propheta dicit : Aperite por- Eccleſ. 2. tas, & ingredietur gens juſta cuſtodiens veritatem. Ergo ut non arguamur ut Ju- Pſalm. 117. dæi arguti, quia Chriſtum non potuerunt arguere, audiamus verba Dei, ut credamus aſſertori veritatis : Quoniam quamvis credatur ex verbo, non tamen fides propter Verbum intelligendum aut audiendum, ſed Verbum auditur, ut ad fidem veniatur ei tributam, qui loquitur veritatem. Cui, ſcilicet Chriſto talia proferenti *Reſponderunt igitur Judæi & dixerunt ei; Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Ipſi ſibi teſtes ſunt, quòd ex parte diabolo, non ex Deo ſunt, cùm audita veritate amplius iraſcantur, & dæmonium, quo pleni ſunt, ex quo ſunt, à quo aguntur innocenti & inculpabili tribuunt, & extraneæ gentis credunt hominem inter eos natum, eorum agentem cauſam, doctrinam ſalutis docentem. Non excuſationem ad objecta facit JEſus, ſed negationem. *Reſpondit JEſus : Ego dæmonium non habeo, ſed honoriſico patrem meum, & vos inhonoraſtis me.* Nulla conviriatio crimnoſior, quàm aliquem dæmoniacum dicere, & objicere alicui hoc peſſimum nomen, cùm ſit dæmonium incorrigibile malum, depravata voluntas, inſatiabilis prædo, infeſtus omnibus bonis, non quieſcens, niſi ſupplantet, omnium vitiorum magiſter atque ſuaſor. Sed eandem injuriam vicariam Chriſto reddiderunt injuſtè, & juſtiſſimè acceperunt. Dixerat eis Chriſtus : Vos ex parte diabolo eſtis. Nunc Judæi intulerunt : Et tu dæmonium habes. Inficiatur JEſus ſe dæmonium jam habere, quoniam nulla conventio Chriſti ad Belial, nec dicta nec facta ſua illam habuere imaginem, ſed aſſerit ſe verbis & moribus deiformibus honorare patrem, & ſe ab eis dedecoratum eſſe. Samaritanum ſe dici ſilentio præterit. Aut fortè quia ſibi competebat interpretatio nominis, aut quia hoc ex animo non dicebant, cùm pluries jam faſſi fuiſſent ejus originem & patriam ſecundùm carnem agnoſcere, ſed eum eis aſſerebant adverſum ut Samaritanam gentem. Nec ex ambitione Verbum increpativum protulit, ut honorari vellet, cùm non gloriam ſuam in aliquo veneraretur. Propterea inquit : *Ego autem non quæro gloriam meam, eſt qui quærat & judicet.*

dicet. Paternam quærebat gloriam, non ſuam. Pater verò pro gluria filii, non in eo, quòd æternus & ſibi per omnia æqualis, amplius glorificari non indigens nec valens, ſed ut aſſumptus homo ſuper omnia glorificaretur, qui à Judæis contemptui habebatur. Et judicandum erat à pa- [Joan. 8.] tre contra Judæos pro filio ſic contempto, non judicio quod dederat filio, ſicut ſcriptum eſt, & pater non judicat quenquam, ſed omne judicium dedit filio, ſed judicio quo eum pater declaravit & tranſtulit ex mortuis, miſit Spiritum Sanctum, in cujus authoritate ſic per univerſum orbem inſonuit, ut Filius Dei verè crederetur à gentibus, quem Judæi tanquam purum hominem contempſerunt, & ut malefactorem popoſcerunt invaleſcentibus vocibus crucifigi. Quamobrem dicit: Non quæro gloriam meam, eſt qui quærat & judicet. Et in ſcripturis ſacris multa ſunt teſtimonia de Chriſto, qualiter ad eum aſſumptum hominem pater futurus erat, in exaltatione ejus, in glorificatione ipſius, in judicando cauſam ipſius, ſicutque longè ante de ipſo prædictum fuerat, acſi ipſi pro ſeipſo uti poſitus in hac cauſa precaretur, prout Pſalmi 34. & 42. apertè manifeſtant.

Cap. XLI.

Quòd ſermo Chriſti ſervatus liberet ab æterna morte, efficiatque plura, contra quam ſententiam à Judæis acerrimè contradictum eſt, ſecundùm Joannem ſolùm.

NOn procurat magnopere JEſus, nec ab iſta ſolieitudine angitur longis ſermonibus objecta depellere, diffuſis diſputationibus confundere objectores, ſed tantùm ſuas ſententias aſſerere, loqui expedientia, docere utilia. Proinde quaſi ſopitis jam dictis velut exorſus ab alia loquendi ſerie di- [Joan. 8.] cit: ***Amen, amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non guſtabit in æternum.*** Non ſe jactat ille aut inaniter loquitur, qui remotis ambagibus duntaxat utilitatem audientium intendit. Hanc ſolam venatur Chriſtus, inimicus mortis, ipſiuſque oppugnator & everſor, adverſùm quam diſpoſuit habere congreſſum, non ſibi timens aut cavens, ſed his, quos ipſa depaſcebat, & vaſtabat, ut fera peſſima creaturam creatoris imaginem experimentem, & adverſùs illam totus JEſus, totus mos ejus, totaque doctrina ejus erat, quæ vocabatur æterna, per quam effigiatum in tempore ab æterna effigie æternum erat habitura divortium. Et hujus tantæ ſimilitudinis Deus pater amator erat, cujus filius in ea, quam aſſumpſit imagine facta primò ad imaginem ſui, eidem docendo loquitur, unde mors æterna devitetur, quodam juramento pollicens, quòd ſi ſervabitur ſermo ejus, æterna mors experimento non fiet. Et ſermo ejus veritas eſt, & veritas liberat ſuos alumnos, de quo Chriſtus queruloſè loquitur, non ſuò damno dolens, ſed noſtro: Non ſibi aliquid quærens, ſed conſulens nobis. Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Uti diceret: Si mortem horretis æternam, meum ſervate ſermonem, ſervatum illam depellentem. Qui ſermo veritas eſt, & veritas liberat, quam mihi dicenti non ereditis, non credentes non ſervatis ſermonem meum, non ſervantes mortem æternam incurritis, devitabitiſque ſervantes memoria, fide, dilectione, actioneque. Oportet intendere circa divinum ſermonem quid efficiat, ut ſervetur. Ex jam dicto per JEſum non ſinit ire in mortem ſer- [Exod. 34.] mo ſervatus, & accendit ad amorem, & armat adverſùs mala, conſiſtentiam animæ & corporis, & præcellentiam ad cæteros tribuit conſortium ejus: Quoniam & facies Moyſi cornuta facta eſt ex conſortio ſermonis Dei, ipſo etiam ignorante, nam ſupra ſeipſum hominem conſtituit, ut plus habeat, quam agnoſcat. Et iterum accen- [Prov. 30.] dit ad protectionem à larvalibus inimicis, juxta ſapientiæ dictum: Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſperantibus in eum. Effectivus etiam eſt interdumque illarum [Eccleſ. 8.] rerum, quæ aliter ab homine fieri nequeunt, ſicut ſcriptum eſt: Sermo illius de poteſtate plenus eſt, nam ſæpe transformat mentes & exteriores hominum mores & ſanat inſanabilia, ſicut per ſapientiam dicitur: Etenim neque herba neque ma- [Sapien. 16.] lagma ſanavit illos, ſed tuus domine ſermo, qui ſanat omnia, de illis aiens, qui ſerpentibus ſauciabantur. Per quos dæmones mordentes in ſilentio deſignantur, à quorum morſibus nos ſanat ſermo Chriſti, & conſervat duntaxat credentes, ut ſapientia dieit: Sermo tuus hos, qui crediderunt in te, conſervat. Sed contra incredulos & perverſos dicitur: Firmaverunt [Pſalm. 63.] ſibi ſermonem nequam. Sermo nequam, qui avertit à bono, ſuadet nefas, trahit in

errorem,

errorem, docet, quod non decet: ſed illi firmant, qui deliberant effectum ejus. Et ad contumacem, qui ſe credit præter obedientiam ſermonis Dei agentem perperam impœnitenter credentem terrenis muneri- Pſalm. 49. bus placare Deum infertur: Tu verò odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum. Illi quidem ſermonem Dei rerro projiciunt, non qui non audiunt, ſed qui audiunt, & contemnunt, cognoſcunt, & obliviſcuntur, ſciunt ab eis prohibita, & committunt, ſicut per alium Ezech. 33. Prophetam dicitur: Audiunt ſermones tuos & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui vertunt illos, & avaritiam ſuam ſequitur cor eorum. Veruntamen cùm Chriſtus ſermonem ſuum poteſtatem habere aſſerat ſuper æternam mortem, ægrè tulerunt Judæi. *Qui dixerunt ei: Nunc cognovimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt & prophetæ, & tu dicis: Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non guſtabit in æternum. Nunquid tu major es patre noſtro Abraham qui mortuus eſt? Et prophetæ mortui ſunt. Quemteipſum facis?* Non ceſſat ab inferendo convitio pertinax in malo, & cùm tergiverſari non poteſt, vituperat argutionem. Igitur Judæi ferentes indignè verba ſalvatoris, eum laceſſunt injuriis, confirmantes quòd malè prædixerat, & adverſantes ei ab expertis mortem nituntur ſubvertere dicta ejus, uti ſic eorum contradictio ſonet ad Jeſum: Abraham pater noſter, quo tu major non es, & prophetæ, qui Dei æterni ſuper omnia exiſtentis ſermones ſervantes mortui ſunt, quomodo tu aſſeris tantæ virtutis tuum eſſe ſermonem, ut excludat à ſervantibus mortem? Quem ſic aſſerendo facis teipſum? Deum verum tibi videtur præcedere. Super omnes & ſuper omnia te jactando exaltas, plus virtutis, quam Verbo Dei tribuens verbo tuo. *Reſpondit Jeſus: Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt, & non cognoviſtis eum. Ego autem novi eum. Et ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem ejus ſervo.* Ut ſæpe à Jeſu aſſertum eſt, cauſam omnem ſuam ſuæque glorificationis fatetur agere patrem ſuum, ſeque ipſum plenè cognoſcere, ſibique obedire, atque ipſum culpabiliter ignorare Judæos.

Cap. XLII.

De comparatione Jeſu ad Abraham ſecundùm æternitatem & temporum volubilitatem, ſecundùm Joannem ſolum.

Objecerant Judæi Chriſto Abraham & prophetas eſſe mortuos, ad refringendum, quòd ſermo ſuus non poterat mortis imperium ſuperare, ſed ipſi de morte corporis duntaxat intelligebant, à qua nemo in carne natus lege communi eximitur, ut ab origine mundi uſque ad tempus illud experimento ſic erat. Jeſus autem de æterna morte loquebatur, à qua eruit ſuus ſermo ſervatus, quamvis ſua plenitudine poteſtatis ab utraque poſſet eripere. Sed una etiam poſt omnem pœnitudinem voluntarii peccati & emendationem juſto Dei judicio, ut ſolum fide vitæ melioris, non amore vitæ præſentis veniatur ad Chriſtum, relicta eſt in experientia corporis, altera devitari poteſt in obſervantia ſermonis. Proinde cùm Judæi objicerent ad ſubvertendam ſententiam Salvatoris mortuum Abraham, ipſe prudenter eundem Joan. 8. ad confutandum eos objecit dicens: *Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum, vidit & gaviſus eſt.* Sic fit ad eos ſermo. Vos Abraham dicitis mortuum verba Dei ſervantem, quod in corpore verum eſt eſſe reſolutum, ſed ipſe deſideravit exultanter videre diem meum, tempus ſcilicet, quo mundo apparerem ad liberationem ſui à loco ubi detinebatur, & gentis ſuæ omniumque gentium, quoniam in ſemine ſuo benedicendæ erant, & ab eo tempore deſideravit, quo de Chriſto de ſuis lumbis ex longa multorum interjectorum propagata propagine naſcituro promiſſionem accepit. Vidit itaque poſt factam promiſſionem ænigmaticè atque interna revelatione ſibi à Deo facta, & vidit in limbo ubi conſtitutus eſt, & in gaudio factus eſt pro ſeipſo, & pro his, qui redimendi erant, quòd filius Dei omnes in carne redempturus advenerat. Igitur quare objicitis mihi Abraham mortuum temporaliter in carne, qui ut in morte non detineretur æterna meum deſideravit adventum, à qua nec aliter potuit liberari, quem cùm cognovit, exultavit in gaudio. Hujuſcemodi rei cauſa, ſi Abraham pater veſter ad diem hunc, quem ago, taliter ſuper terram deſiderans exultavit, cur vos ipſum mihi opponitis mortuum? Attamen hæc dicta Jeſu in fide auditorum ferebantur,

tur, alias inapprehenſibilia erant. Quis igitur cogitare poſſet ex humano, quòd Abraham vidiſſet Jeſum corporali oculo, ſicut Judæorum perfidia cogitabat? Unde juxta cogitatum dederunt Chriſto reſponſum. *Dixerunt ergo ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Non dixerat Jeſus, ego Abraham vidi, juxta quod ipſi exprobrativè reſpondent, potius ab Abraham ſe viſum aſſerebat. Sed impetus iræ animum turbat, turbatus in verbo errat, linguam obliquat, ut nec interroget juſtum, non reſpondeat verum, nec teneat in diſceptatione propoſitum, & quod geritur mente, ore non proditur, & ad ea, quæ non expediunt, ſe ingerit, & plerumque ad id, quod non dicitur reſpondendo inſanit. Obliqua objectio ad id, quod dixit: Abraham vidit, & tu Abraham vidiſti. Metiebantur verò Jeſum per momenta temporum, & argumento erant verba Judæorum de nimia gravitate Jeſu, & quòd mores ejus eſſent jam vergentis ætatis, cùm homo triginta annorum habere quinquaginta æſtimari poſſet. Jeſus verò, quod erat ſibi ex aſſumpto temporale omittens, per id quod ſibi erat æternum, reſponſum dedit. *Dixit eis Jeſus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.* Ex eo, quòd æternus ex patre, non ex eo, quod temporalis ex matre verbum hoc depromptum eſt. Hinc comparatus Chriſtus Abrahæ decurſu temporis et ſuccumbebat ætate, prout erat homo ex jam parvo elapſo tempore antecedebat eum omnemque creatururam, quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et præſenti locutionis verbo ſeipſum deſcripſit dicens, ſum: quoniam ipſe ut Deus nullum præteritum habet neque futurum.

Cap. XLIII.

Curritur à Judæis ad lapides jaciendos, & Jeſus egreditur templum, ſecundùm Joannem ſolùm.

MAgna Judæorum ſævitia ex indurata perfidia procurat ictibus lapidum diſceptationem ſuſceptam terminare, in ratione deficientes ad convitia recurrerunt, à veritate victi, violentia ſe tueri nituntur, & lapitatione lapidum infringere, quod eſt æternum. Audiunt poſtponi hominem tanti temporis juvenili ætati, præponi ætatem juvenis chiliadi duplici, non credentes deitatem naturam aſſumpſiſſe humanam, in qua filius Dei degebat in terris, ex tempore agebat, & loquebatur, id ſemper intendens, ut homines trajiceret in deitatem per hominem, & in æternitatem per fidei pontem. Sed non accommodantes Judæi perfidi ſanum intellectum, aliter, quod dicebat, comprehendere non valentes, & præferentes placitum & præſumptum in animo veritati faſtiditi ad verbum rectè loquentis. *Tulerunt lapides Judæi, ut jacerent in eum.* Duri corde ad lapides duros, inſenſibiles in animo & irrationabiles ad inſenſibilia & irrationabilia pro victoria ſe tulerunt opere proteſtantes quod in animo geſtabant, & ſuper modum furentes non quærunt judicium, unde homo iſte lege lapidetur, & ſi Deum ſe aſſerebat, debuerunt ſuavi diſſertione perquirere, non furere. Atque obliti honeſtatis, alienati à ſeipſis, templo Dei non deferunt, ne fuſo ſangine humano macularetur, quanquam Chriſti ſanquis non commaculaſſet, ſed conſecraſſet. Ex eorum tamen propoſito malo id agebatur, ut tanquam hominis puri lapidatores effecti, non advertebant quid contaminationis adveniſſet in templo. Sæpe hoc ſcelus in hominibus agitur, ut cum animus obliquatus ratione fuerit, placitum opponitur veritati, obnubilat odium mentem, quòd nil eſt reverentiæ, nil honeſtatis in cauſa. Non defertur ſacris, profanantur divinæ ædes, dehoneſtantur, quæ ſunt dicata Deo, locus orationis efficitur turpitudinis, nil curæ remanet ad deſtinatum bonum. *Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo.* Non timore latibulum procuravit ad horam, ſed quia nondum venit ejus hora, nec erat tali morte tranſiturus ex mundo, ſed exaltandus in cruce. Abſcondit ſe, volens pro tempore, loco, cauſa hominum ſapientiam pariter & malitiam devitare. Non ſe abſcondit in cavernis aut opacis aut umbroſis locis, ſeu in aliquo clandeſtino, ſed ſua virtute illorum effugit aſpectum, ut velut in celatum hominem non poſſent intendere in eum, nam & inter omnem turbam eum undique circumdantem abſcondere ſe ab eis pro voto valuiſſet, nec ſibi opus erat ad deliteſcendum qualiſcunque locus. Inviſibiliter inter omnes oculos quantumcunque perſpicaces incedere

Joan. 8. (margin note beside "faſtiditi ad verbum rectè loquentis")

cedere ſibi facultas erat. Exivit autem de templo, jam phariſæorum, pontificum & ſcribarum voluntate mala & perverſis operibus profanato. Jam relinquendum erat templum illud cum omnibus umbroſis myſteriis, meliori conditione in veritate donandum. Jam Chriſtus exiturus erat ab eis Judæis, & ab omnibus ceremoniis eorum, ſynagogam ex toto relicturus, de proximo novam inſtructurus eccleſiam. Exivit Jeſus de manufacto templo, templi non dignatus ſtructuram, ſed templum cordis eorum ob perfidiam aſpernatus. Abſcondit ſe Jeſus à furia Judæorum, ne lapidaretur. Quo ſe abſcondit? In ſacramentia novis. Templum reliquit, priſca ſacramenta deſtituens. Pactum jam erat aliquid in figura propter quod eſſet abſconſio, propter quod peccata populi omniſque facientis malum, niſi reſipiſcat. Unde contra populum prævaricationis dicitur: Ego autem abſcondam & celabo faciem meam in die illo propter omnia mala, quæ fecit, quia ſecutus eſt deos alienos. Et alibi: Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo noviſſima eorum. Et abſconſus exiit de templo, & exiens ſe abſcondit, nobis in forma factus, ne improbè cum audacibus contendamus. Prudentia eſt ad horam declinare ſuperbum irrationabilem, quàm reſiſtere in facie aut velle obſiſtere ratione. Rationem redditam ſuperbus & iratus non recipit in propria conturbatus, & cùm ſibi reſiſtitur, amplius furit. Declinatio verò quemque conſuevit mollire ſuperbum, & placare iratum. Et ſi non, ſaltem devitavit, ne uſque ad reatum actione procederet, quamvis intentione totus eſſet in crimine. Chriſtianæ virtutis penitus eſt poſt malam intentionem in homine adverſus ſe præſumptam, ſic declinare in partem ſine reſponſione verborum, ut quod decrevit irata ſuperbia in actione non veniat. Ezech. 39. Deut. 32.

Cap. XLIV.

Quòd interrogatus Jeſus, an eſſet Chriſtus, teſtimonium ſuum operibus tribuat, ſecundùm Joannem ſolùm.

Antequam ad interrogationem Judæorum evangeliſta ſe conferat, feſtivitatem enceniorum & temporia qualitatem & locum apertè deſcribit, ut ex his aliquid innuat myſticum atque morale, dicens: *Facta ſunt encenia in Jeroſolymis, & hyems erat.* Agebatur feſtum de renovatione templi, facta ſub Eſdra aut ſub Juda Machabæo tempore Machabæorum, non primæ conditionis à Salomone, quamvis ante deſtructionem diu illa feſtivitas primæ conditionis celebrata fuiſſet. Et Jeroſolyma civitas illud habebat templum, id promens quod in pace duntaxat ſit ſpirituale Dei templum, qua deſtructa deſtruatur & templum, cujus reparatis mœniis & templum iterum relevetur. Et à contemplando dictum templum recipimus. Dei verò contemplatio non agitur præter pacem neque enim aliquid gratæ virtutis enceniare poteſt, qui non conſiſtit in pace. Sed additur ſuſpecta qualitas temporis, quia hyems erat in deſignationem frigiditatis in cordibus Judæorum. Etenim ab omni calore virtutis torpebant. Frigidi erant, cùm gratis Chriſto vellent inferre horridam mortem, aut quia mundi fragilitas opportuna ſit attollendæ in contemplationem menti, cùm quanto ab exterioribus ſenſus ſopiti corporis vagari prohibentur, tantò magis intenor obtutus intenditur. Veruntamen in alteram partem hanc temporis qualitatem interpretatam lectitamus, quoniam poſt hyemia abſceſſum ſponſus ad ſurgendum dilectam ſibi ſpoſam invitat, dicens: Surge propera amica mea, formoſa mea, columca mea, & veni. Jam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit. Uti ſic illam alloqueretur. Si tribulatio, ſi perſecutio, ſi tentatio, ſi defectio charitatis afſuerit, ecce defuit, igitur ſurge, quo vocata veni. Cum illa qualitate in hyeme deſignata ſuperſtite non ſurgitur, ſed jacetur: non itur, ſed ſtatur: non perficitur, ſed deficitur. Et Salvator noſter præmonuit, ne fuga periculi fieret tempore frigidæ qualitatis. Orate, inquit, ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbato. At ubi hoc evangeliſta prædixit, actiones & verba Jeſu & Judæorum per diſceptationem aſſeruit. *Et ambulabat Jeſus in templo, in porticu Salomonis.* In templo ambulabat, quod jam ex prophetico teſtimonio dixerat domum Dei & orationis ad eum, & ad famoſam ſingularem ſe contraxerat templi partem, quia in porticu Salomonis. Decebat equidem eum, quoniam ipſe duntaxat verè rex pacificus erat. *Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei: Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus dic nobis palàm.* Fecere Judæi de ſe ipſis Chriſto coronam, non amore viſendi, ut milites placito regi ad obedientiam prompti, Joan. 10. Cant. 2. Matth. 24.

prompti, ſeu ut filii ad amatum patrem, ſeu ut diſcipuli ad audiendum doctorem, ſed ne de manibus ipſorum laberetur, ſi potuiſſent in illum juſtè manus injicere ob imperfectum ad interrogata reſponſum aut calumniæ verbum. De qua circundatione atque victoria jam prophetia erat, non ſolùm de Judæis, ſed etiam de omnibus gentibus, ſicut ſcriptum eſt in libro Pſal-

Pſalm. 117. morum: Omnes gentes circumierunt me, & in nomine Domini, quia vultus ſum in eos. Circundantes circundederunt me, & in nomine Domini, quia ultus ſum in eos. Circundederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, & in nomine Domini, quia ultus ſum in eos. Circundatio ter repetita & ſimilitudo apum, ignis & ſpinarum, myſtica, & malè moralia ſunt, ultio vero facta in nomine Domini è regione reſpondet. Pervicaciſſima erat perfidia Judæorum interrogantium de Meſſia, cùm audiſſent à Joanne Baptiſta, & ab ipſo Jeſu, & non credebant. Quid ergo eis dare potuiſſet in ſignum, ut crederent? Nihil, cùm ſigna mirabilia & opera intuerentur. Meſſias Hebraicè, Chriſtus Græcè, Unctus Latinè dicitur. Quod ſi palàm, ut petebant, reſpondiſſet, ad poſſe comprehendiſſent ut perfidi, ſi ſe negaviſſet, dixiſſet mendacium, erat enim Meſſias promiſſus in lege, necnon interdictum juſtè accepiſſet in verbo, aut luiſſet juſtum in ſupplicio. Proinde cùm Judæi coronantes Chriſtum interrogarent quis eſſet, in ultionem malignitatis ipſorum ab illo audierunt. *Reſpondit eis Jeſus: Loquor vobis, & non creditis mihi. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Ad quid, inquit Jeſus, interrogatis, cùm ego ſæpe veritatem locutus fuerim vobis, & non creditis mihi? Submoveantur igitur à me atque à vobis ambages, opera facta non humana virtute, ſed in nomine patris mei, ad teſtimonium profero. Si inficiari aut inſimulare poteſtis, enitimini, ſi nequitis, & verbis meis non creditis, opera teſtificantur, quorum teſtimonium validiſſimum eſt, ſi nunquam ſimilia facta fuerunt à patre meo ſupra naturam ex me mundo edita. *Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.* Ea ſententia eſt, quæ ſupra, ſed non ſimilia verba. Dixerat enim: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Nunc autem non eſtis ex ovibus meis, ſed ex alio ovili, ex alio directæ atque nutritæ paſtore. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Quid inſigne ſimilitudinis bonæ oves habent, quarum nomine ſuus fideles & electos Chriſtus appellat. Mec contemnenda ſimilitudo eſt, ſed diſcutienda in proprietate rei, cùm electi Dei aſſimilantur brutis animalibus ratione carentibus, ut ex illa comparatione in virtute fiamus. Et cùm reprobi etiam animalibus comparantur, æquè oportet diſcutere ad cavendum. Pacificum animal novimus eſſe, neque habet diſcerpentes, neque laniantes dentes, neque novit aliquem lædere ex aliqua ſui parte, plus affert, quàm auferat, duas habens tunicas, pellem & lanam, evangelicum verbum actione docet, cùm alteram ſibi permittit auferri, ſicut dictum eſt: Qui habet tuas tunicas, det non ha-

Lucæ 3. benti. Et quaſi verbum lene in ore ſuo reſonat, etiam uſque ad mortem læſa. Et quod amplius, tota in uſu utilis eſt, ut nec quidquam in exterioribus aut interioribus ſit, quin poſſit ad bonum, & ad pulchrum, & aptum uſum auferri, nec etiam ſtercus ejus à medicina & ab utilitate vacet. Et hoc præſertim habet proprium, quòd vocem proprii paſtoris cognoſcat, & vocantem ſequitur cæteris prætermiſſis. Hujuſcemodi dictum ex experientia liquet. Hac ſimilitudine ſumpta ex illarum proprietate Chriſtus, quos viderat ſuos, oves dicit.

Geneſ. 4. Et primus in opere hominum juſtus paſtor ovium fuit, eo præſagio quod proprietas ovium tranſſumpta ſimilitudinem ad actionem morum efficiat. Et ſicut ovis ad occiſionem muta ducitur, ſic ille primus ipſarum paſtor ſilenter in pace interfectus eſt, & Chriſtus ad idem, cujus figura in illo peracta eſt. Contemplandumque multo intuitu eſt in proceſſu dominicarum ovium, ex deſignatione ſummi paſtoris. Audiunt, cognoſcuntur, vitam æternam accipiunt, in æternum non

Jacob. 1. pereunt, ab aliquo non rapiuntur. Prima eſt ſextilis perfectio numeralis. Sed

1. Reg. 3. quid audiunt? Vocem. Sit omnis homo velox ad audiendum. Erat una de ovibus Samuel, qui tertio vocatus à domino, reſpondit: Loquere domine, quia audit ſervus tuus. Sit omnis homo præſto ad audiendam vocem Domini, ut perficiat verbum ejus. Obedientia omnino neceſſaria eſt ad dominicam vocem, ſi præ-

Job. 14. ceptoria eſt. Cui & Job ſe reſponſurum ſpondebat: Vocabis me, & ego reſpon-

Proverb. 9. debo tibi. Ad quid vocat? Interdum ad fidei ſecuritatem, ut ſecura mente in domo Domini, quæ eſt eccleſia, habitemus, Nam ſapientia miſit ancillas ſuas, ut vocaret ad arcem, & ad mœnia civitatis. Mittit Dei filius prædicatores ſuos, vo-

cans mortales ad arcem fidei multis mu-
nitam præſidiis. Et aliquando vocat ad ge-
mitum & ad omnem mundi contemptum,
ut verum gaudium ſuccedaneum ſit. Et
vocabit dominus Deus exercituum in die
illa ad fletum, & ad planctum, & ad cal
vitium, & ad cingulum ſacci. Et ecce
gaudium in lætitia. Pro peccatis fletus in
Iſaiæ, 22. effuſione lachrymarum agitur. Planctus
in lamentatione delictorum, & inundantis
miſeriæ, & in his, qui nequiter vivunt.
Calvitium rerum contemptum ſapit. Sac-
eile cingulum corporis blandimenta pro-
jecit, & induxit aſperitatem. Succedit
his gaudium in lætitia ſempiterna, & in
1. Theſſ. 4. ſanctitatem converſationis vitæ. Hinc Pau-
lus: Non enim vocavit nos Deus in im-
1. Petr. 1. munditiam, ſed in ſanctificationem. Et
Petrus: Qui vocavit nos ſanctum, ut &
Pſalm, 94. ipſi ſancti in omni converſatione ſitis. Et
per prophetam monemur, cùm vocem
Chriſti vocantis audiverimus, ut corda
Exod, 19. noſtra ad obedientiam præparemus: Ho-
die ſi vocem ejus audieritis, nolite obtu-
Apoc, 3. rare corda veſtra. Ex pacto fit ad homi-
nes Chriſti vox. Si audientis vocem meam
& cuſtodientis pactum meum, eritis mi-
hi in peculium de cunctis populis. Et
alibi. Si quis audierit vocem meam &
aperuerit mihi januam, introibo in illum,
& cœnabo cum illo & ipſe mecum. Ad
multa expedientia nobis Verbum Dei eſt,
cui utiliter aſſentitur, & diſſentitur damno-
ſè. Fit vox Dei, hoc eſt præceptum ejus
ad ſiſtendum populos delinquentes, & o-
Pſalm, 28. mnia malè fluida noſtra. Unde vox do-
mini ſuper aquas. Et in potentia virtutis
ſuæ efficiens eſt, exigitque virtutem à
nobis. Et vox domini in virtute. Sed
ad magna, quæ facturus eſt, ut & nos
prout eſt ex nobis, magna virtutum ope-
ra faciamus. Et vox domini in magnifi-
centia. Et ad confractum ſuperborum
eſt vox vocans & interminans. Vox do-
mini confringentis cedros. Et ad omne
concupiſcentiæ ignem, ut extinguetur, fit
vox domini intercidentis flammam ignis.
Et ad commovendum in ſaniorem & opti-
mam virtutum partem eos, qui deſeren-
tes Deum deſerti ſunt, inſonat vox domi-
ni concutientis deſertum. Et ad præpa-
rationem humillum & humilitatis ipſam
factam agnovimus. Vox Domini præparan-
tis cervos. Non ergo dicamus, ut Pharao,
quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus,
ſi audierimus vocem ejus, erimus de ovibus
ejus, quæ cognoſcuntur ab eo, ea cognitio-
ne, qua in approbatione aptitudinis erunt ad
capeſſenda regna cœleſtia, Non enim Jeſu
accedit aliquorum de novo cognitio quo-
niam ut Deus omnia ab æterno cognovit, ſed cognoſcit ſuas oves à cæteris eſſe diſcretas, ut eas in judicio ponat à dextris, ut collocet in excelſis. Novit enim Dominus, qui ſunt ejus, qui ſequuntur ſcilicet in auditu vocis. Hæc protinus tota valetudo virtutis, ſequi Dominum Chriſtum, quibus vita æterna datur, pro eo, quòd temporalem hominem in Dei obſequium tradiderunt. Talis eſt iſta permutatio cum Chriſto commercium gerere, ut ſi ei dedicatur temporalis vita, quod accipiamus æternam. Et cum æternum non pereunt, id quidem eſt, quod anceps vita in ſecuritatem æternam transfertur, nullis infeſtanda periculis. Et prædeſtinatio habet ſuo jure hoc proprium, quòd nullus poſſit perire de ab æterno electis ante mundi conſtitutionem, Et invariabilis erit voluntas hominum beatorum, ut nec poſſit averti à bono, nec converti ad alteram partem. Et in hac vita nil tam pertimeſcendum eſt, quantùm facilè mutabilem ſe cognoſcere. Violentia verò nulla inferri poteſt ei, qui omnia poteſt, & cui ſponte aut invitè ſubjecta ſunt omnia. Nullus itaque raptor, aut quomodolibet violentus ereptor poterit ſibi à manibus ovem prædeſtinatam auferre. Et ſi hoc minus à Deo Chriſto datum per exceſſum judicaretur, etiam majus accepit omnino inauferibile ab eo. *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt, & nemo poteſt rapere quicquam de manu patris mei, Ego & pater unum ſumus.* Majus protinus eſt filium ſubſtantialiter & æternè unum eſſe cum patre, quàm accepiſſe ab eo ſuper ſuas oves æternè ſervandas hujuscemodi poteſtatem. Abominati ſunt verbum animi Judæorum & aſpernati dicentem, & pertinaces in ſæva perfidia furibundi ad mala ſolita ſe dederunt. *Suſtulerunt lapides Judæi, ut lapidarent eum.* Non autem intulerunt frænati ab eo, qui ſic mori non venerat, quos Chriſtus retundit commemoratione bonorum. *Reſpondit eis Jeſus: Multa bona opera oſtendi vobis ex patre meo, propter quod opus me lapidatis?* Si me unum cum patre meo faſſus ſum, ut quid ægrè fertis, ex quo vobis, & in vobis multa bona & talia, quæ nemo potuit, feci, & oſtendi? Forſan vobis juſta cauſa me inſequendi non deeſſet, ſi ex me locutum aut operatum aliquid ſupra naturam & uſque in arrogantia faſſus eſſem. Ut quid præſto tam veſtræ ſunt manus ad lapides colligendos, jaciendosque? *Reſponderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia. Et quia tu homo cùm ſis, facis teipſum Deum.* Non poſſunt inficiari

ſiciari Judæi Chriſtum bona in eis peregiſſe, cùm dicunt, de bono opere non lapidamus te, igitur bona & digna laude operatus erat, ſed ad inſequendum eum, zelo legis ſe obnuunt, facientes ei de blaſphemia impoſturam, cùm ex decreto legis, blaſphemus deberet ſubjacere lapidibus. Imponebant autem ei, quod ſe faciebat Deum, & adverſus ſeipſos impoſtura ipſa erat, quoniam nunquam quis ita deſipuit, ut ſe Deum faceret, cùm omnis natio Deum credat æternum, non aliquo modo factum. Nec quis tam ſuperbivit, ut ſe aſſereret Deum, quanquam Lucifer & priores homines in ejus ſimilitudine
Iſaiæ 14. præſumpſiſſent. Et propheta regem Tyri arguens de ſuperbia, nunquid aliter niſi per ſimilitudinem ad divina ſuſpiravit? Et ſi quid typicè in eo de cadente angelo
Geneſ. 3. dictum eſt, nunquid de primo Lucifero fertur ſic ſuperbire, ero ſimilis altiſſimo? Et de protoplaſtis, eritis ſicut Eloi, hoc eſt, eritis non ſicut Deus, ſed ſicut dii, id eſt, ſicut angeli aut magni adminiſtratores & cognitores univerſi. De cadente angelo in rege Tyri ſignato æquè idem: Dediſti cor tuum quaſi cor Dei. Et ad-
Ezech. 28. huc: Tu ſignaculum ſimilitudinis ejus plenus ſapientia, &c. quæ ſequuntur ad hoc ſunt. Ita ergo obliquabat mentem, errareque faciebat in verbis, ut dicerent CHRISTUM ſe facere præſumptione Deum. Atqui ſi ſe dicebat operibus fatens, conſtansque id eſſe, quod erat, debuerunt ad liquidum inveſtigare ſermonem, & ſi erat inconvincibilis, dare credulitatem,
Pſalm. 81. non inferre perſecutionem. *Sed reſpondit eis Jeſus: Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi, dii eſtis?* Nomine legis omnis ſcriptura veteris teſtamenti tam hiſtorica, quàm proverbialis, quàm prophetica intelligitur, cujus Chriſtus utitur argumento, ut validet, quod dixerat, ſe unum eſſe cum patre, & refutat perfidiam Judæorum. Ideo: quia ſic ſcriptum eſt in lege, includit eos infra terminos rationis, adjiciens: *Sed illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi ſcriptura, quem pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemat, quia dixit filius DEI ſum.* Perſpicuum eſt ſanè credentibus, quod ſacra ſcriptura ſolvi non poteſt mendacio, aut falſitate argui, ſed quod in ea eſt omnino verum eſt. Inde dii appellati ſunt ſunt homines, ad quos ſermo Dei revelatus eſt ſcilicet qui illum ſervaverunt & ſervantes prophetaverunt & caverunt, ne fieret averſio, & eſſet juſta converſio. Et dii ſunt gratia, non natura. Et dii ſunt, non quia ſcriptura dixit, ſed quia ſunt, ideo dixit, & ſi non eſſent, ſcriptura non dixiſſet, quia veriſſima eſt. Cui igitur illum, quem pater ſanctificavit per omnia in utero, & extra uterum, qui mendacium loqui neſcit, mentiri non poteſt, ita ſanctificatus, quod nec velle poteſt, nec valeret etiam in modico maculare ſeipſum, vos dicitis, quia blaſphemat, de me quidem, inquio, quia dixi, filius Dei ſum? Præter hoc, quod d ſceptatur, magna ſpes eſt porrecta mortalibus, quod dii eſſe poſſint immortales, immaculati in æternitate glorioſa fieri, ſi Dei velint cognitum ſermonem, non natura, qua ſolus unus eſt Deus, ſed adoptione ipſius, facientes enixè voluntatem ejus. Concordat autem operibus dictum: *Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non creditis, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis, quia in me eſt pater, & ego in patre.* Per argumenta invincibilia Jeſus ſe Dei filium aſſerit, cùm ſe nil aliud, quàm opera paterna feciſſe fatetur, quibus & ſi non perſunæ talia ſunt, quod eſſet indubitata præſtanda credulitas. Et in hac diſceptatione hoc duntaxat exigebat Jeſus, ut unum eſſe ſubſtantialiter cum patre crederetur, tamen alius in perſona. Sed redditur nequam retributio verbis ſanctis. *Quærebant ergo eum apprehendere, & exivit de manibus eorum.* Sæpe hoc tentatum eſt. Sed fruſtra, niſi cùm voluit. *Et abiit iterum trans Jordanem in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum, & manſit illic.* Elapſus de Judæorum manibus ſignatum reperit locum, ubi prius baptizaverat Joannes, qui jam præmortuus erat, ubi & manſit ad redivivam faciendam memoriam eorum, quæ de ipſo, teſtificatus fuerat Joannes. *Unde & multi veniebant ad eum, & dicebant, quia Joannes quidem ſignum fecit nullum. Omnia autem quæcunque dixit Joannes de hoc, vera erant. & multi crediderunt in eum.* Oppidani loci illius erant memores lati teſtimonii à Joanne, quamobrem veniebant ad eum, adinvicem conferentes cum CHRISTO dicentes: Quis eſſet major an Chriſtus an Joannes? Ad hujus majoritatem illiusque minoritatem hoc argumento erat, quòd JESUS multa ſigna, Joannes verò nullum ſignum fecerat, ſed quia omnia, quæ de CHRISTO fuerant teſtificata, veritate infallibili complebantur. Hujus rei cauſa multi crediderunt in eum. Contemplamini JEſum ſic agentem, qui dum in una parte animas perdit, lucra-

tur in alia. Ecce Judæi perſequuntur, Jordanes credunt, Illi fugiunt à fide, iſti veniunt. Illos ſigna confunduut, iſti ſigna venerantur.

Cap. XLV.

De conſilio pontificum ſuper mortem Jeſu, & mandato firmato captionis ejus, ſecundùm Joannem, Marcum & Matthæum.

MOrtales in anima jam mortui, in corpore morituri, mente depravati, conſilium ineunt, unde inferant mortem, non unde poſſent acipere vitam, pro qua ſemper eſſet in prudentia conſultandum. Magna quidem averſio à lumine veritatis, quòd mortui, qui poſſent redire in vitam, conferunt de morte inferenda ei, qui vita eſt, qui mortuum quatriduanum revocavit ex mortuis, & ob idipſum venantur ad necem, quia mortis imperium deſtruebat. Et quod eis, cæteriſque Judæis debuit eſſe cauſa fidei, occaſio perfidiæ fuit. Semper enim divino, juſtoque Dei judicio agitur, ut perverſis recta vertantur in ma-
Joan. 11. lum. Nam *collegerunt pontifices & phariſæi conſilium, & dicebant: Quid facimus,*
Matth. 26. *quia hic homo multa ſigna facit? Et tunc congregati ſunt principes ſacerdotum & ſeniores populi in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas & conſilium fecerunt, ut Ieſum dolo tenerent, & occiderent.* Unde conſilia mala? Malus metus, malaque ſpes conſtituunt conſilia mala. Metuit quis avarus perdere theſaurum, metuit direptionem eorum, quæ tenebat, fecit conſilium malum, ut daret ſibi ſuſpecto ante mortem, quàm pateretur direptionem. Metuit ambitioſus, gloriæ avidus, conſtitutus in authoritate, ne à potentiore ſuperaretur, ne redigeretur ad ima, inivit conſilium dandi mortem in eum, quem ſuſpicatus eſt, poſſe fieri ſuperiorem. Metuit elatus, non poſſe in pace regnare, cum pax civitatis tyrannum abhorreat, fecit conſilium malum, ut depelleretur, ſi eſſet à civibus, aut ne poſſet eſſe in moribus. Metuunt ſibi omnes ſibi malè placentes, & dum timent perdere placitum, ex malo conſilio procurant etiam innocentibus & pacificis, & nec malè conſciis inferre jacturam, & lædere non lædentes, & ſæpe quietos tractant ut hoſtes. Necnon & ſpe mala propoſita illa conſequi volunt, quæ non congruunt ordini vivendi rectè. Verùm, quia aliter, quàm damno alicujus ſive multorum non proveniunt, recurritur ad conſilia mala, ut curæ non ſit, quid inferatur mali, quidve triſte interveniat, potius ſic agatur, ut eveniat, quod ſperatur. Qui ſunt facientes ex malo metu, malaque ſpe, conſilio mala? Quis edicit? Quis buccina provocavit? Ubi congregantur conſultores malorum? Quis primo dictat nefas ſuper quo eſt conſulendum, ut fiat? Cui aſſenſus datur? Quod conſilium magis placet conventui malignantium? Edicit iniquus authoritatem habens. Iniquitas enim ſine authoritate non imperat. Et ſi jubet, ejus fruſtratur imperium. Convocatur ſtultus miniſter, qui lætatur in malis actibus ſuis parere majoribus. Congregantur in domo impietatis præſumptuoſius, & arrogans anticipat primum verbum, omnes in eo conſentiunt, qui celeriorem viam advenire novit ad patrationem ſceleris. Id conſilium magis placet, quod atrocius eſt. Inito conſilio furenter furioſi proponunt. Quid faciamus, quia hic homo multa ſigna facit? Neſciunt quid faciunt, idcirco quid facimus, inquiunt. Si ſciviſſent, nec locum habebat hujus ſermonis exordium. Sed quod adjiciunt, ſcilicet, quia multa ſigna facit, reſponſionis verbum, & accuſationis habet ad eos, quoniam multitudo ſignorum arguit credulitatem. Multis quidem & irrefragabilibus ſignis debetur credulitas. Incredulitas verò accuſationem habet. Signa ſi qua ſunt invitatoria ad ſignata, certam virtutem habent. Ad ſignatum eſt ſipnum, non ad ſignum ſignatum ordinatum eſt. Si ſigna faciebat multa, credendum ei erat, quia multipliciter invitabat eos. Et ipſi Judæi ab origine ſignis
aſſoliti erant. Et ab ipſo ſæpe expetive- Matth. 12.
runt, dicentes: Volumus à te ſignum videre. Nuncque perfidi ſigna magna fatentur, & non credunt. Accuſatio eorum eſt inexcuſabilis iſta confeſſio, quia multa ſigna facit. Cui adjicitur certa damnatio, eo quod veriti perdere placita, adverſus innocentem pro lædendo conſilium incunt. Et ajunt: *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum. Et venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem.* In authoritate atque libertate intrepidè Chriſtus operebatur miracula, dabatque

de ve-

de veritate doctrinam, Judæorum confundebat mores, arguebat errores, audiebatur à turbis, earum habebat ſequelam, in reverentia pluribus erat, commovebat animos multorum virtute ſignorum, quæ inficiari aut inſimulari vera eſſe non poterant. Sed perſidi Judæi non advertentes furendo dicebant: Si dimittimus eum ſic agere, & prædicare & omnem proceſſum ejus in hujuſcemodi libertate, cùm jam multi credunt, tandem omnes credent in eum, timentes ſibimetipſis, ut fierent de omnibus credituris. Sed quam bonus eventus eis, ſi fuiſſent, quod futurum in aliis formidabant. Eſt quidem hic ſupplemento differendum ad trahendum in liquidum cauſam, quoniam à ſæculo conſilium per homines tanti myſterii factum non fuit, in quo ab æmulis veritatis, & à neſciis perſidis neſcienter per mortem de vita omnium agebatur. Et perverſi velut in tenebris ignorantiæ perſiſtentes, complere tractabant divinum ab æterno conſilium, & Dei placitum, uti erat, quod ſuus æternus filius in carne aſſumpta pro toto humano genere moreretur. Et mira erat altitudo divini conſilii ſuper ſalutem generis humani, quòd in anima mortui, de proximo in corpore morituri, æternas ſubituri pœnas, ignari myſterii de vita ex morte conſultabant, iniqui de magna virtute, injuſti de ſumma juſtitia, captivi de redemptione, venditi de pretio, infirmi de conferenda ſanitate, nihil boni præter commodum temporale pro ſeipſis intendentes. Invidi tractabant de magno beneficio, atque officio charitatis, & cæci de lucis myſterio, terreni de cœlo, homines de Deo, filii diaboli, de filio Dei. Et hæc & ſimilia ignota, ignotè ab illis fiebant. Proinde veniamus in imaginationem, quæ hinc pro parte Judæorum pro temporalibus intendentium, quæ pro communi utilitate mortalium erant huic optimo conſilio. Equidem pro Judæis duntaxat temporalia conſpicientibus, & à divinis bonis avertentibus intellectum, erant varii oratores, quorum poterat quis in conſilio hujuſcemodi ſic orare. Hominem nobis infeſtum extorrem fieri à patria, ut pax ſit his, qui illam affectu patrio colunt, cenſeo dignum. Alius: Si adverſus hunc abs re odio exardeſcimus, cùm tamen eum inſequendi juſta cauſa prærogata non fuerit, nulla excuſatio criminis remanet. Alius: Quo jure deſævitur in homine ſerviente? Alius: Deperit omne honeſtum, ſi ſancitur in pœna pro cultore honeſtatis. Alius: Neſcio ad quid ſunt edita jura, ſi non ſervantur in cauſa. Ventiletur ergo cauſa hominis criminati, antequam judicium pœnale procedat. Alius: Divinæ legis non eſt ſine propria culpa judicare hominem in perſona. Quid fecit homo iſte? Alius: Ad quid lex, ſi ejus non cuſtoditur honeſtas? Alius: Divinum eſt, necnon & humanum quempiam præſervare, ſi eum legis prævaricatio non accuſat. Alius: Crimen & delictum, quibus impetere ſatagimus hominem, aut fecit, aut nos fecimus impoſturam, ſi fecit, ſecundùm legem non procedere turpe ſit, ſi fecimus impoſturam, verſa vice multandi ſumus. Alius: Cur ſævimus in juſtum, noſtras injuſtitias arguentem? Et ſi deforis audaciam fingimus intus conſcientia nos accuſat. Alius: Quàm turpe cenſendum, quod conſtitutus in cauſa quæratur ad judicium, ſi primo non ſolicitatur examine. Alius: O quam turpius ſi quiſpiam invenitur innocentiæ tutor, atque defenſor, etiam ſi ſuſpectus eſſet in cauſa, tentandum eſſet pro ejus tuitione, ne jam publico judicio deperiret. Alius: Lex non agit, niſi adverſus propter quos poſita eſt. Si prævaricator eſt legis, convincat eum malitia ſua, non impetuoſitas noſtra. Alius: Etiam ſi juſtus eſſet, plectendus eſt pœna, cùm ipſius verbis & moribus Reſpublica commovetur. Alius: Non eſt neceſſaria illa virtus, per quam ſæpe tumultibus inhorreſcit. Alius: Homo factionis periculo patriæ, ſit igitur abolendus. Alius: Is, qui ſibi vendicavit plebejorum fidem, facile poteſt ad id, quod voluerit, corda ipſorum inflectere, quorum eſt perniciosa ſeditio. Alius: Et ſi juſtus aut injuſtus, omnino à politicis moribus diſſimilitudinem habet, nulla ratione tolerandus eſt amplius. Alius: Et ſi juſtus, aut illum avellamus ad nos, aut nos ſibi honeſtè ſociemus. Alius: O quam indecorum requirere ad ſciſſuram, quem perſequimur, nec minus fœdum, ſi ſibi ſocietate copulemur, quoniam aut eum juſtum, aut nos fatebimur peccatores. Alius: Et ſi nulla ex utraque parte aſciſſitio facienda eſt, quid cunctamur in eum aut exilio, aut morte decernere? Alius: Exilio tradere mitius, & honeſtius eſt. Alius: Captus mittatur ad Cæſarem. Alius: Sub interminatione cujuſpiam ſupplicii pellatur à finibus noſtris. Alius: Alligetur compedibus in ſilentio. Alius: Fiat fœdus, ut non averſetur, etiam ſi placita noſtra non quærat. Et his ſimilia, quæ potuerunt in tanto conſilio perorando edici. Sed atrocius conſilium protulit. *Unus autem ex ipſis Caiphas nomine, cùm eſſet pontifex anni illius,*

illius, dixit eis : Vos neſcitis quidquam, neque cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Atrociter iſte hominem innocentem determinavit ad mortem, cauſa necis non quæſita, nec dearticulata examinationis officio. Sed hæc dicta ſunt ſolo intuitu populi Judæorum. Pro utilitate verò communi, neſcio tamen à prophetante dabatur de hujuſcemodi morte conſilium, ſicut evangeliſta interpretatur verbum. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet pontifex anni illius prophetavit.* Anceps verbum. A ſemetipſo dixit, & non dixit à ſemetipſo. A ſemetipſo dixit voluntate perverſa, & odioſa ſeu invidioſa. Non dixit à ſemetipſo, futurum myſterium non advertens, neque ſciens quantum boni ex illa morte humano generi accreſceret. Ac per hoc, cùm eſſet pontifex anni illius prophetavit, ut advertatur in hoc myſterio, quòd prophetia dignitati, non perſonæ : ſtatui, non homini ſit tributa. Quid prophetavit ? *Quia Jeſus moriturus erat pro gente*, ſcilicet Judæorum. Et non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum. Illos videlicet Dei filios, qui prædeſtinati ab æterno futuri erant oves unius ovilis ſub uno paſtore tranſituque in gratiam Chriſtianam. Perſpicuum eſt quale myſterium ab illis inſciè tractabatur, ſcienter tamen prout futura temporaliter damna cavebant. Et ſi me non fallit, quid mali cogitat invidia, fortaſſis illa non erat cauſa in animo pontificis præcavendi futuris periculis, ſed ſuppoſuit, ut mors ejus ex cauſa ſuppoſita licentior, atque juſtior omnibus videretur, & magis animarentur ad illius necem, quo per eum periclitabunda patria ſervaretur. Invidus enim, ut exoſo poſſit inferre jacturam, non propria, ſed communia damna devitanda proponit, pro Republica, pro tuenda patria orationem in concione, aut in multorum concilio facit, ſemper intendens in oppreſſionem, privatæ perſonæ, ſub pallio publicæ utilitatis. Doloſa lingua, & aſtutum conſilium, proponere bonum publicum, ut privatum eliminet. Difficulter vitari poteſt periculum in ſuſpecto de læſione boni communis, bonum publicum, ſi præfertur, aut malum patriæ, ſi timetur. Hinc quidem ea imagine à Caipha factum eſt, quem magis invidia incitabat ad malum inferendum exoſo, quàm amor patriæ ad præſervationem ejus. Qui omnibus oratoribus auditis velut animoſior in nece juſti, & aſtutior in verbo mortifero, arguens de ignorsntia oratores, aït : Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis. Non placent mihi, nec expediunt patriæ, Judæorumque populo veſtra conſilia, impertinentes ſunt orationes veſtræ, neſcitis ergo quid opus ſit, neque cogitare noſtis pericula poſſibilia evenire, ſi homo iſte amplius vivit, ſi morte nnn deletur, ut plebs jam ejus ſignis ac doctrinis commota quieſcat. Ego autem utilius cogitavi, ut iſte ſolus moriatur, ne noſtra gens aut patria noſtra depereat. Jam adimplebatur propheticum dictum : In eo, dum Pſalm. 30,
convenirent ſimul accipere animam meam conſiliati ſunt. Ex perſona Chriſti hæc prædicta erant. Ego vidi quod utile eſt noſtræ genti. Expedit ut unus moriatur homo pro pupulo. Solers verbum, ſed non à ſolerti homine dictum, quod unus pro populo moriatur. Nec dixit, occidatur, ſicut non alterius authoritate, ſed ſua voluntate moreretur, & pro populo, ut ipſe pro populi utilitate vellet ſubire mortem. Et ſufficientiam Chriſti etiam nolens dixit, quòd unus, & quòd mortuus omnibus valeret ad vitam quid igitur vivus, ſi mortùus omnium vitam ſolvat, ſi ſub tremendo mortis imperio à morte populum liberat ? Quid regnans erit facturus, ſi talia facit morti ſubjectus ? Spiritus quidem ſanctus per os hujus atrocis locutus eſt, univerſalem utilitatem futu- Num. 22,
ram ex morte Chriſti prænuncians. Sed nec mirum, etiam per os aſinæ protulit veritatem. Addebatur autem & modus & tempus, ſicut etiam cautela, ne tumultuario impetu populi captus fieret libertati. *Dicebant autem : Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo.* Jam de morte conſilio Caiphæ firmatum erat, & ut ei immutabiliter irrogaretur, ſtudebant ex adjectis conſiliis populi vitare tumultum, apud quem Jeſus, ut propheta magnus & miraculorum inauditorum patratur eximius in fama erat. Quamobrem verebantur, ne extorqueretur de manibus capientium. *Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum.* Verba ſunt evangeliſtæ declarantis firmatum conſilium ſuper interficiendo Chriſtum, ab eo die, quo congregatio pernicioſa facta fuit in atrio principis ſacerdotis. *Jeſus ergo jam non in palàm ambulabat apud Judæos, ſed abiit in regionem juxta deſertum in civitatem, quæ dicitur Effrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis.* Declinabat adhuc Jeſus mortem ad tempus, de proximo illam voluntariè ſubiturus. Et formam edidit, quid agendum in perſecutione conſtitutis, petere remota loca orationi-

tionibus & contemplationibus apta, & fructibus bonis intendere, ad fructumque convertere omnem perfidiam, omnem perſecutionem hominum malignantium. Ob hoc petit Effrem, quæ fructificatio interpretatur, ibi moram trahit cum diſcipulis ſuis, ut eos ſemotos à turbis attentius erudiat, & ipſi quietius capiant. Mortalium conſilium in morte terminatum erat. Addebatur edictum ad executionem ejus, ut inevitabiliter caperetur. *Proximum erat paſcha Judæorum, & aſcenderunt multi Jeroſolymam ante paſcha, ut ſanctificarent ſeipſos. Quærebant ergo Jeſum, & colloquebantur ad invicem in templo ſtantes: Quid putatis, quia non venit ad diem feſtum? Dederunt autem pontifices & phariſæi mandatum, ut ſi quis cognoverit, ubi ſit, indicet, ut apprehendant eum.* Religione utebantur aliqui Judæorum in tempore, quo paſcha celebrandum erat, & memores ex ſcriptura & continua non interpolata narratione patrum ad filios illius primæ ordinationis in Ægypto, & divinæ virtutis oſtenſæ illo in tempore ſatagebant mundè, atque honeſtè illud paſcha manducare. Proinde cùm jam proximum eſſet, multi de illa regione juxta deſertum Effrem aſcenderunt Jeruſalem, ad mundandum & purgandum ſeipſos ab immundiciis, quas contra prohibitum legis contraxerant, ſicut in libro Leviticorum traditum erat, & etiam ab uxoribus propriis abſtinebant, æque aut pluris exiſtimantes agnum immaculatum lege poſita manducare, quàm Leviticos panes, quibus niſi ſacerdotibus & Levitis & mundis à mulierum contactu edere non licebat, ſeu per orationem faciendam in templo, ut Salomon in prima templi conditione orando ſtatuerat, aut per oblationem & benedictionem ſacerdotum, & orationem ipſorum, ſicut erat ſolitum, pro populo exorare. Ad Chriſtianorum negligentiam hic mos meritò poteſt objici, cùm ſe per abſtinentiam ab uxoribus aut à concubinis, & per pœnitentiam cæterorum criminum virtute ſacramentorum ſeipſos purgare atque lavare non curant, ut accipiant ſanctum paſcha dominicum corpus Chriſti. *Iſaiæ 52.* Quod ſi ſic juſſum eſt, ſanctificamini, qui fertis vaſa domini, multò magis ſe ſanctificent, qui volunt accipere corpus Chriſti. Sed hi, qui aſcenderant, & cæteri Judæi quærentes Jeſum ſtantes in templo ad invicem loquebantur, hæſitantes utrum Chriſtus aſcenſurus eſſet ad feſtum timore perterritus, ex eo, quòd notum erat de captione ejus, & indicatione jam pontifices firmum dediſſe mandatum, quod certum erat non latuiſſe Jeſum. Erat ita hæſitatio habens utramque partem, eorum qui pio, eorumque qui impio affectu de ipſo quæritabant.

Cap. XLVI.

Quòd cogitaverint principes ſacerdotum etiam Lazarum interficere, ſecundùm Joannem ſolùm.

Depravati præteritarum iniquitatum demerito, non ſiſtunt fluidam in pejora propriam voluntatem, non corrigunt aut reprehendunt vetera malè acta, ſed adjiciunt paccata peccatis, & ſtudent ſeriò, ut omnem iniquitatem perficiant. Nec eſt eis ſatis ad crimen injuſtè juſtum damnaſſe, & mortis officio ex conſilio tradidiſſe, niſi & juſtum amicum & amicitiæ aliis cauſam aboleant. Sic quidem agebat ſæva perfidia Judæorum. *Joan. 12.* *Nam cogitaverunt principes ſacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jeſum.* Cogitant iterum morti tradere quem ſemel depaſta diu tenere non potuit, cum vita imperioſior adveniſſet, die quarta deſtructa certum imperium ejus, ſola voce jubens eum egredi ab ergaſtulo illius. Cæca mens & cogitatio ſterilis, uti non poſſet iterum revocare ad vitam, qui ſemel revocavit, quotiens mors poſſet illum involvere. Sed invidia jam ſibi aſciſcit odioſam iram judicium rationis obnubilat, pervertit mentem, nihil ſanum cogitare ſinit, cui ſæpe audacia mala ſpem ad poſſibilia repromittit, ut ſaltem tentet, etiamſi perficere nequit. Gratis odio Chriſtum habebant, gratis & Lazarum morti adjudicare diſponunt, & cum non habeant cauſam, inveniunt eam, quæ ipſos potius debuit adducere ad id, quo alios adductos dolebant, nitebanturque ſummopere interponere obicem, ne plures irent, eumque interficere, qui cauſa fidei erat, ſignumque oſtendens, quo irent omnes amatores vitæ annuentes mortem, quoniam ipſe Chriſtus utriuſque tenebat imperium, in cujus experientia jam ipſe Lazarus factus erat, ſola

voce

voce revocatus à morte. Quid hoc bonum Lazari, quid hæc Judæorum iniquitas innuat, advertendum eſt. Eſt qui fuit experimento malus, & Dei miſericordiam conſecutus eſt, cui non eſt retributum malum pro malo, ſed pro malo bonum accepit, & ſicut expertus ſe malum, ſic Deum bonum in ſe propitium ſentit, & mortuus in peccatis vitam accepit in gratia, ſpem nactus quod & in gloria. Hic ſana mente conſpectus, in contemplatione hominum peccatorum factus animos movet eum audire, à quo ipſe tam alta dona ſuſcepit, iter parat ad fidem, aſtruit ſpem, ne quis peccatorum quorumcunque pondere preſſus deſperatione frangatur, in ſeipſo docens quid benignitatis habeat divina clementia, & quo noſtra iniquitas poſſit abſtergi, & quid poſſit accipere noſtra indigentia famebunda. Magnus hujuſcemodi cyrix eſt, qui experimento ſuaſionem facit. Adverſus quem è regione bellum parat iniquitas uſque ad mortem inſectans eum, per quem ſumpta eſt fidei ſpeique occaſio, ut converſio mortalium pro vita fiat ad Chriſtum. Sed tot delictorum atque criminum reus eſt, qui obicem facit, ne veniatur ad Chriſtum, & ſibi ex ſua lege ſerviatur, quot poſſit prohibitus bona facere, ſeu mala committere. Propriè dæmonum eſt reis aſciſcitorum omnem interponere ſepem, & firmare choas, ne veniatur in fidem, ne quis ſe DEI conſtringat ad legem. At ubi amplius nequit iſta perverſitas, morte decertat in eum, cujus vita exemplo atque doctrina pervenitur ad Chriſtum, ſicut hi de Lazaro cogitaverunt.

Cap. XLVII.

De gentilibus quærentibus videre Jeſum, quorum cauſa diſceptatio utilis eſt exorta, ſecundùm Joannem ſolùm.

FAmoſum templum primo à Salomone conſtructum, deinde poſt deſtructionem reparatum, non ſolùm populo circumciſionis, ſed etiam populo incircumciſæ carnis domus orationis erat, & interdum multi gentilium ob hanc cauſam veniebant, ut orarent, in ſpe facti, ut exaudirentur. Sic (3. Reg. 8.) enim Salomon oraverat completo templo ante altare expanſis manibus, ut etiam alienigena ibi orans exaudiri mereretur. Quod fortè uſque ad illa tempora à principio inoleſcens ſervatum extiterat. Sic (Ibidem.) enim ſcriptum eſt : Inſuper & alienigena, qui non eſt de populo tuo Iſrael, cúm venerit de terra longinqua propter nomen tuum, audietur enim nomen tuum magnum & manus tua fortis & brachium extentum ubique, cùm venerit ergo, & oraverit in loco iſto, & tu exaudies in cœlo in firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus te invocaverit alienigena, ut diſcant univerſi populi terrarum nomen tuum timere, ſicut pòpulus tuus Iſrael, & probent, quia nomen tuum invocatum eſt ſuper domum hanc, quam ædificavi. Quo forſan permoti etiam alienigenæ advenerant. (Joan. 12.) *Erant autem quidam gentiles ex his qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto. Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat à Betſaida Galilææ, & rogabant eum dicentes : Domine volumus Jeſum videre.* Gentiles ſic vocati ſunt à genitura, qui ſic vivunt ſicut geniti ſunt, nullius legis ſcriptæ vinculis alligati, divinæ dixerim tantum, non illius quam aliquando homines ad convivendum humanè condunt, quibus & ſubjiciuntur. Quorum aliquibus altior & ſanior aderat intellectus, ex vicinitate confinium. Sæpe quidem in confinibus verior eſt notitia morum atque idiomatum & linguarum utrarumque, quàm partium remotarum. Id ergo dixerim quod hi gentiles quaſi confines gentis Hebraicæ mores Judæorum & templi famam certius ſciebant, aut proſelyti jam aut de proximo futuri erant, quam ob cauſam advenerunt ad templum, ubi exiſtentes cum cæteris famam Salvatoris domini audierunt, quam fortè alias perceperant, ſed jam maximè, quia tanto apparatu & laude utriusque ſexus atque ætatis adveniens Jeruſalem ingreſſus eſt templum ubi gentiles, qui ad adorandum venerant, ſatagunt videre Jeſum, non viſu corporis tantùm, quo omnes intuebantur in eum, ſed viſu mentis. Sed verebantur ſine nterceſſione accedere ad Jeſum adeunt primo Philippum forſan alicujus familiaritatis aut notitiæ cauſa, quam alios orantes ad eum viſione propinquiori, & affabili colloquio interpoſito cupientes fieri domeſticos ejus. *Philippus* verò, melius ratus alium conſulere ſeu habere interceſſione

terceſſione iſta collegam: *dixit Andreæ: Andreas ruſum & Philippus dixerunt Jeſu.* Forma eſt prærogata quemlibet ſuperiorem adire opportunè non congnitum, ſeu nondum in amicitia factum. Incognitus ad incognitum, inferior ad inferiorem, volens amicus fieri ad nondum amicum, neceſſitate ingeſta inueniat mediatorem utriusque extrema ſapientem, qui conciliare ſciat inter adverſas aut nondum cognitas partes, quoniam amicus ad amicum caduceatore non indiget, per ſemet ipſum adit, non eſſet amicicia, ſi mediatorem inquireret. Hinc & viatores incerti de amicitia dei, adhibent patronos, quos credunt in patria regnare cum Chriſto, aut in via credunt deo eſſe gratiores, ut preces ponant ad deum contra ea, quæ vitando traduntur, ſeu pro his ſine quibus ſalus æterna non traditur. *Jeſus autem reſpondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur filius hominis.* Non recipit eos Jeſus, nec ſe communicat eis, ne videretur iam mutare quod dixerat, in viam gentium ne abieritis, ut pararet ſcandalum Judæis, quos primo quærebat ad fidem. Sed reſpondet de præſenti, quod de proximo futurum erat. Venit hora, ſcilicet paſſionis & mortis, & glorificabitur filius hominis, quia verus homo eſt in toleratione paſſionis, & clarificabitur, quia & dei filius eſt in poteſtate reſurrectionis, & aſcenſionis in cœlum. Neque innoteſcet ex pleno, ipſum eſſe, quod eſt, & ut dux fiat, ad ſequelam omnium ſaluandorum & caput eccleſiæ colligendæ de Judæis, & de populis gentium, & lapis reprobatus in unius ædificatione parietis, quomodo, quo jure in capite duorum parietum ſit futurus, niſi præcedat ignominia paſſionis & modus & effectus ejus. Proinde dicet: *Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terra, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* De ſe ipſo Jeſus dans reſponſum petentibus quo tempore gentium eſſet futura conuerſio, per ſimilitudinem grani ſati, mortificati ferentis ad poſtremum fructum loquebatur, qua inſpecta Importuna eſt expoſitio, ſicque factum fide tenet eccleſia. Sed ne gratis uſquequaque dari videatur cognito, & viſio Chriſti, ad id, quod Chriſtus egit, alios inuitat participes fieri paſſionis, ſi participium glorificationis inquirunt. Hinc dicit: *Qui amat aiam ſuam, perdet eam. Et qui odit aiam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Sicut ſtatutum eſt homini ſemel mori, ſic à Chriſto decretum eſt, ut vita temporalis delitioſa proglorioſa poſtponatur. Quod & Chriſtus pro nobis fecit, cui ſi miniſtrare decreuimus, juxta edictum ſuum miniſtremus. Sic enim exigit: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur.* Vt non aliter ejus miniſter velit iſtam tranſigere vitam quàm ipſe tranſegit. Adijcitur autem ad miniſterium præmium, ne labore fruſtrari videatur. *Et ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Quid dignius erit in munere, corona quæ celſior, quæ ſublimior palma dari poteſt miniſtris regalibus, quàm ut rex, ita ipſi dignitate reſplendeant? Et ſi diſpari comparatione perſonarum, non tamen ſituatione locorum. Ne autem hæſitaretur de hujuſcemodi retributione in homine Chriſto pollicente, ſummouetur per id, quod pater retributurus per impoſitionem honoris inducitur. *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum pater meus, qui eſt in cœlis.* Miniſtrans filio, miniſtrat & patri, uni ſine altero miniſtrari non poteſt. Igitur non ſit contemptui filius degens in terris in polliciationibus ſuis, æternum patrem habet in cœlis, qui miniſtris filii honorem in ſuperis eſt paratus impendere. Miniſterium quidem Chriſto exhibendum eſt prout eſt poſſibile totum fieri ad ſequelam, cujus pars perfectior eſt per dilectionem, & crucem, quam illam eſſe negari non poteſt, quam vita Chriſti atque doctrina in terris oſtenſa conſtruxit, velut per eam, ut per altam climationem terrenis atque mortalibus eſſet aſcenſus in cœlum. Hæc quidem reſponſio eſt porrecta de morte & de ſequela Chriſti volentibus ipſum videre, ut non delitioſa ſit viſio, ſed per crucem & ſequelam exhibitam, & animam mundo mortuam.

Proinde traiiciatur in mores.

Hebræ. 9.

Cap. XLVIII.

De paſſione turbationis, quam Chriſtus aſſumpſit, & clarificatione ſibi à patre promiſſa, ſecundùm Joannem ſolùm.

IN admiratione ſuſpenditur annimus ſicut pro gentilibus eſt reſponſum, & poſt prænuntiatam mortem, poſt conſilium moriendi, poſt inuitationem ad ſequelam, poſt promiſſionem præmij Chriſtus ſe turbatum in anima poteſtatur, dicens: *Nunc anima mea turbata eſt.* Unde turbatur anima deitati unita, crimine carens, quod eſt cauſa triſtitiæ, quæ impeccabilis etiam erat? Quis turbauit eam ex omni parte quietam? Vnde ſibi paſſio turbationis acceſſit? Quem ſequimur? Turbatum. Quis retribuet miniſtris? Turbatus. Eſt ne filius dei iſte, cujus anima turbata eſt? Aſſumpta eſt illa paſſio, non aliunde ſibi aduenire potuiſſet. Vt quid aſſumpta, ſi de ipſo ſcriptum eſt, paratus ſum & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua? Igitur quamobrem aſſumpta turbatio, ſi moriendi mandatum habet à parte? Timet ſibi? Cauetne ſibi? Quid claritatis aut quietis turbatus eructat? Quærunt te videre gentiles, omnes in admiratione tui ſunt. Velut triumphator ex hoſte ingreſſus es Jeroſolymam, tota civitas in aduentu tuo commota eſt, extollunt te laudibus pueri Hebræorum, docens in templo, dominatuè impertinentia eiecisti, & nunc coram omni plebe proclamas, nunc ais, anima mea turbata eſt. Quid erat in carne, videbatur carneis oculis, prodit quid intus erat, animam veram habens ſubijcibilem paſſioni & doloribus aſſumptis, non illatis, & hoc agebat, ne homo ſine deo, nec deus ſine homine crederetur. Et honorat in omnibus patrem, quem ſolum ut homo in auxilium ſuum vocat, inquiens: *Et quid dicam? Pater ſaluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum.* Coram gentilibus ipſum videre poſcentibus & omni plebe Judæorum ſe deum & hominem faſſus ſe dei filium nunc fatetur, cùm ejus filiali voce in tribulatione poſitus invocat auxilium, quamvis ad formam hominis, & non dei huiuſcemodi poſtulatio ſit ferenda, formam aſtruens quid in tribulatione poſitis ſit agendum, id innuens, quod recurratur ad patrem miſericordiarum & luminum, ut ſive ad horam in tribulatione relinquat ſive poſitum extemplo eripiat, quod omnem noſtram utriuſque partis actionem terminet in ſalutem. Inſtet mens, & rimetur pium aptumquè loquendi modum. In tribulatione poſitus Chriſtus, non ab alio, ſed à ſeipſo petit in agendis conſilium, non ſe diuertit in ſocios humanos, per prudentiam non ſcrutatur, à ſeipſo exegit opportunitatem, dicens: Poſtquam anima mea turbata eſt aut paſſionis horrore, mortis timore perculſa, hora venit, ſeu congreſſus. Gentiles iam incipiunt ad fidem admitti, Judæi perſequuntur, decernendum deſuper in iſto congreſſu, non per angelum ſeu per hominem eſt, ſed per patrem meum & omnium verum deum. Eſt quidem tale dei refugium, ut cunctorum irrequiſito conſilio ad illud à diverſis agitatus poſſit recurrere, non mora temporis, non loci conditio, non conſultatio amicorum auferre aut conferre quid poteſt, nec ulli auxiliares magis ſunt præſto, quàm cùm dei exiſtentis ubique adiutorium quæritur. Hinc Jeſus in ſeipſo deliberans id auxilium petit, quod nequit impediri, quod ubique expeditum eſt, ſi dignum judicat, illico adeſſe poteſt. Et quid dicam? Nil aliud quidem, quam ecce oro patrem: ut me ſaluum faciat ex hac hora, in qua cum hoſte inviſibili, & cum viſibilibus me oportet facere congreſſum. Et propterea veni non à me miſſus, ſed à te miſſus, in hanc certaminis horam, ſpem indubitatam nactus, ut ſuper me filium tuum clarificetur nomen paternum tuum, ſcilicet virtus tua, ſi extendes illam ſuper me, corpusquè fidelium, quod tu coaptaſti mihi. Nec mora juſti petiti dilata interpretatio eſt, ſed continuo eſt pollicitatio ſubſecuta. *Venit ergo vox de cœlo, dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Perſpicuum eſt patrem voce paterna de cœlo delapſa in baptiſmo & in monte transfiguratum, & per inaudita miracula clarificaſſe filium. Nunc rogatus iterum ſpondet, quoniam eum ſuſcitabit à mortuis, aſſumens in cœlum, ſtatuens à dextris. Nec non quod futurum erat in orbe terrarum per apoſtolos & diſcipulos innumeros atque fideles in prædicatione & morte & ſanguine, pollicitatio iſta complectitur. Sed diſceptabatur quid eſſet iſta dearticulata vox duntaxat audita, ſed non conſpectus emiſſor. Nam *turba ergo quæ ſtabat, & audiebat dicebat tonitruum factum eſſe. Alii dicebant; Angelus ei locutus eſt.*

Joan. 12.

Pro uniuscujusque capacitate interpretatio ferebatur, Sed qui rei veritatem novit, edixit: *Reſpondit Jeſus & dixit: Non propter me venit hæc vox, ſed propter vos.* Crebrò dictum eſt atque dicendum Jeſum non indigere aliquid de novo à Patre accipere, qui ab æterno cuncta, quæ habet acceperat, ſed propter oſtenſionem ad incredulos, ut crederent, opportebat multa in ſenſu agi & dici quibus indiciis declararetur Jeſus eſſe Filius dei, qui conſpectus homo tantùm apparebat ex carne, cognitus verò ex ſtemmate carnalis traducis, plusquàm homo in æſtimatione non erat. Et ut gentiles ipſum videre quærentes, & Judæi perſequentes eum ultra homines imo Dei Filium credant, vox Patris ad eum de Cœlo dimittitur, cujus ipſe poſcebat auxilium. Et ut credatur de Cœlo cœleſtis, qui in aſſumpta carne degit in terris, & augeatur deſiderium gentilium, & cunfundatur perfidia perſequentium Judæorum, vox eſt emiſſa de cœlo.

Cap. XLIX

De judicio mundi per crucem, & diſceptatione crucis exorta, ſecundùm Joannem.

MVlta judicia ultimum mundi judicium præceſſere, juſta & injuſta, divina & humana, ſed inſignius judicium crucis, quo mundi princeps, improbus prædo malæ fidei poſſeſſor, importunus ſubjectis tyrannus, dirus ſubjectorum oppreſſor, privandus erat poſſeſſione, à mundo eiiciendus. De quo Salvator ait: *Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi eiicietur foras.* Quærebant gentiles vide-

Joan. 12. re Jeſum: Judæi verò interficere, utrique à diabolo poſſidebantur: illi per idololatriam, iſti per prævaricationem legis. Hæc quidem poſſeſſio juſta quodam modo erat, cùm per liberam voluntatem eſſet idololatria, & legis contemptus in Judæis etiam ſpontaneus eſſet. Præceſſerat quidem in favorem principis mundi, ad juſtam poſſeſſionem culpæ originalis occaſio, quæ penitus tardè ſentientibus videtur injuſta, quod quis ſine propria culpa in ſeipſo non voluntariè patratorum criminum multationem accipiat. Sed oſtenditur magnitudine pœnæ criminum magnitudo. Etenim ſolùm ex illa primaria originalique culpa omnis homo moritur, ut nec qui nunquam deliquit voluntariè, ſit exemtus. Futurum erat pro hujuscemodi cauſa judicium, ſi jam amplius malefidus, & deceptor eſſet in poſſeſſione quieta manſurus, qui agebat pro ſeipſo cauſam ſuam nemine obſiſtente. Nec erat captivo ſpes à ſeipſo, aut à conſorte aliquo, cùm ſimilis non eſſet, nec ab excellentiori natura incorporei creati Spiritus de redemptione auxilium, ſpe fruſtrata, virtute depreſſa, bello deceptionis captus, à captore tenebatur incluſus, ſicque conſtrictus, ut metus omnino ſpem ſuperaret. Sed advenit, qui poterat, ſubvenit, qui prævalebat, interceſſit, æs redemptionis adduxit, qui non redimendi obſequio ſperato, ſed ſola charitate volebat, & ſuam fecit alienam cauſam. Quærebat non per violentiam, ſed per juſtam ſententiam, à poſſeſſione detenta excludere poſſeſſorem, idcirco ſub juſto tribunali volebat ſtare, pro ſe aut contra ſe ſubire judicium. Sategit factis, & dictis aſſumpta cauſa captivi pervenire in horam, qua judicium ferretur, ut judex, modus, locus, teſtes invicem convenirent. Aderat tempus, judex præſto, ſemper locus & modus erat, & parati teſtes cœlici & terreni. Per hoc ſic loquitur Chriſtus: *Nunc autem judicium eſt mundi, nunc princeps mundi hujus eijcietur foras.* Ad tempus Galat. 4.
teſtificatur Apoſtolus: At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus. Judex æquus Deus deſuper ſpectans, de quo ſcriptum eſt: Dominus judex eſt, & non eſt apud illum gloria perſonæ. Eccleſ. 33.
Et juſtus es Domine & rectum judicium Pſalm 118.
tuum, ut nec principem mundi velit injuſtè judicare à mundo eiiciendum, neque ſuſceptorem cauſæ humani generis ſuperiorem facere ſupra dignum. Locus Jeruſalem erat congruens ex interpretatione myſterii, quoniam agebatur poſt devictum hoſtem de pace hominis & Dei, Et lex Dei erat ibi, ſi non cuſtodita moribus, tamen in ſcripturis, contra quam judicatus ſibi acceſſit Summa ratio ſuper eiiciendum principem, quem ab initio habuit hoſtem, ibique erant quos mundi prin-

princeps ſuis placitis aptitaverat. Non ſic aptus paradiſus inobedientiæ locus, etenim præterquam à duobus non incolitur, non Roma, ubi erat culmen imperii. Fortè quidem non ſic ſibi juſta cauſa fuiſſet, ſi ab extraneis per generationem & legem & ritum mortis ſententiam accepiſſet. Et quanquam à gentili Romano ſententiam mortis acceperit ſuaſione hominum, ex quibus ſecundùm carnem originem traxerat, non eſt adverſùs hoſtem ſua defalcata juſtitia, aliàs autem niſus fuit liberare eum. Et fortaſſis quòd viſis tot ſignis à gentilibus non fuiſſet morte damnatus, quem poſt mortem prædicantibus Apoſtolis, ut Deum & Dominum accederunt. Modus erat per crucem. Teſtes verò Angeli cœleſtes & infernales, necnon linguarum omnium aderant in tam famoſa civitate. Sed omnibus prætermiſſis tempus tangit & modum, qui ſic ab ipſo depromptus eſt. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Crucem intendebat & ſupplicium ejus in exaltatione iſta JESUS, modum videlicet quo mundi princeps ex eo pelleretur, nam ligno devicit, ligno devictus eſt, & dum deſæuiſſet in hominem innocentem, quem ab omni macula liberum reperit, à juſta poſſeſſione atque Domino juſtiſſimè per deſiderium plenonoxium eſt dejectus. Hujus quicongreſſus atque conflictus modum, in
Col. 1. poſterum Paulus aperuit: Conuivificavit nos cum illo donans omnia delicta, delens, quod adverſùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & illud tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo. Novus quidem triumphus de principe, de quo occumbens triumphavit, affixa cruci manu ſpolia diu detenta detraxit, moriens occidit mortem, mortuus mortuos revocavit ad vitam, ligatus in cruce ferro, compedes ferreos confregit, captivus longè captvatos eduxit de carcere. Poſt triumphandi modum edixit, quid futurum, ſcilicet omnia trahere ad ſeipſum. Quis hujuſcemodi tractus, niſi ad fidem, & admirationem, ad ſpem in ipſo, & per ipſum, & cum ipſo in æternum glorificationis humanæ, ad dilectionem ejus cognoſcendam in nobis, & ad rependendam ſibi ex nobis, ad ſequelam illius tollendamque crucem abdicationis voluntariæ ab omni viſibili mundo, & profectus agendæ vidæ? Traxit ad ſeipſum omnia exaltatus Chriſtus in cruce ſecreta, & inviſibili virtute, prout magnes ferrum quodam inſenſibili motu ad ſe movere facit frigidos & duros ex peccato, & in peccato qui nondum tracti erant, trahendi tamen ad dulcedinem effuſi ſanguinis in pretio humanæ redemptionis, ſicut aves cadavera, & rivulus longè diffuſus traxit ad fontem. Omnes ſua virtute traxit, non tamen omnes acceſſerunt, ſed de omnibus nationibus volentes credere ſalvos fecit. Et ad contemplationem hujus ſpectaculi cœleſtia, infernalia, terreſtria tracta ſunt. Nuucquè modum eſſe judicandi & pellendi principem mundi, evangeliſta exponit. *Hoc autem dicebat, ſignificans qua morte eſſet moriturus.* Quia exaltatus in cruce in aere animam tradidit, ſeu emiſit Spiritum ex corpore, velut inter cœleſtia & terreſtria mediator, aer quidem de intermediis eſt. Non fuit ignara turba dicti, ſed cognovit illam exaltationem eſſe per crucem, nam forte, quia jam inuſitanter innotuerat quod capius conſilio Judæorem ſic tradendus eſſet in mortem. Nam *reſpondit ei turba: Nos audivimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum. Et quomodo tu dicis, oportet exaltari Filium hominis? Quis eſt iſte Filius hominis?* Mirabantur turbæ, ſuſpenſa mente cogitantes verba Salvatoris, quem ſæpe audierant ſe aſſerentem eſſe Meſſiam promiſſum in lege, quem etiam ex lege ſciebant æternè manſurum, nunc in cruce moriturum fatentem, in argumenio ſibi ſunt, retundunt verba ejus, quid ſit dictum quærunt, ac ſi ad eum talis eſſet ordo verborum. Ex lege accepimus promiſſum nobis Meſſiam in æternum manere, tu teipſum facis, & contra legem, ſi es, te pronuntias in cruce moriturum. Oportet exaltari Filium hominis. Et tu es Filius hominis. Quis eſt ergo iſte Filius hominis exaltandus, ſi tu es Meſſias non moriturus? Aut interrogativè ad verum, aut deſpectivè ad opprobrium verba iſta turba proferebat, redarguit JESUS modicitatem intellectus ipſorum. *Dixit ergo JESUS: Adhuc modicum lumen in vobis eſt. Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis ſitis.* Habebant aliquid luminis, quia Meſſiam ſciebant manere in æternum, & eſſe in lege promiſſum, ſed inde per modicum, quo ipſum eſſe non credebant, & æſtimabant per mortem corporis temporalem adimi, quòd non poſſet in æternum manere. Proinde ſe lucem aſſerit, & invitat ad credulitatem, ut has

mentis

mentis tenebras ignorantiamqué depellat. *Hæc locutus eſt eſt JESUS & abiit & abſcondit ſe ab eis.* Abſcondit ſe ab oculis corporis, ab ipſorum jam mente celatus. Sæpe actu exteriori declaratum eſt, quod bonum aut malum interius latet.

Cap. L.

De diſceptatione ſuper poteſtate JESU, in qua tanta faciebat, ſecundum Matthæum, Marcum & Lucam.

IMperioſa Chriſti authoritas, cùm ab impertinentibus templum mundaſſet & prohibuiſſet, ne vas alterius uſus quam templi per templum deferretur, apertè doceret, feciſſerquè miracula, Judæorum animos in admiratione ſuſpendit, & odio invidiaquè percuſſit, & confecit timore, ne authoritate ſua in ampliora ipſorum damna procederet. Hujus rei cura maximè illos angebat, qui gerebant in populo principatum, neve amplius paterentur hominem progredi, libertatem ejus explorare nituntur, non ab aliis, quàm ab ipſo, nec credituri accepto reſponſo, ſed paraturi calumniam. Sicque actum eſt: *Et cùm ambularet in*
Matth. 21. *templo, convenerunt ſeniores ſacerdotum, &*
Marci. 33 *ſcribæ cum ſenioribus, & acceſſerunt ad eum,*
Lucæ. 20. *& dicunt illi: In qua poteſtate hæc facis?*
Pſalm. 63. *Quis dedit tibi hanc poteſtatem, ut ita facias?* Fit conventus malignantium, adverſus JESUM, ſed protectum, ſicut de ipſo ſcriptum eſt: Protexiſti me à conventu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem. Et interrogant eum, unde ſibi authoritas talia faciendi, quis dedit, ac à quo accepit, æmuloſè atque importunè ſciſcitantur. Nam ſæpe ab ipſo relatione, dictu, audituque perceperant, omnia ſuſcepiſſe à Patre, in cujus poteſtate ſibi ab eo data loquebatur ſermones, & cuncta digna, & opportuna operabatur. Etenim præter opportunitatem ab opere atque ſermone quieſcebat. Proinde omnino erat ipſorum interrogatio importuna pro rei veritate ſcienda, prius quidem, quam interrogarent, per eum reſponſum erat. Erat tamen opportuna calumniæ, quam præcogitaverunt, ut ſi ſe præter poteſtatem ordinariam ſeu delegatam hæc egiſſe fateretur, primo ridiculo, deinde ſupplicio dignus eſſet. Si autem ab aliquo non habente largiendi poteſtatem, illam accepiſſet, jure fuiſſet in utroque decernendum. Si verò à DEO, etiam non videbatur juſtè iſtorum manus effugere, cùm illico negaviſſent talem dari hujuſcemodi homini poteſtatem, cujus per omnia tam originis quàm nutrituræ cognitionem habere fatebantur. *JESUS autem reſpondens ait illis: Interrogabo vos & ego unum verbum, & reſpondete mihi. Et ſi dixeritis mihi, dicam vobis in qua poteſtate hæc facio. Baptiſmus Joannis de Cœlo erat, an ex hominibus? Reſpondete mihi.* Suſpendit reſponſum JESUS dare inquiſitionibus importunis, & potius æmuloſis, & quærentes eum interrogationibus involvere, his involvit, ut primo ipſi reſpondeant ad utiliora quæſita, illorum non ſuæ utilitati conſulens, ratus eos, ſi non tergiverſantur, Joannis teſtimonio ad fidem adducere, qui de ipſo prædixerat veritatem à ſacerdotibus & levitis requiſitus ad fluenta Jurdanis, qui tam opinatiſſimus apud populum fuerat vita, doctrina, ut crederetur in lege eſſe permiſſus Meſſias. Veruntamen illi cognoſcentes CHRISTI virtutem, in quam ſummam rei tendebat, velut aſtuti, pertinaces imprudenter prudentes & inutiliter ſapientes, ſilentio prætereunt, unde concludi utiliter potuerunt. *At illi cogitabant ſecum dicentes: Si dixerimus de Cœlo, dicet: Quare ergo non credidiſtis illi? Si dixerimus ex hominibus, plebs univerſa lapidabit nos. Certi ſunt enim Joannem prophetam eſſe. Et reſponderunt ſe neſcire, unde eſſet. Et JESUS ait illis: Neque ego dico vobis, in qua poteſtate hæc facio.* Et ſic volentes deludere, ſic ſunt deluſi. Perverſa quidem voluntas, cúm à veritate convincitur, aut in caveam negationis, aut arcem rebellionis aſcendit. Noluerunt hi veritatem faſſi à CHRISTO concludi, ut venirent in fidem, potius ignorantiam ſunt profeſſi, non ex humilitate, ſed ex odio: potius paſſi erubeſcentiam coram populo, quàm laudem reſpondendo veritatem. Multi quidem ſic obſtinati in propoſito malo exiſtunt, ut potius velint ab extra dedecus pati, quàm ab æmula eis veritate convinci. Et cúm iſti non negant Joannis virtutem, non DEUM verentur, ſed plebem. Abſtinent multi à malo, non DEI amore ſeu metu, ſed timore plebeio Ac per hoc quicunque venerunt in hanc miſeriam, ſeu animi

pravitatem, ut aſpectum hominum atque judicium, & quod ab eis adverſum poſſet infligi, magis quàm DEUM verentur, immunes à crimine non ſunt. Et quot pavent moleſti magis, quàm honeſti partem, atroci ſe judicio ſubſcripſerunt. Nec non ubſcunque triſtitia prævalet honeſtati, illiusque dolor alterius delectationi præponitur, intentio & actio aut in delicto, aut in crimine ſunt.

Cap. LI.

De diſceptatione ſuper tributo reddendo Cæſari, an non, ſecundum Matthæum, Marcum & Lucam.

QUos diabulus inficit, ſibi comparat, ut etiam vellet depravare, ſi poſſet: ſicut ipſe ſuo demerito depravatus eſt, ad omnia mala patranda ſolers, impudens in illis nil veretur aggredi, dum videtur opprimi, tunc reſurgit, non quieſcit, niſi ſupplantet. Id idem agunt, quos ſibi ſimiles fecit. Nam phariſæi & ſcribæ à ſalvatore ſæpe convicti, nec Chriſtum poterant adhuc capere delicto facti, aut errore verbi, & repulſam paſſi ex ſimplici parabola & doctrina, cùm amplius convincuntur, plus ſæviunt, & cùm deficiunt, redivivas faciunt quæſtiones.
Matth. 22. Nam cùm in templo cum CHRISTO
Marci. 12. diſceptantes in parabolis retuſi eſſent,
Luc. 20. *tunc abeuntes phariſæi conſilium inierunt, & obſervantes miſerunt inſidiatores quosdam ex phariſæis diſcipulos ſuos cum Herodianis qui ſe juſtos ſimularent, ut caperent eum in ſermone, & traderent principatui ac poteſtati præſidis.* Ad peragendum mala pervigiles una via præcluſa, ne perficiant malum quod animo conceperunt, aliam inquirunt, nunquamque reſiliunt, donec conceptus in partum deveniat, quoniam, qui concipit dolorem, parit iniquitatem. Hinc phariſæi non valentes JESUM à mundo proſcribere, adeunt illos, qui non ſunt de populo DEI, ut in ſimul ponant inſidias animæ innocenti, excitant ad malum inadvertentes, & in illam aſtutiam, qua carebant, immittunt, Cæſareum honorem ante protelando ponentes, ut eſſent avidiores ad crimen, id intendentes, quod ſi decreuiſſet pro Cæſare, ad iniuriam legis aſcriberent, & omnis populi Judæorum, & eis non verecundia, ſed nec imputanda iniquitas, etiamſi adjutorio conductorum ſociorum illico caperetur. Si verò contra Cæſarem protuliſſet coſilium, ab Herodianis (quorum maximè tunc erat in illa regione jura Cæſaris curare atque defendere) extemplo captus præſentaretur judicandus præſidis poteſtati. Itaque peragunt, quod nequitur aſſumptum erat. *Et interrogaverunt illum, dicendes: Magiſter, ſcimus quia verax es, & rectè dicis, & viam DEI in veritate doces, non enim accipis perſonam hominum, & non eſt tibi cura de aliquo, neque enim vides in faciem hominum. Dic ergo nobis; quid tibi videtur? Licet cenſum dare Cæſari, an non?* Rati ſunt illum decipere aut inflectere falſa laude atque ſuavitate verborum, & intentione nequam, verbo compoſito, hypocritali geſtu quod eſt veriſſimum, protulerunt. Sed propemodum aut aliquando æquè vitium, verum, ut falſum dicere intentione fallendi, quoniam ibi veritas in ore, falſitas & dolus in corde. Ibi ſi falſitas in ore ſimiliter & fraus in corde, non tamen ore decipit, ſi cognitum falſum fecit. Et de Prover. 26.
primò dicitur: Simulator ore decipit ami- Matth. 23.
cum ſuum, cùm profert verum, ut inij Joan. 13.
ciat laqueum. Veriſſima, quæ de Chriſto præter intentum adulando fantur, hæc ſunt, quod ſit magiſter. Erat enim ſolus, ut alibi ſcriptum eſt: Vnus enim eſt magiſter veſter Chriſtus. Et alibi: vos vocatis me Magiſter, & domine, & bene dicitis: Sum etenim. Et quod verax erat. Joan. 14.
Reveranullus verior. Omnes autem, quot- Pſalm. 24.
quot ſunt, ſi qua veritate pollent, ab ipſo ac- Deut. 32.
ceperunt. Et ipſe dicit: Ego ſum veritas. Et rectus quidem. Pſalmiſta: Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Et alibi: Quoniam rectus eſt Dominus DEUS noſter, & non eſt iniquitas in eo. Viamque DEI liquidè atque infucatè docet, ut ipſe infucatus eſt, ſed nolunt illam ingredi, qui blandè in deceptionem nituntur, & loquendo laqueum parant. Commendant, quæ horrent, laudant quæ fugiunt, proferunt, quod non credunt. Et viam DEI in veritate doces. Quæ autem eſt via DEI, quam iſti laudibus efferunt, ſed non ambulant in illa? Via DEI eſt, quæ ducit ad DEUM, quamvis viis omnibus aliis dominetur, ſed nec intellectum alium verbum habet, cùm & ipſi Ju-

Judæi hoc potiſſimum noſſent, Dei legem non alia cauſa datam, niſi ut ſiſtatur cum eo, aut ſi abſceditur, revertatur ad eum. Doctrina quidem Chriſti tota in hoc erat, in hanc edere viam, qua veniretur ad Deum, & mundi abdicationem hujus viæ fecit exordium, medium odium ſui, finem verò conventum concentumque virtutum. Opere quidem ac verbo illam fabricabat JESUS, quam peragere pax inquit Baruch: Nam ſi in via Dei ambulaſſes, habitaſſes utique in pace ſuper terram. Et cùm univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas, ſemper Chriſtus his docendis effecit, ut miſericordes homines eſſent, & in varitate conſiſteret omnis intentio, vita, mos & actio. Fuerat quidem ante prædictum: Ego Dominus DEUS tuus, docens te utilia. Nil quidem niſi utile utiliter docuit. Sed in his reſtringendus eſt ſormo, experientia mente plus lucet, & claritas in propatulo eſt. Et ut perſtringam, omnis doctrina Chriſti non erat aliud, niſi rectiſſima via Dei. Laudatur etiam de vero, ſed à laudatore falſo, quod acceptor perſonarum non ſit, & verè ſic erat. Atteſtatur ſibi ſcriptura, non actionem ejus, ut ex ipſa ſit verior, ſed ad aſſertionem veritatis, & ad ſolidandum credentium fidem, & ad ſuadendum hominibus ex virtute ſolicitas actiones, ne quis credat ipſum eſſe acceptorem perſonarum, ſed duntaxat voluntatum. Inquit enim Apoſtolus: Non enim acceptio perſonarum apud Deum. Similiter nec munerum, quia non eſt ſibi cura de aliquo. Aſpiciebant eum ex omnibus eſſe mundi contemptorem, nec quicquam agere ſeu dicere quæſtus cauſa neque illum eſſe poterant deprehendere capeſſorem. Nec vultum alicujus hominis verebatur, ut metu non proferret ad inquiſita ſententiam. Et cùm iſta vera eſſent in capite Chriſto, neceſſitate agitur, ut in membra deſcendant, unguentum quidem Aaron deſcendit in barbam ejus. Hujuſcemodi enim vita moralis competit omni rectè agere cupienti. Cognovit tamen JESUS, quod ſimulata erat iſta laudatio, nequam, fucata colore, ad deceptionem tota compoſita. Proinde ante arguit vitium, quàm præſtet reſponſum, prius oſtendit ſe cognoſcere eorum aſtutiam, quàm ut proferat ſententiam de quæſito. *Qui cognita autem nequitia illorum & conſiderans dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis hypocritæ?* Nihil eum poterat latere mentium, ſed interiora hominum bona ſeu mala eadem notitia cognoſcebat, nec obuelatum quippiam erat. Qui cùm, eorum aſtutiam cognoſſet, & intellexiſſet hypocritale malum, & nequitiam dolumque ipſorum, ad erubeſcentiam cogit, prodens quod non pro veritate ſcienda, ſed pro inferenda calumnia illum interrogando tentabant. Nec ſolùm hypocriſis vitium in geſtu corporis ſiſtit, ſed in ſtropha ſermonis. Latent quidem multa deceptoria mala ſub laude ficta verborum. Hincque libro Proverbiorum dicitur: Labiis ſuis intelligitur inimicus, cùm in corde tractaverit dolos. Quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credas ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius. Et rurſus: Qui benedixerit proximo voce grandi de nocte conſurgens, maledicenti ſimilis eſt. Iſti ſimultatores verborum nequitiam habebant & dolum. Nequitia quidem eſt, cùm quis ex inſerta iniquitate mentis plus appetit mali agere, quàm poſſit efficere. Dolus verò in corde, exagitata propenſius fraus ipſa nocendi. Dolus in ore, fucatum verbum ad decipiendum emiſſum. Tentatio eſt ex homine experiri in aliquo velle, quantum quidve poſſit, aut ſapiat, aut velit, non animio aſſentiendi ſeu agendi, etiamſi fuerit agendum ſive ſciendum, aut diligendum, ſed intentione inſilendi ſive cavendi aut aliquid potiundi. Et comperta fraude loquendi ſe ad judicium parat, ad veritatem verò dicta ipſorum intentione nequam. Querit autem ſubjectam cauſam, ſuper quam judicium proferat. Inuanum eſt omne judicium ſine ſuppoſitione cauſarum. *Oſtendite mihi numiſma cenſus.* Quæſierant illi à Chriſto habere judicium inter ſic & non, neutra pars propoſitorem aut contradictorem habebat, ut unus affirmativam, alter negativam proſequeretur. Non erat diſceptatio inter homines ſibiinuicem diſceptantes, ſed tantùm ab illis inter licitum & non licitum judicium querebatur. Sed quoniam hæc circa cenſum erant, quærit JESUS cenſum inſpicere, ne ferat incautè judicium, ne unum pro alio dicat, ſed duntaxat ad propoſitam ſine altercationibus quæſtionem, ſuper quam melius aut juſtius non debeat decerni, quàm ex eo, quod in ſe gerebat ſculptura cenſualis. *At illi obtulerunt denarium.* Numiſma ab inſignito & inſcripto metallo, à tempore Numæ Pompilii ſecundi regis Romanorum, qui ad uſum populi metalla diverſi generis ad expendendum & per mutationem rerum faciendam fieri juſſit. Denarius à calculato valore. *Et ait illis JESUS: Quæ eſt, aut cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?* Præno-

Baruc. 3.
Pſalm. 24.
Iſaiæ 48.
Col. 3.
Prover. 26.
Prover. 27.

Prænoverat, quod interrogat, ſed ob id quærit, ut ex eorum reſponſo ipſos ſententiam proferendo confundat, & erubeſcentiam patiantur inviti, qui ſponte machinati ſunt malum, & in illam foveam incidant, quam alteri paraverunt. Sæpe quidem evenit, ut quis ſuſtineat, quod alii conatur inferre. *Qui dicunt ei Cæſaris.* Fatentur verum, ob quod judicantur. Erat enim nummus cenſualis ex metallo, auro, ſive argento, ſeu ex alio, imagine Tiberii Cæſaris inſignitus ſphæricæ formæ, circa imaginem & gyro ſuperſcriptione appoſita, nomen proprium Cæſaris continente, valoris decem minutorum. Cenſus hujuſcemodi invariabili decreto ſenatus juſſus erat per Cæſarem ſibi dari, ad ditandum ærarium Urbis, pro conſervatione reipublicæ, pro magnificentia Cæſaris, pro cuſtodienda patria, pro tenenda militari diſciplina, per quam ab exordio conditionis res Romana ſtetit, pro cultu deorum faniſque condendis, pro ſtabilitate atque inconcuſſo ſtatu juſtitiæ, ſine qua omnia præcipitio ſunt, cum qua omnia optimè gubernantur, cæteriſque rebus quibus ſtatus Urbis & orbis eſſet quietior. Sed urbis orbi prælatæ ſublimiori inſpecto numiſmate, reſponſo, ab ipſis tentatoribus audito, cujus eſſet, ſententiam in æquitate pronuntiat, judicium promulgat de duobus licitis, cùm niſi de uno interrogatus eſſet. Non licitum ſilet, ad affirmativam partem ſe contulit, negativum in iſta cauſa non erat. *Tunc ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt DEI DEO.* Amplius quam ad interrogata Chriſti reſponſio ſe extendit. Nihil in quæſtione de Deo propoſitum erat, & Dei votum poſt exactionem Cæſaris ſanxit, eo intuitu, quòd Judæi falſum rati, ſi Cæſari tributa perſolverent, Deo non poſſent ſuas exactiones perſolvere in decimas diffinitas in lege. Proinde ad utranque decernit patrem. Primò, ad illam Cæſaris, pro qua dolo interrogatus erat, Secundò ad illam Dei, cujus ipſe in homine aſſumpto curabat honorem, non ſuo commodo, ſeu utilitate reddentium. Ac perſpicuum eſt omnem principatum à Domino Deo eſſe, apud quem ſunt omnia jura regnorum, & ſuum placitum poſt corruptam naturam quod mundi curſus in hominibus perdominari & ſubiici dirigatur. Igitur ſi cupitur inter homines tuta vita, cùm inter improbos tuta eſſe non poſſit, ſi tutelam in uxore, ſi in natis, ſi in domiciliis, ſi in laribus, ſi in fundis, ſi in quibuſcunque amatè poſſeſſis, metuque perdendi quis optat habere, cùm & improbitas hominum graſſatorum per unum non poſſit arceri, opus habet Cæſaris principiſque juſtitiam arcentem & punientem pœnis & ſuppliciis debitis graſſatores & infeſtos his, qui pacificam volunt tranſigere vitam, qui nec volunt aliena arripere, ſuaque cupiunt intacta ſervare, injuriam & læſiones inferre non ſatagunt, ſatagentes hoc vellent metu juſtitiæ, terrore ſupplicii, prohibente Cæſare abſterreri. Quamobrem ſi tanta neceſſitas exigit Cæſaris poteſtatem, non tibi faſtidio ſit aut cauſatio adverſus eum, ſi te tuiſque ſervandis exigit cenſum. Ex his dictis Cæſarem intelligimus ſanctionem ſive juſtitiam ordinariam alicujus domini terræ ſeu terrarum, per quam malorum arcetur improbitas, & agitur quieta vita mortalium, ad quam exercendam multo cenſuario ære Cæſar penitus opus habet. Nemo igitur queruletur, ſi pro conſervatione juſtitiæ, quà ſtante omnia ſtant, & injuſtitia facta cunċta ordine turbato depereunt, ſi cenſus exigitur. Et patrona ſententia ſalvatoris ex authoritate, præter rationem, & uſum ſola ſufficit, ut præſtemus exactum cenſum, ut Cæſar poſſit tueri ab improbis mortalium corpora, cunctaque quibus hæc vita caduca peragitur. Equidem requirit ſolus in multos, ut exacto & in unum convento cenſu, ſtipe data, inſtructis hominum copiis, ſibique applicatis, in iniquitatem poſſit irrumpere, gubernareque in juſtitia cenſuatos. Hujuſcemodi verò ſententia ex dictis Apoſtoli amplius claret. Inquit enim: Non enim eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam princeps non eſt timori boni operis, ſed mali. Et poſt: Non enim ſine cauſa gladium portat, ſcilicet ad tuitionem pacificorum, & terrorem ſive ſupplicium malorum. Et poſt. Dei enim miniſter eſt, & vindex in iram ei, qui malum agit. Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote. Et poſt: Ideo enim tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſo ſervientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. Hæc porro Apoſtoli verba ex hoc ſunt, quod Dominus dixit: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, ut terrenum regnum congruens & expediens conditioni mortalium firmum maneat, exercerique poſſit exactione cenſuum. Nec ob hoc quiſquam cauſetur, ideo non poſſe reddere vota ſua, quia

Roma. 13.

quia cenſum dedit in fiſcum Cæſaris, quoniam DEUS talia exigit, quæ non poſſunt impedire cenſores: Propterea dictum eſt, & reddite quæ ſunt dei Deo. Vnusquisque apud ſe habet quod ex mandato ſancto ab ipſo faciendum accepit, aut quid ex ſervore magis placendi atque obſequendi propoſito voto ad mandatum obſervaturus appoſuit. Reddantur Cæſarea Cæſari, pro ducenda in pace iſta tranſitoria vita. Et divina Deo, pro illa, ad quam multis doloribus ſuſpiramus, plurimisque periculis militamus. Irrefragabilis quidem fuit iſta ſententia Salvatoris. Proinde & *non potuerunt reprehendere verbum ejus coram plebe*, & *mirati in reſponſo ejus tacuerunt*, & *relicto eo abierunt*. Ad verbum verum contradictivè reſponderi non poteſt, niſi verbum falſum. Sed arcet quandoque metus aſtantium, ne veritati falſitas opponatur, quamvis impudentia mentis multos exagitet in falſitatibus non pudore. Plerunque verò altitudo ſermonum ex interiori ſcientia creditur, quam, cùm plebs non intelligit, plus miratur. Hinc & mirati ſunt in reſponſis ejus, quia irreconvincibilia & irrefragabilia erant, & plena incontradicibili veritate. Proinde tacuerunt. Non parvæ virtutis eſt ſeu humanæ aſtutiæ, ibi tacere, ubi non gratus aut ad cauſam exactus eſt ſermo. Sermonum moderatio digna laude, dum quis non loquitur contra Deum. Et honore taciturnitatis venerari excellentiam veritatis in bonis, veræ humilitatis eſt ſpecimen, in malis verò aſtutia criminoſa. Hi quidem relinquunt eum, quem vera loquentem convincere nequeunt, nec ſuis repugnare ſermonibus. Hoc quidem apud omnes aut eſt exquiſitæ tergiverſationis, relinquere inconvincibilem vera loquentem, aut humilitatis diſcretè credere veritati, & ei, qui non poteſt in verborum judicio, aut in causa ſuperari. Veruntamen quandoque invidia, ira, nequitia, malitia, ut ſuperent, facto interdum verbo credunt, & ſæpe tacent, qui ſuperare deſperant, & ſi loquuntur, verentur, ne in ampliorem erubeſcentiam includantur. Exactio quidem Cæſaris cenſualis numiſmatis imagine inſigniti, ſuperſcriptione Cæſarei nominis exarati, aliquid pavendumque compoſitione demonſtrat, ut ſi jura ſua exigit poteſtas Cæſarea, quæ dependet, multò magis exigit authoritas abſoluta. Et ſi æquus judex Chriſtus, qui omne judicium habet deſanxit omnia juſtis exactoribus reddi, advertendum ſolerter, ne nil reddentes inveniamur, aut defalcatores cùm cenſores ſummi advenerint imperatoris viſibilis & inviſibilis orbis, miſeri atque beati, nam ad imaginem Dei factus eſt homo, ita ut ipſe ſit quædam imago Dei, non ex corruptibili & viſibili parte, ſed ex illa, quæ corruptionem non habet, & à carnali oculo ſemper inviſa manet. Oportebit intergiverſabiliter omnem animam in judicio exhiberi diſcutiendam, ſi immaculata ſervata eſt, ſi aliam impreſſionem accepit, ſi ubi, quando, qua cauſa, quo ſcalpro, à quo aliam malæ artis impreſſionem accepit, & ſi abolita eſt illa ſcriptura naturalis & orginalis juſtitiæ, quæ non atramento aut aliquo ſtylo, ſed divina virtute ſcripta fuit in cordibus humanis diſtinctis ab omnibus aliis cordibus per differentiam inſitæ rationis. Quod ſi deformata reperitur imago impreſſione contraria, ſi ſuperſcriptio juſtitiæ originalis legalisque atque potioris & verè ad ſalutem juſtificantis evangelicæ virtutis, verendum protinus, ne deformatum & inſuperſcriptum tranſeat in poſſeſſionem ſecundi authoris, primo conditore privato, non ſuo damno, ſed ejus, quæ ſecundas alterationes accepit.

Cap. LII.

Diſceptatio exorta de reſurrectione mortuorum ſuper muliere ſeptemvirorum, ſecundùm Marcum & Lucam.

IVxta id, quod homines plerique in animo ſentiunt, ſententias, & eorum conſilia quærunt, non ut velint credere veris, ſed ut proprios ſententiis aliorum poſſint validare conceptus, ſive boni ſive mali exiſtant. Quod ſi boni, ſpecimen eſt virtutis, ſuper re bona quærere ſive dare conſilium, ut animus ſolidetur in meliori, & hæſitans fundetur in bono. Si verò mali, neſcio quid amplioris perverſitatis eſſe poſſit in mentibus hominum hujuscemodi, quàm firmitatem & authoritatem ex aliorum ſententia ſive conſilio acquirere, ſeu pro vitio inquirere. Si verò ignorantia eſſet in cauſa, ſanitas propriè fit, ſi ut depellatur,

ideo quærit. Hinc ſanè in evangelio legimus Chriſto propoſitam fuiſſe quæſtionem de reſurrectione ab his, qui non credebant, ſed non, ut crederent, imo ut eorum potius errorem confirmarent.
Matth. 22. Matth. 12. Luc. 20. Deute. 25. Hinc ſcriptum eſt: *In illa die acceſſerunt ad eum Saducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem, & interrogaverunt eum, dicentes: Magiſter Moyſes dixit, & ſcripſit nobis, ſi frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, & hic ſine liberis fuerit, ut accipiat frater ejus uxorem, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. Erant autem apud nos ſeptem fratres. Et primus uxore ducta defunctus eſt, & non habens ſemen, reliquit uxorem ſuam fratri ſuo. Similiter ſecundus & tertius usque ad ſeptimum acceperunt eam, & non reliquerunt ſemen, & mortui ſunt. Noviſſimo autem omnium mortua eſt & mulier. In reſurrectione ergo cujus eorum erit uxor? Siquidem ſeptem habuerunt eam uxorem.* Negant reſurrectionem mortuorum mortui in peccatis. Et ut ſint liberiores ad crimen, negligentiores ad bonum, pœnas æternas futuras in corpore, & præmia meritorum non credunt, fide reſurrectionis abolita. Et velut ad ſe mendaces damno proprio increduli nituntur à Chriſto eorum perfidiæ habere decretum, & veritatem Moſaici præcepti dicentes, neſcio quam fabulam invenerunt de ſeptemvirorum muliere, quam JESUS veram vel falſam præterit, quæſtioni tamen, quam ex illa collegerant in veritate antidotum verbum reddit. *Reſpondens autem JESUS, ait illis: Erratis, neſcientes ſcripturas, neque veritatem DEI.* Inhæſitanter errat ſacras ſcripturas ignorans: directrices enim ſunt in luminoſiſſimam veritatem, quæ perducit ad DEUM. Itaque ignoratis ſcripturis etiam DEI veritas ignoratur, qua incognita non pervenitur ad DEUM, qui ſua virtute habet efficere reſurrectionem mortuorum, ſicut ipſe in ſcripturis ſacris multipliciter & myſticè pollicitus eſt. Fundabatur quidem Saducæorum ratio, ſi ſeptemvirorum uxor jure legali omnibus æquè fuit, in reſurrectione quidem cujus erit? Omnium ſimul una exiſtens eſſe non poterit, unius amplius quàm alerius eſſe non debebit, cùm in hac vita potioris juris uxorici uni quàm aleri nnn fuerit obligata. Vnde quamvis expreſſo verbo concluſionem non inferrent, animo tamen geſtabant, ergo non eſt reſurrectio mortuorum. Sed ſi eſt, cui ex ſeptem dabitur ſeptemvirorum uxor? Deteſtabile dictum cogitatu atque auditu, quod in alio ſæculo matrimonio ſtudeatur. Proinde *dicit JESUS: Filii hujus ſæculi nubunt & traduntur ad nuptias. Illi verò, qui digni habebuntur ſæculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque nubentur, neque ducent uxores, neque enim ultra mori poterunt. Æquales enim angelis DEI ſunt in Cœlo, & Filii ſunt DEI, cùm ſint Filii reſurrectionis.* Sæculum iſtud traduce carnis ex legitimo matrimonio copulatis, carne corrupta in hominibus multiplicari ordinavit omnipotens poſt peccatum primarium, quod fortè abſque corruptione non præcedente peccato traductio illa fuiſſet, ea honeſtate atque caſtitate carnis ſervata, quæ ab experientibus corruptelam non creditur, cùm non fuerit in aliquo præterquam in conceptu & partu DEI Filii facti hominis reſervata. Oportebit enim hoc ſæculum ab illo differre, in hoc maximè, quòd iſtud homines in illo glorificandos generaret. Iſtud in vinculo matrimonii, illud abſolutum ab omni lege carnali. Iſtud in corruptione, illud in incorruptibilitate. Non enim eſſet beatitudo corruptione conſocia. Germinat ſæculum iſtud ſuo ſenſibili & ordinato naturæ modo pro cœleſti patria, & futuros per gratiam cives glorificandos per DEUM incomprehenſibili & ineffabili modo. Aperit tamen, licet tenuiter ſalvator CHRISTVS illius futuri ſæculi honeſtatem, caſtitatem, intemerabilem integritatem, libertatem, beatitudinem, æternitatem, altiſſimam & ineffabilem dignitatem, tamen exculdit nuptias, & mortem, atque mortalitatem, cùm homines ſæculo illo dignos comparat beatiſſimis ſpiritibus, ſeparatis ſubſtantiis per converſionem ad DEUM in beatitudine, qui cuſtodita virtute reſurrectionis Filii eſſe meruerunt. Poſt differentiam utriusque ſæculi, reſurrectionem ex ſcripturis, quas Saducæi neſciebant, aſſerit eſſe futuram, inquiens: *Quia verò reſurgunt mortui, & Moyſes oſtendit ſecus rubum, ſicut dicit Dominum Deum Abraham, Deum Iſaac, & Deum Jacob. DEUS autem non* Exod. 3.
eſt mortuorum, ſed vivorum. Omnes enim vivunt ei. Vos autem multum erratis. Juducit famoſam veteris teſtamenti hiſtoriam ad reſurrectionis probationem, cùm DEUS in rubo apparuit Moyſi mittendo in Ægyptum, pro liberatione fratrum ſuorum, dicens ei: Ego ſum DEUS Abraham, DEUS Iſaac, & DEUS Jacob. Si DEUS eſt, quod negari non poteſt, in ſeipſo, & à ſeipſo æternè exiſtens, & ſeipſum aliquorum DEUM eſſe dicit, perſpicuum eſt, quòd non mortuorum, aut non exiſtentium, ſed vivorum ſe inſinuat eſſe DEUM, & cùm jam

præmor-

præmortuos in carne commemorat vivos in anima, reſurrecturos in carne ſua virtute pronuntiat. Et cum multa hic poſſent dici, ſatis eſt omnibus fidelibus iſta ſententia Salvatoris, quod vera reſurrectio ſit ex mortuis, quæ, cùm ratione non probetur, fide credatur. Nemini de illa dicenti certius, verius, ſecurius, quàm Chriſto DEI Filio datur fides. Qui verò poſt hanc miſeriam, vitam aliam non credendo deſperant, nil aliud diabolo ſuggerente intendunt, niſi ex iſta omne delectabile ſenſibus irretinatè capere, in gehenna æterna demum cum ipſis ſpiritibus malignis intrudendi. Omnia DEO vivunt, nihilque moritur ei, qui ex nihilo cuncta fecit. Propterea intulit. Vos multùm erratis, non intelligendo ſcripturæ veritatem, aut malè interpretando, quod legitis, & in divina virtute, quæ omnia bona poteſt, & vult, non creditis. Et reſurrectio mortuorum inter opera Dei bona & mira & expedientia naturæ mortali & rationali ad imaginem DEI factæ de eximiis eſt, ad oſtendendum mortis imperium poſſe à vita ſuperari, & ne mors ſerpentina fraude introducta, poſſet diu tenere deceptos. Sed illa duntaxat mors per reſurrectionem ſuperanda erat, quæ inflicta eſt in multatione culpæ originalis, quæ tantùm in ſeparatione animæ à corpore agitatur, non illa quidem, quæ voluntariè infligitur culpæ. Vnde reſurrectio mortuorum in corpore penitus erit in bonis & in malis, in electis & reprobis, à morte inflicta ex peccato humanæ radicis. Non tamen alia reſurrectio inviſibilis excluditur, quæ quandoque fit per Dei gratiam ex mortuis in peccatis, circa quam non verſabatur Saducæorum quæſitio. Et erat in ordine rerum decentium, ut tam nobilis connexio corporis & animæ per debacchatorem mortis abinuicem diſſoluta per reſurrectionem iterum reintegraretur, ut hominum bona natura creata perſiſteret, & experimento monſtraretur, quod, ut ipſam ex toto deleat, intantùm pœna deſævire non poteſt, non tamen fieret præterquam in reintegratione corporum reſurrectio ipſa communis, ſed aliis eſſet ſimul cum anima in æternum ſupplicium corporis, & aliquibus ad privationem gloriæ abſque pæna ſenſibili, electis verò ad æternam gloriam foret. Verba iſta erant delectantia ſenſum & affectum. qui ſemper fertur in bonum, & gradatim in optimum, attamen excedebant audientium intellectum, ut etiam in admirationem adducerent. *Et audientes turbæ mirabantur in doctrina ejus.* Mos eſt omnis concionis indoctæ, id quod non intelligit, in admirationem traiicere. Superna erat doctrina Chriſti, & inſolita hominum auribus, & obruebatur intellectus ſuperatus in magnitudine illius. Non tamen miratio hujuſcemodi ad finem, quo ducebatur, animos admonebat, ut propoſita crederent, & à doctrina falſa reſiſterent.

Cap. LIII.

Diſceptatio ad finem producta de comparatione mandatorum, ſecundum Matthæum & Marcum.

CUm eſſet JESUS in templo, palam faciens doctrinam eloquii ſui, paratus reddere fidei rationem omni poſcenti, & ſuppreſſis phariſæis in tribuuo Cæſaris, & Saducæis in veritate reſurrectionis, iterum phariſæi ad aliam quæſtionem inferendam, ut vincant, ſe parant, ſitque ipſorum conventus, inquiritur, & conquiritur, quid amplius ſibi poſſit opponi, de quo in inquirendo vincatur, cùm uſque in tunc omnes diſceptantes confutaſſet. Matth. 22. Marci. 12. Vnde *phariſæi autem videntes quod ſilentium impoſuiſſet Saducæis, convenerunt in unum. Et acceſſit ad eum unus ex eis legis doctor, qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam bene illis reſponderit, interrogavit tentans eum: Magiſter, quod eſt primum & magnum mandatum in lege?* Mos puerorum eſt, cùm deficiunt in lucta, reintegrare luctamen. Et ſuperborum conſuetudo atque iactantium, ut cùm uno arguuntur, ad aliud ſe transferant, ne victi videantur. Et credunt plerique copioſitate quæſtionum effici clariores, atque cùm variant, aut tergiverſantur, eſſe victores, Audiunt phariſæi jam ſilentium Saducæis impoſitum, ipſi verò quare loquuntur? malè rati, ne ceu illi convicti ſunt, poſſe convinci. Facit conventum iniquitas, ſed iniquorum, & ut vincant, in unum conveniunt, ut conſilio condicant qua parte ipſi adoriantur verbale certamen, ne ſicut ſupra victi ex reſponſione tributi reddendi, & ut

& ut Saducæi per eum ſilentio addicti, rerum convincantur. Et partem religioſiorem aſſumunt, dum tentant, erudiri quærunt de præcellentia mandatorum. Vni conferunt interrogandi authoritatem, ut ſi vicerit, ex certatore uno victoria omnibus ſit communis. Si autem ſuccubuerit, ſolus erubeſcentiam luat. Qui eum interrogans tentat, ut probet, ſi quousque feratur doctrina ejus, quid de DEI lege cognoſcat, ſi eum aliqua parte poſſit involvere aut deprehendere in ignorantia mandatorum. Vocat ex contemptu magiſtrum, in cujus gymnaſio, ut ab ipſo quippiam diſceret, nunquam fuit. Fallax verbum, ſed nec impunitum, eum vocare doctorem ſive magiſtrum, ſeu in aliquo ſuperiorem ſibi, & non exhibuiſſe aut exhibere vocationis officium, nec velle fieri ad id, quod exigitur in relatione morali, quoniam multi vocant Dominum, cui ſubdi nolunt, multi magiſtrum, cujus doctrinam deſpiciunt, doctorem, cui contradicunt. Multi vocant patrem, & filitationem veram non exhibent. Multi amicum, quem odiunt. Multi extollunt virtutem verbis, & eidem moribus adverſantur. Laudant virtuoſos, ſed diſſentiunt. Ad eximietatem virtutum verbis jam tranſiſſe videntur, protologicè de illis loquentes, conferentes & diffinientes, & argutè de ſcripturis ſacris ediſſerunt, & ſunt ab omnibus alieni, longè facti animo atque ſcientia, moribusque ab his, quæ ſcire fingunt, obſervarèque prætendunt, & dum videntur apicem attigiſſe, nondum adorti ſunt, prout iſte tentator, qui minorum mandatorum prævaricator exiſtens, noſſe de primoribus præſumebat. Nemo apicem altam ex multis gradibus conſtructam conſpiciens, ratione utens, ſupremum præſumat conſcendere gradum, niſi ad primum in imo poſitum pedem admoverit. Attamen JESUS non ſibi curæ faciens tentationem, quia forſan tota ex malo non erat, omnino inquiſitioni certum reſponſum dedit. *Ait illis JESUS: Quia*
Deute. 6. *primum omnium mandatum eſt: Audi Iſrael, Dominus DEUS tuus unus eſt. Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Majus horum mandatum non eſt.* Duo mandata, ſcilicet unius DEI credùlitatem & ipſius, omnem dilectionis ſubſtantiam in unum inculcat & ad differentiam deorum gentium non entium, ſed factorum dictum eſt, quod DEUS credendus, adorandus, colendus, totus, totè, & ex toto diligendus, unus eſt ab æterno exiſtens, omnipotens, ſimplex, & incompoſitus, & incomponibilis, invariabilis, immutabilis, nihil extra ſe deitatis habens, nihil intra ſe aliud, quàm deitatem continens. Sit ad ſpeculatum hominis ordo verborum. Audi Iſrael, videlicet cor totum apponendum ad fidem exigitur. Dominus omnem & omnium poteſtatem exiſtentem & exercitatam habens. DEUS æternus cunctorumque creator. Tuus, imo cunctorum, ſed Iſraelinci populi magis, quo ille populus illius maximè tenuit cultum & legem accepit. Ad dilectionem habendam omnino inferior ſubſtantia exigitur. Meritò quidem, ſi unus eſt Dominus, unusque DEUS duntaxat & nun alius, quod ſibi ſoli omnis dilectio impendatur, quia debita, ideo non & voluntaria. Sed quomodo unus, ſi unaquæque perſona colitur, & adoratur ut DEUS? Ita ſiquidem diſtincta tripliciter, ſed unica in ſubſtantia, nam unus eſt altiſſimus creator omnium. Et Malachias ait: Nunquid Pa- Mala. 2.
ter unus omnium noſtrum? Nunquid non DEUS unus creavit nos? Igitur quicquid poteſt eſſe dilectionis ex omnium hominum intimitate, dirigatur ad eum. Jure creationis, & eorum, quæ contulit, ſibi vendicavit omnem dilectionem, & eo merito, quia eſt, quod eſt, & qui eſt. Et ſi hoc maximum & primum mandatum eſt, tradi in neglectum absque maxima culpa ſupplicio magno digna non poteſt, quoniam quod maximè traditur obſervandum, prævaricator ejus maximè plectendus cenſetur. Igitur omnis ratione utens, totus in dilectione fiat, quia ſi dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. Cant. 8.
Quæ fortitudinem ad ſimilitudinem mortis habet in abdicatione rerum impertinentium ad ſalutem, & in aggreſſu virtutum. Nam fortis eſt ut mors dilectio. Ibidem.
Propterea dixit & fecit, qui cognovit: Di- Pſalm. 17.
ligam te Domine fortitudo mea, Dominus refugium meum & liberator meus. Et quæ ſequuntur cauſam dilectionis augmentant, quæ timore Dei initiatur. Et aptum quidem, quod timor DEI exordium eſt ad dilectionem Dei, ſiquidem ſcriptum eſt: Timor Dei initium dilectionis eſt. Ecci. 23.
eo videlicet, quo, qui timet pœnam, cavet offenſam. Cautor culpæ facilius in ſortem gratiæ cedit. Et qui metuit quempiam Dominum, ne diſpliceat, cavet, & cùm perſeveraverit, in amorem vertitur timor, ni fortè intelligere quis velit, quod timor

ad

ad ſe factam DEI dilectionem nanciſca-
tur. Sanius autem dixerim, quòd DEI
timor dilectioni habitaculum in anima
hominis facit, quo factor recedit, quia
conſummata charitas foras emittit timo-
rem. Adverſa, virtutibus, cùm advenerit,
eùm cœperit incaleſcere, depellendus
eſt primus congreſſus ejus. Habet hoc
in ſcriptura, magis verò in efficacia re-
ctè diligentium teſtimonium ſuum, uti
Pſalm. 96. ſcriptum eſt : Qui diligitis dominum,
odite malum. Sed qui non fecit è re-
gione agens, accepit, & audivit argutio-
Jerem. 2. nem. Quid niteris bonam oſtendere
viam tuam ad quærendam dilectionem,
quæ inſuper & malitias docuiſti vias tuas,
& in alis tuis inventus eſt ſanguis pau-
perum, & innocentum ? Necnon & fœ-
dere agendorum præcipitur, dirigitur,
atque cognoſcitur. Dilectores enim Dei
præterquam in ipſo gloriari deteſtantur.
Pſalm. 6. Et gloriabuntur in te omnes, qui dili-
gunt nomen tuum. Et in obſervatione
Joan. 14. impoſitorum. Si diligitis me, mandata
mea ſervate. Et iterum : Qui habet
mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui
Ibidem. me diligit. Et rurſum : Si quis diligit
Ibidem. me, ſermonem meum ſervabit. Et in
veteri lege : Elige ergo vitam, ut tu vi-
Deut. 30. vas, & ſemen tuum. Et diligas Domi-
num Deum tuum, atque obedias voci
Eccleſ. 2. ejus. Et iterum : Qui diliguut illum, ſer-
vant mandata ipſius. Et poſt : Qui di-
Ibidem. ligunt illum, replebuntur lege ejus. Hæc
Proverb. 8. quidem omnia teſtimonia id ſonant, ut
noſtra ſit activa dilectio mandatorum,
atque ſermonum ejus ſecundùm legem
ipſius. Præmium quidem ſperat dilectio
Dei, & ſi non aliud, ſufficit hoc ad ple-
num : Ego diligentes me diligo. Sed re-
cti diligunt te. Sed ad expertos indu-
bium eſt exquiſita totalitas, ut omnis in-
terior vis, atque ſubſtantia in Dei dile-
ctione ſit. Etenim multa diligenda pro-
ponuntur. Et ipſe proximus in præce-
pto dilectionis eſt. Ergo jam ad duo eſt
dilectio, quomodo uni adjucabitur tota?
Necnon & humanæ dilectiones ſunt, &
naturales, à quibus & in perfectiſſimis
ſanctis ferè potuit eſſe libertas, nec ſup-
poſitam habent vitioſam cauſam. Hoc
duntaxat poſſet eſſe in crimine, quia di-
lectio Dei non ſit per partes, & ſibi to-
ta non conceditur, cum quo illam ani-
mus diligens partitur. Et qui totum exi-
git, nihil reliquit alteri tribuendum. Ve-
runtamen id ſolùm reor, quòd Deus to-
tam exigens dilectionem patiatur in ipſa
conſortem, non frangens totalitatem, aut
aliquid ei demens, quòd ipſe ſuper omnia
ſummeque diligendus, omnis alterius di-
lectionis ſit exordium, cauſa, medium,
regulatio, & conſummatus ſeu ultimus
finis. Necnon & dilectionis objectum
tale ſit, quale deceat conſurtem habere
DEUM, idque diligatur, quod verè
credatur Deus diligere. Non enim de-
mitur de totalitate dilectionis ad eum,
ſi cum ipſo diligimus quodlibet ab ipſo
dilectum, ea tamen regulatione dilectio-
nis, quam ipſe decreverit, & eo fine ad
quem diligenda diſpoſuit. Verum, quia
etſi nil aliud præter Deum in vita dili-
gatur, non exhibetur totum exactum, &
cùm in patria ceſſante omni actione vir-
tutum, ipſa dilectio remanebit, & am-
plius, quàm tota eſſe non poterit, & quòd
major ſit futura, quam hic omnino neceſ-
ſe fiet. Plus enim amabitur Deus con-
ſpectus, quàm creditus. Si quis hoc in
dubium verterer, patriam viam fecit. Nec
in hoc vereor reginam virtutum, & o-
mnium hominum, matremque Domini
tangere, quòd nec Deum & Chriſtum fi-
lium ejus tantùm diligere potuit in via,
quantùm nunc diligit in patria. Et hic
ex toto, & ex omni ſe dilexit, & ibi to-
ta & ex toto amore illum in gloria videt,
conſpecta conſpectum diligit. Quid er-
go eſt iſta totalitas exquiſita in via, cùm
amplius quàm totalitas eſſe non poſſit in
patria. Ni fallor, dixerim : Altitudo vir-
tutum hominibus ad habendum appoſita
ſic exceſſit quemlibet cupidum fieri virtuo-
ſum, & ad illam ſatagentem, ut nemo
ipſam attigerit, aut ſuperaverit, ſeu æqua-
verit, ſemper ſuperiores ſibi virtutes aſpe-
xit, illis ſe inferiorem cognovit. Nec
quod in præcepto datum ſeu impoſitum
ex virtute quempiam prævaricatorem fe-
cit, ſi non perfecit ad plenum, dum o-
mne ſtudium, & ſi quam expedientem
ſolicitudinem omnem negligentiam de-
pellentem appoſuit, ut compleret, magis
conſtituit humilem, ſi verè inſpexit ſuam
imperfectionem, faſtigiumque virtutum,
ad quod ſemper remanſit aſcenſus in via,
pro deſiderio mentis, pro ſuſpirio vo-
luntatis, ad exercitium operis, ne quis
gloriaretur ſe totum comprehendiſſe, at-
que perfeciſſe agonem propoſitum in vir-
tute. Solus enim Chriſtus virtute æquavit,
ut homo. Quid autem legislator pro effectu
pro retributione habeat diffinire, reticemus
ut ignorantes. Attamen quoquo modo ſe
habeat ordo cauſæ, prætermiſſum excuſa-
tionem nullam habet, ſicut ſcriptum eſt:
Mandatum hoc quod ego præcipio tibi Deut. 30.
hodie, non ſupra te eſt, neque procul
poſitum, neque in cœlo, ut poſſis dicere:

Quia noſtrum valet ad cœlum conſcendere, ut deferat illud ad noa, ut audiamus atque opere compleamua? Neque trans mare poſitum, ut cauſeris & dicas: Quis ex nobis transfretare poſſit mare, & illud ad nos uſque deferre, ut poſſimus inde facere, quod præcepit? Sed juxta eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo ut facias illum. Quod enim juſſum impoſſibilitatem ſeu difficultatem non habet, ſed facilitatem, honeſtatem, & opportunitatem, ſi neglectum, ſi prævaricationi traditum, ſi mente contemptum, excuſationi non ſubjacet. Secundum verò mandatum datum eſt in miſericordia, ut ſicut teipſum proximum diligas, dum tamen ita te diligas, ſicut homo poteſt perfici aut perficitur à virtute, quoniam ſi tantùm hominem virtutis exortem, vitiis maculatum, deditum mundo dilexeris, ea re tibi non jubetur proximua diligendus. Non enim te amas, ſed odis: ſi virtutum non vis eſſe mancipium, voluntarie peſſundatum imperio vitiorum. Ad dilectionis ſuæ menſuram, non odii, proximus proximo applicatur. *Et in bis duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ.* Univerſa lex Moſaica, & omnis ſcriptura prophetica in moribus iſta duntaxat docent, ut amor Dei & proximi agendæ vitæ pro ſumma teneatur. Et omnis ſacrarum ſcripturarum interpres, aut conciones concionans, aut aliter de ſcripturis diſſerens, ſi hæc duo non ſtruit, ſive ſimpliciter docens, ſive parabolicis locutionibua utens, ſive allegoriarum pelagua natans, ut ad poſſe ad iſta perveniat, ut Deua ſuper omnia, & proximus ad menſuram ſui poſitam diligatur, aut ſeipſum oſtentat, & impertinenter loquitur, aut ignorat, quæ loquitur aut inimicus virtutia, aut ſcripturam ignorat, aut malitioſè pervertit, ſeu incunctanter errat in animo, deceptionia periculum parans in Verbo. Qui autem hæc duo interpretando & diſſerendo aſtruit, intentionem ſequitur Spiritus ſancti, cujus virtute atque afflatu omnia ſacra Scriptura condita eſt, quæ & ſi multa continet, quæ non poſſint ad has ſententias propriè retorqueri, etiam ad hoc aperiantur, ut vel cauſam juſtam & occaſionem debitam, ad diligendum Deum, & proximum prærogent, & trajiciant in conſiderationem mentes ad advertendum quàm juſtè, quàm debitè, quàm libenter, ex datia, ex acceptis, ex promiſſis, ex ipſius dignitate diligendus ex omni virtute ſit Deus, & communitate naturæ creationis unius præſidentia Domini, ex communitate redemptionia & fidei, & ſacramentorum & gratiæ, repromiſſæque gloriæ diligendua ſit proximus. Quod autem in his duobus mandatia tota lex & prophetæ conſiſtant, Apoſtolus aperit: Plenitudo legis eſt dilectio. Quoniam dilectio cavet offenſam dilecti, & ſi accidit, confeſtim removet, cùm advertit, obſecundat libens, rata mandata tenet, curat ex omniverſo, unde grata poſſet offerre, non ſolum exteriora, ſed ſeipſum donat diligena in voluntate dilecti. Quid igitur lex dicendo, & jubendo demonſtrat mortalibus, niſi ut Dei præcepta ſerventur? Dilectio igitur, ſi eſt, effectum habet, prævaricationem neſcit, & qui proximum diligit, ut idem Apoſtolua ibidem ait, legem implevit, adverſa & noxam non inferens magis ſibi curæ illata removere, in ſtudio factus unde ſubveniat, ſi neceſſitas proximum premat. Propterea *& ait illi ſcriba: Bene magiſter in veritate dixiſti, quia eſt unus Deus, & non eſt alius præter eum. Et ut diligatur ex toto corde, & ex tota mente, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & diligere proximum tanquam ſeipſum, magis eſt omnibus holocauſtis & ſacrificiis.* In religionem verſus iſte tentator, & eum laudat, illiusque doctrinam, quibus nulla eſt indigentia laudatore. Seipſis veritatis ſplendoribus inclareſcunt, Et ipſe ad veritatem, loquitur, aut repetit veritatem, cujus animi religioſitatem & ſapientiam Salvator intuitus, pronunciat ipſum virtutibus jam vicinum. *Jeſus autem videns quod ſapienter reſpondiſſet, dixit ei: Non longè es à regno Dei.* Sapientia largo nomine ſumpta, ſive cognitio, ſive ſcientia, principium eſt averſionis à malo ejus, qui ad malum fuerat ante converſua, quoniam ordine debito non devitatur, aut relinquitur malum, niſi quale ſit cognoſcatur, ſeu quantam poſſit afferre pœnam, aut gloriam perdere. Nec ad actiones virtutum aſſurgitur, niſi præeat earum vera cognitio. Igitur non longè à regno Dei cenſendus eſt, qui rectum habet utriusque partis judicium, ſive à regno Dei, quod intra nos eſt, ut facile fiat & adveniat in nobis, ſive à regno Dei, quod eſt catholica eccleſia, ſive à regno Dei, quod eſt in ſuperna patria,

Rom. 13.

Cap. LIV

Diſceptatio de Chriſto, & exquiſitione ejus, cujus filius eſſet judicio Phariſæorum, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

CLaudendæ per finem de proximo erant diſceptationes Chriſti & Judæorum, vilependentium ipſum ex genealogia, ex vilitate parentum, repugnantium doctrinæ illius, cauſam quærentium adverſus eum, ſuper quem jam mortis decretum firmaverant. Et ipſe ſponte per crucem ſe diſpoſitum appropinquabat ad mortem. Sed antequam illam ſubiret, inquirit à phariſæis, quid de Chriſto ſentiant, ut ſi non illo in tunc, in poſterum tamen ſciant, quis ſit, quem deſpiciunt, cujus doctrinæ adverſantur, quem per crucem venantur ad mortem. Et quod cum diſcipulis fecit illos interrogans, quem eſſe filium hominis homines faterentur, nunc videtur agere cum pri-
Matth. 16. moribus Judæorum. Hinc *congregatis autem phariſæis, interrogavit eos Jeſus dicens: Quid vobis videtur de Chriſto, cujus Filius*
Matth. 22. *eſt?* An ipſe congregaverit, an eos congregatos videns ſic allocutus fuerit, impræſumptum eſt. Allocutio tamen huiuſcemodi myſterium magnùm habet, Expectabant Judæi Meſſiam, non credentes ipſum eſſe Chriſtum in lege promiſſum ex invidia ipſorum proximo cruci affigendum. Exquirit Jeſus ab eis, quid ipſi ſentiant de Meſſia, & cujus filius eſſet. Non ignorans interrugat, ſed ut ore fateantur, quod ſentiunt, & erudiantur, ſi in ipſius cognitione deficiant. Eruditio autem futura per Jeſum duplicem finem habebat, aut meritum fidei ipſorum, ſi rectè crederent eruditione ſuſcepta, cum adhæſione ad eum in actione bonorum, aut auxeſim ſupplicii. ſi remanſiſſent in incredulitate. Reddunt interroganti reſponſum. *Dicunt ei: David*, Liquet, quòd bene ſentiunt de Meſſia, quòd omnino ſit in lege promiſſus, penitusque venturus. Malè autem ſapiunt, quia eum eſſe purum hominem opinantur, dum dicunt, eum filium duntaxat eſſe David, nam & ipſe ſecùndum genealogiam carnis, David filius dicebatur, quod verum erat ex propagata propagine, cùm verè Filius Dei erat in unitate ſubſtantiæ atque ſingularitate perſonæ, quod ibi phariſæi nequaquam ipſorum Meſſiam credebant eſſe verum filium Dei patris, unius cum ipſo ſubſtantiæ in diſtinctione perſonali. Pro-
Pſalm, 109. inde ex ſcripturis illos ſatagit erudire. *Et ait illis: Quomodo ergo David in libro Pſalmorum in Spiritu ſancto vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus eſt?* Ac ſi diceret: Prophetavit David de veſtro Meſſia, & Spiritu ſancto ſibi inſpirante, quis eſſet agnovit, quem non inficiamini regem veſtri populi fuiſſe, atque prophetam, qui Deo devotus ſibi jubilans gratulabundus in animo, ut propheta verum quod à Spiritu ſancto acceperat, ad poſteros derivavit, inquiens: Dominus Deus omnipotens & æternus dixit ſuo ineffabili modo loquendi Domino meo, Meſſiæ videlicet, de quo ipſe pſallebat, ut ſederet ad dexteram ejus. Quoniam David prævidit illum eſſe in carne futurum, de quo acceperat promiſſionem, & paſſurum atque in cruce moriturum, reſurrecturum à mortuis, aſcenſurum ad cœlos, ſeſſurumque ad dexteram Dei patris, donec ponet ſuos inimicos gentiles idololatras, & ſcabellum ſanctamque eccleſiam ex eis faciat in fide atque in omni virtute ſuppoſitam ſanctis pedibus ejus, quoniam cœlum ſibi ſedes eſt, & terra ſcilicet eccleſia militans in ea, ſcabellum pedum ipſis. Igitur, ſi David rex, eximiusque prophetarum veſtrum Meſſiam vocat Dominum ſuum, quomodo filius ejus tanquam minoratus ab ipſo cenſendus eſt? Non noveritis veſtrum Meſſiam majoris eſſe altitudinis, quam credatis. Si verò in adventu ejus ſperatis deperditam conſequi libertatem, & abjectorum & diſperſorum reſtaurationem, quomodo eum parvipenditis, tam modicæ virtutis exiſtimantes, ut David credatis eſſe minorem, qui tempore ſuo nec ſic vos tueri potuit ab extraneis hoſtibus, quin ſemper vos infeſtaret, inferretque damna etiam abjectus populus Philiſteus; qui etiam in ſeipſo nec ita tutus fuit, quin perſecutionem non pateretur à filiis, & maledictionem cum ictibus lapidum audiviſſet à ſubditis, nec Jeruſalem ſic in pace poſſederit, ut ex illa flens & dolens non exiſſet factus extorris. Cur de veſtro Meſſia tam imè ſentitis, ut eum non credatis plus, quàm hominem, ſi per ipſum aſſequi ſperatis libertatem? Cur eum poſtponitis jure filiationis David regi, cùm ſit verè filius Dei, vocatus apertè Dominus

ſuus

ſuus ab ipſo David, quem Meſſiæ præfert is jure paternitatis? Ad veſtram vilitatem, & dejectionem cedit, o! Phariſæi, & Dei maledictionem habetis impoſitam, ſi veſtrum Meſſiam purum hominem autumnatis, ſi in illo poſita eſt ſpes veſtra, ſi ad eum eſt veſtra fiducia, quoniam maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Et omnis homo mendax. Et citò deficit, qui ſe cum mendace protegit. Suſtollite in altiora mentes, de veſtro Meſſia maxima cogitate, ſi ſperatis in illo, credite quis ſit ille, bonum eſt, quod ſperatis, malum eſt, ſi non creditis libertatem, ſperatiſque ſalutem. Intelligite ſcripturas, non eſt David Filius, non minoratus ab illo, quem ipſe ſuum Dominum vocat. Velamen adhuc in cordibus Judæorum, quod ut auferretur, non tranſibant ad Chriſtum, nec credebant ipſum jam veniſſe, quem ſperabant eſſe venturum. Id in hac diſceptatione intendebat JESUS, ut ipſi de ſcriptura quærerent palmariter erudiri, & de Meſſia ſcire debitam veritatem, circa quem fallebantur minus debito de ipſo ſentientes, ut ipſe illos erudiret in fide, doceret, atque diceret, ſe Meſſiam promiſſum eſſe verum Filium DEI. Sed arguti à vero, confuſi à conſcientia, perdiderunt audaciam, mala taciturnitate & deſidia in animo tabeſcentes. *Et non poterant ei reſpondere verbum, nec auſus fuit quiſquam ex illa hora eum interrogare.* Quanquam bene illis fuiſſet, foret & poſteris, ſi præſtita fide, humilitate ſcribendi, voluntate ſciendi, ulteriùs interrogaſſent. Non enim fuit virtus illa repreſſio audaciæ, ſed ſuperbiam habuit, cùm eum ſuperare non poterant, ſibi in veritate ſubdi recuſabant. *Et reſpondens JESUS dicebat docens in templo: Quomodo ſcribæ dicunt Chriſtum eſſe Filium David?* Iterum jaculat verba, ut audientium animi moveantur veritatem inquirere ab ipſo de Meſſia, quod hoc penes eum ſolicitum erat, ut quis ipſe eſſet, caperetur in fide. Sed ſi ad alium iſtam Chriſti interrogationem ſenſum traiicimus, multa præſto eſt loquendi materia, reſtringenda tamen, ut ſermo ſit talis ad omnes: Quid vobis videtur de Chriſto? Reſpondeant infideles Saraceni, atque Judæi, apud quos omnes firma manet memoria Chriſti, nec eſt ſub Cœlo natio, apud quam ſit abolita memoria Salvatoris, ſed variè atque diverſè apud eos de ipſo habitum eſt. Quid tamen de ipſo videatur clarius per fidem novit religio Chriſtiana, in qua & multi fuerunt hæretici, qui de Chriſto falſiſſima opinati ſunt. Quæ ſi hæreticorum atque infidelium, prout reperi, velim de Chriſto ſenſmenta ſeu opiniones referre, inutiliter ſermo traheretur in longum. Sed ita inutiliter non tractanda de Chriſto adverſa relinquimus, quin noſtra utiliter aſſeramus. Quid igitur videatur, ſitque videndum de CHRISTI fidelibus populis Chriſtianis, ipſam ſponſam quæ melius & undique in cubiculo habitum ſponſum novit, requiſitam loquentem nobiſcum in ſpiritu audiamus?

Cap. LV.

De ultima diſceptatione, quam facturus eſt Jeſus cum electis, & reprobis in judicio, ſecundùm Matthæum ſolum.

IN ultimam diſceptationem differendam velle intendere nimietate verborum ex ſeipſa præter allegoriam omnino impertinentem, & præter omne, quod intorqueri poſſet ad mores per omnia clareſcentem ſuperfluè ſuperbum, ſuperbè ſuperfluum judicarim. Attamen iſta multa conſideranda ſe ingerant, cùm ſit de extremo judicio, à quo excuſatio nulla, ubi adduci erit tremendum, non ſiſti, non poterit devitari, precari vanitas, munerum oblatio impoſſibilitas, ubi nulla potentia, nulla ſapientia, nulla dignitas, nulla loquacitas, nulla fortitudo, nulla pulchritudo, ubi nihil præter virtutem habebit audaciam, quanquam ſubmiſſam, atque pudentem, trementemque juſtum atque infallibilem judicem, in quo nihil ſuperfluum atque demptum erit. Vbi veritas, juſtitia, conſtantia, ſinceritas, implacabilitas, inappellabilitas in judice invariabiles erunt. Natura quidem aut ſe in ſuo ſervata honore arridet amicis ſuis, vel turpata contra turpatores voces mendicationis emittet. Aderit lex cum decalogo & ceremoniis ſuis omnibus nota per ſingula, etiam ſi nunc fuerit quomodolibet ignorata, quæ aut ſe cuſtoditam fore gratulabitur, vel de tranſgreſſoribus exquiret iuſtam ultionem, prout fuit Injuſtè contempta. Gratia, ſine qua nec natura nec lex ſervatur in moribus ſuis, præſto erit, conteſtans omnibus apud judicem, quod nemini volenti agere rectè

rectè defuit, ſed homines ei defuerunt. Quæ aut gratulabitur gratis ejus, aut ponet lamentabilem queremoniam de ingratis. Vita, ſi honeſtè aut inhoneſtè fuerit acta, ipſa teſtabitur, ſi quantum in actionibus juſtis, aut in contemplationibus divinorum extiterit, omnibus perſpicuum erit. Quæ, cùm ſe viderit in aliam, quæ æterna eſt, commutari: læta rectis, perverſis verò calamitoſa manebit. Mos jucundus ad reverentes & verecundos, triſtis ad eos, qui perditæ, ac immorigeratæ converſationis extiterunt, cujus & vitæ una vox conſona erit, non miſericordiam, ſed juſtitiam clamans, pœnas ſeu præmium exigens. Ipſe quidem quintupartitus corporis ſenſus, cum objectis, pro ſe aut contra ſe teſtimonium infallibile dabit. Ululabit amor ſeu amativa potentia, ſi malè acceſſit, ſi autem bene, erit ſibi, omnibusque teſtis, in quod & ob quod, & quantum & qualiter voluntariè latus eſt. Aſtabit timor fatens, ſi bene aut perperam animam hominis flexit. Dolor de quo fuit, ſi fuit, de quo debuit, ſi debuit de quo fuit, ſi in debitis defuit, inficiari non poterit: nil aliud valens quàm juſtitiam poſtulare. Spes his, qui ſperaverunt in domino, ob quem de cunctis perfunctoriis deſperaverunt, ſubnixum faciet, & jucundum teſtimonium dabit. Apud inaniter in hac vita ſperantes, protinus deluſa manebit, & ad eos ab ea Verbum erit: Væ vobis, quia deſperatis. Ad judicem autem, ut diſcernat in juſtitia ſuper eos. Gaudium ſimiliter ſuam oſtendet originem, modum, cauſam, rationem & finem, averſa facie ab eis, qui inaniter in hac vita lætati ſunt, converſo vultu ad eos, qui luxerunt. Interpellabit porro judicem ad utroſque. Virtus ſuo comitatu fulta procedet in publicum, ſuos contemptores & amatores aſpiciens, & nulla erit obtectio à vultu ejus. Deridebit à quibus deriſa, & ſalutabit amantes ante judicem contemptum, & amorem deponet, ut judicet. Vitium ſcriptum erit in frontibus patratorum, neque opus erit, ut peccator peccatorem inſimulet. Patebit omne opertum, & omne occultum in ſcientia plena erit. Præſto cuncta ſacramenta erunt quali fuerint cultu, & reverentia pertractata, ſeu quali contempta repudio. Deſiderabilis beatitudinum terra, ſi pro nihilo habita ipſa fuit, & quam agonizatum materialiter pro ipſa fuerit ab amatoribus ſuis. Interiores hominis vires clarebunt. Si ratio erravit, ſi doceri rectè potuit, ſi neglexit ſcire, ne cogeretur facere, ſi aliud in veritate, aliud in moribus tenuit. Memoria, ſi qualia ad contemplatum retinuit, voluntas, ſi quid voluit, quomodo impetravit. Conſcientia ſi rectam rationem ſecuta eſt, cum ipſa nil habeat à ſeipſa, ſi contra ſeipſam rectificatam egit. Fides, ſi viva cum opere, aut ſine operibus mortua vixit. Rerum uſus & abuſus, artes & ingenia, ſolicitudines, & ſtudia, angeli, cœlum & omnia elementa, & cuncta, quibus prælatus factus eſt homo, Ipſa quidem corporum valetudo, dæmones & pœnæ, quibus homo terreri debuit, ſi territus cavens, ſi imperterritus & incautus egit, & cuncta, quæ fando nominari poſſent, aſtabunt: Nota cunctis utraque cogitatio, utraque locutio, utraque operatio, utraque dilectio præſto erunt, omniumque una vox contra peccatores erit. Da eis Domine ſecundùm opera eorum, & ſe- Pſal. 27.
cundùm nequitiam adinuentionum ipſorum, ſecundùm opera manuum eorum retribue illis, redde retributionem eorum ipſis. Pro bonis quidem non oportebit teſtimonium ferre, cùm hoc proprium habeant bonitas & omnis actio bona, virtus & ſapientia, quòd ſeipſis clareſcentes alio teſtimonio, & commendatione non egant. Ipſa ſola veritas in judicio ſtat pro eis. Erit autem executio judicii & diſceptatio in hac forma: *Cum autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes angeli ejus cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes.*

Liber XII.

De ſermone Domini Salvatoris poſt cœnam.

Cap. I.

Conſolatio ad diſcipulos ſuos turbatos de receſſu ſuo, ſecundùm Joannem ſolum.

MAgno affectu amplectenda ſunt omnia Chriſti facta, & omni veneratione colenda, & omnia ejus audienda verba intenta mente, aperta corporis aure, inveſtigatione ſolicita inquirenda, maximè illa, quæ egit, & in fine ſuis diſcipulis protulit. Omnem porro virtutem affectuum atque ſermonum Chriſtus epilogicè in his conſummavit. Ediderat teſtamentum deſcriptione ſolerti, ab eo quod incarnatus, natus & converſatus erat, appropinquabat morti, ad condendum codicillos ſe tranſtulit, non irritans teſtamentum, ſed altiori authoritate confirmans, ita, ut nec codicillus, aut ſermo poſtremus aliquid demeret teſtamento, ſed ita validaretur, ut eſſet unum ex geſtis, ex dictis Chriſti hæreditario, ſed divino jure omnibus teſtamentum. Facta cœna, & lotione apoſtolorum pedum, celebrato ſui corporis ſacramento, facta proteſtatione triſtitiæ, Petri præſumptione culpata, poſt proditoris receſſum, reſidens in cœnaculo ad confortationem diſcipulorum, quorum noverat ex ſuo receſſu per mortem corda turbari,
Joan. 8. ſic exorſus eſt; *Non turbetur cor veſtrum neque formidet. Creditis in Deum, & in me credite. Manſiones multæ in domo patris mei ſunt. Si quo minus dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum.* Omnis turbatio impertines, præterquam ex vitio, hæc licita eſt, imo jubetur, cùm converſio exquiritur in jejunio & fletu, & ſciſſura cordium ex patratione vitiorum. Nulla major cauſa turbationis atque triſtitiæ, quàm ſeparari à dilecto, ab utili, ab eo, quod neque fallere, neque falli poteſt. Non turbetur cor veſtrum, ait Jeſus, de receſſu meo, neque formidet de perſecutione futura, aut de promiſſione ſuperna. Si creditis in Deum, credite etiam in me, quoniam ego Deus ſum, in hac humanitate aſſumpta converſatus vobiſcum. Manſiones in domo patris mei multæ ſunt. Sunt multæ manſiones in ſuperna patria, non pro me, quia Deus ſum, nec ubi deitas manet, locum exigit ad manendum. Sed manſiones ſunt multæ, domus paterna una eſt. Domus ſupernæ gloriæ non in ſe, ſed in manſionibus multiplicatur ſecundùm multitudinem electorum, & diverſitatem meritorum. Non in vanum creata eſt, & ad manendum in æternum conſtructæ ſunt manſiones. Sed quis ingredietur illuc, quis prior aſcendet, quis prius penetrabit ſumma cœlorum? Ille, qui deſcendit Deus, primo præaſcendet homo Deus, parare locum ab æterno à patre ſuis electis paratum. Quomodo igitur parabit, quod ante paratum erat? Paravit ab æterno pater prædeſtinando, parat filius in humanitate patiendo, moriendo. Unde ſuo merito apoſtolis & cæteris electis loca æterna paravit eis, quos ab æterno pater prædeſtinavit. Caſſabatur prædeſtinatio, niſi Dei filius in humanitate aſſumpta pro nobis factus hoſtia meruiſſet. Hoc quidem verbum, vado parare vobis locum, refertur primò ad paſſionem & mortem & ſanguinis effuſionem, quibus meruit

nobis

nobis viam ad aſcenſionem, qua ipſe cœlum penetravit pro nobis. Proinde dicit: Non turbetur cor veſtrum, ſi creditis in DEUM, credite in me, quia ego ſum Deus. Domus patris una eſt non eſt fraudanda eivium numeroſitate ſuorum, habet angelos. & perdidit ab initio multos, reparanda eſt, homines expectat ex imis partibus aſſumendos, Manſiones ſunt innumerabiles ſoli Deo cognitæ ad manendum, non temporaliter, ſed æternè. Multæ, imo tot, quot ſalvandi erunt. Multæ, imo quod venit pro multis, ipſe unus in multis, multæ pro multis meritis. Igitur avellatur à cordibus veſtris turbatio & formido, quoniam nulla cauſa ſubeſt. Si quo minus dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum. Non dixi vobis aliter, niſi taliter, neque rem minus dignam, quàm accedere & parare merendo vobis per mortem & ſanguinem illam æternam cum ſupernis civibus requiem, & aſcendere, quia caput, ut membra ſequantur in illam ineffabilem poſſeſſionem. *Et ſi abjero & præparavero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipſum, ut ubi ego ſum, & vos ſitis. Et quo ego vado, ſcitis: & viam ſcitis.* Ut omnino turbatio de diſcipulorum cordibus tolleretur, & ne impoſſibile dicerent in ſuperna poſſe conſcendere ad illam præparationem, quam pollicebatur Chriſtus, poſt abſceſſum ſe reverſurum iterum repromiſit, ad accipienpum eos in illis manſionibus jam paratis, ad quas per eos eſſe non potuiſſet aſcenſus. Ac ſi cogitantibus & hæſitantibus diceretur: Vado parare locum, ad quem virtute veſtra non poteſtis accedere. Bonum & verum eſt diffidere de vobis, ſed credite in me, quia ſum DEUS. qui ſuperna in aſſumpta humanitate propria virtute conſcendo, quoniam cum præparavero vobis locum, ego ipſe, qui merui, qui paravi, qui in poſſeſſionem pro omnibus ſalvandis intravi, veniam iterato accepturus vos ad meipſum. Non vos aſcenditis, ſed ego vos accipiam in meum conſortium, ut non alibi ſitis, niſi ubi ego ſum amator hominum CHRISTUS, qui Creator ſum angelorum. Ineffabilis iſta dignatio, imperſcrutabilis omnino dilectio, quod homines tanti penderet, ut ad terram deſcenderet, ut quæreret pereuntes, & per mortem & ſanguinem fecerit eſſe cœleſtes, ut ſecum in domo paterna poſſet habere conſortes, nec locorum voluit eſſe divortium, dicens: Et vos ſitis, ubi ego ſum. Non faciet intercapedinem à ſuis electis CHRISTUS in gloria, qui factus eſt unum nobiſcum in humanitate, ſeu noſtra natura ſuſcepta. Magna ſpes in imis hominibus eſt porrecta, cùm in ſummis eis CHRISTUS loca paraverit, veruntamen, ſi certaverint in militia Chriſtiana. Inde adjecit: Et quo vado ſcitis, & viam ſcitis. Prædixerat Chriſtus, quo iturus erat. Igitur apoſtolorum ſcientia, quo accederet, fide tenenda erat ex dictis Salvatoris, ſimiliter & via ſcilicet quo, & qua. Si verò ſecundùm debitum eſſet locutio, præſto eſſet facilior intellectus. Et quo vado ſcitis, & viam ſcitis: uti referatur ad debitum, quia, quo vado, & viam ſeire debetis, & debitum trajicitur in futurum, quia ſcietis, & in utriſque nihilominus debitum intelligatur in docente & in addiſcentibus, ut debetis ſcire, quia debeo vos docere: debetis, quia debetis addiſcere à me, & ſcietis. Terminum autem quo Chriſtus profecturus erat, pater æternus erat, æternaque patria. Ut qua iturus erat via ſtricta per ipſum quod dictum celabatur ab eis de termino, & de via. Sed Th mas in hoc ad ſciendum feſtinior, conſocios præveniens Chriſtum interrogat. Unde *Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quo vadis. Et quomodo poſſumus viam ſcire?* Humilis interrogatio, & inſuſpecta, quam profeſſio ignorantiæ antecedit. Qui profitetur ignorantiam, non videtur interrogando parare calumniam. Et ad ſciendum ſe parat ſibi odioſus ignorans. Laudabile quidem eſt propriam ignorantiam confiteri, ſed magis affectando interrogare ſcientiam. Neſciunt, quo Chriſtus ab eis recedens, accedat. Terminus ejus cognitus hominibus eſt, quoniam ipſe DEUS incomprehenſibilis eſt, & homo ſupra mores hominum agit, ut ex eo, quod Deus, ex eo, quod hujuscemodi homo merito dictum extiterat: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam, aut quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit. Et alibi: O! altitudo divinarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Sed oportet neſcientem modum, ſed ſcientem factum interrogare de modo, ſi ſuſpirat in factum. Sæpe facta placent, modi ſub ignorantia ſunt. Factum modum habet, habuitque, dum fieret, Sine modo ab ho-

ab homine nihil eſſet, aut eſſe poſſet in facto. Eſt pater æternus, ad quem Chriſtus in humanitate regreditur, cùm ex deitate non receſſiſſet ab eo. Eſt & æterna patria, in quam per crucem & mortem, reſurrectionem & aſcenſionem regreſſus ingreditur, & iſte terminus ignoratur ab apoſtolis, & ab omnibus peregrinantibus in hoc ſæculo, nec aliter, quàm fideliter apprehenditur. Sed tunc ab omnimoda ignorantia tenebantur, ut Jeſus tunc regreſſum faceret ad patriam, & ad patrem, quamobrem Thomas dixit: Neſcimus quo vadis. Et ſcire cupiens, poſt profeſſionem ignorantiæ interrogat. Et quomodo poſſumus viam ſcire? Cui Jeſus ex pia interrogatione *reſpondit, dicens: Ego ſum via, veritas & vita.* Via inobliquabilis, veritas infallibilis, vita imperturbabilis. Via recta, veritas grata, vita beata. Via morum, veritas ſciendorum, vita præmiorum. Via vitæ, veritas doctrinæ, vita ſalutis æternæ. Via inexemplabilis, veritas ſpeculabilis, vita deſiderabilis. Via in qua ambulandum. Jeremias enim dicit, præmonens eos, quibus miſſus fuerat prophetare: Interrogate, quæ ſit via recta, & ambulate in ea. Sed beati, qui fuerint immaculati in hac via. Sed in hac via dæmones laqueos multiplices abſconderunt, ſic enim ſcriptum prophetico ſpiritu eſt: In via, qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. Hæc ſolum eligenda prædicitur à Pſalmiſta: Viam veritatis elegi. Omnes aliæ viæ ad inferos penetrant, ſola iſta perducit ad gloriam. A qua ſi quis errat, æternùm errat, quia ſeductus eſt, quod verba infernalium manifeſtant: Ergo erravimus à via veritatis, & quæ ſequuntur, hanc eſſe differunt veritatem, quoniam eſt via, quæ videtur homini recta, noviſſimum verò ejus deducit ad ad mortem. Et via ſapientiæ, quam Salomon erudiendo filio monſtrare promittebat, dicens: Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, quam, cùm ingreſſus fueris, non coarctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. Veritas eſt, omnia conſtituens, à qua verum eſt, quicquid quomodolibet verum eſt, omnia ſuperans, à nemine ſuperata, omnia vincens, à nullo decreta, rationibus & authoritatibus fulta, cui nihil obſiſtit, niſi ſuo detrimento voluntas illa rebellis, cui tandem invita ſeu voluntaria ſubjacebit. Vita eſt agenda atque ſperanda, agenda per mores, ſperanda per præmium. Ego ſum via ad patrem, veritas in filio, vita in Spiritu ſancto.

Jerem. 6. — Pſal. 141. — Pſal. 118. — Sapient. 5. — Prover. 4.

Cap. II.

Quòd pater ex filio, & filius à patre cognoſcatur, cùm alter per ſubſtantiam ſit in altero, ſecundùm Joannem.

Miſſum ſe Chriſtus fatebatur à patre, cujus ſatagebat in cordibus hominum per fidem inferre notitiam, non contentus, quia miſſus, & in notitia factus, niſi ad cognitionem audientium poſſet dare mittentem, & quare ſe ſupra viam eſſe dixerat, nunc declarat, dicens: *Nemo venit ad patrem niſi per me.* Quid ipſe? Via, quia nemo venit ad patrem niſi per me. Vult quod agnoſcatur pater, ſed pater non agnoſcitur, niſi per Filium. Quis enim pater eſſet, ſi Filium non genuiſſet? Quis etiam diceretur Filius, niſi ex aliquo patre genitus? Cognoſci poteſt aliquid ad ſeipſum exiſtens, ſecundùm naturam, ſecundùm ſubſtantiam, ſecundùm ſpeciem, ſecundùm, individuationem, ad aliud verò exiſtens non niſi per relationem. Tolle paternitatem, non erit filiatio. Tolle filiationem, non erit paternitas. Non ſit Pater, non erit Filius. Non ſit Filius, nec poterit eſſe Pater. Venitur ad hominem abſque Filio, ad patrem nunquam, niſi per Filium venitur. Proinde dixit: Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Ac ſi dicat: Miſſus ſum in mundum, ſed à Patre meo. Quod uterque cognoſcatur neceſſe eſt. Scilicet miſſus, & mittens, miſſus eſt Filius, mittens eſt Pater, quem ſi cognoſcere vultis, primùm me Filium eſſe credatis. Idcirco ſequitur: *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis.* Liquidum eſt, quod qui cognoſcit filiationem, cognoſcit & paternitatem, & qui cognoſcit quid eſt eſſe Filium, novit quid ſit eſſe patrem, ac per hoc, ſi Chriſtus creditur æternus Filius, & ejus Pater credatur æternus. Relativorum quidem proprietas eſt, quod uno cognito,

gnito, ſciatur & reliquum. Solicitudo erat unigenito Dei Filio humanato, ut pater fieret in notitia hominum, ad quem per eum ſolum erat acceſſus. Proinde ſe ad notitiam præfert. Si cognoviſſetis me, & patrem meum utique cognoviſſetis. Neceſſarium erat, ſicque ab æterno præordinatum, ut in fide trinitatis ſalus daretur credenribus, quamobrem filius ſe viam dicit ad patrem. Et quod ejus Apoſtoli non mirentur, ſi in humanitate aſſumpta vadit ad patrem, & ſi miſſus ſuæ legationis peracto miniſterio, revertitur ad mittentem. Et ſi cognoſcant eum, patris cognitionem adeſſe denunciat, dicens: *Et amodo cognoſcetis eum, & vidiſtis eum.* Cognoſcetis eum amodo, quia cognoſcetis me, & vidiſtis eum, ſi vidiſtis me. Supra intellectum hominum erant verba, idcirco Philippus, velut ignarus & avidus ſuæ perfectionis expoſtulat, dicens: *Domine, oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.* Multùm aberrabat à vero, ſi patris oſtenſionem expoſcebat ad oculum corporis, quæ puro mentis intuitu reſervatur, cùm non ſolùm corruptibilis oculus carnis, ſed glorificatus non ſit credendus intueri poſſe deitatem. Anima ſola, cùm glorificata fuerit, intuitivam viſionem atque fruitiunem deitatis habebit, non præpedita glorificato corpore, in quo erat. Si autem Philippus oſtenſionem poſcebat ad intellectum, etiam errabat, ſi quærebat aliter, quàm per fidem, non enim viator & comprehenſor poterat ſimul eſſe. Si de futuro erat petitio, quòd in patria pater oſtenderetur, non incongruè percabatur, ſaneque credebat in viſione paterna ſufficientiam habituros, nam qui habet Filium, & patrem habebit, & ſpiritum ſanctum ab utroque procedentem. Hinc omnis ſufficientia, nullusque defectus. *Dicit ei JESUS*, traditatem ipſorum reprehendens & inertiam intellectus. *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me.* Ac ſi diceret: Patris quæritis viſionem, cujus cognitionem habere non potentis, niſi me primò filium cognoſcatis, qui tanto tempore vobiſcum exiſtens, nec in veſtram cognitionem tranſivi, quem, ſi verò cognitionis oculo videretis, videretis & patrem. *Philippe, qui videt me, videt & patrem meum. Quomodo tu dicis, oſtende nobis patrem? Non credis, quia ego in patre & pater in me eſt.* Perlucidum eſt, quòd cognitio filiationis generat cognitionem paternitatis, & quòd cognitio filii hujus, facit ſcientiam patris hujus, ergo qui videt Chriſtum Dei Filium, patrem ejus videt, & Deum. Sententia irrefragabilis, quia ſi Chriſtus eſt filius, ergo patrem habet, ſi æternus Filius, æternum Patrem: Si divinus, divinum omnino & Patrem. Non præponitur in hac cognitione Pater, quanquam prior, non natura neque ſubſtantia, ſed relativa perſona, quoniam ideo filius deſcendit de cœlis pro hominibus factus homo, & in humanitate hominis filius, ut nos ad æternam filiationem æterni ſui patris, non per naturam, ſed per gratiam adoptionis induceret. Ob hoc quidem dicitur, non, qui cognoſcit patrem, cognoſcat & filium, quamvis unius ad alterum ſit æqua relatio, cùm pater non fuerit ex ſuo ſuppoſito incarnatus, ſed filius, qui in aſſumpta humanitate ad cognitionem patris, imo totius trinitatis homines venabatur. Et cognitio divinorum non eſt per deſcenſum, ſed per noſtri intellectus, duce fide, aſcenſum. Et filius ad terras advenerat, & aſcenſum ordinabat ad patrem, ad quem, niſi per filium gradatio non exiſtit. Nam ſi pater conaretur cognitionem dare de filio, inciperet, à ſeipſo. Pater ſum, ergo habeo filium. Igitur, ſi me cognoſcitis patrem, & meum filium cognoſcetis. Nunc vice verſa filius patrem cognitum fieri ſatagit, à ſeipſo cognitionem exorſus eſt, per multa verba ediſſerens. Si cognoviſſetis me, & patrem meum utique cognoviſſetis. Et Philippe, qui videt me, videt & patrem meum. Et iterum: Non credis, quia ego in patre & pater in me eſt? Signanter loquitur, non credis, cùm omnis cognitio ſeu viſio in hac vita non ſit alia verior, quàm fidei, nec aliam velit inducere cognitionem ſeu viſionem pro merito, quàm illam, quæ eſt ex fide. Ob hoc de fructu fidei arguit Philippum, dicens: Non credis, quia ego in patre & pater in me eſt? Sola credulitas hoc agit in cordibus hominum, ut filius in patre, pater verò in filio videatur, quod ſi una perſona, videretur & reliqua. Et ex verbis aſtruit teſtimonium, quod ſit pater in filio & filius ſit in patre, ſimiliter & ex operibus hoc idem videtur aſſerere: *Verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor. Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Non creditis, quia ego in patre, & pater in me eſt? Alioqui propter opera ipſa credite.* Ad hoc ut patrem credatis in me, & me eſſe in patre, non velut locatum in loco, aut aliquid habitum in habente, ſeu ſubſtantiam in ſubſtantia, ſed unius eſſe ſubſtantiæ cum perſonali diſtinctione. O-

pera quidem fecerat Jeſus, quæ nemo facere potuiſſet, niſi filius Dei. Et Judæis loquens, ad conſiderationem operum ſuorum remiſit, ut etiam filius Dei crederetur. Et ne dubium aut admiratio increſceret de Jeſu, quòd tam mirabilium operum patrator exiſteret, in ſuos creditivos majora faciendi fatetur adeſſe virtutem. Inquit enim: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet, quia ego ad patrem vado.* Perſpicuum eſt, qui ſcrutantur geſta ſanctorum, quòd etiam plura & majora fecerunt miracula, quàm Jeſus, non virtute propria, ſed ejus, qui contulit ex voluntate atque authoritate illius, ad quem ſe regredi fatetur, cùm inquit, quia ad patrem vado, rogaturus eum, ut virtutem ex me transfundat in vobis, qua poſſitis vos verè, que credentes pro myſterio & augmento condendæ eccleſiæ operari. Necnon & per petitionem debitam, & celerem exauditionem patrem in ſeipſo fatetur. *Et quodcunque petieritis patrem in nomine meo hoc faciam, ut glorificetur pater in filio,* Ut ex ſupplemento verborum divinus ſermo inclareſcat, ſic contexenda ſunt verba. Hominem oculo carnis videtis, ſi deitatem in humanitate latentem creditis. Filius Dei ſum, ergo pater in me eſt, ſi pater in me eſt, quicquid petieritis patrem in nomine meo hoc faciam. Mirum novumque dictum, quòd patri exhibeatur petitio, & filius exaudiat, cùm exauditio ad eum pertineat, cui eſt porrecta petitio. Sed quia patri datur petitio in nomine filii ſibi commiſſum eſt perficere, ut glorificetur pater in filio, quoniam gloria patris eſt filius ſapiens. In ſapientia filii factus eſt mundus, aſſumpta humana natura, in ipſa redempta, omnia tradita ſunt filio à patre, ut exaudiat petentes, & ut gloria patris in filio nota fiat: non ut de novo pater in filio aliam gloriam quàm ab æterno habuit, capiat. Et replicatione verborum confirmat ſententiam: Si quid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam.

Cap. III.

De probata Chriſti dilectione ex miſſione paracleti, & unione patris & filii corporis myſtici, ſecundùm Joannem ſolùm.

Cognoſcebat Jeſus apoſtolorum corda, quoniam nihil eum latere ullatenus poteſt, & erant in ejus dilectione permota, & in eum ſingulari affectione trahebantur, perſonam ejus tamen oculis corporeis intuentes, quamvis ipſum jam Dei filium faſſi eſſent. Sed Jeſus illos ad probatam dilectionem

Joan. 14. intorſit dicens: *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Si diligitis perſonam, ſervate doctrinam. Parum eſt magiſtri dilexiſſe perſonam, ſi in doctrina ſua contemnitur. Si diligitis regem, cuſtodite legem, quoniam ideo conſtituitur rex, ut regat. Nullus autem rex juſtè regit, niſi leges æquitatis edicat. Non igitur ſatis eſt regis perſonam dilectionis oculo intueri, niſi lex ejus ſervetur in moribus. A cujus prævaricatione ob dilectionem ad regem non excuſaretur tranſgreſſor, magis autem culparetur, quoniam quantò magis regiam dilexit perſonam, tantò ſerioſius legem ejus debuit cum dilectione ſervare. Hoc quidem, quòd apoſtolis dictum eſt, ſine exceptione derivatur in poſteros, ut iſte ſit dilectionis effectus, ſervatio mandatorum. Si diligitis me, mandata mea ſervate: ſed non abſque merito & ſupererogationis dono. *Quoniam & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non vidit eum, neque ſcit eum.* i. mittitur paracletus mandata ſervantibus quæ niſi paracleto habito non ſervantur Impoſſibile quidem eſt mandata Dei perficere, niſi per gratiam Spiritus ſancti. Oportet igitur omnino præire gratiam Spiritus ſancti ad mandatorum cuſtodiam, & comitari & ſubſequi. Ad quid igitur poſt ſervantiam mandatorum Spiritus ſanctus promittitur, qui ante datur, ut mandata ſervantur, niſi quia ideo promittitur, ut ad æternam conſolationem cum electis maneat in æternum? Et primo dantur mandata, ut fiant, fieri niſi per adjuvantem ſpiritum nequeunt, qui exquiritur, ut impleantur, & datur, ut compleantur. Et hæc largitio ſpiritus eſt ad actionem, ſed ut maneat vobiſcum in æternum ad futuram beatitudinem. Cum vero dicit:

eit. Et ego rogabo patrem, ad id, quod ſupra dixerat, refertur: ut glorificetur pater in filio, exaudiens ipſum in precibus ejus creditus verè filius ejus, & Deus æternus pater ipſius. Et alium paracletum in perſona, non in ſubſtantia dabit vobis, ut maneat vobiſcum, qui fuiſtis mecum, ſpiritum veritatis, qui omnem excludet errorem, & falſitatem nullam ſinet incognitam. Dabit ſpiritum in ſpiritu viventibus, non in carne, quem mundus non poteſt accipere: quoniam mundus, qui non cognovit incarnatum unigenitum Dei Filium, non accipiet Spiritum ſanctum, quia non videt eum, neque ſcit eum. *Si* hæc duo verba, videt & ſcit, traiciantur in futurum, clarior erit ſententia, quia non videbit neque ſciet, & ſubſequens affirmativa ſententia de futuro ſic intelligendum eſſe clarificat. *Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit.* Advertendum igitur, quibus & quomodo Spiritus ſanctus datur & accipitur, & quibus & quomodo denegetur, Nam ad ipſum accipiendum præit pura Chriſti obſervatio mandatorum, quoniam contemptores divini decreti privantur gratia Spiritus ſancti, factores autem illam merentur accipere, non propriorum ſufficientia meritorum, ſed Chriſtus unigenitus Dei filius ſuis precibus impetrat, & quod debetur meritis corporis, merito capitis obtinetur. Quem non accipit mundus, ſcilicet mundi viſibilis atque ſenſibilis amator exiſtens, Inviſibilis & corpore inſenſibilis eſt paracletus ſeu Spiritus ſancti gratia, qui viſibiliter & ſenſibiliter delectatis totaliter dedenegatur. Ideo mundus, id eſt mundo animo & corde copulatus, non poteſt accipere eum, qui eum videre non poteſt, qui omnino inviſibilis eſt, neque ſcire Spiritum, qui ſolùm, quæ ſunt corporis, ſapit. Quæ conventio in viſione corporei ad incorporeum? Quæ comparatio in ſcientia carnis ad Spiritum? Segregatum ſaltem animo expedit eſſe à viſibili, qui nititur inviſibilia & ſpiritualia intueri atque cognoſcere. Et directus ſermo ad Apoſtolos oſtendit quales erant aut futuri erant, qui omnino à viſibilibus abdicati. Vos autem cognoſceris eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit: quoniam vos, qui propter me omnia reliquiſtis *non relinquam orphanos, ſed vado, & venio ad vos.* Vado in carne, veniam in Spiritu. Non relinquam orphanos velut filios paterna privatos præſentia, ſed ſemper veniam ad vos. Eo ſenſu hoc intelligendum eſt, quo actio divina in ſubveniendo nullam intercapedinem habet. Et quoniam ſupra dixerat, quòd mundus non poſſit Spiritum ſanctum accipere, ſic & nec Jeſum ultra videre. *Adhuc modicum & mundus jam me non videt, vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos vivetis.* Si Apoſtoli viſuri erant Jeſum, quia ipſe vivebat, & ipſi vivere debebant, ergo Chriſtus mortuus credebatur à mundo, ſeu mundus in peccatis mortuus jacebat, quòd eum videre non poterat: Sed Chriſtus vivebat in Apoſtolis, & ipſi in Chriſto vivebant, ſicut arbor in ramis, & rami in arbore communi vita vivunt. Aperit, autem unde vita Chriſti, unde vita Apoſtolis, ut intelligatur unio, imo conſubſtantialitas patris ad filium, unio filii ad corpus ſuum myſticum, quod ſibi pater modo ineffabili coaptavit. *In die illo vos cognoſcetis, quia ego ſum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Ineffabilis una unio & æterna conſubſtantialitas, ineffabilis alia, ſed ex prope facta. Prima in natura, ſecunda in gratia. Prima patris cum filio, ſecunda filii cum corpore myſtico. In illo die, quo vobis una cum patre paracletum miſero, vos cognoſcetis, quia ego in patre meo in unitate naturæ paternæque ſubſtantiæ, vos in me in unitate fidei, dilectionis & gratiæ, velut rami in arbore, radii in ſole, rivi in fonte, diſcipuli in doctore, ducti in duce, membra ſub uno corpore. Et velut fuiſtis aut eſtis in Adam ex perpagata natura, ita in me in eadem natura aſſumpta. Quod autem dictum eſt ad Apoſtolos, ad totam humanam naturam divinæ actionis communitate ad electos, maximè acceptione virtutum, non perſonarum dictum eſſe credamus. Et ego in vobis. Superflua videtur replicatio iſta verborum, quòd ipſe ſit in nobis, ſi ſic prædictum eſt, quòd nos in ipſo, ut ſermo Evandelicus explicat: Et vos in me, & ego in vobis: Si vos in ipſo, & ipſe in vobis. Eſt ergo differenter intelligendum de entibus per viciſſitudinem uno in altero, quòd eſſendi modus aliter attribuatur uni, quàm reliquo. Negaverim de his, quæ in omni æqualitate participant, non autem diverſum eſſendi modum excludere unius in altero, & per reciprocationem, ſi inæqualitas ſuperioris & inferioris inſpicitur, ſeu digni & dignioris, boni & melioris attenditur. Et ne prolixitas exemplificando tædium generet, ſolùm ad quod ſumpſimus, revertamur. Erant Apoſtoli, aut nos ſumus in Chriſto velut originatum in origine ſuo, nam ſunt omnes homines in Adam tanquam in origine traduce carnis: Sumus

&

& nos in Chriſto tanquam in origine, non traduce carnis, ſed gratiæ & virtutis, quoniam aliter ſunt originata in originalibus ſuis, aliter originalia in ſuis originatis. Illa velut ſuſcipientia omne, quod ſunt, originalia verò velut infundentia & intermiſſè præſtantia, ne deficiant, quod ſunt, dum ſemper illa fundunt, & illa ſemper accipiunt: & ſemper accipiunt ab originalibus non deficientibus, niſi præſcindantur. Sic nos in Chriſto velut in origine omnis virtutis, omnis boni omniſque gratiæ indeficienter diffundente, niſi noſtra malitia & voluntate præſcindamur. Mira dignatio unionis, alta unio dignationis, ut per exiſtentiam Chriſti in nobis noſtrique in Chriſto cum tota trinitate fecerimus unionem. Servemus dignis moribus ſocietatem, quam in Chriſto, & per ipſum habemus ad patrem, ne vilipendamus, quod accipimus tanto myſterio. Porro nec contempſerimus, cujuſpiam temporalis Domini amicitiam copulatam, dum dignaretur ſuperior ſuis inferioribus hujuſcemodi ſocietate conjungi. Ut autem oſtenderet, qualem manſionem exquirat à nobis in ipſo, de dilectionis effectu ſeu de probata dilectione reiterat, cùm per dilectionem ſimus in ipſo, & in patre, & ipſe pater in nobis. *Qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt qui me diligit.* (Joan. 14.) Omnis querulatio tollitur, omnis excuſatio abrogatur, ſi dixerimus, quod non poſſumus aut neſcimus Chriſtum diligere, cùm ejus non ſit eo affectu ſentienda ſeu exiſtimanda dilectio, quo pater filium, & mater filiam, quo ſe diligunt conjugati, quo cognati, quo proximi ſive amici. Segregatus eſt ab iſto Chriſti dilectionis effectus. Et quoniam paucis experiri datum eſt hujuſmodi dilectionis dulcedinem, dilectionem ne communitas hominum frangeretur, poſuit in eo, quod omnibus poteſt eſſe commune ſcilicet in obſervantia mandatorum dicens: Qui habet mandata mea, & conſervat ea, ille eſt, qui me diligit. Qui habet mandata per cognitionem, & per juſſionem impoſita collo ſuo, & ſervat per amorem & cautelam in prohibitis, & per actionem in faciendis: & mandata ejus gravia non ſunt. (Joan. 3.) Quis igitur cauſabit Chriſti non poſſe ſervare mandata in cautela prohibitorum, cùm nihil prohibeat, niſi quod eſt ipſi conditæ naturæ contrarium, moribus abſonum, animæ corporique nocivum. Quis ſe continere non poterit à ruina, cùm continendi per exiſtentiam, quam habemus in Chriſto, ſit donata facultas? Quis ſe proteget excuſationis ſuffugio non perficere mandata naturæ conſentanea, & ipſam ultra quam ſit condita decorantia? Quomodo impoſſibile dicitur, quod eſt de ſui natura bonum, quod eſt utile, quod eſt pulchrum, quod eſt aptum, quod gratum omnium creatori, quod ipſum ſervatorem provehit ad ſuperna? In quo ad Chriſtum poſita & probata dilectio, quia ſeruans mandata mea ipſe eſt, qui me diligit. Cui tanta viciſſitudo dilectionis à tanto Domino redditur. *Qui autem diligit me, diligetur à patre meo. Et ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Qui diligit filium, & à patre dilecti filii diligetur. Experimento claret, quod regis cujuſpiam filium diligentes & honorantes, quòd diliguntur à rege, lætoque vultu ſuſcipiuntur, cùm adeunt. Nec ſolùm pater diliget, ſed dilectus filius dilectores effectivo proſequitur amore. Scriptum eſt enim: Ego diligentes me diligo. (Prov. 8.) Nam & ego diligam una cum patre meo eum, & manifeſtabo ei meipſum. Vera dilectio non habet ſecretum, non habet occultum. In manifeſtatione ad dilectum tota fit. Ecce Chriſti effectivus amor manifeſtare ſe ipſum, non à patre alium à ſubſtantia, quamvis alium in perſona, quamvis incarnatum ex aſſumpta natura. Ac per hoc cui manifeſtus eſt filius, manifeſtus erit & pater, & qui cum patre & filio unus eſt ſpiritus. Magnus noſtræ dilectionis proceſſus, in altiſſimis & ineffabilibus terminatur. Dilectionem oportet fieri per effectum in obſervantia mandatorum. Si quis mandata ſervando diligit filium, diligetur & à patre & filio, cum effectu manifeſtationis totius trinitatis, ad perfectionem totius interminabilis beatitudinis.

Cap.

Cap. IV.

De manifeſtatione Chriſti & manſione Trinitatis apud electos, eorum dilectione ſuppoſita & paracleti perfecta doctrina cum hæreditate pacis, ſecundùm Joannem ſolùm.

FIt in deſiderio animus hominis verorum bonorum, cùm audit fieri poſſe participem, & gaudet, cùm de ſummis bonis audit eloquium, & affectus in ipſis modum participationis inquirit. Hinc, cùm dixit JESUS ſe oſtenſurum & manifeſtaturum ſuis electis diſcipulis, & non mundo, ad affectum & deſiderium audientium animos movit, quorum unus inter cæteros excitatus de modo manifeſtationis interro-
Joan. 14. gat. *Nam dicit ei Judas, non ille Iſcariothis: Domine quid factum eſt, quia nobis manifeſtaturus es teipſum, & non mundo?* Cauſam quærit, ut ad modum veniat. Quid factum eſt, quæ cauſa ſubeſt pro nobis, aut quid factum eſt adverſi pro mundo, ut de te nobis manifeſtatione facta mundus ipſe privetur? Quid factum eſt. Id eſt quomodo nobis manifeſtatio fiet, & mundus usquequaque carebit? Interrogat hoc Judas, confitens, diligens & ſequens & amator optimi, non ille ſequens & negans, imo necans amore pecuniæ Iſcariothis. nempe erat mercedem non divinam, ſed humanam amplectens. Bonus Judas de bonis æternis interrogat. Scilicet qualiter manifeſtatio Chriſti fiat in electis, qualiter denegetur in reprobis, ad ſatagendum pro electione atque pro reprobatione cavendum. Omne ſtudium ſolertis animi & contendentis captare cœleſtia verſatur ſcire, quid pro electione faciat, quid verò pro reprobatione devitet, quoniam donum & pax eſt electis Dei, ſed reproborum pars erit in ſtagno ardenti *Reſpondit JESUS & dixit eis: Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. Et pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Ediſſerit manifeſtationem fieri ad electos, ſubticens negatam ad reprobos: ſed non eſt aliquod affirmatum, quod non habeat ex contraria cauſa negatum, neque aliquid negatum, quod non ex adverſa cauſa affirmatum. Dilectio quidem in electis & ex eis manifeſtationis eſt cauſa, quemvis alicui noſtræ cauſæ ſeu datæ occaſioni, quamvis juſtè divinæ bonitatis largitio non ſubjaceat, Dilectio quidem ſuprapoſita eſt velut in ſigno in obſervantia mandatorum. Acſi cum conditione indiceretur: Si diligitis me, mandata mea ſervate. Et velut in manifeſtatione, an ſit, qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt qui me diligit. Nunc verò dilectio ſi eſt, edicitur per effectum: Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. Neſcit feriari dilectio, in actione tota eſt, ubi dilecti noverit voluntatem, otio caret, acediam & tædium, procul pellit, ſervat in memoria, ſervat in opere quod de dilecti pendet arbitrio, non examinat decretum, non diſcutit verbum, non patitur tædium in ſermone, non contradicit imperio, ad ſervandum vigilat, quod accepit ſancto mandato, nec grave judicat, etiam ſi ponderat, quod injungitur à dilecto, amarum in dulce vertit, qui veraciter diligit, difficile in facile traiicit, etiam conſuevit impoſſibile aliquando tentare, & juſſum diligit in dilecto, & dilectum in juſſu veneratur. Sed fiet amplius & perfectius ſine comparatione retranſitio in diligentes activos: quoniam ſi quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Diliget pater ſui filii amatorem, ſed nec ipſe filius ab ipſa dilectione ſecluditur, ex hoc: Quòd ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus. Vbi etiam Spiritus ſanctus includitur, nam Deus Pater cum Filio alia extranea dilectione non diligunt, niſi dilectione Spiritus ſancti, cum quo æternaliter unum ſunt. Et manſionem apud eum faciemus. Ecce retributio ſupra modum, ſupra ſperatum, ſupra dignum, ſupra meritum, ſupra intellectum, & omne comprehenſibile facta dilectioni noſtræ: Quòd diligat Pater, diligat Filius, diligat Spiritus ſanctus, quod & ipſi veniant, quod manſionem apud nos faciant. Non patet vocatis ad veniam excuſationis ſuffugium. Non adeſt profeſſoribus fidei Chriſtianæ cauſationis remedium. Nemo de indito labore quærimoniam paret. Nemo quæruletur de impoſſibilitate ſalvandi. Nemo cauſam inveniat, quòd Deo placere non poſſit. Nullus cunctetur, quòd juſtis meritis non ſint ineffabilia præmia

præparata. Nemo deſperet non poſſe præmia promereri. Diligat, ſi diligit, ſervet impoſita: Imo ſi diligit, omnino ſervabit. Activus enim eſt penitus verus amor. Si diliget per actionem poſſibilem, penitus diligetur. Ad dilectum diligentis erit adventus, totius videlicet Trinitatis. Et ſi parum æſtimaretur adventus, cùm multi adveniant & recedant, continuabitur manſio, Et manſionem apud eum faciemus. Manſio prima per gratiam, ſecunda per gloriam. Et cùm ante dictum ſit: Manſiones in Domo patris mei multæ ſunt, quoniam in multis illis manebimus per gloriam, in quibus & apud quos manſionem fecimus primo per gratiam. Reſponſum eſt quæſtioni atque quærenti, quòd Jeſus ſit manifeſtaturus ſeipſum electis ſuis, & non mundo, ut manifeſtatio illa ſic eſſe credatur, quòd ad electos ſuos ſit totius Trinitatis adventus, ut manſio æterna perſiſtat ea viſione perſpicua, ut omne tollatur ænigma, & evacuetur quod ex parte: & ut cogniti ſunt electi, ſic Deum cognitorem agnoſcant, juxta quem manifeſtationis ſenſum locutus eſt Paulus: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: Nunc autem cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat. Et iſti ſunt mundus, cui non ſe manifeſtaturus eſt Chriſtus, quoniam ſermo Dei vivus eſt, & efficax, & penetrabilor omni gladio ancipiti, totus ad diviſionem à viſibilibus & materialibus & corruptibilibus tendens, quæ mundi amator non contemnit, quia mundum, non Deum creatorem diligit. Proinde mundo viſibili copulato non fiet manifeſtatio Chriſti, non trinitatis adventus, non ipſius manſio apud Deum. Hoc quidem fœdere nobiſcum agitur, ut ſi diligamus Chriſtum, ſermonem ejus ſervantes, quòd tota trinitas apud nos velit æternam facere manſionem. Sed qui non diligit regem, odio habebit & legem: quam ſi aliquando ſervabit, non amore juſtitiæ, ſed formidine pœnæ: Non amore regis, quem non diligit, ſed timore, quo ſibi cauet, ne prævaricans tormenta patiatur. Et ne crederetur, quòd ſermo duntaxat hominis contemptibilis eſſet: Quamobrem & ſermo contemnendus, negavit eſſe humanum, niſi humana voce prolatum, ſed aſſerit eſſe divinum. ***Et ſermonem quem audiſtis non eſt meus.*** Non meretur puri hominis ſervaſſe ſermonem totius trinitatis manſionem, neque non ſervantes quod interminabilis pœna ſequeretur. Nec eſſet reverentia tanta colendus. Sed cúm affirmatur, quòd ſermo ſit patris æterni mittentis ex tempore filium, in obſervantia, in omni reventia, in omni cultu eſſe auditoribus debet. Terrorem incutit, ne in præfaricatione fiat, tergiverſatio nulla patet. Ait enim: ***Sed ejus, qui miſit me patris.*** Apud quem Deum patrem ne factione ſermonis nulla excuſatio locum habet, niſi aut ultio non correctis, aut miſericordia verè pœnitentibus aderit. Reſervat JESUS ad docendum multa mittendo paracleto, qui non lingua, non ſono vocis, ſed in ſubitatione lumen veritatis & gratiam infundendo docebit, & ea, quæ Chriſtus docuit, declarabit. Nam iſta, quæ Chriſtus docebat illorum animos excedebant. Idcirco adjecit: ***Hæc locutus ſum vobis apud vos manens*** ſcilicet lingua humana & ſonabili voce ***Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.*** Manens in carne cum apoſtolis ſponte mortalis exiſtens, iſta tanquam divina more humano loquebatur. Sed Spiritus paracletus optimus conſolator, quem pater miſit in nomine filii, videlicet in virtute fidei & invocationis ejus, ille docuit omnia, quæ non docuit filius, & ſuggeſſit inviſibili ſuaſione, ut incunctanter tenerentur, & crederentur, quæcunque etiam ipſe filius humanatus edixerat. Liquet plurimam doctrinam reſervatam paracleto, & fidem firmandam in cordibus de Chriſto, & de ipſius doctrina indubitatam ſuggeſtionem. Et cùm ſuggeſtio pertineat ad inferiorem, & ſæpe accipiatur in reprobam partem, & inviſibilis adverſarius ſuggeſtiones immittit, non tamen paracletus aliquo divino, aut ſeparatis ſubſtantiis, aut unitis Spiritibus, aut quibuſcunque creatis eſt credendus inferior, æqualis enim eſt per omnia in divinis, & incomparabiliter atque infinitè omnia creata tranſcendit. Nec ejus ſuggeſtio in alteram à bonitate partem inflectenda eſt. Quod enim æternè atque naturaliter bonum eſt, flecti nequit in alteram partem, nec aliter agere, quàm perfectam deceat bonitatem. Sed humanatus & humiliatus Dei filius in noſtra mortali carne, niſi per humilia verba humileſquè actiones de ſeipſo à patre & Spiritu ſancto pronunciare non potuit atque voluit. Idcirco hæc

hæc dixerim, quod Spiritus ſanctus à patre & filio, cùm venerit aut miſſus fuerit, dicta ipſius Chriſti Dei filii ſuggeſturus docebit & ſuggeret, docebit nondum docta per filium, ſuggeret dicta per eum. Etenim multa didicerant apoſtoli à Spiritu ſancto ineffabili atque inviſibili modo, quæ nec Chriſtus ore docuit, nec in audientium cordibus inſpiravit, nec evangelica continet ſcriptura, & derivata ſunt ad poſteros, ut usque in hodiernum diem in eccleſia orthodoxa ſacris obſervationibus currant. Paracletus conſolator dicitur. Conſolatio verò in pace fundatur. Nulla porro adeſt conſolatio præter pacem. Pax verò, aut eſt in opinione, aut in veritate. Vna falſa, reliqua vera, quæ præterquam à Deo aliunde non provenit, quæ in hoc tempore humanæ ſeu rationabili animæ, in virtutum amore, atque actione conceditur, in futuro ſpeculationi divinitatis immediatè reſervatur. Et ne tabeſcerent ex receſſu ipſius Salvatoris, aut & diffidentes ad intellectum alta docentis, ac etiam crederent non diligi, prout videbant ſe à Chriſto corporaliter ſeparari, pacis hæreditatem adiecit dicens *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis* Pax ſum, atque pacificus, qui non exercere litigia novi, ſed omnibus evangelizare pacem. Vadens vobis relinquo pacem, in me mortales vos omnes verè credentes reconcilians cum ſupernis. Et una cum patre & Spiritu ſancto pacem meam do vobis, non ea lege, qua dat, qua reaccipit, qua quærit, qua vult, qua utitur mundus, ſed eo pacto, quo Deum illam & qualem impartiri decet, & eo fine, quo donum divinum, quod eſt pax divina, debet dirigere acceptores. Eſt enim pax ſupereminens donum, accommodatum urgente neceſſitate amplius uſibus hominum, ſine qua omnia turbata conſiſtunt, cum qua nullus pervertitur, ſed omnis tranquillatur ordo. Nullus autem expedientior aut magis neceſſarius rerum uſus, quàm ille, qui terminatur in frui, non creatæ ſubſtantiæ, ſed infinitæ deitatis. Ac per hoc oportet prænoſcere duplicem eſſe pacem, humanam atque divinam. Humanam accommodatam ad quietum uſum humanarum rerum. Divinam verò, ut perveniatur ad
Phil. 4. fruitionem divinorum. De qua optativè & indiſtinctè dicebat Apoſtolus: Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras, in Chriſto JESU Domino noſtro. Et JESUS Chriſtus Deus eſt, qui dicit: Pacem meam do vobis, quam mundus non poteſt habere, accipere, neque dare, cùm omnem humanum ſenſum, etiam audacter dixerim, & angelicum exuperet tanquam ſupereminens donum & tranſcendens, ſegregata bonitate, omnem bonorum largitionem, cùm nil ſit hominibus mortalibus aptius atque utilius, quàm cum creatore omnium eſſe pacificum, & habere pacem cum donatore uuiverſæ terræ, quæ facta eſt per mediatorem Dei & hominum, & per fecialem hominem JESUM Chriſtum, qui non dat pacem ſequacibus ſuis, prout mundus amatoribus ſuis, quam mundi pacem denegat ſe daturum, dicens: Nolite putare quonaim veni mittere
pacem in terram. Non enim veni mittere pacem, ſed gladium. Matth. 10.
Pax quidem mundi eſt, & quæ à mundanis inquritur, corporis impertubabili ſanitare potiri, ſuperabundantem rerum uſum habere quietum, ex nulla rerum parte turbari, carere hoſtibus, aut ipſos debellare, aut tenere ſubjectos. Ad quam obtinendam, cum prudentia, & juſtitia, & fortitudine, & temperantia omnis amatorum mundi certavit intentio. Sed nec ex omni parte poſſeſſa eſt, & ſi in parte reum ſeu temporis illam eupienti acceſſit, non relata eſt ad eum finem boni, in quo mortalibus permiſſa eſt poſſideri. Sic & pro illa caſſo labore ſæpe certatum eſt. Pax autem, quam aſſerit ſe daturum, eſt ad Deum ordinatus affectus, ab omnibus corruptibilibus ſegregatus, ejus voluntati usque ad mortem ſine exceptione obediens, & reconciliatio facta cum Deo in merito ſanguinis Chriſti pacem dantis. Non enim expedit Chriſto pacem habere nobiſcum, ſed nobis cum ipſo. Nec eſt in offendentis, ſed in offenſi officio dare. Ac per hoc amator hominum Chriſtus dat pacem nobis, non accipit, quia ipſe pace noſtra non indiget. Ipſe Deus offenſus à nobis, ſemper inoffenſè conſiſtens ad nos. Dat igitur pacem, qua ordinatè cum Deo vivamus, dat pacem in ſanguine, in quo reconciliati ſumus, pollicetur pacem æternam, qua in æternum beati cum ipſo maneamus. Hæc non mundi more, ſed divino & ineffabili modo datur,

(†)

Cap. V.

Reiterat Jeſus de propellenda turbatione ſubjiciens cauſam, & ſuam omnimodam innocentiam profitetur, ſecundùm Joannem ſolùm.

Dixerat paulo ante diſcipulis, quod nunc per ſimilia verba dicit: Joan. 14. *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Audiſtis, quia ego dixi vobis, vado & venio ad vos.* Ergo non turbandum neque timendum, ſi vadit ad patrem, & venit ad electos, auxiliarius ad pugnam, imo totam ſua virtute peracturus & præliaturus in oportunis omnibus gratiam & ſufficientiam, ſed nec turbandum, imo gaudendum. *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem, quia pater major me eſt.* Ante dixit: Si diligitis me, mandata mea ſervate, nunc verò dicit: Si diligeretis me, gauderetis utique, Diverſis effectibus eſt probanda dilectio, exteriori, ut ſerventur dilecti mandata: interiori autem, ut in ejus proſperitate lætemur. Laboraverat Chriſtus ut homo, regrediebatur ad patrem, exaltationem ſuper omnem creaturam, & omnes homines & angelos recepturus ab eo, quia major ipſo erat, eo quod homo, nam quia Deus æqualis per omnia patri. Et ut tota ratio gaudii refunderetur in eos, gaudere debebant, quia pater homine Chriſto major. Plus confert vobis ex forma Dei, quàm ego conferre poſſim ex forma ſervili, quia pater major me eſt. *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cùm factum fuerit, credatis.* Prænunciatio Chriſti diſcipulorum corda futurorum aſtruebat ad fidem, ut cum promiſſum deveniſſet in factum, ocius imo incunctanter crederetur, quia fuerat ante prædictum. Prophetiæ quidem, quæ de Chriſto & ejus corpore myſtico præceſſerunt, cùm conſpecta ſunt facta, corda in credulitatem facilius inclinarunt. Sic Chriſtus ante prædixit. ut cum factum fuerit præſtetur indubitata fides. Moderatur ſuos ſermones Jeſus, ne in plus effluat, quàm expediat, aut quàm percipere poſſit auditor, dicens: *Jam non multa loquar vobiscum.* Quia non plus expedit, plus capere non poteſtis. Coarctor undique nimis, Inimicus, qoi me à juventute mea expugnavit, in me nunc acrius ſævit, bello acriori conſerendum eſt, meam coram vobis profiteor innocentiam. *Venit enim princeps hujus mundi, & in me nòn habet quicquam.* Ut quaſi diceretur: Ut quid prælium iſtud in parte geritur? Ut quid bellum in toto? Ut quid iſta cruoris effuſio? Ut quid ſæva iſta mors? Ut quid hujuſcemodi crucis opprobrium? Ut quid cum latronibus deputatio? Verè in me non habet quicquam. Sed paterna juſſio, & filialis dilectio hoc fecerunt. Proinde dicit: Cùm inviſibilis hoſtis nihil in me inveniat ſui juris, attamen hoc bello conſerendum eſt, *ut cognoſcat mundus* Joan. 12. *quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, hoc facio.* Alibi ſcriptum eſt, cùm diſceptaret in templo: Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras. Et hic quidem dicit: Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. Mundi princeps antiquus eſt hoſtis, qui cœpit in mundo ex primis ſubactis parentibus dominari, & principatum accepit eo jure, quo ſibi ſponte tradidit maleſuaſus Adam. Sed per plus petenti aviditatem in eo, in quo criminis originalis aut actualis nihil invenerat, ejiciendus erat. Qui cùm venit congreſſum habiturus cum Chriſto nihil ſui juris invenit in eo. Nam omne peccatum ſive delictum, magnum vel parvum, de jure diaboli eſt. Superfluum autem eſt, Chriſtum excuſare à crimine, & iſtum lucidiſſimum ſolem velle noſtris luminaribus reddere clariorem, atque verbis opportunis immaculabilem juſtificare juſtitiam, & omnis boni fontem vivum ex cœnoſis quaſi rivulis reddere puriorem. Quid enim de Chriſto pro ſua innocentia eſt aliud diſſcrendum, niſi tenendum, quòd peccare non potuit, nec aliquo modo à ſua bonitate deficere, nec deſiſtere ab expediendorum factione bonorum? Quid igitur in Chriſto erat, quod poſſet ad diabolum pertinere? Unde hujus originalis macula, quamvis ejus caro fuerit ex traduce, ſed traducta de immaculata virgine matre? Unde huic ali- Joan. 1. quid de lege peccati, quem nullum potuit maculare delictum, nullumque turpare peccatum? Unde obliquari potuit Joan. 18. immutabilis rectitudo? Unde huic aliquid adhæſit de mundo, quem fecit, qui eum Phil. 1.

non

1. Petr. 2. non cognovit, de quo ſuum regnum eſ-
ſe negavit? Unde huic ſuperbia, qui hu-
Pſalm. 87. miliavit ſemetipſum, factus obediens uſ-
que ad mortem? Unde invidia, qui ve-
Joan. 4. nit pro omnibus dare animam ſuam?
Unde huic ira ſeu impatientia, qui cùm
malediceretur non maledicebat, cùm pa-
teretur, non comminabatur? Unde ace-
dia, qui fuit in laboribus à juventute ſua,
& fatigatus ex itinere ſedebat ſuper Sa-
maritanum fontem? Unde avaritia, qui
pro nobis factus eſt egenus & pauper?
Unde gula, qui jejunans quadraginta
diebus & noctibus in deſerto, & cùm
eſuriret, nec legimus illico ſolviſſe jeju-
Matth. 4. nium? Unde carnis petulantia, quæ ca-
ſtiſſima traducta de virgine facta, unita
deitati? Ac per hoc quid in hoc homine
quærere habet hoſtis antiquus? Venit
enim princeps hujus mundi, & in me
non habet quicquam, ſed ut cognoſcat
mundus, quia diligo patrem, cujus dile-
ctio in hunc me fecit venire congreſſum,
ut certem æquitate non vi: patientia non
potentia: non in forma Dei, ſed in for-
ma ſervili cum principe mundi, qui in me
quod poſſit arguere atque damnare non
repperit quicquam. Et ſic dedit mihi pa-
ter mandatum de congrediendo cum prin-
cipe mundi, qui cùm me innocentem
ſua invidia & aſtutia tradiderit in mortem,
amittat quam diu improbus princeps te-
nuit poteſtatem. Et ſicut mandatum de-
dit mihi Pater de congrediendo per pœ-
nas, & opprobria, & crucis mortem
cum hujuſcemodi principe mundi, ſic non
aliter facio. Non enim eſt fidelis ſervi &
obedientis filii aliter mandatum exequi,
quàm prout à ſuperiore poſitum eſt. Igi-
tur ſic facio. Et ſicut in ipſo diabolus
mundi princeps nil ſui juris habebat,
ſed ſecum congrediebatur paterno
mandato, ſic nec eſt in Chriſtum per-
verſa cogitatione impingendum ab homi-
nibus, cur ita inceſſit, cur tot & talia ſu-
ſtinuit, cur ab omni delicto immunis ſic
corpore conflictus eſt, cùm ipſe aliter
etiam in minimis non fecerit, niſi prout
à patre in mandatis accepit. Sæpe nan-
que dixit: Non veni facere voluntatem
meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me
patris. Totus eſt liber à cauſationibus Joan. 6.
hominum, qui non aliter egit, quàm à
ſuperiore accepit: ſed ſicut dedit man-
datum ſuperior, ſic inferior executus eſt.
Tota obedientia eſt ex nullo cauſanda, ſi
prout accipitur, effectui traditur ſanctum
mandatum. Qui omnem intentionem
præceptoris in mandato cognovit, virtu-
temque mandati niſi juxta cognitionem
hujuſcemodi non aliter exequatur. Ete-
nim velle mandata ſancta perficere, mo-
dum æquè, ut & factum oportet inten-
dere. Et obedire per omnia ſatagentes,
ne in nobis adverſarius noſter, cùm inevi-
tabilis congreſſus ingruerit, aliquid ſui
juris inveniat, ut quiſque de ſe veram
hanc poſſit proferre ſententiam. Venit
enim princeps mundi hujus, & in me
non habet quicquam.

Cap. VI.

De mutatione loci Chriſti ſuique collegii in deſignatione tranſſitionis ad evangelium, ſecundum Joannem, Matthæum, Marcum & Lúcam.

ACtis cœna, lotione pedum, ſui
corporis ſacramento, multa
commonefecit antequam de
cœnaculo & de Jeruſalem egre-
deretur. Quid prædixit? *Surgite eamus*
Matth. 26. *hinc. Et hymno dicto exierunt in montem*
Oliveti ſeu olivarum. Et ipſe dux belli novi-
Joan. 24. que certaminis ipſe certaminis figurarum &
umbrarum, formaque verorum, primo ſur-
gens ſuos tyrones alloquitur, dicens: Surgi-
te eamus hinc. Surgite, qui ſediſtis, qui
manducaſtis panem doloris, corpus ſcili-
licet meum, die proximo immolandum
pro vobis. Surgite properè, quia illum
panem vivum manducaſtis, qui dolores
pro peccatis omnium à die conceptionis
ſuæ in corde portavit, & dolore ſenſibili
confixus in cruce dolebit. Surgite animo
vigilanti in promptitudine Spiritus. Sur-
gite, mentes veſtras ad ſuperna erigite.
Contemplamini magis intuitu, quid egi,
quid ſim acturus pro redemptione gene-
ris humani. Eamus hinc ab iſto cœna-
culo, ubi vetus celebratum eſt paſcha pro
tranſitu, quem facturus ſum de hoc mun-
do ad patrem: & pro tranſitu, quem fa-
cturi eſtis vos ſubſequique veſtri, à ve-
teri lege in novitatem vitæ, à figuris ad
veritatem, ab umbris ad claritatem. Ea-
mus à cœnaculo, ubi veſtri pedes loti

ſunt, ne iterum pulvis terrenæ cupiditatis inhæreat, qui abſterſus eſt. Eamus hinc, ubi accepiſtis panem cœleſtem ad confortationem infirmitatis veſtræ, non enim iterum tabeſcere decet otio ſpiritualiter confortatum. Eamus ab Jeruſalem, ubi pro morte vita damnabitur, ubi florebit iniquitas propulſa juſtitia. Eamus ab hoc manufacto templo, ubi corporaliter adoratur, nam templa ſpiritualia ſunt de proximo conſtruenda, & alia ædificanda Jeruſalem civitas, cujus participatio civium ſit in verum & in unum Deum, & unigentium Dei filium incarnatum, cujus muri nulla poſſunt arietatione diſſolvi, cuſus lapides non diruantur, quæ nullo vallo interpoſito ab hoſtibus anguſtetur, quæ non proſternatur ad terram, ſed erigatur in Cœlum, & peracto myſterio ſæculi ſupra illum aſcendat, quæ nulla poſſit obſidione deleri. Surgite igitur eamus hinc. Et quo igitur? Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. Prædixerunt hymnum ad iter, ut proceſſus ſit in nomine Domini, & ad laudem ejus, qui cuncta bona diſpoſuit ab æterno. Veniunt ad montem optima qualitate diſtinctum, quia olivarum mons altum dicit à Jeruſalem terreſtri. A ſynagoga & à lege venitur ad alta. Et quamvis illa in monte, mons olivarum in altius ferebatur, ut omnino eccleſia, quàm ſynagoga habeatur excelſior. Sed qualificabatur olivis, ex quibus olei fructus percipitur. Oleum fomentum eſt luminis, liquoribus omnibus ſupernatat, lenit, ungit, affert quoque medelam. Paſcibilia & dotabilem aquam condit, ut ex his qualitatibus in ſpiritualem trajectis intelligentiam, credamus conſtare orthodoxam eccleſiam, ad quam completo hymno veteris teſtamenti per Chriſtum & Apoſtolos eſt celebratus acceſſus. Ac etiam omnem Chriſtianum debere his qualitatibus inſigniri, quas oleum habet, à quo prout ungit, Chriſtus appellatus eſt, & à Chriſto Chriſtiantias dicta eſt. Nec aliud dixerim receſſum à Jeruſalem, & acceſſum ad montem olei, quàm deſerendam ſynagogam, & de proximo Chriſtianitatem eſſe condendam ſecundùm quam ſalvandos oportet eſſe mortales. Ac per hoc ſic dictum & factum eſt. Surgite eamus hinc. Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti. Vt etiam ex his præſtetur bene agendi forma credentibus agoniſtis, ut ſurgamus & eamus ad bona, ſi nos malè jacere cognovimus, & à bonis ad meliora, niſi perficiendi patet iter, donec in quæque optima veniamus. Non jacebant hi, ſed ſedebant intenti ad doctrinam, & ad dulcia verba magiſtri. Sed pertinet ſeſſio ad quietem, ſurgendum eſt ad opus, cùm de bene operando eſt percepta doctrina. Fruſtra eſt doctrina de moribus, ſi non devenitur in opus. Præcedit operationem lectio, præcedit in oratione, præcedet & contemplationem. Legiſti per te, audiſti à doctore quid opereris, quid ores, quid intenta mente contemplandum ſit. igitur ſurgendum propeandumque ad ea, quæ didicimus ex lectione ſive doctrina. Et ſponſa invitatur à ſponſo, ut ſurgat, & properet, & ut oret, & ut contempletur foramina & cavernam, quæ pro redemptione humana, ſponſæque ſuæ ſponſus ipſe portavit. Comeſtus erat panis doloris, legalis ſcilicet & evangelicus. Ille doloris erat, quia nemo ex toto legem illam perfecerat, & nemo ex illo ſatiabatur ad plenum quamquam & azymus eſſet. Et evangelicus panis quamquam vivus de cœlo deſcenderit, de proximo valde in acutiſſimis doloribus futurus erat, pœnalibus quidem, & noſtros in ſe laturus. Surgendum quidem erat, & ad alia properandum. Seſſio, ſurrectio, itio, ferie optima diſponuntur. Seſſio ad doctrinam percipiendam, ſurrectio ad intellectum, itio fit ad ea, quæ præcepta ſunt.

Cap. VII.

Quòd omnes Chriſtiani ſint ex Chriſto & in Chriſto, ſine quo nihil rectum agunt, in quo manentes multum fructum afferunt, ſecundum Joannem ſolum.

EGreſſus Jeſus à Jeruſalem, cum undecim diſcipulis ſuis, in oliveti montem conſedit, eos de altiſſimis & neceſſariis inſtruens, non affectus pavore proximæ captionis & ſævæ futuræ mortis, quem infallibiliter ſibi imminere cernebat, non neceſſitate aut poteſtate inferentium, ſed volun-

voluntate ſui ſuſcipientis. Nec à doctrina ceſſabat, niſus oſtendere, quæ colligatio, quæ unio, quæ conjunctio, quæ proximitas, quæ agendi potentia, quæ actionis utilitas, quæ pactio inter ipſum & diſcipulos ſubſequos Chriſtianos exiſteret, dicens: *Ego ſum vitis* Joan. 15. *vera, & pater meus agricola eſt.* Per ſimilitudinem loquitur, ut ad proprietatem traiiciat, quia viti ſe aſſimilat in naturalibus ſuis, ut oſtendat quid proprium faciat per gratiam fidelibus ſuis. Vitis vera Chriſtus eſt, ut Dei Filius ab æterno plantata in patre, ut homo ex tempore unita deitati, in veritate fructificans, quia ipſe veritas eſt, in veritate ſe diffundens in palmitibus ſuis, in veritate culta, quia pater ejus agricola eſt. Si pater agricola, igitur agrum habet. Si hanc vitem colit, ergo vitis in agro. Ager eccleſia. In eccleſia manet Chriſtus, qui eſt vera vitis. De forma ſervi, non de forma Dei ſermo decurrit. Non enim eſt vitis, ut Deus, neque colitur à patre, per omnia ſibi æqualis exiſtens. Nec aliqua ſimilitudo imponitur deitati, velut propheta negat ei ſimilitudinem aliquam eſſe ponendam, dicens: Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imagi- Iſaiæ, 10. nem ponetis ei? Eſt vitis Chriſtus, & pater in eo agricolæ facit officium, quod nec vera vitis ſine palmitibus eſt, qui ſunt in conſideratione agricolæ, an præcidantur aut ſervantur in vite. Quoniam *omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Vitis Chriſtus, cui palmites ſunt omnes fideles ejus. Sed palmes qui ex iſta vite non fert fructum dignum in vite, ab iſta tolletur velut ramus ſiccus ab arbore præciditur, quia vena latens humoris, qui ab arboris trunco in ramos diffunditur, in puncto terminata eſt, ne diffundatur. Fructum verò ferens ſervabitur in arbore, atque purgabitur ab impertinentibus, & à maculoſis, ut fructum plus afferat, non ſolùm in quantitate, ſed etiam in pretioſitate. Decet enim ex iſta mundiſſima vite ramos mundos procedere, atque fructum emanare mundiſſimum, aptum regno cœlorum. Vinearum cultus oſtendit ſcire quærentibus, quod purgati palmites cultorio more, ad ampliorem fructum turgeſcunt in gemmis. Et unam præceſſiſſe purgationem in verbo factam oſtendit. *Jam vos mudi eſtis, propter ſermonem quem locutus ſum vobis,* facile abluitivum, lenem mundatorem, ſuavem purgatorem. Salvator advenit pro ſuorum ſalute fidelium, ut ablueret aqua ſanctificata per verbum, mundaret evangelicus ſermo omnium abſterſionem malorum & totius munditiæ complementum, purgationem faceret pater agricola, ſanctificaret denique Spiritus ſanctus. Quis igitur ab auditione divini ſermonis abfugiat, ſi fideliter & humiliter audientes emundat? Non enim eſt alius ſermo, quem quatuor cœlici notarii conſcripſerunt, quàm ille, quem locutus eſt Chriſtus, qui ſermo uſque in finem ſæculi erit in promulgatione, ut ſit in auditione, quem, qui in fide activorum audierit, ab auditu malo non timebit. Si quis enim verè fuerit mundus, Deum pro ſe ſolicitum habet. Sic enim Spiritum eſt: Si mundus & re- Job, 8. ctus inceſſeris, ſtatim evigilabit ad te. Job enim talia dicebat. Sed quis poſſit Job. 25. facere mundum de imundo conceptum Ibidem. ſemine, niſi tu, qui ſolus es? Et rurſus: Nunquid juſtificari poſſit homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Et iterum: Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus. Hæc idcirco dicta ſunt, quoniam niſi per ea, quæ divina & ſupra naturam ſunt, munditia non exiſtit. Si nos Deus aſperget hyſſopo, mundabimur. & lavamur ab ipſo, dealbabimur ſuper nivem. Sed quoniam nihil boni poteſt eſſe ex nobis tanquam ex nobis, & eſt radix noſtræ propagationis infecta, & nihil valemus ex nobis velut ex nihilo facti, admonemur manere in eo, à quo, niſi bonum exire non poteſt, nec virtutem, ſuis negare palmitibus. *Manete in me, & ego. in vobis. Sicut palmes non poteſt facere fructum à ſemet ipſo, niſi manſerit in vite ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nil poteſtis facere.* Luce clarior eſt ſententia ex aſſumpta ſimilitudine, quòd palmes præciſus à vite fructum ferre non poteſt, quia præciſio infuſionem decidit, quam vitis faciebat in palmitem. Sic qui eſt præciſus à Chriſto, fructum dignum germinare non poteſt. Quia cùm ſint unum vitis & palmes, diviſio in unitate non eſt, & unitas cùm multiplicatur, à ſeipſa recedit, quoniam dualitatis ſive amplius unitatem deſeruit. Nulla fructificandi virtus adeſt palmiti, niſi manſerit in vite, ſic nulla virtus cuipiam hominum, niſi manſerit in Chriſto, & niſi Chriſtus manſerit in eo. Manſio autem

autem iſta reciproca fructificare in multitudine facit, non Chriſto, ſed ex Chriſto homini Chriſtiano. Alter manentium alteruter non uterque de hujuscemodi manſione percipit fructum, quoniam bonorum actorum & creatorum Chriſtus omnino nec indigus eſt, ſed ei fructus acquiritur qui ſine ipſo nihil facere poteſt. Qualiter autem iſta manſio ſit tenenda, ſupra declaratum eſt. Non ſolùm fructificare nequit ad præmium, qui non manet in Chriſto, ſed etiam ad ſupplicium deputatur. Et hoc monſtrat, quod ſequitur: *Si quis in me non manſerit, mittatur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Non eſt dare tertium voluntarium ſeu à voluntate aliquod factum inter vitium & virtutem, quamvis ſit aliquid invenire creatum de ſui natura tendens in neutrum, etiam, cùm poſſit deduci aut in vitii, aut in virtutis obſequium. Nec poteſt eſſe manſio præterquam in vitio extra Chriſtum. Ob hoc ergo dicitur: Si quis in me non manſerit, cùm alibi quàm in vitio manere non poſſit, mittetur foras præciſus, quem non Chriſtus, neque alius, ſed ipſe ſemet ipſum procidit, ſicut palmes, quem vitis non abiicit, ſed alius ferramento decidit. Et foras miſſus areſcet, ut igni ſic ad concurendum ſit aptior. Et colliget eum miniſtri juſtitiæ, & in ignem ſcilicet æternum mittent æternè arſurum. Videamus ſuppoſitam prævaricationem, videamus ſuppoſitam divinæ juſtitiæ feriem. Si manſio per ſidem & dilectionem non ſit in Chriſto, ecce culpa ſuppoſita, mittetur foras, annathema erit à Chriſto & ab eccleſia, quia mittitur foras, ecce ordinata juſtitia. Deinde areſcet ab omni virtute, ab omnique gratia, ut velut lignum aridum aptius ardet: ſic aridus bonis colligetur, inevitabiliter mittetur in ignem, ardebit æternè non tamen ad conſumptionem, ne pœna terminum habeat.

Cap. VIII.

Quomodo ſit manſio Chriſti in nobis, noſtrique in Chriſto, & quis fructus bujuſſcemodi manſionis, ſecundum Joannem ſolùm.

NOn eſt iſta manſio corporalis, ut locus & tempus ex mora, & corpus & menſurabile requiratur, ſed extra hujuſcemodi diffinitione peragitur, quam ſub con-
Joan. 15. ditione Chriſtus enucleat. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.* Fit manſio in Chriſto ea imagine, qua palmes in vite, non tamen ea proprietate, cùm in eo, quod in ſimilitudinem aſſumitur, ſit nominatorum proprietas, ſed in aſſimilatione ſimilitudo, in aſſimilatis verò effectuum veritas. Igitur maneamus in Chriſto per ipſam fidei adhæſionem, qua nulla major, & per veram di-
Joan. 2. lectionem, qua nulla certior. Sicut Joannes inquit: Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. Manet autem ipſe in hac non aliter, quàm per verbum auditum, ſuſceptum atque retentum. Non enim Chriſtus ſecundùm ſubſtantiam animæ, aut corporis, aut deitatis manet in vobis, ſed per verbum ejus. Nam fides eſt ex auditu, auditus autem per Verbum Dei.
Joan. 8. Verbum autem Dei Verbum eſt Chriſti, qui aliud non loquitur, quàm Verba Dei. Dictum eſt enim: quæ audivi à patre meo hæc loquor vobis. Proinde dicit: Si verba mea in vobis manſerint. Manent in nobis verba Salvatoris non alio manendi ordine, niſi eo, quòd ea, cùm audivimus, ſi ſunt noſtrum excedentia intellectum, credimus: ſi quippe intelligimus, intellecta placent, placentia diliguntur, dilecta firmantur in memoria, memoriæ commendata tenaciter juxta cautelam & opus in effectum, libera voluntate, tota poſſibilitate deveniunt. Cui manſioni voluntarium redditur præmium, cùm exauditio petitionum tribuatur ad votum, cùm dicitur: Quodcunque volueritis, petetis: & fiet vobis. Larga & ſine exceptione videtur iſta exauditio, cùm nihil boni aut mali à petendo ſecludat. Si ſilenter conſiderantur verba præmiſſa, reſtringitur petitio, cui juſta exanditio porrigatur. Si in me manſeritis, non aliam formam petendi dabitis quam ego porrexerim patri, cui omnem meam omnium petitionum ſubdidi voluntatem. Et ſi verba mea in vobis manſerint, quæ doctrinalia ſunt, ipſa docebunt quid juſtum quid honeſtum, quid delectabile, quid jucundum, quid utile, quid licitum & expediens,

pediens, quid datori dare, quid poſtulanti dignum accipere videatur. Hinc ſanè dictum: Quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. Et ſi non illico, fiet tem-
Matth, 10, pore congruo. Et ſi non quod petimus, fiet & utilius; nam diſcipuli non recte petentes audierunt: Neſcitis quid petatis. Rom, 8.
Et Apoſtolus: Quid oremus neſcimus ipſe autem Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Cap. IX.

Quòd Deus pater glorificetur ex bonis operibus noſtris, & de vicaria manſione dilectionis noſtræ in Chriſto, & Chriſti in nobis ſecundum Joannem ſollum.

SÆpe inſinuatum eſt, necnon ſæpe repetere oportet, quod nil Deo patri neque filio incarnato accedit utilitatis, delectationis, exaltationis ex his bonis, quæ agimus. Sed cum aliquid ex ſono literæ ſibi acceſſiſſe videtur, ad ſenſum referendum eſt, quo rationalis creatura de ipſo aliquid noviter percipit ſive cognoſcit, quoniam æterno nihil novum accedit, ſive provenit. In nobis & pro nobis ſunt hujuſmodi variæ actiones. Sed cùm Chriſtus ſemper ad meliora niteretur ſuos provehere diſcipulos, introducit patrem glorificari ex rectè agentibus nobis, dicens:
Joan, 15. *In hoc clarificatus eſt pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.* Unde clarificatur pater non in ſeipſo, ſed in nobis; qui cum ab æterno clarum exiſtentem non agnoſcebamus qua claritate fulgeret. Sed denuo claret in nobis, cùm ipſe ſit verus agricola veræ vitis purgans palmites, ut fructum afferant ampliorem, quoniam niſi purgaret, fructum afferre non poſſent, etiamſi manerent in vite duntaxat per fidem. Claret igitur virtus ejus ex fructu, ſine quo nullus eſt fructus. Igitur in hoc clarificatus eſt pater Deus, ſi fructus multus affertur, ea diſciplina & lege, ut primum fructum afferre ſatagentes, Chriſti efficiantur diſcipuli, quoniam omnis alius diſcipulatus eſt reprobus, niſi ubi docet Jeſus. Et ne pudori aut labori aut ſterilitati aſcriberetur diſcipulum Chriſti fieri, dilectionis divinæ præmium appoſitum eſt. *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos.* Imperſcrutabile dictum, quoniam Deus pater ſuum dilexit filium ab æterno. En & filius, cùm non eſſemus, quomodo nos potuit diligere ab æterno? Sed & hoc utique verum eſt, quòd dilexit nos ab æterno antequam eſſemus, ut faceret nos, nec dilexit aliter nos creatos quam dilexerit nondum editos, nec aliter dilexit non exiſtentes, quàm futuros præviderit. Humanum autem penſandum eſt dictum, ſicut dilexit me pater, & ego dilexi vos, quoniam ſic eum dilexit, ut poſt omnem agonem in cœleſtibus ad dexteram ut hominem fecerit conſidere. Hinc & Apo- Philip, 2.
ſtolus poſt ejus agonem dicit de ipſo: Propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omnem nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur; quoniam Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Hebræ, 2.
patris. Et alibi: Vidimus Jeſum per paſſionem mortis gloria & honore coronatum, quoniam aſſumptus eſt in cœlum, imo propria virtute aſcendit, & ſedet ad Joan, 14.
dexteram patris. Sic & ipſe dilexit nos ut ubi eſt, & nos eſſe valeamus. Poſtulavit enim hoc ex audita petitione à patre: Volo pater ut ubi ego ſum, illic ſit & miniſter meus. Propterea illico ſubjunxit de manſione dilectionis: *Manete in dilectione mea.* Quam manſionem in id, quod ſæpe ſupra dixerat trajicit, ut nemo excuſetur; ſcilicet in obſervantia mandatorum. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea.* Ut ex hoc duplex intelligendi ſenſus eluceat, ut ſi ſervabitis, manebitis. & ſi manebitis, ſervabitis: ut unum ad meritum, alterum ad præmium refe-
ratur. *Sicut & ego patris mei præcepta* Pſalm. 118.
ſervavi & maneo in ejus dilectione. Servavit mandata patris filius, quia dilexit: manet in ejus dilectione, quia ſervavit. Simus ergo nos actu in iſta cuſtodia cùm invitamur. Sic enim de veris diſcipulis ſequacibusque Chriſti ſcriptum eſt, ſuperioris juſſione ſuſcepta. Mandat ſuperior: Quid? Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. Dicit inferior: Tunc non confundar, cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis. Igitur cuſtodivi, ne confundar. Et pollicebatur effectum: In mandatis tuis exercebor. Orabat in arctiora deduci. Deduc me domine in ſemita mandatorum tuorum. Et ſine turbatione animi ſe promittebat facturum. Paratus ſum & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua. Quare? Ut in tua dilectione permaneam, prædilexi mandata tua ſuper

aurum & topazion. Et quia tu manebis in me, propterea ad omnia mandata tua dirige r, omnem viam iniquam odio habui.baCur autem iſta ſalvator ſuis diſcipulis dixerit, per ſubjecta verba denuntiat, *Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur.* Si quod agitur de gaudio, humanitus inter homines diſcutimus maxima gaudendi materia eſt, cùm duo rationales animi rationabiliter in amicitia copulantur, ut unus per amorem in altero eſſe videatur, ita ut gaudium unius ſit etiam alterius, & quicquid boni reperitur in uno, in altero agnoſcatur. Ac per hoc tanta de dilectione Chriſtus ingeminat, ut gaudium ejus ſit in nobis, de quo ipſe gaudet, aut de nullo alio nobis præveniente quam de ipſo gaudeamus. Solus ipſe nobis ſit gaudium, cum ex omni parte præterquam ex ipſo mœror inſiſtat. Non enim alia quam de Chriſto eſt gaudendi materia Chriſtianis, neque aliunde ipſis debet eſſe feſtivitas ſuper terram. Penetrantibus ulterius dictum ad intelligendum, occurrit, quòd ipſe amoris gratia vult gaudere de nobis, velut homo nobis per omnia ſimilis factus abſque peccato. Carnem enim noſtram ex traduce propagatam propagine, animam etiam ex nova creatione in nullo diſſimilem in natura ſuſcepit, & habet. Quamobrem ſervata dilectione gaudet de bene agentibus nobis, ut eos habeat conſortes in gratia & gloria, quos conſortes habere voluit in natura, & ex hoc gaudium noſtrum impleatur. Non enim dixit, quòd ſuum gaudium impleretur in nobis, quoniam ſibi dare non poſſumus ſufficientem copiam gaudii, nec capiat ex nobis. Non extra ſe gaudet, quia Deus: nec inſurgit ſibi affectio aliqua extra ſe, ad ſeipſum totus, totè per omnia exiſtens, ab omnibus accidentibus extraneus eſt, cùm id ſit, quod in ſe habet, id ſolùm habeat divinè, quod in ſeipſo eſt. Non ergo novum ſibi de creatura gaudium, neque quale vel quantum aut ex aliquo genere dicendi aliquid de alio, ſed ſecundùm ſubſtantiam æternam, & æternè omnia de ipſo dicuntur, duntaxat relatione perſonarum excepta. Si de Dei filio æterno & vero tacta ſunt verba, digreſſionem ab inceptis quodammodo habentes locuti ſumus. Proinde ad humilia Dei filii revertamur. Gaudet ipſe de nobis voluntate non ſubſtantiva factione, aut aliqua ſufficientia gaudiorum, cùm nec minus ipſe gauderet ſi nulla creatura extra ſeipſum eſſet. Hinc eſt, quòd ſuum ex nobis quantumcunque rectè agentibus gaudium non impletur, quamvis habeatur; noſtrum vero gaudium non ex nobis, ſed ex ipſo perfectam plenitudinem habet. Non enim fons vivus à rivo, ſed rivus à fonte naturalem & ſubſtantialem habet originem, cùm non rivus in fontem, ſed fons refundat in rivum, quamvis gloria lausque ſit fontis quod in rivos ubores derivetur, quorum gloria ſeu abundantia non eſt ex ipſis, ſed ex fonte procedit.

Cap. X.

De ſingulari dilectionis præcepto & amicitia Chriſti & electione ejus ad fructum multum, ſecundùm Joannem ſolum.

ÆTerno jure in unum omnia tendunt, æterno dixerim, quia præviſo, ſed in temporis volubilitate oſtenditur, & in latentibus rebus atque manentibus. Unus Deus per omnia condidit, qui tam diverſa connexuit, ut unam mundus omnis oſtenderet formam, unum ſingulare lumen, unum caput in corpore, unamque in uno corpore rationabilem & viventem animam. Omnia membra ordinavit ad unum caput. Omnes animæ potentias ad unam ſtatuit voluntatem. Una fides, unum baptiſma eſt. Unum fecit & ordinavit præcipuum & ſingulare de dilectione præceptum, in quo fundata ſunt omnia, à quo per debitam obſervantiam complentur omnia, ſine quo nil valent omnia, cum quo & in quo bona ſunt & merentur omnia, quo prætermiſſo depereunt omnia. Et hoc cùm ait: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Joan. 13. Omnia Dei Chriſtique præcepta ſunt, ſed de iſto expreſſius fatetur: Hoc eſt præceptum meum. Si ſuum ergo inviolabiliter obſervandum, Joan. 15. quia præceptum poſuit, & non præteribit. In ſuperioribus ad ſeipſum conatus eſt hominum dilectionem convertere, nunc retorquet in proximum, & proximi dilectionem ſuum dicit eſſe mandatum, ut diligamus nos invicem, ſicut & ipſe dilexit nos. Eſt dilectio à natura in conſimiles, quoniam jure naturæ ſimilia ſibi in dilectione ſociantur. Eſt & dilectio mer-

cenaria

cenaria, eſt ex neceſſitudine, qua propagatio agitur in natura, eſt ex delectatione ſenſuali, qua colligantur animæ impudentes, ex quibus aut æquitis naturalis aut moralis quædam juſtitia ſeu morum turpitudo conſurgit, ex aliqua tamen harum ad præmium non acquiritur meritum. Proinde Salvator ex ſua dilectione modum, & formam dedit dilectioni noſtræ dicens: Sicut dilexi vos. Itaque, ut nec in dilectione proximorum error pernicioſus obveniat, exquirenda eſt atque tenenda Chriſtiforma quam ipſe præſtruxit. Quomodo igitur ipſe dilexit nos? Supra naturam, extra merceden humanam, nullo nexu ſanguinis ratione traducis, omni ſenſuali delectatione ſemota, ſed illa dilectione, qua ſolùm, proximi diligitur bonum, & tale ut ſit honeſtum atque perſectum, ita ut ad id perveniat, ſi expedit & poſſit in ſtudio diligentis. Sic enim JESUS nos vere dilexit, qui ad id
1. Joan. 3. bonum quod amabat voluntatem vitamque ponendo perduxit. Et hoc eſt quod adiecit: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ipſe poſuit animam ſuam pro nobis, quos appellavit amicos, fueruntque diſcipuli, fuerunt poſt eos & ſunt quicunque via ſimili gradiuntur. Proinde ſi ſub eo militare decrevimus, ſi cum ipſo in cœleſtibus triumphare, ſicut ipſe pro nobis & nos pro fratribus noſtris debemus animam ponere. Quod ipſe ille primus fuerit, qui pro amicis animam poſuit, & qui ſunt ejus amici, & quo pacto inter eum & homines amicitia conſtituitur, docuit & aperuit: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis.* Et præceptum levíſſimum eſt, cùm de dilectione ſit datum. Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem. Altè provehit nos Chriſti factio præceptorum, ut in ejus amicitiam veniamus, qua nulla major, nulla honeſtior, nulla potior ad tuendum, nulla facilior ad habendum, quæ virtute amativa captatur, nulla delectabilior, nulla utilior, nulla jucundior, quæ angelorum etiam amicitiam ſortitur, & omnium civium ſupernorum. Nulla verò magis inimicia, ſi contemnitur, atque damnoſior. Et quoniam amicitia magis parilitatem, quàm ſubjectionem facit in animis, hac conditione ſe nobis Chriſtus in dilectione ſubiunxit: *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi à patre meo, nota feci vobis.* Non dixit diſcipulos ſuos eisque ſimiles ſervos ea conditione, qua bello capti ſervantur, qua emuntur jura mancipiorum, qua conducuntur merce ad aliquid peragendum, qua etiam naſcuntur in domibus lege & originarii appellantur. Nihilo minus tamen amici Dei dicuntur ſervi, ut ex ſcripturarum teſtimonio claret, ut nomen ſervitutis non adimat amicitiam, & amicitiæ nomen non exclu- Gene. 15.
dat utilem ſeviturem, nam Abraham appellatus eſt amicus, & ſervus Dei, ſicut Galat. 3.
ſcriptum eſt: Credidit Abraham Deo, & amicus Dei appellatus eſt. Et alibi: Abraham, Iſaac & Jacob ſervorum ſuorum fidelium. Servitus in merito, amicitia in præmio. Servus inferioratur, ſed æquatur amicus. Servus cuſtodit impoſita, ſecreta ſentit amicus. Et foris ſervus expectat, cubiculum amicus ingreditur. Quæ in uno & eodem officiis & alternationibus diverſis aguntur, prout res expoſtulat, & exquirit alternatio agendorum ſive præmiorum. Fuerunt igitur ſervi apoſtoli & amici: Servi, dum mandata ſuſceperunt: Amici, quia ſervaverunt. Subjectio ſervum, dilectio facit amicum. Igitur jam non dicam vos ſervos, ut poſt præceptorum obſervantiam non ad altiora vos proveham, ſed amicos, ut illa ſecreta, quæ ſervus nondum in majora provectus ignorat, vos ſublati ad meam amicitiam, cognoſcatis, quibus paterna ſecreta revelavi. Quæ autem filius à patre audierit, & omnia diſcipulis nota fecerit, in dubium audientium animas mittit. Quæ ſunt illa omnia, quæ filius audierit? Quomodo nota fecerit? Quomodo mens adhuc modica diſcipulorum illorum omnium potuerit eſſe capax, cùm etiam ipſe (ut prætactum eſt) ſeipſum in loquendo fuerit moderatus,
cùm ait: Multa habeo vobis dicere, ſed Joan. 16.
non poteſtis portare modo. Quid potuit audire à patre filius, cum quo ſibi eſt æterna & conſubſtantialis æqualitas, ſapientia, æqualisque bonitas? Vt homo ſe fatetur audiviſſe à patre. Manifeſtatio ſeu notificatio auditorum omnium in eo eſt ſenſu, quo eis notificavit omnia ſecreta myſteria, omnia Sacramenta, quæ pro redemptione humana erat ipſe juſſu paterno facturus. Etſi non, quando Salvator iſta dicebat, impletum erat, per adventum Spiritus ſancti de proximo expectabatur implendum. Si verò reconvertimus literam cum ſenſu, fortaſſis amplius veritas euceſcet. Veluti hac ſerie loqueretur: Amici eſtis, quibus ſunt ſecreta pandenda. Hoc enim præcipuum
eſt inter amicos, revelatio ſecretorum, & Ephe. 1.
ſignum evidens amicitiæ copulatæ. Secreta pando, non humana ſolùm, ut ne purum hominem ſemota deitate credatis,

ſed omnia quæcunque nota feci vobis, non ab homine aut ab angelo, ſed audivi à patre meo vivo & æterno Deo. Magnipendenda ſunt iſta, ſunt omnino excedentia ſenſum, quæ nota facta ſunt. Sic Apoſtolus ait: Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ ſecundùm bonum placitum ſuum quod poſuit in eo in diſpenſatione plenitudinis temporum, reſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt in ipſo. Et alibi: Secundùm diſpenſationem, quæ data eſt mihi, ut impleam verbum Dei, ſcilicet myſterium quod abſconditum fuit à ſæculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ ſacramenti hujus in gentibus quod eſt Chriſtus in nobis ſpes gloriæ, quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem in omni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto JESU. Ecce notificatio eorum, quæ audivit à patre, quam Chriſtus fecit ſuis amicis, qui non ſe primò ad hanc almam amicitiam ingeſſerunt, ſed Chriſtus eos amando prævenit. Propter quod ait: *Non me elegiſtis, ſed ego elegi vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat, & quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis.* Non me veſtrum elegiſtis amicum, quem amaretis, nec dominum, quem utiliter timeretis, nec magiſtrum, quem audiretis, docentem ſuperna diligere, atque terrena contemnere, qui vos doceret converſari cum hominibus bonis & modeſtis, ſed etiam cum diſcolis & perverſis, qui vos inſtrueret irreprehenſibiliter vivere, placereque patri, qui vos de ſuo beneplacito informaret. Non vos me elegiſtis ducem ad viſibilia bella, contra terras acies contra colluctationem Spirituum immundorum, contra carnem & ſanguinem, adverſus mundum mundique rectores, ſcilicet tenebrarum harum. Non me elegiſtis paſtorem quem ſequeremini, qui vos defenſaret à lupis, qui paſceret vos in locis uberrimis, in tutiſſimis montibus, & juxta fluenta pleniſſima, qui requireret perditam ovem reportaturus ad gregem, qui revocaret erroneam, qui ſolidaret infirmam, amplius qui & benignè curaret abjectam & morbidam. Non me elegiſtis ad formam veſtrorum morum formandorum imitandam. Non me elegiſtis redemptorem, vos & omne humanum genus in ſanguine redimentem. Non me elegiſtis Deum veſtrum cœleſtia regna donantem. Sed ego, qui quod humano generi expediebat agnovi, ad omnia beneficia & quæque optima vos elegi, non tamen veſtris præcedentibus meritis. Alioquin electio eſſet ex juſtitia, non ex gratia, non quòd vos prius dilexeritis, ſed ego prior dilexi vos, propterea vos elegi. Sic enim ait Apoſtolus: Non tantùm pro Apoſtolis & diſcipulis, ſed pro omnibus electis. Sic ergo & in Roma. 11. hoc tempore reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Si autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia non eſt jam gratia. Quid ergo? Quod quærebat Iſrael hoc non eſt conſecutus, electio autem conſecuta eſt. Sed quoniam elegit nova bella, novos elegit bellatores, & contrarios ad contraria deſtruenda. Poſcebat enim hoc naturalis ordo juſtitiæ, ut contraria contrariis pellerentur, ab eiſque peterentur. Ad cu- 1. Cor. 1. jus electionis conſiderationem invitat Apoſtolus, dicens: Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Finem verò electionis ipſe doctor gentium ſcribens ad Ephefios aperit: Ephe. 1. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Pſalm. 133. JESU Chriſti, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto JESU, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Attamen iſta electio quamvis referatur ad patrem, proinde prædeſtinavit ab æterno filius illam, fecit illam in tempore, quia alia non docuit, alia non notificavit, alia non fecit, niſi prout accepit à patre pro nobis. Et quoniam elegi vos, non tantum propter vos, ſed ad utilitatem totius generis humani, cujus vos in hac nova militia principes feci, quod genus vana cultura idolorum laborat, ſpe fruſtratur, tabeſcit moribus, infami graditur via, ducitur à ſatana per devia quæque donec ſibi ſocietur in æternitate pœnarum, cujus miſereor, ad fructum æternitatis inquiro, ideo poſui vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Poſui & diſpoſui, ut eatis ad prædicandum per mundum univer- Pſalm. 133. ſum, & afferatis fructum converſorum ad fidem. Sic enim longè ante prophetatum eſt: Euntes ibant & flebant mit-

tentes

tentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. Sicut prophetatum eſt, diſpoſuit Chriſtus, ut diſpoſitum eſt, itum eſt, & fructus ad vitam æternam adductus, in gloria æterna manſurus. Elegi & poſui, ut vos pro vobis & pro aliis rogantibus exaudirem. Hinc ſequitur: *Ut quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis.* Promittur Apoſtolis petitionum omnium exauditio, ſive pro ſeipſis, ſive pro aliis, ſive pro ſignis & miraculis faciendis, ſive pro arcendis dæmonibus, ſive pro removendis vitiis, ſive pro virtutibus impetrandis. Decebat enim tanti regis amicos, ſic ex omni carne ab ipſo electos apud ipſum regem habere facilem gratiam impetrandi, tanquam medios inter Deum & homines exiſtentes. Inimici potius erant. Si vero reconciliationem aliquando quæſiſſent, interpoſuiſſent eos amicos ut medios, quoniam medio non utitur ad amicum verus amicus, ſed amico medio opus habet extraneus. Necnon & hanc amicitiam & fructiferam electionem, ad quam electi erant, oportebat in petitionibus juſtis ſine exceptione à Deo exaudiendo monſtrari, ut fieret omne, quod peterent, juſtum, congruum, & expediens & honeſtatem habens ex juſtitia petitionis, & ex veritate pollicitationis. Nam cùm Deus aliquid dare rogatur, juſtitia & honeſtas in petitione ſerventur, & inhæſitanter pollicitationis veritas, ſi non illico, attamen utiliter ſubſequetur.

Cap. XI.

Exhortatio Chriſti ad Apoſtolos, quòd ex comparatione ſui ad eos, ſi qua eis à mundo illata fuerint, patienter debeant tolerare, & de excuſatione Judæorum, ſecundùm Joannem ſolùm.

Comparatio ad ſuperiorem multa docuit patienter tolerare minorem, cùm verò ad inferiorem ſe componat ſuperior pati dedignatur. Nam diſſuadent ratio, mos, uſus impatientem quempiam fieri, dum agitatur adverſis, & eum arietant quæque mala, ſuo ſuperiore inſpecto in ſimilibus aut majoribus periculis extitiſſe. Non dedignetur pati ſervus, ubi paſſus eſt dominus, non miles, ubi acriora pertulit rex, non ſenator queruletur, ubi portavit imperator ardens incendium bellorum. Non dedignetur in quibuscunque aſperis & adverſis aliquis Chriſtianus, ubi ſaturatus pro nobis opprobriis, in cruce pro nobis ſubiit mortem Chriſtus. Non recuſet pro ſeipſo pati quisquis inferior, pro quo liberando ſuperior vitam expoſuit. Ad hoc adhortans Chriſtus diſcipulos ſuos, prætulit dilectionem, dicens: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Reconformat, quod ante prædixerat de
Joan. 13. dilectione præceptum, quoniam ipſa caput eſt & origio & mater omnium præceptorum. Et eſt levigamentum quoddam miſeriarum & calamitoſæ vitæ, ipſa mutua & viciſſitudinalis dilectio proximorum. Et immediate compoſitionem appoſuit, cujus conſideratione levius mala ferrentur. *Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Me inſpicite mundo ante exoſum, qui ſalvare illum adveni, cùm nihil mali feci. Et eſtote animo patientes, ſi adverſus vos mundus ſimili odio excandeſcet. *Quoniam ſi de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret. Quia de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Similitudo naturæ moruinque ſæpe magna dilectionis eſt cauſa, horum verò diſſimilitudo fomitem odii plerunque miniſtrat. Diligit malus ſibi alium ſimilem factum, velut fautorem, & adjutorem, & excuſatorem ſui criminis, & obvelatorem erubeſcentiæ, quoniam habens in iniquitate conſimilem, ex eo videtur quoddam excuſationis aut alleviationis ſuffugium poſſe conquirere. Odit tamen aliquando malus ſimilem malum, cùm ex ejus conſortio poſſeſſio, ſeu delectatio aut honor ſeu dignitas demeretur. Hinc dictum eſt: Si de mundo fuiſſetis, perperam cum cæteris operantes, mundi amatores, utique vos amarent tanquam ſuos complices & ſequaces, ſed quia ego vos elegi de mundo, ne ſitis ipſius amatores, & diſſimiles vos eis in moribus meis legibus ordinavi, fecique regulæ meæ ſectatores, abſtraxi à temporalibus, compeſcui à carnalibus, prohibui à vanitatibus, docui terrena contemnere, affectare cœleſtia, non malum pro malo rependere, ſed bona retribuere pro adverſis, non litigare pro rebus, contemptui exponere vilem corporis vitam, ſegregatos à charis & domeſticis fieri, humanam complacentiam devitare,

propterea odit vos mundus. Quare odit? Quia totus in maligno poſitus eſt, vos autem in via bonitatis electi. A diſſimilibus bonis eſt odium, à diſſimiliter viventibus infertur perſecutio, à malis virtuoſis non parcitur ſanctis, quoniam nulla iniquitatis cum virtute conventio. *Sed mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis, non eſt ſervus major domino ſuo.* Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt. Prædixit Chriſtus omnia, quæ ventura erant ſuper diſcipulos ſuos & eorum conſimiles velut infallibilis cognitor futurorum, ne cùm veniſſent, reperirentur diſcipuli non parati, & eorum animi frangerentur in ſubitatione malorum. Et ſuadet eos eſſe memores, quia prædixit, quòd ſic paſſuri erant, ne immemoria prædictorum eos per impatientiam conturbaret, magis autem eorum animos ſolidaret retenta memoria. Prædixerat quidem ſervum Domino ſuo non eſſe majorem. Proinde ſi manus perſecutoris præſumpſit in dominum, ſi perſecutio illum involvit, multo magis & in ſervos ipſa deſæviet. Quomodo defertur ſervo, ſi domino derogatur? Quomodo ſervus honori fiet, ubi domino ſunt illata convitia? Non ſuperfertur ſervus, ſed poſtponitur domino. Sic protinus erit: Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur, quia non eſt ſervus major domino ſuo. Adſcriberetur ad verecundiam indelebilem ex electione militantium, ſi manerent in civitatibus ſtante rege in caſtris, & ſi manerent in tentoriis ipſo prodeunte ad bellum, & ipſi à miſſilibus liberi, ubi rediret vulneratus ex bello. Turpiter delicatus eſt miles, qui nec cum rege ictus hoſtiles excepit, Ac per hoc, ſi dominus univerſi Deus in homine dignatus eſt pati, qua fronte, qui hoc credit propter tenerum ſenſum animo effugiet perſecutionis aſperum ſenſum. Non quòd dixerim, ut ſemper Chriſtianus in illas ſe deiiciat voluntarius, ſed quòd patienter toleret, cùm inevitabiliter in illis fuerit involutus. Nemo ſua temeritate perſecutiones inquirat, ſed ſit fortis animo, cum expedierit teſtificari de Chriſto. Si gratia Chriſti capitis deſcendit in membra, ſic & perſecutio derivetur ad ſubſequos, Perſpicuum quidem, quòd qui hoſtiliter perſequuntur aliquem ducem, quod & ſequentes milites ad poſſe confodient. Contra mundi amœnitatem Chriſtus prædicaturus advenerat, & monſtrabat ſe opnre inimicum, nil mundanum deferens, excepto quod erat commenſuratum ad vitam, quam in aſſumpta carne oſtendebat humanam. Ideo mundus perſequebatur eum. Et in eadem perſecutione futuri erant omnes Chriſtum in moribus & ſermonibus imitantes. E regione autem, ſi ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt. Doctrina diſcipulorum Chriſti à doctrina non erat ejus habitura ſeu prolatura diverſum, nec ipſi aliam habituri vivendi formam, quàm ipſe opere atque verbo præſtruxerat. Propterea ſervantes Chriſti, & diſcipulorum erant ſervaturi ſermonem. Hoc duntaxat dictum pro his, qui Chriſtum in carne audierunt, atque viderunt, quoniam ad poſteros per Apoſtolos & Evangeliſtas, per ſonantia verba & publicam ſcripturam Chriſti eſt derivata doctrina, quibus poſteris Chriſtus non per ſua verba ex carnis ore prolata, ſed per eos, quibus creditum eſt Evangelium, Spiritus ſancti operante gratia ſonuerunt. Cur autem hæ futuræ ſint perſecutiones ſubſequentia ipſa declarant: *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia neſciunt eum, qui miſit me.* Nihil in terra ſine cauſa, divina ſeu humana, juſta vel injuſta. Sic iſte proceſſus omnem ſuppoſitam cauſam injuſtam utique habet, illam ſcilicet ignorantiam pertinacem, quæ contumaci voluntate depelli, quæ ſubjecta & humili potuiſſet. Ecce igitur mali ſeries ignorantia Dei Patris, Filium pro nobis mittentis ad terram, germinavit odium in filio, qui ſe dicebat Deum æterni patris filium, qui tantum purus homo à conſpicientibus credebatur. Quod ſi pater eius fuiſſet ab eis notus per fidem æternus & verus Deus, & Filius ejus creditus fuiſſet Deus, ad terras in humanitate pro ſalute hominum miſſus, quem Apoſtoli & diſcipuli aſſerebant eſſe verum Deum, pro nobis incarnatum, natum, converſatum & mortuum, in cujus nomine ſalus danda credentibus erat. Quamobrem homines non cognoſcentes verum & æternum Deum mittentem ejus filium unigentium ignoraverunt miſſum, ignoratum oderunt, & prædicatum quod erat, non crediderunt, ſed odio pernicioſo exarſerunt in eos, qui prædicabant & moribus perſequebantur, quos & uſque ad mortem tormentis, terroribus, minis, omni pœnarum genere ſequebantur. Vnde dictum eſt: Sed hæc facient vobis propter nomen meum, quia neſciunt eum, qui miſit me. Ignorantia hujuſcemodi neglecta, odium & perſecutionem generavit ex incredulis in credentes temporis illius. Et ſcientia fidelis non cuſtodita,

pessimos

peſſimos mores nec bonos facit in hominibus temporis hujus. Veruntamen illa neſcientia non excuſat, imo amplius accuſat, quæ potuit depelli facilitate credendi, quæ doctrinam in verbo habuit à verbo. Vnde ſequitur: *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Sicut inquit Apoſtolus: Hebr. 1. Multifariè multiſque modis olim loquens Deus Patribus in prophetis noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem univerſorum. Et quæ ſequuntur, aggravant, dum contemptus eſt. Locutus fuerat Moyſes ad populum Aaron, & Joſue, & Judices multi, Samuel & David & Salomon, cæterique prophetæ. Fortaſſis quidem fuiſſet locum excuſationis inventum. Nunc autem, quia filius Dei venit, & quæque optima locutus eſt, nihil reprehenſibile, nihil impoſſibile, nihil impertinens, & verba vitæ æternæ fuerunt verba eius, excuſationem non habent de peccato ſuo; quia neſcierunt mittentem, quem in doctrina miſſi cognoſcere potuerunt. *Propterea qui me odit, odit & patrem.* Ex ratione atque uſu, moribus liquet, quòd confuſio unius relativorum & alterius eſt, & odium unius in alterum tendit. Et ut omne depellatur excuſationis ſuffugium, ſi locutioni JESU credere noluerunt, quòd majoris & excellentioris authoritatis fuerit quàm priſcorum, per eximia opera & ſupra naturam & uſum facta contendit fuiſſe credendum. Locutio quidem ſive doctrina confirmata, non ſolùm per opera moralia & honeſta, ſed per mirabilia excedentia omnem creatam virtutem, jure auditores cogere debuit ad credendum. Amplius juſtiſſimè damnat incredulos. Proinde adjecit. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt me, & patrem meum.*

Teſtimonium Joſephi Judæi. Fuit JESUS mirabilium operum patratorque ſignorum, cui ſimilis nemo præceſſerat, nec aliquis talia fecerat in populo Judæorum ſeu in populis nationum, ex quibus validabatur doctrina, quam etiam ad credendum jure corda hominum urgebantur. Etſi Moyſes, Elias & Eliſæus, & ſi quiſpiam in veteri teſtamento patrator miraculorum extitit, huic dicto non derogat, quæ nemo alius fecit, quoniam illi in virtute divina, iſte autem in propria fecit. Non enim negare niſi pertinaciter poterant opera, & ſigna, & verba Chriſti fuiſſe divina. Si autem divina, quæ excuſatio concepti odii? Quæ excuſatio non credendi? Quæ juſta perſecutionis occaſio? Quæ cauſa tanti peccati? Quæ radix tanti delicti? Nam viderunt & oderunt, viderunt opera, viderunt mirabilia & inſolita miracula, & oderunt miſſum hæc agere temporaliter in ſalvationis finem. Oderunt & patrem ab æterno, ſapienter & utiliter omnia diſponentem, in tempore congruo eum mittentem. Quam ob cauſam? Imo abſque cauſa. *Sed ut adimpleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt, quia odio habuerunt me gratis.* Scilicet protinus abſque cauſa. Sic enim multo ante longè prophetatum erat, non ut prophetia opportunitatem imponeret agendæ rei peſſimæ nobis, nec eſſet neceſſaria actioni, & Judæorum ſæviſſimæ iniquitati, ſed quia ſic erat implendum atque futurum. Sic autem decenter extitit prophetatum magnum Judæorum ſcelus, qui abſque cauſa in Dei filium odio exarſerunt, & affixerunt cruci velut hominem ſceleratum, damnantes per legem hominem innocentem, qui nihil alicui mali fecit. Sed fortaſſis eis aliquod temperamentum excuſationis accedit, propter illam ignorantiam, quod eſſet filius Dei, prout Apoſtolus ait: Quia ſi ipſum cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. 1. Cor. 2. Sed hæc modica, quoniam talia prærogata ſunt opera, & ſigna, magnalia, quod DEUS credendus erat. Et ſi aliqua excuſatio eſſe poſſet de filio Dei latente in homine, nulla tamen adeſt de homine innocente, operante mirabilia, docente utilia, diſſuadente damnoſa. Sed majus Chriſtianorum peccatum, qui Chriſtum credunt Dei filium & contemnunt, redemptorem fatentur, & non diligunt, Deum, & non timent, patrem, & non verentur, magiſtrum, & doctrinam abiiciunt, præceptorem, & non obediunt, ſed iterum atque iterum in cordibus, & in damnatis moribus crucifigunt. Proinde gratis eſt utrorumque peccatum. Atqui gratis eſt omne peccatum ſive delictum, quod ſi gratis non eſſet, porro nullum peccatum eſſet, nulla protinus reperitur cauſa peccandi. Quod ſi cauſa, ergo non peccatum: Si peccatum, cauſa penitus abrogatur. Ac per hoc omne malum gratis, bonum verò non procedit gratis. Fit gratis crimen atque delictum, ex cauſa quidem agitur omne bonum. Hujus peccati prophetiam in eorum lege ad exaggerationem mali aſſerit eſſe ſcriptam, legem Judæorum appellans pſalmos & omnem ſcripturam veteris teſtamenti. Nam ſcribitur: Quoniam gratis Pſalm. 34. abſconderunt mihi interitum laquei ſui

ſupe-

ſupervacuè exprobraverunt animam meam. Pſalm. 119. Et in alio Pſalmo: Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Joan. 18. Nam & homo idololatra, qui morti adjudicavit eum, ipſum excuſavit, dicens: Joan. 19. Ego nullam invenio in eo cauſam. Et ad ſui accuſationem, cauſam poſuit ſuper caput ejus: Jeſus Nazarænus rex Judæorum. Sed nec ipſe gratis crucifixus eſt, ſed propter delicta & peccata noſtra, & ut reſurgeret propter juſtificationes noſtras. Ideo Chriſtus non crucifixus gratis, quia homo peccat gratis.

Cap. XII.

Quòd de Chriſto Spiritus ſanctus teſtificaturus erat, & apoſtoli quamobrem à ſynagogis erant ſegregandi, & magnam perſecutionem paſſuri, ſecundùm Joannem ſolum.

QUoniam Jeſus factus erat odio apud Judæos, quia non cognoverunt eum eſſe Dei filium à Deo patre miſſum, neque ipſum mittentem patrem æternum Deum, nec præſtiterunt fidem verbis ex operibus mirabilibus, & ſignis improbabilibus confirmatis, ad teſtimonium Spiritus ſancti & apoſtolorum ex congruentia myſterii ſe reſervat, dum ait: Joan. 15. *Cùm autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre Spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Noluit per violentiam de ſeipſo cordibus Judæorum & aliorum fidem infundere, ſed à ratione devicti per ſupernaturalia facta, & per promptitudinem voluntatis trahendi erant. Quamobrem poſt teſtimonium patris in voce delapſa de cœlo, poſt teſtimonium Joannis, poſt teſtimonium ipſius filii in ſignis & virtutibus, in potentia operis & ſermonis, ut tota trinitas credatur indiviſè huic magno aſtitiſſe myſterio, Spiritus ſanctus miſſus eſt, de ipſo Jeſu mirificè, differenter, & myſticè, moraliter & variè teſtificaturus, primum in cordibus apoſtolorum & diſcipulorum, ut nec in aliquo hæſitantes ipſum crederent Dei filium. Deinde in operatione ſignorum, & prodigiorum, & miraculorum omnium, & in conſtantia mentis, in virtute ſermonis, in timore Dei omnem alium depellentis timorem, in pietatis cultu, in ſcientia cavendi, & agendi, in fortitudine tolerandi adverſa, & aggrediendi ſublimia, in conſilio, præter errorem ſecundùm juſtitiæ libertatem, in claritate intellectus ad cognitionem veri & falſi, in ſapientia divinorum, in dilectione proximorum indiviſibili, in altiſſima charitate, qua unuſquiſque debet ſeipſum deſpicere propter Deum, in patientia inſeparabili ad tolerantiam paſſionum, in converſatione abdicata, in contemptu viſibilium & corporalis vitæ, hic paracletus à patre filioque miſſus ſic teſtimonium daturus advenit. Hic Spiritus eſt veritatis, à ſimilitudinibus & imaginibus vitiorum mentes hominum abſtrahens, & in pura veritate conſtituens. Et vos teſtimonium dabitis de his, quæ vidiſtis & audiſtis & manibus tractaviſtis, pro eo quod ego vos elegi ab initio quo palam innotui mundo, ut per univerſum mundum teſtificaremini, quia Jeſus ſum Filius Dei, factus homo pro ſalute generis humani. Sicque teſtificari de ipſo cùm cœlos vellet aſcendere, iterum juſſit eos: Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in poteſtate ſua, ſed accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos; & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa & Samaria, & uſquè ad ultimum terræ. In quo mihi teſtes eritis? In moribus, in vita, in verbo, & in ſignis & prodigiis. Pro quo teſtes? Quia ſum, qui ſum, & quod ſum, & quod non propter me, ſed propter homines deſcendi de cœlis, Spiritu ſancto incarnatus, ex matre virgine natus, adultus docens, juvenis pro ſalute hominum moriens, reſurgens non iterum moriturus, cœlos tandem penetrans, patris ſeſſurus ad dexteram. Itaque Joannes cùm de cæteris coapoſtolis ſive diſcipulis Jeſu teſtimonium dediſſe fatetur, dicens: Quod fuit ab initio, quod vidimus, quod audivimus, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & vidimus & teſtamur & annuntiamus vobis. Sed quoniam hæc teſtificatio apoſtolos & diſcipulos erat applicatura pœnis, & anathema factura pronunciat Salvator; ne cùm venerit in animo oſtendatur. *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. Abſque ſynagogis facient vos.* Futurum eſt, ut anathema ſitis, cùm de me teſtimonium dabitis, & extra

extra ponamini à Judaicis ſynagogis, qui me abjecerunt, & ut malefactorem tradiderunt in mortem, ideo ne ſcandelizamini dixi vobis. Et in tantùm deſæviet Judaica iniquitas, etiam & ipſa gentilitas, cùm me crucifixum prædicaveritis, illa propter ſcandalum, iſta propter ſtultitiam, & tanquam fatua veſtra prædicatio reputabitur, & vita inſana. *Et venit hora, quod omnis, quam interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Sicut in capite præactum eſt, & in membris, nam per legem Chriſtum tradiderunt in mortem, dicentes: Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit, ut non ſe crederent homicidas, atque culpabiles, ſed veræ juſtitiæ miniſtros, ſimiliter & fautores. Sic & in membris ejus fuerat judicandum & actum eſt, quoniam, qui interfecerunt eos, non obnoxios crimini, non offenſores juſtitiæ, non Deo in aliquo diſplicentes, ſed ſacrificare pro voto, ſacrificium offerre pro debito crediderunt. Judæi pro zelo legis, gentiles pro falſo zelo idololatriæ impietatis, ſed nulla ſævior, quàm ut innocens tanquam nocens, juſtus ut iniquus, pius ut impius, benefactor ut malefactor, verax ut mendax applicatur pœnis, vexatur tormentis, & occiditur, & damnatur. In talibus quidem patientia vera, ſi aderit, magni eſt meriti, & præmia amplius habitura. Sed unde in hanc ſævitiam devient, oſtendit: *Et hæc facient vobis, quia non noverunt patrem neque me.* Ut ſæpe jam dictum eſt, hujuſcemodi ignorantia magnorum malorum fomitem miniſtravit, ſed eo inexcuſabilior, quo poſſit auferri facilitate, imo pietate credendi. Quod ut veniretur in hanc credulitatem, omne vehiculum ſignorum, & divinorum operum prærogatum eſt. Cauſam reiterat, cur iſta prædixerat, ne oblivio generaret impatientiam, & ſcandalum in fide, & ut reminiſcentia daret tolerantiam firmam, & promptitudinem in ſermone. Proinde ſubjecit: *Sed hæc locutus ſum vobis, ut cùm venerit hora eorum, reminiſcamini, quia ego dixi vobis. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram.* Ideo Jeſus apoſtolis prædixit, ut cùm hora perſecutionis adeſſet, recordarentur, ne ſcandalizarentur, ne per impatientiam frangerentur, quoniam ipſorum dominus & magiſter ſic diſpoſuerat, ſic futurum eſſe prædixerat, ut qualia ante fuerat ipſe perpeſſus, ſic & ipſi talia paterentur, ut ſicut erat futura una gloria capitis & membrorum, quamvis illa amplius, ſic paſſionum eſſet una ſocietas, tamen ex cauſis ita diſparibus. Non tamen ab initio vocationis & electionis apoſtolorum Chriſtus eis talia nota fecit, aliquamdiu habens cum ipſis exiſtere, ipſos operibus & ſermonibus informare, conducere & fovere, & ne forè in initio vocationis terrorem futurarum perſecutionum tam ſævarum audientes ab eo quod cœperant, reſiliſſent. Sed vicinus & proximus paſſioni, quaſi confeſtim abceſſurus ab eis, de perſecutionibus erudit, prænuncians quid futurum erat, & cauſam, per adverſitates & tribulationes ordinans ad gloriam æternam omnes illam captare in tempore geſtientes.

Cap. XIII.

Quod expediebat Apoſtolis cœlos penetrare Jeſum, & paracletum mittere arguentem atque vera docentem, annuntiantemque futura, ſecundùm Joannem ſolùm.

CUra erat Jeſu de cordibus apoſtolorum indebitam removere triſtitiam, quæ illis ex Chriſti fiebat abſentia, & ex pollicitatione meliorum de remotis & ablatis inferioribus eorum animos refovebat. Exponit ſuum omnino adeſſe receſſum. *Et nunc*
Joan, 16. *vado ad eum, qui me miſit, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis. Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum.* Expleta legatione ad legantem decet redire legatum, relaturum quæ fecit & quæ in ipſo facta ſunt, ut examinatus recipiat digna factis. Miſſus Dei filius in humanitate ſolùm erat, & in illa vadit ad mittentem patrem, à quô nunquam deitate receſſerat. Et ſuæ legationis pro nobis peracto myſterio, ſuſcipiet, ut filius hominis gloriam, quam ut Dei filius ab æterno poſſedit. Non tamen ex utraque forma oportebit aliquid geſtorum referre ad patrem, qui omnia novit antequam fiant, ſed in veniendo & redeundo eſt decentia facientis, & ſeries geſtæ rei, & forma veræ obedientiæ præſignata, ut ad imperium jubentis omnia fiant, & nulla ſit contradictio ad jubentem, nec grave in exequendo aliquid in animo exequentis

no homines credere debuerunt, Ex iſta
quidem incredulitate omnia mala oriun-
tur, quoniam qui incredulus eſt, non
Haba. 1. eſt recta in eo anima ejus, ſed per devia
quæque tendens idololatrat, hæret mun-
do, viſibilibus capitur, amore corrupti-
bilium tenetur, & ſegregatur à deo, ino-
bediens veris, ſubjecta falſis dæmonibus
famulatur. Et alibi Joannes aperuit in-
credulitatis periculum: Qui incredulus
eſt filio, non videbit vitam æternam, ſed
Joan. 3. ira Dei manet ſuper eum. Et Apoſtolus,
quæ mala ex incredulitate proveniant,
Ad Tit. 3. ad Titum oſtendit: Eramus enim aliquan-
do & nos inſipientes, increduli, erran-
tes, ſervientes deſideriis & voluptatibus
variis, & in malitia, & invidia agentes,
odibiles, odientes invicem. Poſtquam
ab æterno prævisum eſt Dei filium pro
nobis incarnari, ſic converſari & mori, ſic
æque promiſſum eſt in eum debere cre-
di, non autem credentes demnari, & ſi-
ne hac fide impoſſibile eſt Deo place-
Hebr. 11. re. Nihil autem eſt quod poſſit è regio-
ne conſurgere, quod non crederetur in
Chriſtum tanquam in Dei filium, & ejus
verbis, & factis ſicut divinè depromptis:
Arguebatur & arguitur mundus etiam de
juſtitia, non de illa, qua homines rectè
agere compelluntur, hæc in infidelitate
accuſatur, cùm infidelis perperam, nil-
que rectum Deo dignum agat, ſed de
juſtitia, quam in Chriſto JESU eſſe ne-
gaverunt. Juſtus Jeſus ab æterno, quia
ut Dei filius nihil per iniquitatem vale-
bat. Juſtus in homine aſſumpto mundo
apparuit, juſtus in operibus, juſtus in
vita, juſtus in ſermonibus, juſtus in do-
ctrina, juſtus in converſatione, juſtus in
Pſalm. 10. dilectione. Nam juſtus Dominus juſti-
tiam dilexit, & æquitatem vidit vultus e-
Pſalm. 118. jus. Juſtus in judicio, quia juſtus es
Domine, & rectum judicium tuum. Et
cùm animam in cruce potenter de cor-
pore tradidiſſet, dux crucifigentium con-
ſpectis ſignis ex Cœlo, & in terra ſuper
eum divinè monſtratis, ait: Verè hic
Lucæ. 23. homo juſtus erat. Supervacuum eſt ver-
bis aut ſulcatione elementorum Chriſti
velle demonſtrare, aut oſtentare juſtitiam,
ſed hoc in diſſertione tentatum eſt. Sed
quia, cùm ſuper omnem intelligentiam
hominum juſtus eſt, ut devorator, ut
malorum amicus, ut mendax, ut dæ-
moniacus, ut vanæ laudis appetitor re-
putatus eſt, & ut malefector legisque-
que deſtructor, ut latro cum latronibus
crucifixus eſt, ut non ſolùm filius Dei
per veram juſtitiam crederetur, ſed ut
filius hominis, non ex Spiritus ſancti
conceptione, ſed ex corruptione, non
dignus præmio, ſed tormento, non cœ-
lo, ſed barathro reputatus eſt. Itaque
de juſtitia, quia vadit ad patrem, à quo
miſſus erat, vadit ad ſupernam patriam,
unde venerat, ad angelicos cives, quos
pro ove centeſima quærenda reliquerat.
Vadit ad patrem ſuum, velut qui per o-
mnia peregit ejus imperium, velut ago-
niſta, qui per juſtitiam in ſanguine atque
morte redemit genus humanum, trium-
phavit & de diabolo, & ſpoliavit infernum,
Vadit accepturus pro ſe, ſuisque electis re-
gnum æternum, propterea dicit: arguet de
juſtitis, quia ad patrem vado, quoniam juſti-
tia mihi eſt, non gratia æterna conſubſtan-
tialitas eſt, non rapina, ut vadam ad
patrem in hac humana ex benignitate aſ-
ſumpta natura. Et me jam non videbitis
in terris amplius viſibiliter converſantem,
qui ab æterno maneo apud patrem. Et
ſi juſtum dicitur de filio Dei, & jam ju-
ſtiſſimum de filio hominis judicandum
eſt, qui in aſſumente Verbo una perſona
cum ipſo factus eſt, Me jam non vide-
bitis mortalem, quia reſurgenti à mor-
tuis, mors ultra non dominabitur. Exi-
git juſtitia, ut vadam ad patrem, ut ſe-
deam ad Dei dexteram in excelſis, qui in-
juſtè vilipenſus exprobratus injuſtè, ju-
dicatus ut nequam in terris cruci fui af-
fixus. Quod autem de judicio ſit argu-
tio facienda, pro eo, quòd princeps mun-
di jam judicatus exiſtat, ad ignorantiam
& ingratitudinem pertinet. Ignorabat
quidem mundus, quòd ſibi diabolus prin-
ces eſſet, & quòd finita vita corporis ho-
mines ducerentur ad loca tartarea, & qui-
bus demeritis talibus applicarentur ſuppli-
ciis, & quó jure antiquus hoſtis genus
poſſideret humanum, qua eſſet poteſtate
tam ſævus hoſtis. Quomodo judicatus, Joan. 5.
cùm nomen principatus oriatur ex lege;
veniat de neceſſitate, cum etiam inſepa-
ratis ſubſtantiis nomina principatus exi-
ſtant? An princeps hujuscemodi verſus
in tyrannum, ut à ſuperiori ſuo judicari
mereatur? Sed cùm mundi principem
diabolum dicat, ipſe ab initio mendax,
ab initio tyrannidem permiſſam exercuit,
iniqua voluntate, juſta permiſſione. I-
gnorabatur quomodo, quo jure, quo
certamine, quo congreſſu, ſub quo ju-
dice, qua litigandi ſerie judicatus eſſet,
quia non vi, ſed jure, non poteſtate,
ſed æquitate, non ſuperbia, ſed patien-
tia, cùm vellet tangere, atque infamare
& in ſuam ſortem trahere innocentem,
juſtè nocentem perdidit, quem tenebat.
Et cùm ſatageret, ut de mundo per mor-
tem acerbam expelleretur, qui illum con-
diderat, qui reparare venerat, quod pe-

rierat qui ſalutem æternam procurare mortalibus, & terrenos in ſuperna transferre, ipſe ab æterno patre judicatus ut improbus prædo, atque ut inſatiabilis homicida ejectus eſt, perdens tyrannidem ſolùm in ſibi voluntariè ſubditis divina permiſſione retinens poteſtatem. Et cùm ita factum ſit, ſibi mundus eſt ingratus, avertens à conſideratione hujus certaminis mentem, quod ſit judicatus in ligno, qui devicit in ligno, & per crucem qui ſuaſit delectationem, & per ſtultitiam crucis & mortis, qui promiſit ſcientiam deitatis, & falſam pollicitationem de non moriendo prædixit. Inexcuſabilis ingratitudinis culpa, non cognoſcere infinitum bonum, quod factum & diſſimulare & avertere & gratias inceſſanter non referre cum omnibus deficientibus viribus propris & auxiliis alienis catenam tenebrarum & jugum malæ ſervitutis & peſſimæ oppreſſionis, per jugum ſibi impoſitæ crucis, à cervicibus noſtris excuſſit, & exules revocavit ad patriam, errantes ad viam, ad filiationem extraneos, ad vitam mortuos, ad congregationem ſupernorum civium peregrinos. Atqui Spiritus ſanctus adveniens de his mundanos per Apoſtolos arguet, ſeu internè faciet cognoſcere inhæſitatè credentes. Pavida & tremefacta in his verbis erant Apoſtolorum corda, quæ cognoſcecat JEſus in verbis amplius non latura. Proinde ſermonibus parcit, ne ipſorum corda confundat, & Spiritui ſancto reſervat, quod reliquum eſt de veritate ſciendum. Vnde audiecit: *Adhuc habeo multa vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Magna & multa & utilia neceſſariaque dixerat JEſus. Multa habebat dicere, quæ agenda erant in moribus, & futura in futuris temporibus, quæ ſi dixiſſet, ipſi portare non poterant à triſtitia detenti, pro eo, quòd Chriſtus parabat ab eis abſceſſum. Datus hic ſanè forma doctoribus, ne in ſublimitate ſermonis, ne in multitudine dicendorum, ne aſperitate verborum, ne diſcuſſionis ſubtilitate, ne aliqua varietate loquendi corda gravens auditorum plus, quàm viderint poſſe portrare, aut cognoverint valetudinem capiendi. Sed expectent ſerenitatem mentium, depulſionem paſſionum, quibus inſedentibus in animo, ſermo alte latus non capitur. Sed Spiritus mittendus cùm venerit, omnem veritatem docebit agendorum futurorumque bonorum, ne per incaptionem aliquid patiamini. Non tamen alia veritas filii, alia Spiritus ſancti, neque veritas, neque lex, neque Evangelium Filii, & Spiritus ſancti, aliud & aliud ſunt, ſed omnia ſunt æquè communia. Veruntamen ſi quid defuit, quod non intelligerent per filium, intelligent per Spiritum ſanctum, qui in ipſorum cordibus declaravit evangelium: Quo inſpirante inſulcata elementa usque ad mundi finem, ad memoriam ſequentium redactum eſt, qui etiam multa non ſcripta inſpiravit, quæ velut evangelium usque in præſens orthodoxa eccleſia cuſtodivit. *Non enim loquetur à ſeipſo, ſed quæcunque audiet loquetur, & quæ futura ſunt annunciabit vobis.* Ideo non loquetur à ſeipſo, ſed audita, videlicet à patre & filio, ne in ſubſtantia alius, quàm filius crederetur. Annunciabit ventura pro utilitate credentium, & eccleſiæ condendæ de gentibus, ne in eventu ſubito fallerentur, aut deciperentur per pſeudo apoſtolos atque doctores, qui ad ſubverſionem evangelii ſunt futuri. Et prophetizandi virtutem fuiſſe in Apoſtolis Spiritus ſancti virtute, ſicut in prophetis veteris teſtamenti, nec crederetur, quòd alius Spiritus prioribus vatibus, alius Apoſtolis ſit afflatus. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Clarificabit in cordibus, & per verba ſonantia in mundo per eos, qui quam docui veritatem intrepidè prædicabunt, & per opera talia, quæ non decent fieri, niſi per filium Dei, & per mirabilia ſigna etiam majora, quàm fecerit filius Dei, ſicut ipſe promiſit de credentibus in eum. Et màjora horum faciet, quoniam ego ad patrem vado. Clarificabit Spiritus ſanctus filium, quoniam de illo, quod filii erat, accipiet. Sed quid habet filius, quod non habeat Spiritus ſanctus, excepto diſtincto nomine relativo? Omnino nihil. Quid ergo accipiet? Etiam omnino nihil. Sed quia ſicut à patre, ita procedit à filio, quaſi hoc eſſet acceptum credentibus declarabit, ut filii & Spiritus ſancti una credatur eſſe doctrina. Ne autem pater crederetur excluſus, ſed quòd omnia ejus ſunt, proceduntque ab ipſo, ſubjectum eſt: *Omnia quæcunque habet pater, mea ſunt. Propterea dixit: Quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Veritas catholicæ fidei hæc eſt, quòd Pater & Filius & Spiritus ſanctus, in nullo præterquam relatione perſonali differant: Non tamen, quòd iſta differentia ſit realis, ſeu ſubſtantialis. Proinde JESUS docet, ne aliquid diverſum in Summa trinitate credatur. Docuerat,

ediſſer.

ediſſeruerat, prophetaverat, annunciaverat multa in carne degens viſibiliter filius. Venturus erat, atque docturus corda diſcipulorum atque multorum inviſibiliter Spiritus ſanctus. Ne Spiritus ſanctus crederetut alius à filio, dictum eſt: Quia de meo accipiet. Nec filius alius à patre, aſſertum eſt: Omnia quæcunque habet pater, mea ſunt. Ut ſi Spiritus ſanctus unum cum filio, filius unum cum patre, omnes tres perſonæ per omnia habeantur æquales, nec ſpiritus duobus minor, quia tertia perſona in nominatione poſterior ab utraque procedens, nec filius patre minor, quia genitus & non gignens. Quæ igitur ſunt patris, ſunt & filii: quæ verò ſunt filii, ſunt & Spiritus ſancti: & qui æquales ſunt in æternitate, in immenſitate, in omnipotentia, in ſanctitate, in ſapientia, in ſubſtantia, non credantur diſpares in doctrina, in prophetia, & in omni veritate ſcienda.

Cap. XIV.

De modicitate temporis, quo Chriſtus videndus erat, & de triſtitia diſcipulorum, ad quam æternum gaudium eſt futurum, ſecundùm Joannem ſolùm.

CORpore non deitate Jeſus migraturus ex mundo, & ablaturus à corporeis oculis ſervilem viſibilemque formam, & illaturus illam ſuper omnia excelſa cœlo-
Joan. 16. rum, temporis brevitatem inſinuat: *Modicum & jam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem.* Quoil modicum & non videbitur, tempore reſurrectionis uſque ad aſcenſionem inſcribitur, quia tunc acceſſit ad patrem. *Dixerunt ergo diſcipuli ejus ad invicem: Quid eſt hoc, quod nobis dicit: modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem? Dicebant ergo: Quid eſt hoc, quòd dicit nobis modicum?* Hnc totum nihil aliud, quàm apoſtolorum admirationem & ignorantiam ſonat. Tardi quidem in intellectu erant apoſtoli, & ſupra id, quod naturaliter negatur hominibus, corda ſuperveniens triſtitia plus obvelat. Quos interrogare volentes ut talis ignorantia pellcreiur, Chriſtus reſpondendo prævenit. Cognovit autem Jeſus, quia volebant ipſum interrogare & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi vobis: modicum & non videbitis me. *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Non reſpondit Jeſus interrogationi quam feciſſent diſcipuli non præventi, quoniam de eo, quod neſciebant quid eſſet hoc dicere: modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, interrogare volebant. Sed reſpondit utilius, præoſtendens quid futurum erat, cùm Jeſus non amplius videretur, quia ploratus & fletus ln eis tempore paſſionis & ſepulturæ, ac etiam omni tempore poſt aſcenſionem in ipſis primitivis eccleſiæ futuræ cunctiſque verè ctedituris, & ſequentibus Chriſtum, per apertam perſecutionem tyrannorum idololatrantium & perverſorum malè agenaium uſque ad finem ſæculi duraturam. Non enim ſemper perſecutionem per mala confodientia & affligentia corporis ſenſum eccleſia paſſa eſt, ſed illam, quæ fit à diſſimilibus membris & à perperam agentibus, nunquam ſibi defuiſſe, neque uſque ad terminum mundi defutura credatur. Verè quidem Chriſti diſcipuli plus cruciantur in animo ex corruptis hominum moribus, quàm ſi quæque flagella in propriis corporibus paterentur. Sed unde ploratus & fletus? Tempore paſſionis, & mortis, & ſepulturæ, cùm eis potuiſſet illudi, & exprobrari, ſcilicet, ubi eſt homo, quem colebatis ut Deum? Aſpice crucifixum de cruce, ſi filius Dei eſt, & liberetur à patre, contemplamini mortuum, quoniam Deus non moritur, cogitate ſepultum, quo jam Deus loco non clauditur. Et unde tunc gaviſus eſt mundus, niſi quia ſibi viſus eſt triumphaſſe de hoſte, quem ſibi Chriſtum arguentem mundi ſcelera reputabat? Unde ploratus & fletus poſtquam Chriſtus regreſſus eſt ad ſuperos, niſi quia paſſi omnia genera tormentorum, expoliti pœnis, ſubjacentes tortoribus & tyrannis, quaſi derelicti à Chriſto videbantur, pro quo patiebantur? Et inſultus & exprobrationes audiebant, ubi eſt Chriſtus, ubi crucifixus, quem dicitis, quoniam veſter eſt Deus? Sicut ſemetipſum liberare non potuit, ſic & vos in tortorum manibus dereliquit. Et major plorandi cauſa, quod convitia jaculabantur in Chriſtum, quàm ex his, quæ in corporibus propriis tolerabant. Major ratio fletus, quòd Chri-

ſtus negabatur ab eis, ut non Deus, ſed homo tantùm, injuſtus ſive juſtus exiſtimabatur, quàm ex eo, quod ipſi torquebantur. Nec erat ab eo eis auxilium, quin traderentur in necem, quoniam omnes, qui ſumma rei Chriſtianæ pollebant, magis gaudebant torti ſuppliciis, quàm aggreſſi blanditiis. Sed in hoc erat ſumma doloris fletus atque ploratus & afficientis triſtitiæ, dum arrogabatur diis, & Chriſto id, quod erat detrahebatur. Nec non cum quievit perſecutio corporum, etiam ſatis abunde ploratum & fletum & triſtatum eſt, neque ceſſatum eſt, atque ceſſabitur quouſque vita iſta finiatur, non ex perſecutione morum iniquorum, qui conturbant intima cordis in amatoribus bonitatis, etiam ſi juſtis à male agentibus obſequia pro corporibus præſtarentur. Veruntamen ſi in optione factum eſt, præcipuum eſt in moribus agendæ vitæ, pro Chriſto in corpore ſpoliationeque rerum ex omni verbo triſtari pro affligente. Debitum autem ſine quo nec virtus adeſt, pro Dei injuria in animo contabeſcere juxta Dei amatoris dictum: Vidi prævaricantes & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. En duplex ex prævaricatione triſtitia, ſed major, quia injuria Dei agitur, quàm quod malè agens ex prævaricatione damnatur. Verè Chriſtus finis eſt dolendi atque gaudendi, offenſus vel amatus, perditus vel inventus. E regione verò unde mundo gaudium? Non aliunde dixerim; niſi quia mundi amatores florebunt ad horam floribus perfunctoriis atque caducis, depreſſis qui mundi gloriam contemnebant, & contra illam verbis & moribus inſurgebant. Et vos contriſtabimini amplius pro his, quos videbitis inaniter exultare, quàm pro malis, quæ cogemini tolerare. Amplius ingerit triſtitiam charitas proximi, cùm delinquit, quàm pœna proprii corporis, cùm configit. Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Non omnis triſtitia in gaudium vertitur, ſed multorum augebitur in perpetuum, ut hic incipiat pœna in inferno æternè manſura: ſed veſtra, qui pro veritate patimini, pro Dei fletis injuria, & pro proximorum malo ex charitate doletis. Appoſuit quidem de præeunte triſtitia & gaudio ſequente in muliere pariente parabolam. *Mulier cùm parit triſtitiam habet, quia venit hora ejus. Cùm autem peperit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum,* Rei experientia, quod deductum eſt in parabola, amplius quàm in diſſertione verborum claret, & alibi in hoc opere diſſertum eſt, *Et vos ergo nunc quidem triſtitiam habetis. Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Hoc quod dicit, nunc non ſolum illius temporis erat quando dicebat pro tempore paſſionis & mortis, ſed ad omne tempus uſque ad finem ſæculi tendebatur, quoniam velut nunc eſt omne tempus quouſque ad æternitatem veniatur, in quo triſtari oportet ex varietate futurarum rerum, & ex improbitate pravorum omnes quotquot ſunt. qui piè & juſtè & ſobriè vivere volunt, & ſequi veſtigia ſalvatoris. Iterata viſio, quam promiſit hic, quamvis poſt reſurrectionem eſſet illico futura, non tamen illa præſtabat inauferibile gaudium, quoniam & iterato per aſcenſionem viſionem domini perdiderunt, remanſeruntque in parte dolentes, ſed illa erit, quæ poſt ſolutionem animæ à corpore fiet, quæ dabit verum cordis gaudium, quod tollere nemo poterit, non ſolùm illi modicæ diſcipulorum turbæ futuræ, ſed omni eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Quòd ſi gaudium hoc inauferibile in tolerandis adverſis, & dum mala finienda ſe ingerunt, & in agendis, quæ expediunt ad ſalutem, mentibus hominum inſideret, nil grave ad tolerandum hominibus videretur. Multam patientiam contulit hominibus præmii altitudo, & ſpes futurorum bonorum de magnis laboribus ſarcinam levem fecit. O quanta & quàm gravia, & æſtuans pondus tolerat agricultor, actus ſpe fructus. Nauta horrendum navigat æquor, anceps inter tumentes procellas, ſpe augendi emolumenta cupita. Bellorum ictibus ſæpe mortalibus miles corpus exponit, ſtipendii ſpe potitus. Et terreni negotiatores ſæpiſſimè ſpe fruſtrantur, & nec à negotiatione deſiſtunt, cùm ſperant futura quàm priſca in meliora converti. Et ſpes inauferibilis æterni gaudii, quæ nobis de cœlis effluxit, ſperantes nullo pacto confundit, nec fallit, niſi ſpei deficiant illi, qui ſperant; Averit etiam à quibuscunque delectationibus maculoſis contemplatio ſupernorum, nec ſinit hebetem eſſe, qui ſe dicavit ad illam: actuoſum enim fecit atque ſolicitum. Optima & ineffabilis eſt poſſeſſio gaudii, quæ à nemine alio etiam à ſeipſo non poſſit auferri. Quum enim à via fuerimus abſoluti, ad ſupernam patriam introlati, nemo poterit declinare aut velle in alteram partem. Et cùm à nemine in ſeipſo poſſit ibi exiſtere cauſa mali, nec ab aliis valebit inferri, proinde dictum eſt diſcipulis: Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Cùm omne gaudium viæ alternationibus perfundetur, & variè conquiri poſſit, atque

deperdi

dependi ab ipſis poſſeſſoribus, & à ſævientibus hoſtibus extraneis, utique de gaudio futuræ patriæ dictum eſt, non de gaudio mortalis peregrinationis. Et hoc quidem verba ſubjecta manifeſtant: *Et in illo die me non interrogabitis quidquam.* Dum in via ſumus interrogare oportet ob ignorantiam, ob dubietatem, ob incertitudinem. In patria verò ſcientia lympidiſſima erit omnium, & intuitiva viſio deitatis, rerum multa certitudo, certiſſima poſſeſſio ſupernorum. Ideo me non interrogabitis quidquam in illo die, cui nox non ſuccedit in æternum, nec ſuberit cauſa, qua interrogatio naſcitur.

Cap. XV.

De certa exauditione petionis, quidve petendum ſit, ſecundùm Joannem ſolùm.

MAgnificus & nobilis herus quid majus poteſt polliceri ſubjectis, quàm exauditionem facilem in petendis? Et hoc præſertim exquiritur ab his, qui colunt & mundi principes venerantur, quòd eis cum impetrationis pollicitatione detur audacia, non ſemel tantùm, ſed quoties rerum varietas & petendi neceſſitas ſuaderet. Hinc & Salvator aſcenſurus in cœlum, patris conſeſſurus ad dextram, omni orbi prælatus per omnia factus, hoc munus gratiæ apoſtolis dereliquit, cùm ait: *Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Supra ſimile dictum eſt, dum de diſcipulorum tractaretur electione, ſed nunc ad confirmandum reiterat. Divinum juramentum eſt amen, quoniam Chriſtus Deus per aliud, quàm per ſeipſum jurare non poteſt, quia non per inferiora, ſed per æqualia ſeu majora juratur. Nihil Chriſto Deo majus, & ipſe veritas eſt, verumque omnino eſt, quod ipſe promittit, videlicet de omnibus apoſtolos exaudire petentes, duntaxat quod in ſuo nomine petitio porrigatur, non in nomine angelorum, non in nomine aliquorum ſanctorum, non in nomine ipſorum petentium, non in nomine adverſantium poteſtatum. Et quamvis preces porrigamus ad angelos, & ad ſanctos, non tamen, ut aliquid nobis ex ſeipſis efficiant, cùm in ipſorum poteſtate non ſit ab animabus auferre vitia, neque virtutes conferre, ſed ut orent pro nobis Deum, qui utrunqve habet efficere poteſtatem. Nec exaudimur in merito aliquorum, quorum merita non fuerunt ſufficientia pro ſeipſis ſine miſericordia & gratia Salvatoris, in cujus nomine virtus expediens tribuitur, in cujus nomine quæque vitia depelluntur. Nec dictum videatur abſurdum, ſanè tenendum eſt, ſi exaudiuntur ſancti pro ſeipſis, ſi pro nobis & eorum amicis, ſi nos exaudimur cum eis, totum agitur in nomine ſalvatoris. Collegæ quidem ſumus, fide catholica & charitate indefectibili conſignamur, quamvis in viatoribus ſit diſparitas virtutum, ut apud Deum, ſi non perſonarum ſit, tamen unius quam alterius major acceptio meritorum, ita quòd petitio aures Dei ocyus introeat, & exaudita proveniat. Quod jam verò æterna beatitudine potiuntur, cùm pro nobis peregrinis Deum precantur in cœlis, etiam non pro ſeipſis exaudiuntur, ſed in nomine illius, cui in ſanguine & morte & juſtis moribus teſtimonium reddiderunt in terris, quanquam & ipſi pro nobis in nomine Jeſu exaudiuntur ocyus, ex eo, quòd hic pro ejus nomine moralem vitam purius tranſegerunt, ardentiusque amaverunt. Summa quidem hujus ſententiæ ſic terminatur, quod omnis petitio pro nobis removendæ malitiæ, inſerendæ virtutis, adipiſcendæ ſalutis, à ſupernis porrecta civibus, tam angelis, quam hominibus, ſive à ſanctis viatoribus exaudita, non venit, niſi in nomine Salvatoris, cujus nomen, non quod ſcribitur litteris, ſed meritum eſt incarnationis, nativitatis, vitæ, paſſionis, crucis, orationis, & mortis, qui pro nobis in lachrymis & clamore valido exauditus eſt pro ſua reverentia. Etiam nemo nomine ſuo & virtute propria meritorum, ſe credat à domino exaudiri abſque nomine Jeſu Chriſti. Dæmones quidem inter nos & Deum orandum medii eſſe non poſſunt. *Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo.* Quia vobiſcum eram, interpellabamque pro vobis præſens non abſens. Et fortaſſis non ad plenum aderat eis illa credulitas, quòd filius Dei eſſet, quamvis Petrus fuiſſet pro omnibus plenè confeſſus, quòd Chriſtus eſſet ipſe filius Dei vivi, cùm aliquoties maximè in paſſione dubitaverint. Sed poſt paſſionem, mortem,

mortem, ſepulturam, reſurrectionem, aſcenſionem, immiſſionemque Spiritus ſancti, ſoliditatem fidei acceperunt, quòd JEſus eſſet filius Dei, & ſæculi Salvator, in cujus merito cuncta bona credentibus provenirent. Propterea uſque peractis talibus myſteriis aliquid non petiverunt. At ubi cognitum eſt poſt aſcenſionem miſſionemque paracleti, quòd JEſus eſſet Filius Dei, petitiones ſunt exhibitæ ad Deum, poſitæ ad tribunal, & perſtructa forma, quòd fiant in nomine Chriſti, ac etiam ex fine petitionis quem ipſe contulit, ſcilicet: *Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum plenum ſit.* Jure petentis & largitoris atque petitionis, omnis petitio debet eſſe bonorum. Multa quidem ſunt, imo cuncta ſunt ex natura bona, ea declarante ſententia: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Sunt

Gene. 1. & meliora & perfecta, media tamen ex uſu voluntatis hominum ſunt pleraque. Omne gaudium ut gaudium bonum eſt, ſed malum & peius, bonum & melius dici poteſt ſecundùm ſuppoſitas cauſas. Plenum verò non de aliqua re creata, ſed tantum de ineffabili & æterna participatione creantis. Hinc ergo ſummam petendi ſtatuit, ut gaudium veſtrum plenum ſit. *Hæc in proverbiis locutus ſum vobis. Venit hora, cùm jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palam de patre meo annunciabo vobis.* Multa per ſimilitudines & parabolas ſeu per proverbia locutus fuerat JEſus pro multis moribus informandis, & quod maximè curæ fuit, ut ejus pater crederetur Deus: Nunc verò caſſatum eſt, quod dictum eſt in parabolis, ſed adjectum eſt expreſſioribus verbis absque omni fuco ſermonum, quòd Deus æternus ejus verus eſt pater, ut præcedentia & ſequentia verba manifeſtant, & per Spiritus ſancti adventum manifeſtius declarabit. Attamen quantùm attinet ad ſuſceptum ſermonem, quid cum ipſo & cum diſcipulis ſit pater inſinuat. *In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis. Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia à DEO exivi.* Suaſerat ſupra diſcipulis ad petendum patrem in nomine ſuo, impetrationem facilem repromittens ſuorum interventu precum, quoniam totus eſt pater ad filium, cujus intuitu poſtulata non denegat. Nunc quidem ſupra id, quòd rogaturus ſit, ad diſcipulos patris declarat amorem, binam cauſam ſubiiciens, amoris & firmæ veræque credulitatis. Acſi perſpicacius dicat: Petetis quidem in illo die, quo petendi urgebit neceſſitas, perſuaſi à me, quos etiam promiſi apud patrem in veſtris petitionibus meis precibus adjuvare. Sed non dico vobis, quia ego tantùm patrem rogabo pro vobis & de vobis, ſed quia ipſe pater amat vos, quia me amaſtis, & amatis, propter quem omnia viſibilia contempſiſtis, & non ſolùm me cunctis amabilibus plus amando propoſuiſtis, ſed voſmetipſos tradetis in mortem, & credidiſtis, quia à Deo exivi, ut nec impediret animam veſtram forma ſervilis, in qua viſibilis mundo apparui, ſed credidiſtis, atque confeſſi eſtis, & confeſſuri coram hominibus formam Dei, & credidiſtis me filium Dei ab ipſo patre in mundum miſſum, cum hominibus in carne converſatum, non tamen deitate ſeparatum à patre. Ecce in quo eſt, ſi quærimus, & geſtimus habere æterni patris amorem, Si volumus diligi, diligamus: Amemus filium, ſi amari à patre contendimus: credamus filium, & pater nos amabit æternus. Mos ſolitus eſt, quòd patres diligant ſuorum filiorum legitimos amatores. Noſtræ mentis hebetudinem arguit facilitas amari ab æterno & patre omnium Deo, nec excuſationis ſuffugium poteſt aliquando invenire, cùm non tempus ad uſum, neque locus ad actum, non munus auri ſive gemmarum exhibitum, non interpoſitio, non advocatorum interceſſio requiratur, ſed tantùm amor noſter in filium tendens, & credulitas confitens paternum amorem nanciſcitur. Mirum dictum, quòd non de patria curâ fuit filio dicere, ipſe pater amat vos, quia vos amatis patrem, ſed quia me amatis. Quoniam ſi aliquando à quibuscunque nationibus creditus fuit unus Deus ſummus, verus & æternus, non tamen exceptis paucis, quibus divinè datum eſt, creditum fuit, quòd ſibi æternus eſſet filius. Et ſi credebatur habere filium æternum, nec ipſum in tempore miſiſſe pro nobis in mundum. Et jure ab omnibus rationabilibus amabatur Deus, & qui non dilexerunt Spiritus incorporei corruerunt. Nunc quidem quia Pater Deus ab æterno filium gignens in tempore illum in carne viſibiliter mittens, magnipendendum erat, quòd filius jam non creditus crederetur, & quòd eſſet miſſus in carne pro nobis, & ſic creditus amaretur. Et qui diligit filium æternum, & æternùm patrem diligit. Propterea de ſeipſo in carne apparente dicit: Ideo ipſe pater meus amat vos, quia vos credidiſtis, quia exivi ab ipſo, natus in carne mundo, & creditum amaſtis. Ac per hoc veſtræ petitiones ex eo, quod rogabo patrem, ex eo, quòd ipſe vos amat, ob ſuppoſitas cauſas, quod petunt facilitèr impetrabunt. Cre-

dediſtis

didiſtis quia exivi à patre. Et ego dico vobis: *Exivi à patre & veni in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad patrem.* Verum eſt; quòd creditis, quia exivi à patre, non ſeparatus ab ipſo, neque ſubſtantiali diviſione ſejunctus, quoniam unitas diviſionem non capit, cùm ego & pater ſubſtantialiter unnum ſumus. Veni in mundum non localiter motus, ſed aſſumens carnem in illa viſibiliter manifeſtus. In mundum veni non ob mei cauſam, non mea re, non mea utilitate, non mea delectatione. Tantùm humani generis negotium agebatur, quo perfecto iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Juris ordo depoſtulat, ut legatus expleto ſuæ legationis officio, in extranea regione non maneat, ſed revertatur ad eum, qui miſit illum. Relinquo mundum velut exilii locum, qui me non cognovit, qui me crucifixit, in quo perſonalia damna ſuſcepi, non me terrena regio capit, ad cœli ſublimia feror, nulla mihi cum ipſo conventio. Sed relinquo, non derelinquo, non denego ſubſidia poſtulantibus, me ſequentibus auxilia de cœlo polliceor. Vado ad patrem non in deitate; in qua nulla ſeparatio facta eſt, ſed in natura humana, quæ à me inſeparabiliter aſſumpta eſt. *Dicunt ei diſcipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc ſcimus, quia ſcis omnia, & non eſt opus, ut quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo exiſti.* Agnoſcunt Apoſtoli in virtute loquentis ſimplicem doctrinam Chriſti à proverbiali diſcretam, & confitentur eum ſcientiæ infinitæ, quam nemo effugere poteſt, quæ ita mirabilis, & ſuper omnes homines facta eſt, ut nullus comprehendere poſſit illam. Hoc quo-
Pſalm. 138. que David ante prædixerat. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam. Nec opus erat ipſum interrogare apertè atque ſine velatione loquentem, ſcilicet exceſſum, quem erat ipſe facturus: fatenturque inſitam in ſuis cordibus fidem, quòd à patre ad opus noſtræ redemptionis exierit, quam fidem atque confeſſionem adhuc debilem Chriſtus agnoſcens, quod eſt futurum negationis iterato denunciat dicens. *Modo creditis. Ecce veniet hora, & jam venit, ut diſpergamini unusquisque in propria, & me ſolum relinquatis. Et non ſum ſolus, quia pater mecum eſt.* Acſi diceret: Verum eſt, quòd me creditis Dei filium à patre miſſum, ſed veſtra fides modicum eſt duratura, cùm in proximo ſit hora meæ captionis, atque traditionis in manibus impiorum, veſtræque negationis terrore importat; ut ante proviſus ſeu vagè timore compenſus vos in propria diſpergamini, unusquiſque fugiens quærensque latibulum à propria voluntate latus. Et cùm unusquisque pro ſalute ſui proprii corporis quæret ſuffugium, relinquetis me ſolum, ſed non ero ſolus à patre, qui ſemper ſubſtantialiter mecum eſt. *Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, quia ego vici mundum.* Verebatur Chriſtus ne diſcipuli ſui ſcandalizarentur in eo ex his, quæ paſſurus erat, & in Cœlum poſtmodum aſcenſurus. Idcirco dicit: Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis, nec vos conturbet novitas futurorum in me velut in capite, vel in vobis ut capiti adglutinatis. Et iterum ipſorum futuras prænunciat paſſiones, ne propter inopinatum malorum eventum vale virtutibus facerent, quibus improviſus & pavidus illico cum caſus ingruerit, vale facit vadens in alteram partem.

Cap. XVI.

De oratione JESU ſuper clarificatione ſua in notitia jam facta & futura in cordibus diſcipulorum ſuorum, ſecundùm Joannem ſolùm.

Joan. 17. PReeibus neceſſariis ad patrem pro ſuis diſcipulis cæterisque credituris, ſuum terminavit ſermonem ſic: *Hæc locutus eſt JEſus, & ſublevatis oculis in Cœlum dixit: Pater, venit hora clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Orans in Cœlum oculos corporis levat, ex geſtu corporis prodens, ubi ejus anima verſabatur, & quòd nec eſt pro terrenis orandum, & ut homo diſcipulis interpellaturus ad patrem præſtruxit orandi formam. Sic & ſcriptum eſt: Ad Pſalm. 122.
te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Levat oculos in regionem, unde venerat, ad quam erat in corpore de proximo regreſſurus. Invocat patrem Matth. 6.
ſuum æternum in deitate, patrem ſuum ex tempore, quia homo, ſicut & cun-

ctorem patrem, opere perficit & oran di formam oſtendit, quam ante docuerat. Cùm oratis dicite: Pater noſter qui es in cœlis. Pronunciat ut agoniſta ſui agonis præcognitor, quia venit hora certaminis, in qua tamen corpore debebat ſuſtinere afflictum, ſed ad punctum ſpiritualiter debellaturus omnes ſatanicas poteſtates. Clarificari, ut clarificet, petit, ſpondens exauditæ petitionis vicem: neque tamen erat indigus clarificari. Intra ſe quidem æterna atque perfecta claritas atque notitia erat, nec clarus fieri apud homines indigebat. Noſtro commodo claritatis venturus erat effectus, ut Dei filius poſt crucem & mortem in carne ipſius reſurrectione claresceret, ne tantùm purus homo crederetur, quin etiam Deus eſſet, ut non æſtimarentur illæ paſſiones, illa fera mors, illa ſepultura incurata, ſed obſervata per milites, ita invaluiſſe hominem, ut eſſet ſicut cæteri mortui, atque in poſterum morituri, quaſi nec ex plenitudine divinitatis ab omnibus plus haberet. Poſtulat priusque congrediatur, victorioſi congreſſus ſtipem, quòd poſt omnia tolerata reſurgendo reſplendeat, & ipſe clarificabit patrem relatione vera, quæ inter patrem & filium extat, ut qualis filius in animo credentium ſit per fidem, talis non ambigatur penitus eſſe pater. Et hæc mutua claritas ſic educta ſit tota ſalus illam credentium, pro qua filius orat, ut oſtendunt verba ſequentia: *Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam.* Dedit filio pater omnis hominis poteſtatem, ut à patre totum capiatur, hac conditione futura, ut ei dato det filius vitam æternam. Non enim à patre accepit filius ſuper homines tyrannicam, perfunctoriam, ambitioſam, ventoſam ſeu ſterilem poteſtatem, ſed ut velit, & poſſit eis conferre vitam æternam. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti JEſum Chriſtum.* Liquet pro qua claritate orabat ad patrem, videlicet ut pater una cum Chriſto per fidem ab hominibus cognoſceretur. Ad quam cognitionem vita æterna conſequitur, cum aliud vita æterna non ſit, quàm Dei patris & filii mihi intuitivam habere notitiam. Quidnam jam fecit & facturus eſt uno verbo concludit dicens: *Ego te clarificavi ſuper terram, opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam.* Non repugnat, quòd ſupra reſpondebat, ut filius tuus clarificet te, ei quod nunc dicit, ego te clarificavi, quoniam aliquid per Apoſtolos reſtabat complendum, aliquod ipſe jam fecerat. Clarificavit patrem filius per magna miracula, quæ omnia in patris nomine fatebatur, & per doctrinam ſuam, quam in eum totam referebat, cùm diceret: Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me. Et ſæpius hoc idem aſſeruit, per Apoſtolos & diſcipulos quod reſtabat complendum erat in orbe terrarum. Conſummaverunt à patre impoſitum opus actione & promptitudine voluntatis, & de futuro myſterio paſſionis velut de jam preterito loquebatur, eo quòd libera & intrepida voluntate complendum ſuſceperat. Et æternam à patre poſtulat notam fieri non accipere claritatem. *Et nunc clarifica me pater apud temetipſum claritate quam habui antequam mundus fieret apud te.* Clarus erat ab æterno filius apud patrem, ſed vult, ut pater illam claritatem in corda hominum per fidem traiiciat, tandem per ſpeciem largiatur ut credant homines, quod non ſit ex tempore filius, ſed ab æterno Deo priusquam fieret ipſe mundus, ut mundus credatur novus & creatus cum tempore, ipſe verò mundum æternitate præcederet. In hoc protinus verbo philoſophi confunduntur, illi duntaxat, quos fides creatoris præteriit, & qui mundum æternum ponere præſumpſerunt, cùm apertè dicat: antequam mundus fieret. Igitur ſi factus eſt mundus, non eſt æternus, ſed novus. Ergo erat claritas dei filio antequam mundus eſſet, cùm ſit æternus & æqualis per omnia patri filius. Et apud patrem Deum etiam mundus erat in verbo æterno. quod erat apud Deum, ut in exordio ſcriptum eſt: *Et verbum erat apud Deum.* In cujus ſapientia ea imagine, quæ divina mente geſtus æternè ex nihilo prodiit. Et quoniam ad hoc veni in mundum, ut fieret hominibus de æterno patre notitia per me, quem miſiſti, & me tua operatione cognoſcerent, ut utriusque cognitio fieret credentibus in ſalutem, proinde *pater manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo. Tui erant & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverant.* Secundùm Hebræos multa ſunt nomina Dei, unum quorum primoribns patribus Deus celatum retinuit, ſicut ſcriptum eſt: Ego dominus qui apparui Abraham, Iſaac & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum adonai non indicavi eis, ſed revelavit Moyſi, cui hæc facta ſunt verba. *Exodi. 6.* Nunc verò filius nomen paternum dicit in manifeſtationem dediſſe diſcipulis, attamen non credatur de aliquo nomine diſtincto dediſſe, ſed de virtute, quòd eis manifeſtaverit virtutem paternam, in qua omnia facere atque dicere aſſerebat. Nomen enim in ſcriptura ſæpe ponitur pro virtu-

te,

Pſalm. 123. te, juxta id, quod ſcriptum eſt: Adjutorium noſtrum in nomine domini, qui fecit cœlum & terram, hoc eſt, in
Pſalm. 53. virture & potentia Dei patris, qui omnia fecit, nobis adjutorium fiat. Et alibi: Deus in nomine tuo ſalvum me fac, id eſt, in tua potentia ſalus adveniat. Aut ſi ſecundùm relationem accipimus, nam Deus eſt ad ſe Deus ſic nominando Deum, ad filium autem pater. Igitur qui fatetur ſe filium, patrem dicit, filium ſentit. Manifeſtavit ergo filius nomen patris in ſeipſo, cùm ſe filium appellavit, & illis hominibus, qui ſibi de mundo æterna prædeſtinatione dati erant à patre, in nomine cujus innititur, ut ſciatur. Erant & ſunt omnia Dei patris, ſed dati ſunt homines filio à patre ad doctrinam, ad fidem, ad ſalutem, ut doceat vitam agendam, infundat fidem deſperandis, & largiatur in finem juſtis ſalutem, iniquis verò meritò ſupplicia meritorum. Dati ſunt homines filio, ut homo factus eſt, ut Deus erat, omnes poſſidebat ut pater, & hi, qui dati ſunt ex prædeſtinatione æterna, ſermonem patris ſervaverunt, quem audierunt à filio, qui ſermo in illis apoſtolis atque diſcipulis operatus eſt, juxta virtutem ejus,
Hebr. 4. quam deſcribit Apoſtolus Vivus eſt ſermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & perſtringens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus. Vivus Dei ſermo ex viva Dei voce Apoſtolos & diſcipulos, imo cunctos invitat ad vitam, ſed illi primi & ſtudioſius hunc ſermonem pro vita tenuerunt. Non enim diceretur vivus, niſi ſervatoribus ejus vitam æternam promitteret. Efficax etiam eſt, quia virtutem efficacem habet in his, ad quæ ordinatus eſt. Penetrat interiora plus quàm gladius materialis ſenſibilia corpora fodiat, & dividit ſpiritualem vitam ab animali vita, ſeu animam & voluntatem ſegregat ab omni viſibili mundo. Quem ſermonem in ſua virtute Apoſtoli & diſcipuli ſervaverunt cæterique ſimiles. *Et cognoverunt, quia omnia, quæ dediſti mihi abs te ſunt, quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis. Et ipſi acceperunt, & cognoverunt verè, quia à te exivi, & crediderunt, quia tu me miſiſti.* Verba ſalvatoris, quid jam factum erat, & quod futurum in Apoſtolis expectabatur, inſinuant. Et quia ipſi dona mea ſive à te patre data & à me accepta cognoverunt abs te proceſſiſſe, ac verba, quæ dedi eis, non eſſe alia, niſi quæ à te patre accepi, & quia ipſi acceperunt verba, & accipientes accepti facti ſunt, & quia cognoverunt me à te veniſſe, teque me mittentem, quæ omnia ſunt extra rationem & uſum & ſupra naturam & ſenſum, ideo ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Rogabat filius patrem pro ſuis ſcilicet pro his, qui ſunt patris, non ac ſi pater omnino aliquos ſecretos haberet à filio, aut pater eos ut filius non amaret, cùm ſupra dixiſſet: Et non dico vobis, rogabo patrem de vobis, ipſe enim pater amat vos, & nunc pro eis rogat, qui ſunt patris, ſed ſibi datis. Sunt omnes homines Dei patris, qui creavit, ſunt dati filio, ut redimeret poſt peccatum. Ideo pro eis rogat, ut etiam prædeſtinatio ſalvandorum filii oratione ſit juvanda, ſitque ſanguinis effuſione complenda. Non rogat pro mundo, quo nomine illi intelliguntur, qui mundo colligati ſunt eo dulci vinculo, ut nolint, timeantque diſſolvi. Quomodo non pro mundo rogat, qui omnes ſalvaturus advenerat, qui quærebat omnes ſalvare, & omnes qui perierant & indigebant miſericordia Dei? An ſolos illos Apoſtolos cum diſcipulis ſalvare decreverat? An ipſi ſoli ſalvandi erant? Quomodo alii increduli & peccatores veniſſent ad gratiam, ſi ab oratione Dei filii excluderentur? Sed ad removendas ambages id dixerim, quod ideo non pro mundo rogat, quia præſciti etiam participium orationis Chriſti non capiunt, ſicut effuſi ſanguinis meritum perdiderunt. Quod autem inter patrem & filium non credatur in poſſeſſione diviſio adjunctum eſt: *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt.* Calumniam, ſi fides ſimplex non juvaret, verba iſta paterentur, quoniam magna diverſitas inter meum & tuum. Nam ſi meum, quomodo tuum, niſi quia pater & filius unum ſunt, & ex forma ſervi propter quam iſta diverſitas loquendi poſſet competere, inter patrem & filium diviſum aliquid non credatur. Et ob hoc pro eis rogo, quia *& clarificatus ſum in eis. Et jam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio.* Ad futurum pertinet, quod velut præſens dicitur, quia clarificandus erat per eos in orbe terrarum, per prædicationis ſonum, per tormenta & paſſiones, per ſanguinem & mortem omnium tyrannorum contempto terrore, ut juſtè credi poſſet ab omnibus, credereturque à multis, quod Deus eſſet, qui tales legatos, talesque famulos poſſideret. Et ipſe Dei filius jam in mundo non erat, velut unus de ama-

jam receſſerat à conſervatore Jeſu, ut proditor Chriſtum perdere quærens. Cujus præſcientia Dei ab æterno mater ſibi erat, non ut neceſſitate perderetur, ſed quia perdendus erat ſua depravatione, non præſcientia Dei, perditionis filius ab omni cognitore appellatus eſt, qui cum duodecim electus jam diabolus factus erat ſicut ipſe prædixerat Salvator: Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt? Non natura, non conditione, non factus à Deo, ſed ſua diſtortiſſima voluntate, ſicut illi Spiritus incorporei, qui à ſeipſis facti diaboli corruerunt. Ac per hoc, qui perit, ideo perit, quia ipſe filium perditionis ſe facit. Sed de iſto tanquam de ſingulari & famoſiſſima cauſa, ſcriptura prælocuta eſt. Ideo adjungitur: *ut ſcriptura impleretur*, non neceſſitans quod erat futurum, ſed neceſſitata ex facto, ſicut in pleriſque ſcripturæ ſententiis legitur, præſertim in pſalmo quinquageſimoquarto & centeſimooctavo. *Nunc autem ad te venio.* Acſi diceret: Ex quo ad te pater venio, tu eos cuſtodi, & ſerva eos in nomine tuo, quoniam tua præſentia nullibi defuit, ſed ab eis ſubtrahenda eſt omnino præſentia corporalis, quæ ubique diffundi eodem momento non poteſt. *Et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis.* Dum in mundo ipſi erunt, mundum non diligentes nunquam ab his, quæ foris ſunt, gaudendi materia erit eis. In interioribus præparandum eſt gaudium. Ideo hæc loquor, hæc peto, ut gaudium de unitate, de conſervatione paterna, quod meum eſt, impletum ſit in ſemetipſis, ſeu de me gaudeant, quia ago ipſorum cauſam apud te Deum patrem. Quare Jeſus hoc pro diſcipulis petat, exponit: *Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut ego non ſum de mundo.* Uti diceret: Prædicavi eis ſermonem tuum, nihilque humanum atque temporale docui, quem recipientes ab ipſo mundo abdicati ſunt, qui eos odio habet, velut ab ipſo averſos, in ipſo exiſtentes adhuc corpore, mente diviſos. Et non ſunt de mundo amore, moribus neque vita, ſicut ego non ſum de mundo, qui me non cognovit, qui tales etiam ad hoc elegi, ut præterquam per conſiſtentiam corporalem de mundo non eſſent. Prædicavit Jeſus divinum ſermonem in lingua carnis diſcipulis ſuis, qui qualis erat effectus, oſtendit: ut non eſſe de mundo activos faceret auditores. Paternus Dei ſermo ad filiationem adducit eos, qui capiunt, avellit ab humanis, quia divinus: non deſtruens naturam, ſed ſublevans ad gratiam, & facit in odium eorum, qui mundum diligunt devenire, pro eo, quod diſſimiles eorum affectus, geſtus, vitam & mores facit. Et inter diſſimiliter viventes ſemper odium fuit. Ideo pro eis filius interpellat ad patrem. Sed quid roget, iterum aperit. *Non rogo, ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo. De mundo non ſunt, ſicut ego non ſum de mundo.* Non poſtulabat Jeſus diſcipulos illo in tunc auferri communi morte de ſæculo, qui ad teſtificationem introducendæ fidei diverſis tormentis afficiendi, & à tyranis & principibus ſæculi variè obtruncandi erant, ſed ut ſervarentur ab omni malo in anima, ne in fide aut dilectione tabeſcerent, cum ex omni parte mundus odiens deſæviret in eos, doctus ab ipſo diabolo & inſtigatus, quomodo per tormenta valida & varia caſtigaret, ut dum hæc agerentur in corpore, ipſe mentes, ſi poſſet, ad defectionem à Chriſto inflecteret. Proinde orat, ut ab omni inviſibili malo ſerventur, quamvis in malis corporalibus relinquendi. Ad ſimilitudinem ſuam ſervari appetit, cùm vitæ ſimilitudinem inducit. Ideo ſerva eos ut me, cujus anima immaculabilis, cujus corpus cruciabitur pœnis, & experietur mortem, ſed habebit reſurrectionem, quoniam de mundo non ſunt, ſicut ego non ſum de mundo, ut quorum vita ſimilis, conſervatio ſit æqualis.

Cap.

Cap. XVIII.

De oratione quam Jeſus fecit ad patrem pro ſanctificatione & confirmatione ſuorum diſcipulorum, cæterorumque crediturorum, ſecundùm Joannem ſolum.

INfatigatus & infatigabilis amor Chriſti ſemper providet, & optat meliora dilectis, nec marcet otio, & feriari neſcit. Ecce amator hominum Chriſtus maximè diſcipulorum ſuorum, quos ex omni carne de mundo elegerat, à mundo ſegregaverat, & aptaverat ad cœleſtia, quanta cura, quantoque ſtudio ſuper eos intendit, fungens advocationis & interpellationis officio apud patrem, committens eos in ejus curam, atque cuſtodiam, ut ſub ejus tutela degant, agant, conſerventur, ſanctificentur, & unum ſint, ſicque vivant quouſque in ſuperna cum tota trinitate in æternum ſuſcipiantur. Inquit enim: *Pater ſanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt. Sicut me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum.* Alia eſt petitio ſalvatoris pro diſcipulis ejus, ut ſanctificentur à patre. Non poteſt aliquid in hac vita ſublimius quæri, quàm ſanctificari ab ipſo. Sanctificatio & beatificatio ſunt à patre omnium Deo, vitaque digna, utraque per excedens & exceſſum. Excedit ſanctificatio beatificationem prioritate, niſi enim iſta præcederet, illa non ſequeretur. Virtute, quia iſta in actione & agonibus eſt, illa in fructu, ſed plus eſt inferre, quàm recipere: agere, quàm agi: diligere, quàm diligi: ſervire, quàm ſerviri: facere quod ſuæ eſt vicis, ſive debiti, quàm recipere, quod alterius. Horum omnium & ſimilium poſſibilium dici prima ſunt ſanctificationis, reliqua beatificationis. Iſta hominum, illa Dei. Veruntamen bona omnia ſunt à Deo. Exceſſus autem ſcilicet quod à beatificatione ſanctificatio ſuperetur, liquet pro eo, quod finis eſt conſummatus, ad quem nàncifcendum omnia ſunt ordinata mortalibus & rationabilibus creaturis, ultra quoque non relinquitur quid quæratur. Omnia per ſanguinem ſanctificabantur in veteri teſtamento, ut merito ſanctificatio dicatur ſanguinis tinctio & ſanctus ſanguine tinctus nuncupetur. Et per oblationes & munera fiebant expiationes. Eſt autem ſanctificatio mundatio à malorum contagiis & ab omnibus criminibus atque delictis, ut in ſanctificato nihil reperiatur impertinens, ſicut ad Jeremiam locutus eſt dominus, dicens: Priuſquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva, ſanctificavi te. (Jerem. 1.) Qui non habuit in utero aliud delicti ſeu criminis, niſi maculam culpæ originalis, qua virtute Spiritus ſancti mundatus eſt. Et Joannes ſanctificationis donum in utero accepit. Eſt & ſanctificatio confirmatio, ſeu confortatio animæ & corporis, ad actiones arduorum operum, ad tolerantiam adverſorum. Unde ſanctus quaſi ſancitus in virtute. Græca vero locutio agios dicit, quod nos ſanctum dicimus, id eſt, ſine terra, ab α quod eſt ſine, & γῆ terra, ut ſanctus ſine terra ſit, videlicet non ſine terra ſuper quam graditur, & ſine illa, quam corporis ſui portat, ſed ſine amore terrenorum, quorum affectio ſanctitatem fieri ſemper impedivit, & à veris bonis excluſit. Poſtulat igitur à patre filius, ut ſanctificet diſcipulos ſuos, dederat ſibi pater in veritate, ut nil remaneat in eis inſanctificatum. Seu in veritate, ſcilicet in promiſſione complenda, quia ſermo patris veritas eſt, non fallit, ſit promittit. Necnon ſanctificari à patre credatur in Chriſti doctrina confirmari, ut vivendo teneant, quod in ſermone acceperunt. Qui ſermo eſt patris, quia ſermonem, quem audiſtis, non eſt meus, ſed ejus, qui me miſit patris. Et eſt veritas ab omni errore libera, omnem falſitatem prodens atque depellens. Et pro eo quod futurum erat, præorabat, quoniam per miſſionem ſancti Spiritus ex alto ſanctificandi erant, velut quadam juſtitia præventa fuiſſet illa ſanctificatio, cùm filius præoraſſet ad patrem. Et cauſam hujus expetitæ ſanctificationis adnectit: Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. Miſiſti & ſanctificaſti, miſi & ſanctificavi, ut capitis & membrorum ſanctitas ab uno procedat, ut diverſitas non ſit in autumatione hominum, quanquam ſit inter CHRISTUM & ſuos diſcipulos incomparabilis differentia meritorum. *Et pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.* Si dixiſſet: ſacrificio meipſum, nulla eſſet in Verbo cunctatio.

Sanctus,

Sanctus, imo tota ſanctitas erat, nihil ſibi à ſeipſo aut ab alio pro ſanctificatione addi poterat, ſed de crucis myſterio loquebatur, in qua pro ipſis & pro univerſo mundo ſe in proximo, ut hoſtiam & ſacrificium veſpertinum ultimum ſacrificiorum ſacrificaturus erat, per mortem intercedentem intercedens ipſe pro nobis, ut merito mortis ejus ſic ſacrificati, & ipſi in veritate ſanctificarentur. Ne autem pro ſolis Apoſtolis tantæ preces fuſæ viderentur, ad aſtruendam fidem & ſpem univerſis dixit: *Non pro his autem tantùm, ſed pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut & tu pater in me & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, ut mundus credat, quia tu me miſiſti.* Et ſi ad patrem fuit illa viſibilis caro Chriſti, ad totum fuit virtus & intentio ejus, ut non ſolùm illi lecti diſcipuli, ſed omne genus hominum ſalvaretur, ut in ipſo erat. Nam ſicut mors ejus, cùm omnes mortui eſſemus, pro omnibus eſt ſuſcepta, ita & oratio ejus effuſa. Et ad publicum bonum & remedium omnium, non ad privatum JEſus cuncta ſua facta porrexit, quoniam, ut ait Apoſtolus, ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortuì ſunt. Ita oravit pro omnibus, quoniam omnes indigebant. Rogauit pro diſcipulis, rogat pro univerſis. Sed illi futuri erant illius orationis participes, qui per Apoſtolorum verba fidem accipientes etiam perſeverare debebant. Magna ſpes omnibus poſteris prærogata eſt, cùm Chriſtus pro eis orationem ſuam ad patrem intulerit, ut ſciant, quanta cura fuit filio Dei de omnibus futuris fidelibus uſque ad finem ſæculi duraturis, atque cognoſcant, quanta fulgeant dignitate, quantaque poſſint ſecuritate conſtare, adverſusquè tetras confligere poteſtates. Et unitatem poſtulat in omnibus, & cum ipſo & patre & Spiritu ſancto, ut ſit virtus perfecta & vita beata, & amor eluceat, qui appetit unionem. Sequitur enim ex unione credulitas, ut diſcipuli miſſi à filio, Ipſe verò crederetur miſſus à patre. *Ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum, & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti.* Verba ſunt iſta tot es repetita, oſtendentia exceſſivum Chriſti affectum, quoniam ardenter diligens reiterat crebrò, pandit ſæpe verbo amorem igneum intergeſtum.

Cap. XIX.

De poſtulatione beatitudinis æternæ pro diſcipulis, & aliis credituris ſub jure dilectionis ſecundùm Joannem ſolùm.

AD æternam beatitudinem capeſſendam à Deo ſunt omnia ordinata, ita ut etiam corporalia, & mortalia, dum tranſeunt, dum in uſum veniunt, aut in conſiderationem recipiuntur, ſubſerviant, & cùm omnia in ſervitium, ſola creatura rationalis de nihilo, ut poſſideret, illuxit. Erat promiſſione tacita, & expreſſa culpa in perditione mutata eſt, reparabilis quidem non per hominem, ſed per Deum in homine. Proinde omnia geſta Chriſti pro nòbis ad illam ſunt, pro qua priusquam crucem moriturus aſcendat, ultimo illam precibus petit à patre, inquiens: *Pater, quos dediſti mihi; volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante mundi conſtitutionem.* Cur pater filium pro omnibus tradidit? Vt ei omnes traderet. Cur ei tradidit homines? Cur ordinatè extitit hæc ſequela? Quamobrem pater illo in tunc paucos illos diſcipulos & poſt aſcenſionem ejus, immiſſionemque paracleti è veſtigio ſucceſſione continua ſibi tot millia hominum aſciſcivit? ut ſecum æternam beatitudinem ſortirentur. Et cùm omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendat, procedatquè à patre luminum, idcirco filius petit à patre, ut quos ſocios habuit in vita, ſimilés in pœna, in moribus conformes, in fide ſtabiles, in fidei operibus efficacés, in ſpe gaudentes, in charitate ferventes, ſecum habeat in æternitate conſortes, ut in eodem loco ſit merces Ducis, & exercitus fidelis, agonum poſitoris & agoniſtarum, regis & commilitonis. Volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum in patria, qui mecum fuerunt in via: in conſolatione qui in tribulatione: in lætitia, qui mecum in triſtitia: in gloria, qui mecum in ignomina, ut videant claritatem, quam dediſti mihi, qui non horruerunt pœnales mundi

di tenebras, quibus me ſubdidiſti. Quo jure Chriſtus ita petebat? Vno duntaxat amoris videlicet qui nihil negare novit, cui aliquid negare non convenit, hoc eſt, quia dilexiſti me ante mundi conſtitutionem. Vt etiam exaudiatur ocyus, imo inhæſitanter paternas aures aures introeat honeſta petitio, & quod petit, tribuat ſibi pater, ſe ſuosque diſcipulos cum mundo componit, dicens: *Pater juſte, mundus te non cognovit, ego autem novi te. Et hi cognoverunt, quia tu me miſiſti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam; ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.* Precando JESUS paternam interponit juſtitiam, patrem juſtum appellans, ut ipſe per juſtitiam exaudiatur, quoniam juſtus dominus juſtitiam dilexit, & æquitatem vidit vultus ejus. Ac ſi dicere Chriſtus velit: Pater juſtus es, & rectum judicium tuum, ego non te rogavi pro mundo, qui te non cognovit, quod & ſupra prædictum eſt, quod ubi rogarem forſan juſtè petitio negaretur, ſed ego tui cognitor oro te, & pro his qui cognoverunt utrunque, te mittentem, miſſumque me, quibus notum feci nomen tuum in fide, quia meus pater es, & virtutem, & potentiam tuam, in qua me feciſſe omnia, & facere faſſus ſum, & amplius notum faciam, cùm Spiritus ſanctus à te & à me ſuper eos miſſus advenerit. Quid pro eis rogo? Beatitudinem infallibilem, ut cum manſione mea atque tua, cum oſtenſione meæ clariratis æternæ eos diligas, dilectione qua dilexiſti me, ut illa ſit ſemper in ipſis, & in ipſis, ego exiſtam. Ab æterno pater æternum dilexit filium æterna dilectione, nec permutabilis eſt dilectio patris ex tempore, ſed ab æterno prævidit filium incarnari, & corpus ſibi myſticum coaptari. Et ex dilectione, qua ſe Deus in participationem venire diſpoſuit, primo creavit quod participare illum poſſet, deinde corruptum & perditione traditum jam creatum redemit tali modo per filium, qui nunc orat, ſicut ab æterno ſit dilectus, ut incarnaretur, ut naſceretur, ut corpus hujuscemodi fidelium ſalvandorum ſibi daretur, ita exaudiatur, quod ſic explicat. Vt dilectio qua dilexiſti me in ipſis ſit, complendo prædeſtinationem dilectivam, & ego in ipſis velut caput coaptato ſibi corpore, dirigens, gubernans, ordinans, regens, & beatificans æternè, ſicut æterné dilexiſti me.

Liber

LIBER XIII.

De Paſſione Domini Savatoris.

Joan 12. Math. 21.

PAſſioni Vicinus Dominus & Salvator Bethaniam viſitavit, ſe totum compilans ad ſupplicium mortis. Et in craſtinum ſuperſedit aſinam & aſellum, ut prænotavim⁹ in aſcenſionibus. Et ingreſſus eſt Jeroſolymam, & in templum, quod imperioſis actibus atque verbis ab impertinentibus, & indecentibus purificavit, diffiniens ſententia verbi ſui, quòd ea, quæ ſunt divinis cultibus conſecrata, in uſum alium non vertantur. Divina nanque juſtitia non vult, quod natura in aliud, quàm ad id, quod eſt facta, mutetur. Quod cùm fit ex hominum perverſitate atque malitia, ſeu ipſe fieri permittit propter noſtra peccata, damna ſequuntur & pœnaliter toleratur. Ab ipſo enim creatore cuncta propriis uſibus & rationibus ſunt creata, & ordinem habent, à quo ſine periculo non poteſt eſſe digreſſio. Quæ verò ab arte Spiritus ſancti ab hominibus etiam manufacta noſcuntur, & uſibus dedicata divinis, non licet ad alium uſum intorquere. Conturbatur enim ibi ordo juſtitiæ, ut diverſis Dominis res una ſubſerviat. Turpis eſt comutatio, ut quod erat divinum tranſeat in humanum. Et omnis reverentia tollitur, cùm ad humanum uſum tranſeunt conſecrata divinis. Et finem verum pervertere rerum, ſine fine finem nanciſcitur ferum. Et domus orationis verti non debet in confabulatorium hominum, aut in ſæculare negotium. Honeſtius enim manerent deſerta ſive dirupta loca dedicata divinis, ſi ad divina non reædificantur, quàm repararentur ad contrarios aut improprios ſeu impertinentes hominum uſus. Cùm enim hujuſcemodi loca deſerta manent, ſaltem memoria cum quantali reverentia viget, quia Dei habitaculum fuit. Cùm verò ad uſus reparantur humanos, Dei memoria tollitur, quia ibi humana memoria celebratur. Nec aliqua, quamvis modica uſquam debent uſui humano ſervire, ſi divinis uſibus ſervierunt. Nam ſine divina offenſa non agitur, nec ſine divina ultione tranſitur. Nempe legimus in Daniele, quia Balthaſar Rex Babylonis, qui Nabuchodonoſor ſucceſſit in regnum, fecit grande convivium, & vaſa, quæ non ipſe, ſed pater ejus de templo Dei, quod erat in Jeruſalem aſportaverat, fecit deferri ad menſas, ad uſum convivarum hominum & mulierum, uxorum & concubinarum. Daniel. 5. Super quo nefario malo ultricem ſententiam non prærogavit juſtitia ſancta Dei. Eadémque hora digiti apparuerunt in objecto aſpectu parietis ſcribentes divinum judicium ſuper eum, quod audita interpretatione Danielis in eum ſequenti nocte deſævit. Nam interfectus eſt ſui regni habens alium ſucceſſorum. Porro ex hoc comonefactum eſt nobis, quanta ea, quæ ſunt mancapata divinis oporteat cuſtodiri reverentia. Sed nec cujuſpiam animum pulſet, quod multa in domo Domini ſunt ſuperflua & accurata nimis, aut autumet Spiritum Deum eſſe, & de corporalibus non curare. Magis autem judicet Deum habere in omnibus, & de omnibus honorari, ut omnis creatura corporea & incorporea, ſenſibilis & inſenſibilis, rationalis & irrationalis, primum ſuo modo divinum prætendat honorem. Creator omnium Deus eſt, igitur ab omnibus ſibi, & de omnibus deferatur. Nec ſubmittatur pauperum cauſa. Ex hoc enim redargutus eſt Judas, qui dolebat effundi unguentum ſuper caput atque Domini pedes. Joann. 12. Abundantiam rerum fecit omnipotens, ex quibus poſſunt pauperes refici, & in domo Dei fieri, quæ ſplendidum cultum efficiant, Quidam blaſphemavit atque deriſit, quia Chriſto in tam precioſis atque vaſis nitidis ſacrificabatur, qui ſtatim per probroſam mortem terminavit miſeram vitam. Et necdum verbo deriſionis expleto, diffuſa ſunt per inferiora omnia interiora ejus. Veruntamen piè retinentur ad cultum divinum & piè neceſſitatis tempore pauperum expenduntur ad uſum. Ad altiorem autem intelligentiam nos trahit hujuſmodi nactor templi, ut templum vivum Dei vivi, ab impertinentibus & maculis per fidem, virtutem & terentem ſcopam juſtitiæ emundetur. Non expediunt importuna nego-

tentiæ fructus. Sed hoc maximè animum pulſat, ſi tempus ficorum non erat, cur ipſam maledixit, ſi non invenit? Videtur Chriſtus in partem injuſtitiæ inclinaſſe. Sed ſi prudenter inſpicimus magnum nobis timoris innuit ſacramentum, & juſtitiæ divinæ ſecretum. Et cùm non inveniſſet, maledixit ei, & arefacta eſt, ne fructum faceret ulterius in æternum. Maledictio Dei eſt privatio bonorum gratiæ. Maledictio Dei eſt induratio animi. Maledictio Dei eſt obſtinatio. Maledictio Dei eſt finalis impœnitentia. Maledictio Dei eſt ab ipſo ſegregatum fieri. Maledictio Dei eſt æterna privatio ſupernorum. Maledictio Dei eſt tradi gehennalibus flammis. Sed quo merito, quo juſto judicio, qua ſententia irreprehenſibili? Quia non habebat fructus aptos eſuriei divinæ. Ac per hoc ex merito anima maledicitur, & reprobatur, quo per virtutes, & viſibiles, & competentes ipſarum actus divinæ fami, atque deſiderio non reſpondet, nec fructus producit, quo in nobis Chriſtus divinè paſcatur. Proinde vide, quàm malum atque horrendum ſit divinis operibus non inſiſtere, nec fructificare velle operibus bonis, ut gratia ſequatur ſterilitas, & in æternum gehennalis flamma ſuccedat. Magis terrere debet hominum mentes firmata & obſtinata ſterilitas, quàm æterna & juſta damnatio. Hæc enim ſine illa non ſequitur. Sed invenitur anima, quæ non fructificavit ante tempus, & fortè fructificabit in tempore. Cur ergo egreditur tam ſæva ſententia, ſi non eſt iniquitas apud Chriſtum? Cæterùm, oeminem moveat iſta ſententia, quæ quantò ſecretior, tantò juſtior eſt. Omnis enim occulta ſententia ſecum portat hujus altitudinis dignitatem, quòd quantò magis occulta, tantò magis iſta conſiſtit. Nam aliquos Deus reprobat propter mala commiſſa, qui nec ad pœnitentiam ſunt reverſi, quorum omnium eſt juſta & aperta damnatio. Aliquos Deus reprobat, quia operar. negligunt ſecundùm fidem, quam ſuſceperunt. Et fides ſine operibus mortua eſt, & ipſi mortui ſunt. Aliquos Deus reprobat, quos ſua providentia ſecreta prævidet ſemper ſteriles permanſuros, nec perfecturos aptos divinæ placentiæ fructns, quos in iſta ficulnea ſignifiatos Salvator oſtendit, quibus non aufert gratiam bene agendi, ſed bonum non agere omnino prævidit. Nec reprobat eos, ſi ante tempora opera juſtitiæ non egerunt, ſed quia in tempore ſuo fructum bonum daturi non ſunt. Nec deſerit, ut deſeratur, ſed deſerit, quia deſerendus eſt. Non maledicit, ut non fructificent, ſed quia non fructificabunt, ideo maledicit. Novit Dominus, qui ſunt ejus, qui permanſuri ſunt in ſermonibus ejus. Sunt multi, velut iſta ficulnea, quos humana ſcientia neſcit, qui fructum aliquando fecerunt, ſed in poſteris facturi non ſunt. Sunt & qui non fecerunt, ſed nec etiam ſunt facturi. Sunt & qui nec facturi ſunt placidos Deo fructus, ſed iniqua opera peracturi. Quos Deus ſic futuros infallibiliter prævidens, ſecreta & juſtiſſima ſententia maledicit, ipſis ignorantibus à tali ſententia detineri. Occulta quidem ſunt hæc, nec Imperitorum, aut mentibus ſimplicium referenda. Mentem concutiunt, terroribus animum replent, veriſſima tamen & infallibilia ſunt. Quòd autem non habuit fructum, de ſterilitate ſententia juſta provenit. Nulla verò iniquitas apud Deum, qui neminem, niſi per miſericordiam Salvat, nec reprobat, niſi juſto judicio, qui nullum ante peccatum detrudit in pœnam, & nullum niſi privari dignum gratia privat. Applicabilia moribus iſta non ſunt prout à Salvatore ſunt geſta, niſi quodam conatu velimus intorquere pro moribus, quod ſemper in noſtris operibus devitamus. Quòd Chriſtus eſuriit, nos docet, ut debeamus inſatiabiliter juſtitiam eſurire, ac proximorum noſtrorum prout corpus refici appetit, deſiderare ſalutem. Nec propter ornatum verborum credere debemus, niſi opera videamus. Non enim debemus more Salvatoris maledicti proferre ſententiam nemini, quia nemini, niſi ſoli Deo per notitiam corda hominum patent. Nec ſcire poſſumus, quenpiam in fine dignum odio vel amore, aut dum viator incedit, ſi à ſuperno numine reprobatur. Et utrum in futuro alicujus mutandi ſunt affectus mutandique mores, omnino hominum ſcientiam ſubterfugit. Multis laudibus attollenda ſunt opera Salvatoris, & digna mirari. Ad mores autem omnia retorquere juſſio divina non conſulit, neque urget, prohibet autem magis. In pœnoſa hebdomade vias ſæpe iteravit Jeſus à Bethania in Jeruſalem, nec in tanta civitate ipſum de nocte aliquando legimus hoſpitatum, velut non habuiſſet animicum, qui eum amoris gratia invitaret. Et non inquirens nec requiſitus eſt. Pauper enim fuit à juventute ſine ſecundùm carnem conſanguineis & amicis, nec ipſum honoratum legimus, aut cultu conſanguinitatis, aut amicitiæ temporalis intuitu. Et quoniam conſanguineos & cognatos & fratres habuit, non tamen uterinos, aut ex patre, & præter illos, qui ſe ad diſcipulatum & ſequelam ipſius Domini tranſtulerunt, quibus nunquam eſt adulatus ex carne, aut hu-

humanitatis affectu, nec eorum præterquam ſupernorum reſpectu affectavit ſequelam, aut quæſivit ab eis humana ſubſidia. Hoc mentibus oſtendit fidelium ipſius in peregre facta vita, ut nec proprium hoſpitium vitæ poſſideret, aut permiſiſſet poſidere parentes. Nec apud carne propinquos ſumpſit competentia vitæ, nec apud temporales amicos, quos non quæſivit. Et ſuis moribus interdixit ſequacibus poſteris. Ad altitudinem admirationis ſubuehit mentes, quod in civitate regia, in civitate ſacerdotali, neque etiam in ſcribis & Phariſæis, in cultoribus templi & Sacerdotibus ſeu pontificibus habebat dignum in veritate amicum. Quod ſi adſcribimus illorum malitiæ, ſimiliter & divinæ adſcribamus providentiæ, & Chriſti evidentiſſimæ paupertati, qui nulla perſuaſione humanitus quæſivit amicos, ne ſubſidium hominum tam famoſiſſima civitate hæreditaretur, in qua erat morte turpiſſima condemnandus, ne ſaltem amicorum verbo poſſet quod ab æterno diſpoſuerat impediri, ſalutem ſcilicet noſtram, per paſſiones & mortem in ſævo patibulo conſummandam. Monſtrat amicorum indigentiam & paupertatem, quia in pœnoſa hebdomade quotidie de Jeruſalem egrediens repetebat Bethaniam, & quod ſuſtinens ſententiam diræ mortis pro ſe clamantem neminem propitium ſenſit. Non minor paupertas eſt inimicorum carere ſubſidiis, quàm pecuniis inopem fieri. Ad ampliora enim ſe contulit ſæpe amicorum, quàm pecuniarum ſubſidium. Quamvis fecerunt omnium rerum promptiſſimam abdicationem, qui penetrant ad alta virtutum, ſecundùm carnem cognatos & temporales amicos inquirunt, apud quos manet in opportunis indubitata ſubventio, à paupertatis penetralibus exierunt, nec rectè aſpexerunt iſtius intus & extra lucentis luminis claritatem. Si autem adveniunt, & ſubveniunt non quæſiti inter media regnante virtute manet ipſa paupertas in poſſeſſoribus ſuis. Abdicatum expedit fieri ab amicis valentibus auferre preſſuras, eum, qui perfectionis culmen exoptat. Ocyus propria quàm amicorum conſueverunt opitulamenta deficere. Fugerunt quamplures hujus virtutis almificæ ſectatores taliter, & ad alia mundi climata, amicorum & notorum ſubſidia, ut ſpes omnis ſubventionis ab eorum cordibus tolleretur. Nam magis in amicis, quàm in propriis ſæpe abundat paupertas. Quod autem apud Lazarum, Mariam & Martham ſæpe Dominus divertebat, qui divites & nobiles erant, non divitiarum, aut ſubventionum gratia, ſed odore virtutum, quo fragrabant potius trahebatur. Si etiam, qui dives eſt, magis virtutum, quàm divitiarum decore præfulget, non adimit paupertatem poſſeſſoribus paupertatis, quia nec ſubvenit præterquam ad opportunitatem, quod ominibus debetur de jure naturæ. Nec non quia potior in virtutibus, quàm in divitiis homo operit ipſarum defectum ratione virtutum, dum virtus converſandi & divertendi, non fulgor nobilitatis aut copia rerum eſt cauſa, ut non propter divitias & nobilitatem virtus, ſed propter virtutem rerum abundantia & humana ſerenitas tolleretur.

A Diſcipulis proximè reverſurus juſſit ſub altis ſignis atque myſteriis parare paſcha, interrogantibus Diſcipulis de præparatione paſchæ reſpondens: Lucæ 22.
Ite in civitatem ad quemdam. Et ecce occurret vobis homo amphoram aquæ portans. Sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus. Dicit tibi magiſter: Ubi eſt diverſorium, ut paſca cum diſcipulis meis manducem? Locus celebrandi paſchatis, & cœnæ vitæ ſub incertitudine deſignanter miſſis, ſed mittenti certiſſimus erat, ſed ad ſequelam bajulantis aquam oſtenditur. Bajulus aquæ, ducit ad locum, in quo veteris paſchatis ſunt terminandæ figuræ, atque umbræ veſperi declinandæ, ac etiam novi ſacrificii veritas inchoanda. Bajulus aquæ ducit, quo vocandus eſt proditor, quo bonorum diſcretio fit à malis, quo divinus amor ex deſiderio proditur, quo lavandi & abſtergendi ſunt divinitus apoſtolorum pedes Bajulus aquæ, ſermo eſt divinarum ſcripturarum atque ſanctarum, quas ſecum portat ſermo divinus, ſermo divinus oſtendit, quoniam omnia in figuris contingebant illis. Sermo divinus oſtendit, quoniam caro ſua verè cibus eſt, ſanguiſque potus. Sermo divinus revelat, quo deſiderio æſtuabat unigenitus Dei filius, quia paſcha manducare volebat cum diſcipulis antequam pateretur, ut ex hoc veriſſimi paſchatis remedia majora ſumamus. Decernit ſermo divinus illos proditione damnata proſcribi, qui blandè ſe monſtrant affabilitate vultus, lædentia verò machinatur cor. Innoteſcere facit ſermo divinus, quia non humanitus, ſed divinitus purgantur hominum effectus. Et apertè inſinuat, quòd iniqui bonos, non boni malos, quos ſperant ad bona retorquere, dimittunt. Bajulus aquæ amor Chriſtianus eſt atque virtutum, quæ non amare perfecta damnatio eſt. Bajulat aquæ menſuram, gratiam videlicet amor ut tantum ſit gratiæ pondus quantus eſt ipſe amor. Non gratiam operis, ſed amoris novit retribue-

tribuere inviſibilium ponderator, Bajulat amor aquam ablutionis & potus. Nulla re melius quàm cum amoris aqua lavantur feces. Et malis caloribus æſtuatus, potus refrigerium ſuſcipit. Bajulat amor gratiæ aquam, qui ipſum latorem refrigerat. Hoc ipſo quo diligit amor, contentus eſt. Amoris aqua potus eſt divinus, ſimiliter & angelicus eſt. Multi aſperguntur ex modico aquæ, & multos aſpergit unius hominis amor. Bajulus aquæ permittitur ad ſequelam, amor Dei atque virtutum antecedit potentias ſpiritualea. ſi non ordine, ſaltem dignitate. Amor ſolus ingreditur ſecreta cubicula, nihîlque occultatur amori. Amor novit dicere, ubi eſt cœnaculum grande ſtratum? Bajulus iſte aquæ ſub incertitudine atque indeterminatè ad illos duos apoſtolos dictus, ac etiam indeterminatus denuntiatus eſt diverſorii locus, & obedientibus uterque factus eſt certus. Si occurrit bajulus, nolite ſequi, multa bajulantur, multique ſunt bajuli, ſed ſi portat aquæ menſuram, ſequimini. Bajulat amor omne, quod, diligit, eo ipſo bajulat, quo objectum habet, ſed ſi portat gratiam, prædicitur ad ſequelam. Intenta diſcuſſione unuſquiſque ſemetipſum diſcutiat, ſi obvium habet amorem, aquam gratiæ bajulantem. Habetur ſiquidem & interdum talis aquæ bajulis obvius, quem indubitatè occurrentem, ſimiliter & præeuntem irretrogrado pede ſequaris, & ad locum divinæ refectionis, quem ante interminatum audieras te determinatè conducet, & ceſſabunt umbræ veſperi, & innoteſcent infallibiles veritates, & altiſſimam majeſtatem ante tuos pedes profundiſſimè conſpicies inclinatam, pro liberatione atque lavatione ſordium infauſtarum. Bajulus aquæ catholicus eſt intellectus, erroneus verò menſuram aquæ non bajulat. Non portat aquæ gratiæ amphoram, qui ſcripturam ſacram aliter, quàm flagitet Spiritus ſanctus, intellegit. Privatur onere gratiæ intellectus, qui aut humanè ſive plus debito aſperè divinam interpretatur ſua præſumptione ſcripturam. Bajulat infallibiliter gratiæ aquam, qui in ſilentio mentis, atque oris adorat, quod clarè intelligere nequit, & à præſumptione agitatus intelligere refugit, & hoc ſolum intelligere melius credit, quod penitus non intelligit. Fertur quidam magnus moribus, virtutibus atque ſcientia, cujus directione magna ſanctorum virorum familia regebatur, inter ſubjectas oves ad exercitationem Spiritus, ad diſſerendum aliquid de ſcriptura catholica poſuiſſe. Cui exquirenti ab omnibus ſingulariter intellectum poſiti verbi, omnes, quod credebant verius intelligere, reſponderunt. Cùm verò quidam nomine Joſeph in reſpondendi ordine ultimus ad reſponſionem fuiſſet exactus, reſpondit: Abba, ego non intelligo verbum. Tunc ille & ſubjectaum magnus exercitator animarum in fide omnibus ſic concluſit, dicens: Solus Joſeph intelligit verbum. Hoc enim ideo dixit pro eo, quod ille ſolus, qui dixerat non intelligere, verbi altitudinem intellexit. Humilis animæ intellectus gratiæ divinæ animal eſt ſubjugale, ac ſuaviſſimo ipſius pondere oneratur, quo non premitur, ſed levatur. Bajulus aquæ chorus eſt patriarcharum atque prophetarum qui figuris & pro perphetiis ad iſta myſteria nos perducunt, Aquæ bajulus omnis ordo ſanctorum, quos credimus cives ſupernæ patriæ jam effectos, qui ad horum notitiam, & gratiam, exiſtentes in via etiam pervenerunt, qui forma morum relicta eorum veſtigiis nos velut duces perducunt. Hunc bajulum jubet ſequi Salvator, qui ante dixerat: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Et Et alibi: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Et alibi: Qui vult poſt me venire abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Nunc autem jubet ipſe determinata ſententia bajulum aquæ ſequi. Quia qui pædagogum ſequitur poſitum à magiſtro, ſequitur & magiſtum. Una eſt ſequela Salvatoris, & eorum, qui dirigunt in ſalutem. Si Chriſtus eſt veritas, qui ſequitur veritatem, Chriſtum in illo ſequitur. Si Chriſtus eſt vita qui ſequitur dirigentem in vitam, Chriſtum omnino imitatur. Si Chriſtus eſt via, qui ſequitur itinerarii virtuoſi ducem, omnino poſt Chriſtum vadit. Non eſt diverſa ſequela verorum membrorum & capitis. Una penitus eſt imitatio, ubi nulla eſt diverſitas ductorum, & ubi nil aliud inferior præcipit, niſi quod ſuum noverit velle majorem, nec ad alia dirigit, niſi ad quæ ipſe nos Salvator expectat. Sequela obliquum non patitur. Proinde quia præceptum eſt Domini bajulum ſequi, qui hujuſmodi bajulum non ſequitur, morietur. Nec videbit, ſi adhuc in ſeipſo vetera ceſſaverunt, & utrum ſit Spiritus an literæ ſervus. Neque intuebitur, aut guſtabit cum Apoſtulis gratiæ novitatem, & pignus non ſuſcipiet hæreditatis æternæ, nec divina manu à peccatorum ſordibus abluetur. Hæc omnia ſiquidem acta ſunt in domo, ad quam ſequentes ipſum bajulus aquæ duxit.

Joan. 8.

Math. 16.

OStenſum eſt illis duobus ſequentibus aquæ amphoræ portitorem, cœnaculum grande ſtratum, & paratum extitit paſcha. Paſcha hoc tranſitus Domini eſt. Grande cœnaculum eſt latitudo eccleſiæ ubi paratur ad meliora tranſitus uſque ad mundi finem, ſed agnus eſt, Luc. 25.

per omnia geſta ejus, deitas verò immutabilis permanebit & permanet. Tranſit in corpore myſtico, deitas verò in æternæ & immutabili ſtatu permanet. Bona conſideratio tranſitus, ſed tranſire præfertur. Tranſire ſiquidem ad potiora virtutis eſt maximum argumentum. Jure in cœna tranſitum celebrat: qui tranſit & ad tranſeundum omnes invitat. Propter hoc Salvator hoc paſcha cum deſideno manducare ſe monſtrat, ut quæ tranſeunt, ex eorum conſideratione, quæ permanent agnoſcamus, quoniam hic diu habitare non poſſumus. Dicit ſe manducare cum deſiderio, non vehementia famis aut appetitu guloſo, ſed ut cum ipſo tranſeunte de mundo per paſſiones, & ſæva tormenta per crucis opprobrium, atque mortis abſynthium, nos in virtute ac moribus, prout poſſumus, tranſeamus, ut velut ipſe deſiderat de hoc mundo tranſire pro nobis ad patrem, & ad regnum æternum, ita nos tranſire velimus, ut regnet ſpe in nobis, atque nobiſcum, nóſque cum illo regnemus in æternum. Deſiderat Salvator terminare figuras, & ad veritatem inducere. Deſiderat antequam patiatur ſacramenta initiare cœleſtia. Deſiderat manefeſtare voluntariè ſe paſſum, ac ſe prænoſcere univerſa, ne diceretur per ignorantiam captus & paſſus, unde notavit verbis, non nomine proditorem. Non expedit quenpiam malum coram multis prodere, ſi tibi ſoli eſt cognitus. Sed expreſſit proditorem, perſonam ſubticuit, dicens: *Ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa, Et qui intingit mecum manum in catino, hic me tradet.* Patientia nimia Salvatoris, quòd in menſa & in eadem paropſide ſuſtinet proditorem, prærogat nobis patientiæ documenta, ut lædere volentem abſque reſponſione toleremus. Sed procaciſſima eſt proditoris audacia, qui ad menſam, & paropſidem ejus, quem diſponit lædere, non erubeſcit accedere. Sæpe accidit, quod iniquorum audacia bonorum conſortia non devitat, & quem odit, accedit propius, ut infallibilius inferat læſionem. Et non erubeſcit convivare cum illo, quem parat ad necem. Et cùm cognoſci videtur, ſumit negationis audaciam, & ad perniciem accenditur ſævius. Et cùm omnes quærerent inter ſe mente conſternati, quis eſſet Dominum traditurus: *Dixerunt ſinguli ad JEſum: Nunquid ego ſum rabbi?* Ubi apoſtolorum patuit humilitas & diffidentia propriæ cognitionis, qui, cum nullius malitiæ adverſùm Jeſum conſcii extitiſſent, maluerunt magis, quam ſibi, credere creatori, dicentes: Nunquid ego ſum rabbi? Certum erat eis, quód præter Judam nullus adverſùs Dominum malùm aliquod fuerat machinatus. Et nihilo minus diffidebant de ſeipſis, ſe ad mala & ad pejora poſſe mutari. Credentes expedit in hac humilitate fundari, hoc timore configi, quod unuſquiſque quamquis bonus poſſit in alium converti, ut quod non hodie, cras fortè in foribus aderit. Patet apoſtolos ad cognitionem propriæ fragilitatis perveniſſe, atque intellexiſſe imperfectiones, quæ in hominibus latent, cùm libere ſinguli reſpondere potuiſſent. Ego non ſum Domine. Sed ſeipſis dubii, de Salvatoris verbis certiſſimi, interrogando dixerunt: Nunquid ego ſum Domine? Judæ verò audacia, ne ſilentio proderetur, in ſimilem vocem prorupit, jam diſſimilis in anima factus, dicens: *Nunquid ego ſum Domine?* Matth. 26. Vide animam reprobam, aſpice animam depravatum, quæ vocem aſſumit innocentium, cùm habet nocendi affectum, & ut noceat, tempus expectat, & locum. Depravata enim anima ſemper in verbis & moribus innocentiam ſimulat, donec inferat proditoriè crudeliter nocentis officium. Non prætermittit converſationem, non recedit à menſa, ſi valet recumbere. Verba loquitur amicorum, ſuſpicionem avertit à verbis, exhilarat falſo faciem, proditoribus maledicit. Diſputat ſæpe acriter contra quæ gerit in animo crudeliter. Efficitur in verbis adverſùs malos miniſter juſtitiæ, omnes tradit exitio ſententia verbi ſui, ut eo ſanctior atque fidelior ex verbis appareat, quo iniquior in corde perſiſtit. Talis ſignificatur in Juda, qui malitiam importunitate aſſiſtendi & loquendi audacia operit, cùm ſicut cæteri dixit: Nunquid ego ſum Rabbi? *Cui* Matth. 25. *Salvator reſpondit: Tu dixiſti.* Ubi videtur Marci 14. notâſſe perſonaliter proditorem, ſed verbum manſit abſconditum apud cæteros, qui hanc notationem non intellexerunt. Tenebatur Chriſti voluntate Apoſtolorum intellectus, ne adverſùs eum tumultus inſurgeret. Ferventes enim erant in amore JEſu, quamvis eſſent eum divina permiſſione in proximo negaturi. Quod verbum prolatum ad Judam hanc videtur ferre ſententiam, ut tu dixiſti, ad deliberationem cordis interſertam referatur, juxta illius Pſalmi ſententiam: Pſalmi 35. Dixit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo. Ubi dixit injuſtus, ut delinquat, aut cui dixit? in ſemetipſo dixit, hoc eſt, deliberavit delinquere. Et ſimiliter inſipiens dixit in corde ſuo: Tu ergo Judas dixiſti, hoc eſt, deliberaſti proditionem perficere atque tradere me in manibus peccatorum. Aut alio ſenſu, ut ſi dixiſti, tu noſti. Vel tu verum dixiſti ore, quod animo geris, ut cum Phariſæis & Pontificibus ordinaſti. Hoc enim verbum Salvator non velut im-

perans, ſed ut animam ejus lucraretur, emiſit, quem cupiebat, non ut mortem vellet effugere, ſed ut animam ejus non perderet, à ſua nequitia reſilire. Non enim volebat Salvator quamvis omnino pro humano genere mori vellet, quod aliquis de morte ſua contraheret peccatum, aut incurreret æternum exitium, qui mortuus fuiſſet ſenio pro eo, quia mori omnino volebat, ſi eum nemo de reverentia occidiſſet. Sed malè diſpoſitus meretur occultis & juſtis meritis indurari. Perſtat igitur Judas in ſua malitia indurata, nec movetur in animo, ſed ſævior efficitur: Subjungúque Salvator: *Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo. Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Melius ſibi fuerat, ſi natus non fuiſſet homo ille.* De ſeipſo tanquam de alio Chriſtus Dominus loquebatur. Ipſe verò erat Filius hominis ex tempore, ipſe Filius hominis ex carne, qui vadit ſicut præfiguratum & prophetatum eſt. De Deo nullæ figuræ aut prophetiæ ſunt. Nam figura præcedit futuram aliquam veritatem in re nondum exiſtentem, prophetia verò ſolis verbis futura prænuntiat. Nihil verò ante Deum, neque in figuris aut prophetiis. Semper enim eſt, & nihil novum accidit deitati. Figuræ ſive prophetiæ de verbo ſunt incarnato ex tempore filio, & ex carne hominis facto. Idcirco Salvator dicit: Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo: Tota ſcriptura gravida erat Chriſto ejúſque myſteriis, cujus teſtimona hic evolvere, ultra creditum tenderetur opus. Patrona verò Chriſti ſententia fidem faciat ſcriptuarum. Sed væ! homini, per quem tradetur Deus homo. Væ, in ſacra ſcriptura pœnam ſonat æternam ubicunque poſitum invenitur, & Dei maledictionem & ſegregationem importat. Væ! qui ſanguinem proditione fundit divinum. Væ! qui redemptis ipſo ſanguine nocet, & impedimenta ſine cauſa eoram emptis ſanguine ponit. Væ! qui prodit homines pro quibus Salvator talem proditorem ſuſtinuit. Væ! qui ſimili proditione nocet, qua proditus eſt Salvator. Væ! frontoſis in malo. Væ! ſceleratis & duris. Væ! qui non compunguntur ex verbis. Væ! qui non compatiuntur animo & opere innocentibus. Væ! qui mortem irrogant ſine cauſa his, pro quibus mortua vita fuit. Veruntamen melius eſſet natum non eſſe, quam proditione necem inducere Salvatoris. De cujus licentia ſuperaddo verbis, Melius omnino natum non eſſe, quam peccata peragere, quos æternos oporteat perpeti cruciatus. Multos permit & torquet iſta ſententia, potiſſimè illos, qui eſſe naturæ, aut eſſendi bonitatem collaudant, ut omninia velint aſſerere, quia nec vellent non eſſe etiam infernales, quorum ex fide tenemus, quod eſt æterna damnatio. Et hanc ſententiam multis conatibus à propria veritate conantur avertere, atque interpretari aliter, quàm veritas poſtulat, ſententiam Salvatoris, ut velint de nativitate renovationis, & ſacramentorum, non de nativitate, qua mundo natus eſt, hoc dixiſſe Dominum Salvatorem, ſubiungentes etiam quandam ſophiſticam vanitatem, & dicentes: Si non fuiſſet natus, quomodo ſibi fuiſſet quippiam melius? in quo ſibi eſſe poſſet bonum, vel melius, eo quod fuiſſet non natus? Non enim ſuſcipit accidentia bona vel mala, ſimplicia vel majora ſubſtantia, quæ nondum eſt in eſſe deducta. Sed hoc quod de Juda Salvator volebat dicere, non potuit aliter à ſcriptoribus evangelii, aut translatoribus exprimi, propterea oportet ſenſum in declaratione, non litteram accipere. Elementa & literarum ſulcationes intentioni authoris deſerviunt, non authoris intentio ſermonibus ſcriptis, & elementis exaratis obſequitur. Illa omnia propter hanc, non hæc propter illa reperta noſcuntur. Proinde oportet inſpicere omnia præter primam entitatem habentia. Sunt entia, quæ non cognitione aut utilitate ſibi entia ſunt, ſed ad aliud ordinata. Sunt entia, quæ cognitione ac utilitate ſibi entia ſunt, & ad aliud propter ſeipſa, non propter aliud ordinata. Hæc verò angeli & homines ſunt. Omni, quod non ſortitur proprium finem finaliter, eſſet non eſſe melius. Semper enim perturbatur inordinatum, aut omnino deſtruitur. Melius eſſet non eſſe, quam ſemper in perturbationibus eſſe. Qui enim damnatur, inordinatur, & ordinatur: inordinatur, quia Deum pro finali beatitudine non ſortitur, ad quem conditus fuerat in productione prima. Ordinatur verò in pœna ex divina juſtitia, quia pulchrius homo quilibet ordinatur in pœna, quàm ab eo fuerit ex peccato juſtitia derelicta. Sed ex illa inordinatione, qua quis Deo privatur, & ex iſta ordinatione, qua juſtè in pœna æterna conſtituitur, vellet potius non eſſe, quam ſic eſſe, non quod vellet removeri, aut deſtrui proprium eſſe, ſi poſſet removeri aut deſtrui ſic eſſe. Ubi verè immutabilis juſtitia Dei pro certo cognoſcitur, & immutabiliter intelligitur ſemper pœnam cum natura divellere, naturam pœnam non poſſe abigere, pœnam ſemper ferre, naturam ſemper pœnam ſentire neutrumque in æternum poſſe dificere, appetit in talibus conſtitutus omnino non eſſe, ut deficiat ſic eſſe:

ut

Matth. 29.
Marci 14.
Lucæ 24.

ut deficiat ſic eſſe. Nec eum delectare poteſt ordinatio divinæ juſtitiæ, qua ſentit & pœnam propter inordinationem, qua Deum amiſit & gloram. Et quamvis in his, quæ finem ſuo tempore infallibiter ſortiuntur, melius ſit eſſe hominem quacunque infirmitate detentum, quàm non infirmum equum ſeu non infirmari valentem lapidem pretioſum, fulgidum atque clarum. In his verò malis, quibus ex parte poſt æternitas additur, melius eſſet omnino non natum eſſe, quàm in æternum à Deo diviſum & pœnaliter eſſe, ut hoc ſolùm ad voluntanè peccantes, & melius ad privationem, non ad poſitionem ſubſtantiæ referatur. Sed hoc totum, quod ad Judam & de Juda legimus dictum, ad conventum refertur omnium malignantium, ut qui cum Juda ſimilia faciunt, ſimilem ſentiant inter mala torturam. Qui ſi velut Judas caput quod eſt Chriſtus, non lædunt, corpus verò ejus & membra læſionibus, opprobnis, tormentis & cæteris malis afficiunt, vel in ſemetipſis delinquunt, & Chriſtum in corporibus & animabus propriis iterum crucifigunt. Confitemur autem & in inferno meliorem eſſe naturam in pœnis quantalibus conſtitutam, quàm quod non eſt, imo non entis ad ens nulla comparatio invenitur. Et meliorem eſſe naturam rationalem ſive creaturam in pœnis æternis poſitam, quàm brutalem, cujus ſpiritus cum corpore moritur, quæ nequaquam æternaliter pati poteſt. Sed huic animæ ſive corpori æternè damnaris melius fuiſſet non ſortiti entis quamlibet bonitatem, quàm æternos perpeti cruciatus. Alia eſt enim comparatio non entis ad ens, & alia non entis ad ens in pœna perpetua. De prima comparatione vera eſt doctrina, melius eſt eſſe, quàm non eſſe. De ſecunda tenenda eſt ſententia Chriſti, quia melius non eſſe, quàm in æternum transfigi. Petrus vero ex amore impatiens quærebat omnino cognoſcere

Joan. 3. proditorem. Signum dedit Joanni, qui recumbebat immediatè juxta Jeſum, ut ab ipſo, ſi poſſet, exquireret proditorem, ut ſi fortè Chriſtus prodidiſſet de Petro, volebat abſcedere, aut ſe interimere, aut veniam poſtulare, aut tractare cum eo, ut hoc malum quod latebat in ipſo, non fortiretur, deſicaretur mala radix, quam in ſeipſo non noverat. Si verò de alio, diſponebat inſultum aut remedium, ne de puſillo collegio ſive grege ad tam magnum ſcelus peſtifera ovis exiret, ne ad omnium remanentium & innocentium verecundiam in poſterum notaretur, quòd ovis de grege tam ſanctum prodidiſſet paſtorem. Quod in poſterum perſecutionum tempore à tyrannis multis martyribus ad verecundiam & opprobrium fuit objectum, quià magiſter veſter, & quem colitis Deum, à diſcipulo traditus eſt ad mortem, nec, profuit ad credulitatem tyrannis reſponſio martyrum, quià proditorem ipſe præſcivit. Et adhuc illa injuria in cordibus infidelium, qui Chriſti noverunt hiſtoriam perſeverat, quià à diſcipulo traditus ſit magiſter, & de duodeno collegio unus inventus eſt proditor. Nam ſolitus eſt mos, quòd totum cœnobium aduritur infamia, ubi unus invenitur infamis. Sæpe nanque cœnobium magis, quàm perſona cœnobita in diffamatione recolitur. Cùm ſcitur cœnobium atque peccatum, ſubticetur plerunque cœnobita delinquens. Proinde animabatur Petrus, ſi ſciret impedire quomodolibet proditorem. Joannes verò ſigno à Petro ſuſcepto dixit familiari & pia confidentia Domino Jeſu: *Domine quis eſt, qui tradet te?* Cui ſoli Salvator ignorantibus cæteris proditorem declaravit per ſignum: *Ille eſt cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxiſſet panem, dedit Judæ Simonis Iſcariothis. Et poſt buccellam intravit in eum ſatanas.* Catinus in quo apoſtoli aliquem ſaporem actum intingunt, communicatio eſt omnium paſſionum Chriſti differenter & myſticè à ſuis ſequacibus facta. De qua dicit Apoſtolus: Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete. Et alibi: Si 1. Pet. 4 fuerimus ſocii paſſionum, erimus & conſolationum. Sed mirum quod in eodem catino Judas intingit, & buccella panis à Salvatore intingitur, quæ proditori ad eundem deſignandum porrigitur. In quo geſtu hypocritarum & hæreticorum innoteſcit conventus, qui pro Chriſti paſſionibus communicare videntur, ſed ſteriliter patiuntur. Non enim animo communicant, quamquis corpore multa ſubſtineant, nec conveniunt corde in ſubſtantia fidei & veræ dilectionis, quamvis conveniant in unitare paropſidis. Per intinctum panem ſive buccellam à Salvatore, Judæquè porrectam piè intelligimus, quòd ex eodem catino paſſionum, atque gratiarum exoritur ſalvatio prædeſtinatorum, & oſtenditur damnatio reproborum. Nam Judas non intingebat amabili voluntate, Chriſti gratiis & paſſionibus non communicat, aut partitur Chriſti voluntate, atque damnetur, atque damnatus oſtendatur per partem in ſignum porrectam, qui noluit liberè participare cum toto. Totum bonum & omne omnium bonum eſt Chriſtus. De quo dictum fuit Moyſi Deum videre petenti: Oſtendam tibi omne bonum. Qui licèt Moy- Exodi 33. ſi oſtenſus in carne non fuerit, tamen ſibi dicebatur pro futuris, quia omnia in

figura contingebant illis. Et partem intinctionis Judas in ſignum accepit ſuæ reprobæ voluntatis, ut ſe ſciat propterea ex tanta parte quiſque damnari, aut multari, pro qua & quanto obſtinato animo & actione perverſa à Chriſto eſt, ut pœnarum quantitas culparum reſpondeat quantitati. Et talionis pœna diffinita in veteri teſtamento divinæ juſtitiæ talionem pro ultima punitione ſignabat. Et cùm ſic porrigeret panem intinctum, dixit infeliciſſimo Judæ atque procaci: *Quod facis, fac citius.* Quod verbum etiam latebat apoſtolos, credentes de præparatione paſchatis dixiſſe Jeſum, pro eo quod ipſe Judas portabat oblata collegii. Sed alia intentione loquebatur Jeſus, ut poſtquam ipſe perſtabat in malitia irrevocabiliter induratus, quam citius poſſet, expleret tam ſceleratum conceptum pro tam alto myſterio. Nec mandatum aut licentiam ſub his verbis credendus eſt Judæ dediſſe Salvator, excuſatus enim fuiſſet à ſcelere, ſi mandatum à Chriſto ſive licentiam accepiſſet, ſed ipſum prævidens irrevocabilem factum præſtabat audaciam, quoniam ipſe Chriſtus patientiam inſuperabilem jam paraverat, & feſtinabat ex animo ad redemptionem omnium perditorum, etiam ipſius Judæ tradentis, niſi deſperationem poſuiſſet in obicem, qua ut credimus divinum prævenit ſanguinem nondum fuſum. Et fervebat deſiderium Salvatoris, velut amor impatiens in humanam ſalutem. Impatiens eſt ad amatum amor, cùm pro ipſo redimendo feſtinat ad pœnam, amplius amor Chriſti, qui ſe accelerabat ad mortem. Et volebat ammodo Dominus Jeſu etiam corpore ipſum ſegregari de tam ſancto collegio, qui animo jam ſegregatus erat. Expedit omnino vitare, quem cognoſcimus obſtinatum. Oportet etiam præſidentem, qui ſubjectarum ovium aliquam cognoverit incurabiliter morbidam, à ſanis ovibus ipſam ejicere, ne aliquo interventu aliquam maculet, quanquam oves ſanæ palliatam morbidam non agnoſcant. Pertinax & occulta eſt aliquorum malitia, qui nunquam publicant mala concepta, ne fortè inveniant avertentem, diſſuadentem perverſa, aut rectè ſuadentem. Nolunt plerique invenire impedimenta nequitiæ, atque devitant optimos ſuaſores, & cum nemine conferunt, quouſque perficiant mala, quæ reproba mente ſanxerunt. Nullus timor tam infidet ſceleratorum cordibus, quàm malarum voluntatum obicem invenire: Idcirco tenent infauſta ſilentia. Et mirum atque crudele in conſiderationibus eſt, quià nullum ſocium habuit Judas, cui manifeſtaret conceptum, exceptis principibus ſacerdotum, cum quibus malè poſuerat partem

Joan. 13.

ſuam. Sed erit uſquequaque laudabile, quià alii apoſtoli am fideles Chriſto ſunt cogniti, quià cum eis aut cum aliquo ipſorum de malè conceptis collationem facere nullo modo præſumpſit. Proinde unuſquiſque verbo, vita, moribus, ſignis talem fidem atque amorem oſtendat ad Chriſtum, ut nemo in malo eum velit habere collegam, aut ſecum tractare de malis. Talis ſit hominum vita, ut in conſortio atque colloquio à criminoſis hominibus devitetur. Boni enim & mali ſimiles ſibi quærunt diſſimiliter viventes in arduis, atque ſecretis & privatis moribus omnino devitant. Nunquam aſiſmus eremitam quærit ad homicidium habere ſodalem. Neque aliena rapere appetens, fidum mercatorem inquirit ad furti conſortium, neque moribus honeſtis fulgentem quiſquam conſortem quæſivit ad nefas. Terret ſæpe malorum corda ſolida vita, & imponit iniquis plerumque ſilentium. Sed optimum eſt bonis ut tales ſint, ne ad agenda mala quærantur. Peſſimum eſt malis, ſi bonorum conſilia non requirunt, quia ſi non invenit avertentes, tranſit in actionem depravata voluntas. Neque bono confidit iniquus, neque qui bonus eſt ſibi aſciſcit ad agenda perverſa. Vide igitur bonorum & malorum conſtantiam, quià neque cæteri apoſtoli à Juda ſcelerato maculam, aut verba maculantia ſuſceperunt, neque Judas ab eis veſtigium bonitatis accepit. Accidit plerunque, ut ventus mutetur à ventis. Sed bonorum conſtantia, malorum verò pertinacia verius dicitur. Nec ſegnitia ſcribendi prætermittendus intellectus aliter, quem continent verba feſtina. Conſueverunt nonnulli ultra quam dici queat, feſtinare ad mala peccanda, cùm verò fuerit ſatiata voluntas, & actio peſſima conſummata, pœnitentia juſta deduci, deplorare mala commiſſa & fragilitatem labentem, ſibimet in malis actibus maledicere, culpare ſpiritum & ſpirare in lucem, tenebras mentis agnoſcere, quibus tenebantur incluſi, fatigari ſuſpiriis, atque ſingultibus, pectus tundere, corrigere quod perperam commiſerunt, & indulgentiam fuſis lachrymis poſtulare. Quo ſenſu Judæ dixiſſe piè credimus Salvatorem, Poſtquam non revocaris non te pœniret, quod facis, fac citius, ut pœniteas celerius, ut nunc mens cæca, peracto malo conſpiciat, & commiſſum ſcelus quàm fuerat grave, cognoſcat. Melius enim eſſet, quodcunque conceptum malum perficere ſtatimque rationabiliter pœnitere, quam obſtinata mente atque impœnitenti corde perſeverare in malo, ſicque tranſigere dies vitæ. Nullus tamen ex hoc malè agendi præſumat audaciam ſub ſpe pœnitentiæ ſic futuræ, potius antequam faciat, reſipiſcat,

ſcat; quoniam ſi ante maleactum ſic obſtinatur voluntas, ut malè agendi penitus ſequatur facultas, plerunque fit, ut poſt actum Dei ultione juſtiſſima, pœnitendi non ſequatur habilitas, aut per ſubitam ſubtractionem à vita, ſeu per juſtam indurationem in anima. Etiam fortè Salvator his verbis prout ex aliis voluit à ſuo malo avertere proditorem, cùm dixit, *fac citius*, ut Judas velut in mente territus, expaveſceret prodere omnia præſcientem, & tam libere pati volentem. Joan, 13. *Sed poſt buccellam acceptam introivit in eum diabolus*, non de novo, ſed ut omnino motibus corporis, atque cordis agitaretur in malum, donec Chriſtus traderetur in manibus peccatorum, & ab eis in mortem velut unus de numero peccatorum. Sæva & obſtinata malitia non dormit, niſi ſupplantet, & ex irrogatis bonis atque impenſis amplius ſævit, & inviſibilibus creſcit augmentis. In corrupto ſtomacho corrumpuntur etiam boni cibi, ſic in anima obſtinata omnia vertuntur in malum. Delectabilis lux ad periculum eſt languentium oculorum, & ſana doctrina deſperatæ menti. Nihil profuit Judæ, ut revocaretur à malo, & bona divina venenum ſunt animæ contumaci. Non poteſt ſiſti lubricus animus, & ſi ad horam ſiſtitur, reconvertitur, donec naturalem viam inveniat, aut detur ex arte, unde labatur, ſic anima pertinax nullis argumentis urgetur. Ecce ſceleratiſſimo ita Judæ doctrina, & buccella ſucceſſit in pejus, ut à diabolo amplius teneretur, atque animaretur ad malum. Proinde ſi buccella indignè ſuſcepta diabolo ampliorem in Juda præſtitit poteſtatem, quid ergo faciet corpus ſacrum indignè ſuſceptum? Quæ præſumptio divina contingere, ubi mentis purgatio non affuerit? De eo quod ad potum in hac cœna poſitum fuit, à Salvatore ſic legimus dictum: Menſura bibendi potu redundans accepta in manibus Salvatoris, apoſtoliſque porrecta eſt cum hac adjectione verborum. Luc. 22. *Accipite & dividite inter vos.* Ecci 15. Potus ad intelligentiam & ſapientiam pertinet, juxta illud: Et aqua ſapientiæ Salutaris potavit illum. Quæ intelligentia diviſa eſt in hominibus, quia alius magis, alius minus intelligit, aut ſapientia fulget. Diviſiones gratiarum & donorum & operationum & revelationum ſunt, idem verò Dominus. Magis autem noluit ipſe manu propria propinare apoſtolis, ſed ut dividerent, ipſe porrexit. Quia vetera terminaturus advenerat & ſupervenientibus novis projicienda ſunt vetera. Nec ſe bibiturum ultra proteſtatus eſt de hoc genimine vitis, niſi novum in regno eccleſiæ, quam fundabat. Ut nobis omnino in argumentum vitæ agendæ fiat, ut nunquam repetamus, ſed abiciamus antiquam prementem conſuetudinem, nec ultra veliſmus intentione ac moribus judaiſmum agere cum Judæis actibus extrinſecis intendentes, & interiora dimittentes, quibus in amorem & intelligentiam inviſibilium anima raptum facit, ſed in novitate omnis Chriſtiana ſuſtinet intentio.

PHaſe Domini celebrato, ad humilia procedit imperioſa, ſed humiliata majeſtas. Nam *ſurgens à menſa veſti-* Joan. 13. *menta deponit, præcingit ſe linteo, aquam mittit in peluim, & ad lavandum apoſtolicos pedes geniculando ſe inclinat*, ut omnino excedat omnem intelligentiam, & in ſtuporem mentes inducat, & quicquid eſſe poteſt conſiderationis, in admirationem ſuſpendat, quòd Deus æternus ex tempore homo, rex regum & Dominus dominantium, univerſæ creaturæ Dominus, ante illos plebejos pedes ipſum udituros, & poſt modicum negaturos, ſe ad lavandum voluerit inclinare. Surgit quidem à menſa veteris paſchatis. Nec ſedendum amplius in menſa Moſaica, ſed ad evangelicam reſidendum. Surgit à menſa naturæ, in qua comedimus Domini bona viſibilia & inviſibilia, ſed utinam cum agnicula innocentia. Veruntamen ad eandem menſam reſidebat euchariſtiam ſuper omne beneficium peracturus, ut oſtendat quoniam cum gratiarum actione bona naturæ oportet omnino percipere, ac etiam quidquid in nobis à nobis inſurgit, in uſum gratiæ inviſibiliter ordinare. Illa Chriſti ſurrectio à menſa veteris paſchatis ad intelligentiæ altitudinem animum ſubvehit, ut intelligentium animus ſurgat. Surgit nempe intellectus à menſa ſcripturæ veteris, cùm præter literam aliquid altius, atque latens ſub illo velamine plus intelligit. Tunc ſurgit, cùm per fidem ſe in altiſſimas intelligentias tollit. Væ! Judæis, qui ad menſam veterem adhuc ſedent. Tunc etiam à menſa veteri ſurgitur, cùm, quod intelligimus fieri poſſe morale, & in mores actu transferimus. Panis doloris atque laboris fuit omnis panis aut vita, merito primi delicti ab Adam uſque ad Chriſtum, tam in menſa naturæ, quàm in menſa Moſaicæ legis. Sed per prophetam Dominus dicit: Surgite, poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris. Surgite in novi- Pſalm. 126 tate vitæ & intellectus. Surgite intelligentes in veteri lege multis ænigmatibus fuiſſe Dominum Jeſum Chriſtum, corpúſque myſticum ejus. Surgite ad actionem, qui comediſtis intelligentiæ panem. Panis eſt doloris, panis intelligentiæ, nam mens la-

borat, antequam intelligat. Omnis verò la-
bor propemodum generat dolorem. Sed
labor mentis, dum ipſa conatur, aut quæ-
rit aliquid intelligere, tamdiu dolorem ge-
minat, atque multiplicat, quouſque, ad
rei quæſitæ intellectum lucidè veniatur.
Poſtquam ergo manducaverimus hunc pa-
nem, qui cum doloribus paſcit mentem, à
menſa ſurgendum eſt in actionem, ut men-
te aut corpore, aut utroque, quod legi-
mus ſit activum. Fruſtra eſt intelligentia
ſanctarum ſcripturarum, quæ fideliter &
debitè reduci debent, & poſſunt, ſi non
reducantur ad actum mentis & corporis,
aut alterius reliquo præpedito. Ad altiſſi-
mam conſiderationem hæc Chriſti ſurre-
ctio ſuos ſequaces invitat, ut omnium bo-
norum à Deo datorum, & omnium my-
ſteriorum ejus à creatione rerum uſque in
præſens diligenti conſideratione præhabita
in gratiarum actionem ſurgamus. Veſti-
menta deponit ineffabilis humilitatis my-
ſteria, non omnino ut nudus remaneat, ſed
quæ officii erant, ſive pallium exterius. In-
terdum ſiquidem exteriorem ornatum ſi-
gnorum aut morum oportet deponere in
oſtenſione virtutis, nec ſtatum expedit
præferre, ſed poſtferri virtuti. Nullus ſal-
vus factus eſt ex ſtatu, qui ad perſonam
acceſſit, ſed ex virtute, quam geſſit in ani-
mo, quam in moribus diligenter comple-
vit. Utilior imo ipſa ſola expediens eſt
virtus ad ſalutem propriam, quàm palli-
um, imo non pallium, quàm mitra, imo non
mitra, quàm oleum ſanctum, imo non ole-
um ſanctum, quàm conſecratio, imo non
conſecratio, quàm ſedes, imo non ſedes,
quàm pontificalia imo non pontificalia,
quàm ſacerdotalia imo non ſacerdotalia:
quæ quidem ſine propria virtute non pro-
ſunt his, qui defferunt, aut agunt, neque
his, qui ſuſcipiunt. Sufficiens verò virtus
noſcitur ad ſalutem, & ſine omnibus. Non
enim ex eo, quià quis reſulget in oculis
aliorum, aut præeſt, aut dignitatis titulo in-
ſignitur, ſed ex merito & miſericordia
Chriſti, ex propria virtute ſalutem nanci-
ſcitur. Ut audacter affirmem, etiam ce-
lebrationem miſſarum, & conſecrationem
corporis Chriſti, ſine propria virtute ad ſa-
lutem prodeſſe non poſſe. Nemo quia præ-
eſt, virtutem & actum eliminet, imo eſt
amplius virtutibus in animo & actibus in-
ſiſtendum, quod ad eum altior ſtatus ac-
ceſſit. Et expeditum expedit fieri, bona li-
berè operari volentem. Unde Salvator ve-
ſtimenta deponit, ut nihil ſit impediens ad
virtutem. Sed iſta & nunc reſumpſit, ut
etiam in ſtatum, qui ad eum acceſſit, ſe
tollat. Præcingit ſe linteo Dominus & Sal-
vator ad nitiditatem ſui, & in abſterſione
abluendorum, ut ſic alios lavet, aut tergat,
ne ſeipſum commaculet. Vigilent, qui
præſunt, ut taliter alios adjuvent, ne ſeip-
ipſos periculis peccatorum exponant, ne
dum alios abluunt, aut tergunt, ipſi turpen-
tur. Nemo enim tenetur alios ſpiritualí-
bus adjuvare, nec aliis militare cum ani-
mæ detrimento. Turpis eſt actio, quæ
turpat authorem. Et quamvis ſit aliqua a-
ctio, quæ debito artis & corporis turpat
artificem, expectatio lucri tolerat turpi-
tudinem, & gaudet animus in turpitudi-
ne corporis propter lucrum. Sed nullum
lucrum, ubi eſt turpitudo peccatum. Pro-
inde cum detrimento animæ ſaluíſque pe-
riculo aliorum utilitatibus nullus intendat.
Primo nempe cautelæ linteo præcingat ſe,
antequam abluat, & tergat alium, qui alio-
rum quomodolibet curam ſuſceperit ablu-
endi, ſive tergendi. Licitum eſt omni-
bus corpora pro ſalute ponere animarum,
ut ita incunctanter affirmem, etiam proxi-
morum. Animas verò exponere ad pec-
catum, eſt juſtè omnibus interdictum. Nec
fallat legentes iſta ſententia, quam protu-
lit Dominus & Salvator. Majorem hæc Joan. 5.
dilectionem nemo habet, ut animam ſu-
am ponat quis pro amicis ſuis, quoniam
anima ibi ad præparationem moriendi, aut
anima pro vita intelligitur, non quià ad
peccandi periculum alicujus anima diſpo-
natur. Linteo albo præcinxit ſe Domins,
ut puritas ſit in actionibus noſtris, & una
& eadem munditia ſit, quæ perſonæ inſi-
ſtit, & aliis prodeſt. Linteo Salvator præ-
cinctus ad præcinctionem virtutis comme-
morat, quam prophetaverat prophetarum
eximius, dicens: Dominus regnavit, de-
corem indutus eſt, indutus eſt Dominus
fortitudinem & præcinxit ſe. Alia tranſla- Pſalm. 71.
tio addit, virtute. Omni virtute Chriſtus
præcinctus erat, quod eſt ſine cunctatione
credendum. Sed nos virtute præcingi de-
bere præmonſtrat, antequam ad proximo-
rum obſequia procedamus, nedum ſervi-
mus in neceſſariis proximo, in magis de-
bitis diſplіceamus Deo, & dum alienæ in-
tendimus perficiendæ virtuti, propriam no-
ſipſi perdamus. Et ne incidamus in illam ma-
culam, quam in aliis affectamus abſterge-
re. Sæpe nanque incautis accidit, velut mi-
nus peritis medicis, ut de ſanie aut ſangui-
ne, quem abſtergunt, ipſi ſordeſcant. Et
in feſtivalibus indumentis ſuſcipiunt macu-
las, quæ cautela lintei prævenire neſcierunt.
Nec legentem aut auditorem moveat, quòd
Scilicet deſignatur in linteo puritas, ſive
munditia, quæ turpitudinem in ſeipſa ſu-
ſcipiat. Nam ſi munditia eſt, aut puritas,
quomodo turpatur? Si turpatur, quomo-
do munditia ſive puritas? Sed quod exte-
rius

rius agitur, ad interiora referendum eſt. Una & eadem virtus cautelam habet ad poſſeſſorem, & utilitatem ad proximum. Virtus enim nec dici poteſt, quæ incautè procedit. Primò virtus tuetur agentem, quam inferat aliis utilitatem. Aut eodē momento unum & reliquum agitur. *Deinde* Joan. 13. *miſit aquam in pelvim.* Gratiam videlicet poſuit in menſura, ut unicuique tribuatur ſecundùm menſuram donationis ejus, & fidem & aliarum capacitatem virtutum, aut ſecundùm utilitatem & augmentum corporis myſtici ſalvatoris. Peluis vas eſt ab eo dictum, quià ibidem pedes lavantur. In inſtrumentum aptum lavationi Salvator fundit aquam, ut ex omni tempore ſit aptitudo virtutis. Gratiam ante homines effundit Dominus Jeſus Chriſtus, qua laventur à maculis peccatorum, ut magnæ ſordes & parvæ lavari uſque ad nitiditatem poſſint, animaque mundari à fecibus ſuperinductis ſuper primam creationem ipſarum, & in regeneratione ſancta facta per aquam. Sapientia mundat, & lavat ab ignorantia intellectum. Et aqua ſapientiæ, qua potantur electi, in pelvim mittitur, ut diſcipulorum pedes laventur, ut omnia fiant in ſapientia ſalutari, non in ſapientia hominum evacuanda per illam. *Cœpit nempe lavare diſcipulorum pedes.* Videte profundiſſimæ humilitatis inſignia, quod divina majeſtas apoſtolorum pedibus inclinatur, & geniculat ante homines Deus, ante peccatores ſanctitas, ante injuſtos juſtitia, coram mortalibus immotalis, ante creaturam creator, ſol ante ſtellas, lux ante tenebras, dies ante horas. Et lavat genuflexus omnium rex regum & Dominus dominantium, ut nullius creaturæ tanta poſſit eſſe humilitas, qua Salvatoris non ſit ipſa profundior. Et omnibus ſpes ineffabilis, imo inæſtimabilis prærogatur donandæ indulgentiæ peccatorum, atque futuræ gloriæ, cùm ad humanos pedes in ſervile, atque laborioſum obſequium Salvatorem omnium intelligimus inclinatum. Ad ſciendum etiam nos conpellit, quanta ſit inhærens macula, quanque tenaciter hominibus inhæreat, ad quam diluendam divina manus acceſſit, quanta etiam erat in ima depreſſio, ad quam ſe inclinabat altitudo divina. Syndicario verò nomine non ſolùm pro ſeipſis, ſed pro toto humano genere, hoc obſequum apoſtoli ſuſceperunt. Ad intima cordis aſcende tu, qui audis, aut has actiones legendo, & credendo intelligis, & vide, ſi potes, qui lotor, quis lotus, quanta differentia perſonarum, quanta convenientia dilectionum. Quod & Petrus ſtupefactus agnovit, ubi ordinem rei geſtæ primò taxamus. Venit Jeſus velut miniſter, & famulus in obſequium præparatus primò ad Simonem Petrum, tanquam, ad verticem apoſtolici chori, per quem, & in quo alios volebat inſtruere. Nam omnes renoiſſent, ut Petrus, niſi fuiſſent in ipſo prædocti. Quem cùm Petrus ante ſe genuflectentem humiliter conſpexiſſet, mente territus quaſi per exceſſum expavit, dicens: *Domine tu mihi lavas pedes?* Quis tu, quis ego, quis tu, quis mihi? Tu Deus mihi homini? Tu creator mihi creaturæ? Tu juſtus mihi injuſto? Tu Dominus mihi ſervo tuo? Tu beatus mihi miſero? Tu magiſter mihi diſcipulo? Tu immortalis mihi morti ſubjecto? Tu Dominus angelorum, pedes lavabis plebeorum? Quis tu, quid mihi, quid tibi & mihi? Agnovit Petrus altitudinem, quam in Chriſto fuerat ante confeſſus, dicens: Tu es Chriſtus filius Dei vivi: Nolebat ex hoc pati manum Salvatoris, pedumque ſuorum contactum, ignorans in hoc altitudinem divini conſilii, ſuper myſteria divinæ inſtructionis, noſtræque ſalutis. Nec videbat inter tam differentes veras convenientias aptas, ut Deus quamvis homo verus, hominem purum ablueret etiam cum annexo peccato. Sed convenientia non erat apta debito aut jure juſtitiæ, magis verò jure divinæ miſericordiæ pandebatur, quam ineffabilem adhuc Petrus perfectè non noverat, idcirco ſe negabat ab illa majeſtate lavari. Cui Chriſtus è regione reſpondit: *Quod ego facio tu neſcis modo, ſcies autem poſtea.* Quid verò iſta reſponſio ſonet, intentiſſimè audiamus. Inconprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Hoc Apoſtolus ad Romanos clamat. Roma. 11. Et alibi: Quis novit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Quaſi dicat: Nollus. Multa etiam ſunt, quæ antequam fiant, in congnitionem non veniunt, nec dum fiunt, veniunt autem, cùm jam facta ſunt. Et ſi non illico, ſaltem tempore congruo. Et ſi veniunt, rarò per modum quamvis facta noſcantur, quæ præſentis ſpeculationis non ſunt. Sed quod Petro reſponſum eſt, præſciamus. Quod ego facio, tu neſcis modò, quare pedes lavo, tu neſcis modò: quare ſic me humilio, quare genuflecto ante veſtros pedes, tu neſcis modò. Quomodo tu neſcis? quia non conprehendi naturalis creatura ſuo ſenſu geſta creatoris. Actiones ſuæ infinitæ ſunt rationis. In ſeipſo ſunt, externæ non ſunt. Nulla cauſa exterior movet impermutabilem Deum. Neſcitur ab homine, quid operatur inconprehenſibilis Deus, qui operandi rationes infinitas habet. Sed poſt ignorantiam ſequitur ſuo tempore certa ſcientia Unde adjecit: *Scies autem poſtea.* Quid ſcies? Quod quicquid feci, aut faciam, in

hoc natura & ineffabili ordinatione ſubſiſtit. Quod autem ad effectum ſalutis, aut eruditionis, aut imitationis pro nobis geſtum eſt, quod in ſequentibus Salvator adiecit, dicens: *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum feci vobis, & vos aliis faciatis.* Magno documento præſtruimur, ne velimus Dei ſcientiam, & providentiam prævenire ſciendo, ſed ſubdi mandatis, & directionibus ejus, & rerum ſcientiam expectare in præfinitionibus ejus. Noſtrum enim eſt ſemper obedire. Semper autem ſcire non ſpectat ad nos, neque omnia noſſe. Tempora ſcientiarum & rerum in ſua poteſtate atque in ſua providentia indubitata conſiſtunt, in quibus ſecundùm ejus providentiam theſauri aperiuntur ſcientiæ, & res geſtæ in notitiam veniunt.

Actu. 1. Et in Actibus apoſtolorum legitur, quòd diſcipulis interrogantibus de conſummatione ſæculi, ſeu de reſtitutione in integrum Iſraelitici regni, reſpondit: Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate, ſcilicet antequam fiant, poſt factionem verò in no-

Matth. 24. titiam veniunt. Et in evangelio: De die autem illa nemo ſcit, neque angeli ejus, neque filius. Adoremus divina myſteria & altiſſimas actiones, & ne velimus omnia temeritatis auſu comprehendere. Non enim ad peccatum adſcribitur ignorantia, ut in lumine fidei roboremur, imo aliquid indulgentiæ gerit ignorare, ut perfectius aſſiſtat credulitas. Nempe ſcientia de jure fidei ſubtrahit, ut ſi tota ſcientia proveniat, ejus, de quo venit tota fides, deficiat. Mereri nunc per fidem magis, quàm per ſcientiam expedit. Idcirco Salvator ignorantiam ponit in Petro, ut in fide mereatur. Quod ego facio, tu neſcis modò, in poſterum ſcientiam pollicens: Scies autem poſtea. Dixerat ſupra Simon Petrus: Domine tu mihi lavas pedes? Reconvenit verba Salvator: Tu neſcis modò. Tu creatura, tu homo, tu peccator, tu viator, tu nebulis ignorantiæ obvolutus, tu in proximo negaturus neſcis modò, quod ego creator Deus, & homo juſtus comprehenſur, omnia confeſſurus in cruce coram divino atque paterno conſpectu ſuos in veritate fideles facio. Tu neſcis modò, quia tempus ignorantiæ, tempus peccati, tempus negationis, tempus perditionis, tempus tenebrarum, tempus imperfectionis, tempus belli & ineffabilis pugnæ, tem-

Eccles. 3. pus merendi per fidem. Omnia tempus habent, & ſcientia tempus habet. Omnia tempus habent, quæ ſuis ſpatiis tranſeunt universa ſub ſole. Sub quo ſole? Sub ſole juſtitiæ, ſub ſole intelligibilis lucis, ſub ſole inecclipſibili ullis interpoſitionibus lunæ, Sedſi omnia tempus habent, quouſque protenditur poſtea, pro eo, quòd dicitur, ſcies autem poſtea? Quouſq; in eodem loco Spiritus ſanctus adveniet docturus apoſtolos omnem infallibiliter veritatem. Bonū igitur eſt in omnib' providentiam expectare divinam, & ejus etiam fide perficere voluntatem. Sed Petrus voluntatem ſuam, Chriſti altitudinem in ſua mente pertractans credens ſe humilitate munitum, ex ipſa iterum denegativa verba depromit, dicens: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Quo Spiritu agitur Petrus, qui verbis contendit cum Domino repugnátque actu humilibus actionibus ejus? Qua præſumptione cum authore vitæ concertat; Unde iſta rebellio? Non ex malignitate, ſed ex humilitate denegat ſe lavari. Sed eſtne bona iſta humilitas, quæ divinis audet contraire ſententiis? Bona videbatur Simoni ſe taliter humilianti, ſed melior virtus inſerebatur à Chriſto aliter decernenti, Nam Salvator in- Joan. 13.
tulit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Ut diſcamus & regula infallibili teneamus, melius eſſe aliis, quàm in ſeipſo humilem fieri, & aliis, quàm ſibi etiam in virtutibus & virtuoſis actibus credere penitus dico ſecurius. Ecce humilitas ſub diverſis reſpectibus certat. Adeſt Petro humilitas vilitatis, qua ſibi propria cognitione vileſcit. Adeſt humilitas indignitatis, qua ſibi tactu Salvatoris & tanto myſterio apparet indignus, Adeſt humilitas comparationis, qua Chriſto Deo comparatus ſe dejecit in nihilum; qua præactus dixit: Domine tu mihi lavas pedes? Sed humilitas alio reſpectu cor tangit, & timoribus pulſat, ſcilicet credulitatis, & obedientiæ, quæ irrogatur à Chriſto, quis lavare vult, quia verbis Petrum alloquitur, ut aſſentiat lotioni. Una eligitur, altera indicitur. Una eſt in ſe ipſo, alia ſub alio. Una de propria voluntate, altera de alterius voluntate procedit. Una nihil certum habet in præmio ſive promiſſione, altera ſub interminatione ſeparationis æternæ jubetur, cùm additur: Si non te lavero, non habebis partem mecum. Quid ergo faciet animus inter has anguſtias conſtitutus? In hoc faciat quod fecit & Petrus, qui verbo & actu ſe lavandum præbuit Salvatori, dicens: *Domine non tantùm pedes, ſed & manus, & caput.* Expedit omnino, qui a Chriſto non vult fieri anathema, magis quàm ſibi ſuperiora & meliora credere decernenti, neque in bonis ſuæ aut propriæ authoritatis fieri, & nihil firmare in ipſis, quod propter meliora non fiat, majori directione poſtpoſita. Multos enim decepit regulatio propriæ voluntatis, non ſolum in malis apertis, ſed etiam in manifeſtiſſimis bonis. Duo enim vitia

quæ

quaſi ſimilia ſunt, quæ ſæpe tetigimus, divertentia omnem animam, cui adhærent, à tramitibus veritatis. Unum eſt regulatio propriæ voluntatis, aliud eſt reputatio propriæ mentis. Unum per obedientiam ſolùm, alterum verò per virtutum proprietatem & per alterius conparationem factam ſæpe corrigitur. Regulatio propriæ voluntatis eſt à ſeipſa directio & actio mentis, & corporis. Cùm quis ſibi fecit normas & regulas ſpeculandi, & diligendi, & intelligendi, & operandi, nec novit aut ſecutus eſt ſcripturarum teſtimonia, niſi prout ſuæ concordaverint voluntati. Nec patrum credit decretis, niſi dum videt à propriis præaſſumptionibus non eſſe diverſa. Non credit à propria voluntate regulatus aliorum dictis, niſi ab eo fuerint ante præviſa. Magis vult omnia in ſuæ imaginationis concordiam devenire, quam ipſe velit concordare cum cæteris. Et durum eſt talibus aliis credere, atque à prohibitis reſilire. Nunquam verò hujuſmodi vitium aliter, quàm per fidem alteri præſtitam, & fidelem obedientiam abrogatur. Credit enim meliora in ſuis directionibus decreviſſe. Hoc enim vitio multi laborant, quo quaſi laborabat & Petrus. Sed ſuperioris eſt obedientia correptus, totum ſe mutans, & offerens ad corripientis judicium. Reputatio autem propriæ mentis eſt credita virtutis, aut alicujus bonitatis poſſeſſio, non inhærens, aut ſupra alium exiſtimatio. Reputavit ſe quiſpiam foueam humilitatis habitare, ipſius certa conſiderata proprietas videri fecit omnino contrarium. Et ſic eſt de cæteris virtutibus diffiotre, quæ quamvis ineſſe credantur, cùm ipſarum conſideratur proprietas, retunditur qui præſumebat. Et propriam repatationem dejecit ſæpe veritaa patefacta virtutum, quæ præſumentem latebat. Comparatio, cùm in experientiam venit ſimiliter ipſam dejecit. Multi ſuper alio ſcientia, memoria, intelligentia, fortitudine, atque virtute aliqua præſumpſerunt, cùm verò qualitas participata æqualiter, aut ab una per magis, ab altero per minus nota fit præſumenti, confunditur, quia invenit æqualem, aut fortè ſuperiorem in virtute, in qua ſe alium reputabat, excedere. Multi fortes athletæ de propriis viribus ſuper alios præſumpſerunt, & talis reputatio inhærebat, ut non crederent ſimilem invenire. Qui cùm conparatione cum aliia proprias vires fuiſſent experti, erubeſcentiam paſſi ſun, quoniam ſimiles, aut valentiores per experientiam invenerunt. Proinde corrigamus nos ex judicio ſaniori, ſicut ſemetipſum correxit Simon Petrus. Nunc autem ad ordinem rei geſtæ revertamur. Adjecit ſecundò contradicendo Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Non corrigitur propria regulatio, atque reputatio in pluribus hominibus ſolia verbis. Firmat regulam propriam Petrus non pro die, non pro hebdomada, non pro menſe, aut anno, aut tempore magno, ſed velut exceſſum paſſus addidit in æternum. Bene loquitur per exceſſum, cùm temporalia defieri aut non fieri deſanxit aliquid in æternum. Firmatur aliquid in æternum propriæ voluntatis decretum, quia quod firmatur, creditur eſſe bonum. Magna diſcipuli audacia, qui cum magiſtro præſente non diſcendo aut interrogando, ſed ſua præſumptione contendit. Siquidem plerunque accidit, ut quod exiſtimamus potioris eſſe virtutis, Chriſtus alicer ſæpe decemit. Credebat enim Petrua hoc omnino debere præferri, ut ipſe homo humiliatus Chriſtum Deum & hominem humiliatum ſe lavantem protinua recuſaret. Sed Chriſtus melius pro Petro novit, ut ſuia directionibus obediret. Semper ſanè Chriſtus ad meliora ſuos provehit ſectatores. Qui cum anathematis interminaret judicium, Petrus territua mente totus expavit, omnia voluntati offerens Salvatoris. Exhorruit verbum. Si non lavero te non habebis partem mecum. Dicebat intra ſe Petrus: Omnia reliqui etiam meipſum, ut partem habeam cum Jeſu, imo totum Jeſum in æternum poſſideam. Totus ab omnibus electis habetur Chriſtus in gratia, totus habebitur in gloria. Ipſius poſſeſſio non minuitur ex conſorte, aut numeroſitate conſortum, ne ipſorum paucitate augetur. Hoc in ſole materiali ſenſibili exemplo videmus. Quid eſt ergo, quod dicit Salvator, non habebis partem mecum? Non accipitur hic pars per comparationem, aut diſtinctionem ad totum, aut pro dimenſione panli, ſed eo ſenſu accipitur, quo quis cum aliquo participium habet converſationis, & morum vitæ. Sed id, quod *Pſalmi 49.* improperativè de peccatoribus dicitur, tu verò cum adulteris portionem tuam ponebas, etiam eo ſenſu dicitur, quo quis unum ex omnibus elegit. Quo ſenſu loquebatur David: Dominus pars hæreditatis *Pſalm. 15.* meæ. Et Jeremias: Pars mea Dominus *Thren. 3.* dixit anima mea, propterea expectabo. Sic etiam Petrus ſupra dixerat pro ſe ac in *Matth. 19.* nomine omnium apoſtolorum Salvatori: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quaſi dicere voluit: De univerſo nihil volumus niſi te, qui omnia condidiſti, qui es omnia in omnibus quo habito nihil deeſt. Unde cùm dicitur: non habebis partem mecum, non erit tua beatitudo mecum. Mecum enim partem habet

minister

miniſter qui perficit meam voluntatam, & ſequitur me, non ſe in directionibus vitæ agendæ. Nam qui ſuam etiam in bonis non meam ſequitur voluntatem, fieri anathema meretur. Quanta igitur erit pœna multandus, qui audaci malitia, quæ inter Deum homines ſeparant, peccata committit, quando de ſeſparatione terretur, qui placere Deo de virtutibus creditur? Sibi ſit beatus, qui ſibi ex ſuis actibus placet, partem cum Chriſto non habeat, qui Chri-
Hebr. 1. ſto ex toto non credit. Sed qui cum Chriſto partem non habet, erit cum dæmonibus portio ejus. Melius eſſet non prodiiſſe ad uſum, quàm partem non habere cum Chriſto, quia à Deo univerſorum conſtitutus eſt hæres, & per quem facta ſunt ſæcula. Nulla in inferno, aut ubilibet gravior pœna, quàm cum Chriſto habere divortium, quod pro ſæviori tormento Chriſtus inobedientibus interminatus eſt, & nihil adeo timendum, quàm etiam modicum ſeparari à Chriſto. Quod Paulus, ne fieret, præponderabat omnibus generibus tormentorum, cùm dicebat: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? & quæ ſequun-
Roma. 8. tur, ubi hoc loquitur ad Romanos. Proinde Petrus non tantùm pedes, ſed manus & caput offert humillimè lotioni. Cui Chriſtus non tanta indigere declarat, dicens: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet & eſt mundus totus.* Baptiſmum apoſtolorum hic comemorari videtur. Nam quamvis aliqui baptizati fuiſſent baptiſmo Joannis, ſuo baptiſmo apoſtolos omnes baptizavit Chriſtus. Proinde dicit, qui lotus eſt. Sed ſi lotus eſt, quomodo indiget, ut pedes lavet? Si verò indiget, quomodo lotus eſt? Ac per hoc aliquid aliud præter literam oportet inſpicere, ſervata literæ veritate. Innuit nempe hoc verbo Salvator, quòd, qui ſemel baptiſmo ſuo baptizatus eſt, iterum baptizandus non eſt, quamvis affectus impuri etiam in baptizato remaneant, qui deſignantur in pedibus à Salvatore lavandi. Pedibus itur, curritur, & ſiſtitur, & ſuper ipſos quieſcit corporis tota moles. Sic affectibus ſuis unuſquiſque movetur, feſtinat ad aliquid, ſic in aliquo velut in baſibus, ſic in affectibus agenda hominum vita fundatur. Quos lavari expedit divinis manibus, non enim niſi divina manus poteſt hominum purgare affectus. Afficiuntur enim ſæpe homines paſſibiliter & vitioſè, ut in pluribus usque ad mortem perſeveret maculata dilectio. Et ſi non in illis turpibus impudicis actibus, ſaltem in aliis ad uſum vitæ ſpectantibus ultra debitum ligatur affectus, qua ligatione manet impurus. Sola ergo divina eſt manus, quæ affectum eradicat, lavat & purgat. Proinde purgato affectu, munditia tota refulget. Hoc per ſeipſum efficit Chriſtus Jeſus, quod per Iſaiam ante præ- Iſaiæ 1.
dixerat, Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Lavat ergo illa imperioſa majeſtas in forma ſervili apoſtolorum & plebejorum pedes ante illos profundiſſimè inclinata. Et ſecundù menſuram gratiæ, at- Ephe. 4.
que donationis ejus unumquenque perfudit. Quod autem pedes lavandi & loti non abſurdè intelligantur hominum affectus, atque intellectus, aliarum ſcripturarum ſententias velut ſtellas ſuper iſtam fulgentes, inſpiciamus. Inquit Job de pedibus ſuis: Job. 19.
Quando lavabam pedes meos butyro? Pedes butyro lavantur, cùm unctione Spiritus ſancti unguntur affectus, atque docentur hominum intellectus ſicut Joannes in 1. Joan. 2.
Canonica ſua dicit: Unctio docebit vos de omnibus. Et ſponſa dicit: Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Lavi à ſor- Cant. 5.
dibus terrenorum affectus, & ab erroribus intellectum atque ſcientiis ſterilibus, quomodo ergo, id eſt, non iniquinabo amplius illos. Et de pedibus animalium, quæ vidit propheta Ezechiel, ſcriptura dicit: Pe- Ezech. 1.
des eorum pedes recti. Recti pedes recti affectus ſunt atque intellectus. Illi, ut præter diligenda & aliter quàm diligenda non diligant. Illi, ut præter quàm intelligenda & aliter quam intelligenda penitus intelligere omnino non quærant. Multa ſunt adhuc exempla ſcripturæ, ſed quantum poſſumus comicè pergimus. Sed ſequens ſententia dubiis & morſibus animam noſtram fodit. Ait enim: *Et vos* Joan. 13
mundi eſtis, ſed non omnes. Quam evangeliſta ſuorum verborum ſupplemento declarat, dicens: *Sciebat enim quis nam eſſet, qui traderet eum. Propterea dixit, non eſtis mundi omnes.* Nullus mundatus erat à ſemetipſo, à Chriſto mundatore mundati erant. Quare non omnes mundati erant? Acceptor perſonarum Chriſtus non erat. Quare illos, & non illum proditorem mundaverat, qui mundari magis indigebat, pro eo, quià culpa turpior eum fœdaverat, quia jam diſpoſitus erat prodere Dominum, & magiſtrum? Sed quià Judas mundatus non extitit, obſtinatio fuit Judæ, non negligentia ſalvatoris. Nemini aufert Salvator, quàm dedit hominibus liberatem, nec quempiam violentat ad bonum. Non potentia violenta, ſed ſuaſione Salvator utitur cum vocandis atque vocatis. Sed altior eſt ſententia omnem terrens humanum intellectum, quia nihil vult, quod non poſſit, nihil poteſt, quod nolit. Ac per hoc nihil cauſativè aut occaſionaliter eſt à Salvatore Judæ prærogatum, ut

ipſe

ipſe ab illo non mundaretur cum cæteris, niſi quia mundationi divinæ cum cæteris non conſenſit, imo abſque cæteris in animo Domino rebellavit. Tenaciſſima erat macula, quæ mundatis reliquis remanebat. Æqualiter omnes mundator mundabat, ſed contumaci mentis audacia perſiſtebat Judas in ſua malitia induratus, ut inhærentem inviſibilem maculam ſumma munditia non mundaret. Nec divinæ herbæ ſullonicæ neque acrimoniæ aliquæ valuerunt, ut à malè concepto deſiſteret. Quem nec præteriit lavando Jeſus, ſed ante illum velut ante alios ſua genua flexit, & lavit pedes humiliter proditoris. Vide amplius ineffabilem humilitatem Domini Salvatoris, qui ſui proditoris non dedignatus eſt lavare pedes, qui eum profunda inclinatione à ſcelere revocabat velut ſuppliciter rogans, ut deſiſtat à malo, ut innocentem non lædat, non volens vitare mortem, quam venerat omnino ſuſcipere, ſed ut diſcipulum, quem vocaverat à diſcriminibus mundi, quem apoſtolum nominavit, quem virtute miraculorum fecit inſignem, cui apoſtolici collegii etiam pauperem commiſit annonam, quem theſaurarium fecerat oblatorum, de damnatione ſempiterna præriperet, ne de vitali morte ſua pervicacia moreretur, ne mors ſuſtinenda pro omnium vita ſibi mortem generaret æternam. E regione inſpice, quanta eſt obſtinatio, quam divina inclinatio non eradicat, quanta duritia, quam divina manus non emollit, quanta mentis ſordes, quam lotio divina non abluit, quàm tenaciter inhæret macula, quam divina cum linteo abſterſio non abſtergit. In hominum conſiderationem omnino deveniat, ad quid poteſt humana iniquitas devenire, ut nullis perſuaſionibus ſignis amoribus, terroribus, permiſſionibus poſſit à concepto malo converti. Miramur obſtinationem Cain, miramur irreverentiam Cham, miramur fraudulentiam & feritatem Iſmael, miramur hiſpiditatem & proterviam Eſau, miramur indurationem corsdi Ægyptii Pharaonis, miramur, ſchiſmata Dathan & Abyron, miramur invidiam fratrum Joſeph, miramur contradictionem Chore, miramur filium Ezechiæ contumacem, miramur idololatriam Aaron, & populi præludentis, miramur Saulis primi regis ſuperbiam, miramur Abſalonem perſequentem patrem David, miramur multos præteritos utriusque populi inclytos & plebejos turpiter & obſtinatiſſimè delinquentes. Sed peccatum Iudæ, quod Chriſtus tanta diligentia conatus fuit avertere, ſtuporibus & admirationibus omnes penitus acceſſit. Sunt nempe nonnulli, qui in conceptis malis Judæ damnati ſectantur irreconverſo pede veſtigia, ut omnis ars ſuaviter reducendi argumentis nullis invaleat. His ſanè timoribus configenda ſunt hominum corda, crucifigendæ ſunt mentes, his ſunt aculeis conpungendi, ne cum Jada deſcendant in profundum malorum, & contemnant redire ad eum, qui omnes errantes piè atque miris modis revocare non deſinit. Nam ſapientia dicit: Peccator, cùm venerit in profundum malorum, contemnit. Profundum malorum (Prov. 18.) obſtinatio eſt, induratio eſt, protervia eſt, deſperatio eſt, contumacia eſt, rebellio mentis eſt. In quod profundum, cùm quiſpiam venerit, contemnit Deum, contemnit ſeipſum contemnit virtutem, contemnit gloriam, contemnit & pœnam, contemnit monitus ſalutares, contemnit omnem ſemitam, & compendia redeundi, contemnit ſcripturam ſacram, & quaſi fabulas reputat poetarum. Quis novit quo merito Judas ſic meruerit indurari? quis ſub aliquo doctorum præſumat, ſi cecidit Judas de ſcholis Domini Salvatoris; Quis de duce confidat, ſi cum via recta Judas erravit? Nulla ex parte Chriſti prærogata eſt occaſio ſive cauſa, nulla ex parte coapoſtolorum ejus. In revocationem ejus omnia decentia Chriſti, miſericordiam atque juſtitiam facta ſunt, & non eſt averſus animus ejus, neque delera malitia mentis ejus. Hæc ideo diximus, ut agnoſcamus ad quantum poteſt divina bonitas inclinari, ut provolueretur pedibus proditoris, & in quatùm humana iniquitas indurari, ut omnimode præſentiam contemneret Salvatoris. Nunc rei geſtæ ordinem repetamus. Unumquenque lotum Chriſtus linteo, quo erat percinctus, abſterſit, ut ex omni actione nitiditas perfecta conſurgat. Abſterſit nunc pedes ſcilicet noſtros affectus à maculis, qui abſterſurus erat ſanctorum oculos à doloribus atque periculis. Hoc refert in Apocalypſi ſe vidiſſe Joannes: (Apoc. 21.) Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Loti erant pedes, ſed linteo abſterguntur, in deſinationem defecatæ vitæ, ad deſicandam humiditatem, qua noſtri ſæpe molleſcunt affectus in prolapſione malorum. Quam mollitiem exhorrendo præcavebat omnipotens, cùm dicebat per Jeremiam prophetam his, qui de populo (Jerem. 31.) Dei tenebantur in Babylone quaſi captivi: Fugite popule meus de medio Babylonis, ut ſalvet unuſquiſque animam ſuam ab ira furoris Domini, ne forte molleſcat cor veſtrum, & timeatis. Tunc enim mol-

ſecundùm formam rationis æternæ, atque in utroque poſuit, quàmvis diverſimode ſanctæ trinitatis veſtigium in anima, in memoris & intelligentis & voluntate. Corpus & anima, ſicut omnia entitatem habentia, quia ſunt, quia ſic ſunt, quia propter aliquid ſunt, quodammodo trinitatem exprimunt. Et memoriæ, intelligentiæ, voluntati potentias actus tradidit, & debita in quibus terminarentur objecta. Et animæ tradidit libertatem, angelos ad conſortium, cætera verò ad ſubſidium dedit. Circundedit nobis mandatorum atque juſtorum decretorum ſepes, ne ab ipſo efflueremur invanum. Et cùm effluximus, revocavit, nos: cùm ſtetimus, tenuit: cùm tardavimus, expectavit: factus homo pro nobis, humánam naturam deitate decoravit, atque honoravit, non angelos, ſed ſemen Abrahæ, imo peccatoris Adæ ſine peccato ſuſcipiens: Nam Abraham ex antiqua origine ſemen erat Adæ. Converſationem fecit inter nos, velut homo abſque peccato, & prærogavit exemplum. Docuit nos viam aſcenſionis in cœlum, & in montibus & planicie atque loco campeſtri. In domibus, in ſynagogis, & templo eructavit verba bona, & ſupernam ab æterno præfinitam doctrinam. Sanavit languores, ſuſcitavit mortuos, dimiſit peccata pœnitentibus, & per potentiam, quam exercuit in corporibus, qualem aut quam potentiam in animabus ſanandis haberet, oſtendit. Omnia fecit nobis, quæ fecit in ſeipſo pro nobis. Altæ memorationis eſt verbum: Scitis quid fecerim vobis? Humiliter natus eſt, nec in propria æde, cum quo eſt ægreſſa paupertas, vilitas atque deſpectus. Arctiſſima loca inhabitans, qui cœlorum amplitudinem fecit. Vagit creator angelorum & beatorum lætitia. Muteſcit factor diſertarum linguarum. Stringitur faſciis tota faciendi libertas. Diſpergitur ſanguine juxta legis ritum, qui ſuper legem, & Dominus legis erat. Offertur in templo conditor templi. Fugit in Ægyptum ſecuritas angelorum & hominum. Pavet, qui dæmonum venerat auferre pavorem. Cedit regibus rex regum & Dominus dominantium. Æternus à temporali faciem avertit per fugam. Vivit in peregre, qui ſupernam patriam fecit. Habitat in domibus peccatorum domificator mundi. Aliena ſtipe per maternum lucrum, acu, colu, aut per paternum, ſecuri, aſcia, dolabro, terebello quæſitum, ſive ſtipe captata per quæſtum vita omnium vivit. In Judæa rediens, vivebat per idem. Baptizatus pro nobis eſt. Dira jejunia paſſus, & tentationem malè audacis ſpiritus. Diſcurrens abſque ſubjugalibus, abſque curribus & nitidis equis, nec niſi ſemel in terris fuit delatus aliquando. Tota vita ejus paupertatis, vilitatis, laboris pœnalitatis veram geſtabat effigiem, propriis domiciliis & laribus carens, & devitans divitum & potentum conventus. Nihil mundanæ dignitatis in vita ſua commiſcens, ne videretur humana potentia ſæculum præſens ad ſe velle convertere. Nulli nocuus, omnibus prout in ipſo erat, placidus & amabilis erat, ſed nec eum patiebatur humana protervia. Sellas, cathedras ſtratoria, tapetia, lectorum molliciem & ornatum atque veſtimentorum nunquam legimus habuiſſe. Cæſariem geſtabat incultam, faciem illotam, nec cultui corporis intendit aliquando, zetas pictas aut ſchematibus fultas non habuit, nec archiva clauſa, quorum poſſeſſio denotat proprium, & charitati facit injuriam, quæ theſaurizare omnino non novit, nec clavibus uti. Quicquid eſſe potuit humanæ atque mundanæ conplacientiæ, ſeu delectationis atque honoris, à ſeipſo Chriſtus abegit. Quicquid verò potuiſſet eſſe virtutis perfectæ ſuſcepit, humiliatus uſque ad plebejorum pedes. A quibus ſurgens dicit apoſtolis: Scitis quid fecerim vobis? Utinam ſonet hæc vox adhuc in auribus noſtris: ut ſciamus, quid fecerit nobis. Et intelligebatur in illa voce quod perfecturus pro illis erat & omnibus gentibus, & pro poſteris nobis, atque pro venturis tranſeuntibus nobis. Proinde non ſilet illa vox, ſed ſemper ab eo tempore quo emiſſa fuit, clamavit, clamat, atque clamabit: Scitis quid fecerim vobis? Et addendo quid fecerit, poſtquam emiſit conſecrabat corpus ſuum. Oravit in ſudore ſanguineo, captus, & ligatus eſt, Lucæ 22. tribunalibus traditus pœnis, & à propriis exactus, & crucifixus eſt mortuus, & ſepultus eſt, reſurrexit, & reviſus eſt, aſcendit in cœlum, & Spiritum ſanctum largitus eſt. Scimus ergo, quid fecerit nobis, ac per hoc hæc ſcientia velit, nolit, tenet omnem hominem inexcuſabiliter, atque totaliter debitorem. Hæc ſcientia ſcripta in tabulis cordis, in laminis rationis, in charta memoriæ, à peccatis avertit, & innectit virtutibus. Hæc ſcientia dignum cœleſti magiſterio facit, hæc ſcientia de diſcolo facit diſcipulum & de diſcipulo quamdoque magiſtrum. Hæc ſcientia ſophiſmata quæque non timet, non veretur coram regibus loqui, parvipendit terrenos principes, dæmones terret, conjungit cum angelis, & eruit ab inferis, collocat in ſupernis. Hæc ſcientia quærit ſolertem, petit activum, devitat ignavum, gratum vult, condemnat ingratum. Hæc ſcientia tunc

coaleſcit, cùm operibus vacat, tunc perficietur, cùm totum eſſe noſtrum redditur ei, qui ſcientiam à nobis expetit ſuorum

Joan. 31.

factorum, dicens: Scitis, quid fecerim vobis? Et adiecit: *Vos vocatis me magiſter, & Domine, & bene dicitis, ſum etenim.* Magiſter erat ſupernæ doctrinæ, atque ſcibilium omnium, & Dominus univerſorum. Tunc ſtatim humilitatem ſervilem & humilem ſervitatem, quam coram ipſis oſtenderat, per ſui comparationem ad exemplum eorum factionis intorſit, dicens: *Si ego lavi pedes veſtros Dominus & magiſter*, quem eſſe me verè confeſſi eſtis, *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*, ut quod fecit Deus, ſi poteſt faciat homo, quod fecit Dominus, faciat ſervus, quod fecit cœli & terræ imperator, faciat quicunque terræ ſenator, quod fecit excelſus, faciat humilis, quod fecit magiſter, exequatur diſcipulus. Quod fecit Chriſtus, nullus dedignetur facere Chriſtianus, ut uſque ad pedes inclinetur humilitas Chriſtiana, & abluat, ſi quis poteſt actu & theoria ſordes ab hominibus turpantium peccatorum

Joan. 13.

Rationem humilium actionum etiam comparatione ſubnexuit, dicens: *Amen, amen dico vobis, quia non eſt ſervus major Domino ſuo neque apoſtolus major eo, qui miſit eum. Si ſcitis hæc beati eritis, ſi feceris ea.* Ut luce clarius pateat quod ſuperius dixerit, ſciris, quid fecerim vobis, ut ſcientia reducatur omnino ad actum, quia non beatus, qui novit, ſed qui, quod noverit, fecerit. Nam ipſe Dominus & Salvator, cujus irrefragabilis eſt ſcientia, non dixit: Beati eritis, ſi ſcitis, ſed beati eritis, ſi feceritis. Ad actionem monet, & ad vitam agendam verbis & factis invitat Dominus & magiſter. Activa ſcientia, quam dicimus Chriſtianam, fructificavit, ex actu, aut ex dilectione ipſius, & agendarum per ipſam, ſi probabiliter deficit agenda potentia, quamquis etiam animæ præter corpus multiplices actiones, ſurſum ferentes agentem, quæ præter corpus pertinere poſſunt ad iſtam ſententiam ſalvatoris, qua dicit: beati eritis ſi feceritis ea. Sunt enim aliqua ſcienda, quæ in actionem nullo modo deveniunt, nec devenire jubentur, aut cadunt ſub conſilio factionis. Aliqua verò ſcienda in actionem veniunt ex præcepto, quæ in actum non deducere fabricant in gehennam pallentes, atque teterrimas ſedes, ſed ordinare in actum lucidas parant ſedes. Aliqua verò veniunt ex conſilio, quæ ad actionem inflectere ad altiores ædes ſubvehuntur activi. Unde dicitur: Beati eritis, ſi feceritis ea. In actionem noſtram nullo pacto venire debet ſcientia myſteriorum Dei & altiſſimorum operum ejus, quæ operatus eſt ab initio uſque in præſens, & operabitur uſque in futurum, quam habemus per fidem. Scientia verò mandatorum Dei, & conſiliorum & morum piorum debet omnino venire in actum utriuſque hominis, aut ſolùm alterius, reliquo in opere ſuccumbente. Hanc ſcientiam expetivit Salomon, ut in ea ipſe fieret laborioſus, atque activus. Inquit

Sapient. 9.

enim: Mitte illam ſcientiam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, mecum laboret, ut ſciam, quid acceptum ſit coram te omni tempore. Scit enim illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſua potentia, & erunt accepta opera mea. Quæ verba ſiquidem ad intellectum veritatis relata, ſcientia beatifica petitur, quæ tunc beatificat, cùm devenit ad actum.

Eccle. 20.

Nam theſaurus abſconditus & ſcientia abſcodita, quæ utilitas in utriſque? Non ſolùm autem abſcondita eſt ſcientia, ſi non docendo effunditur, ſed abſcondita eſt, ſi non fit morale, quod ſcitur. Veruntamen quamquis de Spiritus ſancti licentia etiam ſervata literæ veritate, ad multa diſſerenda in ſcripturis ſanctis ex una ſcriptura poſſit intellectus liberè & utiliter pervagari, applicatam tamen locutionem in omnibus ſcripturis oportet prætermittere. Nam ſic Salvator de ſcientia humilitatis viſus eſt diſſerere, quæ in animo & in omnibus actionibus eſt ſuo exemplo ſervanda. Præmiſerat enim: Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos aliis faciatis quia non eſt ſervus major Domino ſuo, neque apoſtoles major eo, qui miſit eum. Nos ſervi, ipſe Dominus, non homo purus, ſed Deus & homo verus, nos mortales, ipſe immortalis, nos ex nihilo, ille ab æterno, nos miſſi, ille verò mittens. Nullo igitur tumore cordis, nulla reputatione propriæ mentis, nullo pavore rumoris, nullo pavore forinſeco retrahatur aliquid agere ſervus, ubi Dominum prævium habet, neque diſcipulus dedignetur magiſtrum proſequi præcedentem, neque filius præeuntem patrem, ubi ad bonum atque virtutem iter eſt, atque gradatio. Neque creatus ex nihilo & ex ſanguine divino redemptus, nullis interpoſitionibus reverſetur ſequi hominem Deum, pandentem iter ante nos, ſive per planum, aut profundum aut altum, aut aſperum aſcenſum ad virtutem ſectandam, & conquirendam immarceſſibilem gloriam, quam repromiſit Chriſtus diligentibus, atque ſequentibus ſe. Superbire, diabolicum vitium eſt,

non

non ſuperbire, initium eſt virtutis. Humiliari verò in dejectis actionibus, prudentia eſt atque ſecuriſſima virtus, non humiliari, ad quæ humiliatus eſt Chriſtus, negatio eſt ejus. Nauſea, & vilipenſio morum Chriſti, negatio certiſſima Chriſti eſt. Satis abhorret, qui ſequelam avertit. Conquerebatur Job de ſua uxore, dicens : Halitum meum abhorruit uxor mea. Halitus Chriſti doctrina ejus eſt, qua nos ad humilitatem agibilium morum invitat. Cujus halitum abhorret anima uxor per fidem, ſcilicet deſpiciens Chriſti humilem infirmitatem, & voluntariam atque infimam humilitatem. Vera humilitas ad quam nos Salvator invitat, exceptionis regulas omnino non didicit, neque in paſſionibus, ignominiis, obſequiis, actionibus, moribus publicis ſive privatis, aliquid excepit aut excluſit aliquando. Vorago inſatiabilis eſt humilitas, in ſe recipiens inſatiabiliter aquarum rivulos turbidos ſive claros. Æquanimiter ſplendentia, & vilia ſuſcipit ad agendum, cùm infallibilis præceptoris noverit voluntatem. Oneriferum animal eſt humilitas, ſuperimpoſita non decernens, utrum deſpicabilitas aut precioſitas ſit in eis. Vera humilitas ſemper ſibi ſecuritatem aſciſcit, ut inter pericula & quæque deſpecta præuntem ducem irretroverſibiliter ſubſequatur. Vidi canem ſuper mergentes & inundantes aquas, & torrentes ſequentem Dominum, & mori ſe dare, ſi non potuit. Et per cœnum, & ſterquilinia, per aſpera, & plana Dominum ſequebatur canis fidelis : canis, fidelis, humilitas vera. Qui etiam cum maledictis atque verberibus non repetit domum, appetens quodam inſtinctu fidei naturalis magis veſtigare patronum. Excellentia odoratus ſæpe non viſum ſequitur, quouſque per ſequatur per proprium viſum, & ad vocem non viſi Domini ſe violentat ad curſum, quouſque perveniat, & inſiliat in prædam. Verbaratus non minuit fidem, nec ceſſat à gubernantis ſequela. His typia vera humilitas ſit ad Chriſtum, quam ſi ſcimus beati erimus, ſi fecerimus eam.

Job 19.

Piè credimus, quod poſt agnum typicū, & pedum lotionem, ad corporis ſit myſterium adventum, quamquis ab evangeliſtis aliter texatur ordo illorum, quam geſtarum rerum. Sed nec abſurdè creditur, quod ad ſuſceptionem tanti myſterii, ſive ſacramenti præceſſerit apoſtolorum mundatio. Expedit enim omni munditia præornatum fieri ſuſcipere talia ſacramenta volentem. Dicit enim Apoſtolus, quòd, qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit. Magna eſt indignitas, ubi mundatio non præceſſit. Menſa nanque paſchalis agni adhuc more ſolito ſtabat, exceptis comeſtis. Et de pane azymo, & de vino remanſerat ab eſu agni paſchalis, ex quibus Chriſtus ſui corporis ſacramenta confecit, nec aliunde alius adductus eſt azymus panis, aut vinum delatum. Catinus adhuc erat in menſa, in quo fortè intinxit buccellam proditori porrectam in ſignum, cùm cæteris corpus, & ſanguinem ſuum veriſſimum daret, ut iſta intinctio ſecundùm aliquos, facta ſit eo tempore, quo conſecratum eſt corpus, non eo tempore quo comeſtus eſt agnus, ut Judas à corporis ſacri communione penitus non ſit excluſus. Nos autem ordinem rei giſtæ aliter proſequentes, piè dicimus Salvatorem recubuiſſe cum cæteris apoſtolis in comeſtione agni paſchalis, ubi proteſtatus eſt deſiderium comeſtionis, triſtitiam paſſionis, ubi de proditore, non de perſona diſſeruit, ubi requirenti Joanni ſoli per intinctum panem proditorem oſtendit. Deinde lavit pedes omnium, etiam proditoris. Deinde reſedit ad menſam, & corpus fecit & ſanguinem, & tradidit omnibus apoſtolis, necdum proditor Judas abſceſſerat, qui etiam cum cæteris corpus Chriſti & ſanguinem accepit. Nam buccellam accepit in ſignum & oſtenſionem proditionis, tempore ſive hora, qua comeſtus eſt agnus, corpus Chriſti accepit ad confirmationem ſuæ damnationis, quando cum cæteris ſibi dedit Jeſus, non quod ſibi Chriſtus ad damnationem dederit, ſed ille ad damnationem accepit. Nolebat enim Chriſtus ipſum obſtinatum excludere, nec ſibi ſoli cognitum & Joanni, cum ſua excluſione notare, quouſque per manifeſtum facinus ſeipſum notaverit, ubi forma prærogatur omnibus, ne quiſpiam quempiam ſibi ſoli congnitum malum, quomodolibet notet, aut à participio ſacramenti excludat, ſi alia jura participii certa ſubveniunt. Non tamen ad communionem admittatur, cujus vita evidenter mala cognoſcitur. Et peccatum ſine deletura peccati aſſiſtit in patulo, etiam ſit talis cum multis ad ſuſcipienda ſacramenta, conveniat. Iſto verò celebrato ſacramenti myſterio, cum omnibus ſurrexit à menſa, & volentibus hymnum dicere, ſceleratus Judas abſceſſit. Qui tamen ſtetit quouſque cognovit ex ſolitus, ad hortum cum diſcipulis ſuis volentem accedere ſalvatorem. Ad quem locum, non ad cœnaculum cum cohorte atque miniſtris iniquitatis ad Dominum capiendum acceſſit, quaſi certus de loco conventionis Domini Salvatoris.

Cor. 1.11.

Joan. 13.

Controverſias, quæ videntur ex textu conſurgere, aut textus, qui videntur dirupti, ſolvere, quia moribus, quantum poſſumus intendimus, non curamus. Quàmvis ipſos perfectè cudere non poſſumus, niſi de myſterio & de litera & ordine rei geſtæ aliquid prætangamus. Proinde iſta pauca præmiſimus hoc myſteirum ſacramenti, quoniam alibi de divinis myſteriis dicendi ordo coaptat.

ITerum verò cum diſcipulis ſuis à menſa ſurgens, hymnum laudis exoluit, cujus tenor ſcripturæ, quæ ad linguam Latinam devenerit, commendatus non extitit. Sed ex hoc mos inolevit in ſancta eccleſia, ut poſt comeſtionem à bonis & veris catholicis exolvantur gratiarum debitæ actiones. Ac per hoc omnibus expedit indubitata fide ſuſcipere, quòd multa Chriſtus Jeſus geſſit cum apoſtolis, atque diſcipulis ſuis, quæ ipſi aut evangeliſtæ non mandaverunt memoriæ ſcripturarum, ſed in vita & moribus ſervaverunt, à quibus uſque in præſentiarum ad poſteros derivata fuerunt. Proinde omnes mores ſanctos, atque; honeſtos, quos nunc tenet eccleſia, & eccleſiaſtici viri, de quibus nec Evangelium, neque apoſtolicæ actiones, neque ſacrarum epiſtolarum textus eloquitur, à Chriſti moribus, ab apoſtolis & diſcipulis cuſtoditis, & ab ipſorum moribus, quos poſt Chriſtum eos ſervare docuit Spiritus ſanctus, ad nos per obſervatores ſuccedentes, velut per alveos indeficientium aquarum effluxiſſe certa & pia fide credamus. Scimus ex fide ſcripturarum gratias egiſſe ante & poſt cibum ad Deum patrem Salvatorem Chriſtum, & hymnum protuliſſe in laudem, ſed verborum tenorem ſcriptura ſacra non recitat, inſinuatur tamen nobis, ut de omnibus & pro omnibus gratias agamus bonorum omnium largitori. Sed nec ad plenum ullo in tempore potuit quis referre, nedum pro magnis, ſed pro minimis. Omne minimum magnum eſt, ſi æſtimatur magnitudo donantis, & alta mente conſideratur dignatio largiendi. Minimum æquatur magnis muneribus, ſi donantur à procere, multo magis, quæ dantur ab omnium Domino regnorum. Nihil poteſt dici parvum aut modicum, quod datur à Deo. Hinc eſt, quòd omnia nos ad gratiarumactionem invitant. Corporalia & ſpiritualia recepimus, & uſum ex eis captamus, & propriè divina in humanitate atque ſacramentis accepimus, & in promiſſione, quæ non videntur, æterna. Hymnus ex ſolo verbo ſchematizavit ſymmas, hymnus ex corde ſatisfecit ex integro, & reſonavit proprietate ſua in aures Domini ſabaoth. Hymnus ex corde, reſponſio eſt amoris, ſolus amor reſpondet amori. Nulla reſponſio theſaurorum æquatur reſponſioni, quam facit fervidus amor. Amoris intuitu nobis collata ſunt cuncta, nihil impendere poſſumus, ſed rependere. Solus verò amor Domini theſaurum habet abſconditum, de quo rependat primo donanti, non tamen de condigno, ſed de magis placito ſive grato. Hymnus cordis, qui verè noſcitur amor, prævenit danda, poſt data ſtatim dantem laudibus effert. Necnon & ab extra exquiratur ſanctum carmen cum hymnidici cordis plena concordia. Et ultimi pſalmi David ad laudem invitant, & hymnus fornacis trium ſociorum Danielis, præoſtendentes ſive docentes de omnibus referre gratias, & laudes altiſſimo creatori. Ac per hoc, ſi omnium Salvator & Dominus hymnum cum apoſtolis dixit ſuo miro & nobis incognitio modo, & nos gratias, & hymnos ſibi de omnibus referamus noſtro poſſibibili modo, non curioſè quærentes, quid dixerit, ſufficientem ſcientiam habentes, quia dixit. Omnia enim verba, quæ in ſcriptura ſacra eddit Spiritus ſanctus, quo etiam inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines, aut æternitatem, aut præcepta, ſive conſilia, ſive geſta, ſive futura, ſive mores, aut orationes, aut gratiarum actiones, aut pertitiones, aut virtutes commendant, aut vitia vituperant, aut terrent, aut ſpem in ſuperis ponunt, aut laudes divinas exoluunt. Demum ubi determinatum, aut ab eccleſia definitum dicendum aliquid non occurrerit, ſeu ignoraverit cantare volens, quicquid de divina ſcriptura, & de ſermonibus & verbis Dei Salvatoris noſtri, aut apoſtolicæ ſive canonicæ ſcripturæ, vel quicquid prius in mentem venerit, depromatur, & pro hymno computabitur Deo grato, dicenti proficuo. Intentiones enim & fervidum animum plus, quàm, verba penſat altiſſimus, etiam intelligit, quæ non intelligimus. Quo hymno dicto, & ſermone inſtructionum divinarum præhabito ſurrexerunt, dicente Domino: *Surgite eamus hinc, & exierunt in montem Oliveti.* Excitat Dominus imperio verbi ſui tepidas hominum mentes, & ſqualentes virtute miris & inviſibilibus modis ſæpe confortat & revocat vigorem, quem timor nondum à perfecta charitate dimiſſus expulerat. Stabant enim apoſtoli velut attoniti ex verbis Domini, quià in proximo tradendus eſſet, corpore ſimul & mente pallentes. Proinde Dominus verbum excitatiuum emiſit, dicens: Surgite eamus hinc. Quod & factum eſt. Non dixit

Daniel. 3.

Matth. 61.

dixit Dominus, ſurgamus, & eamus, ſed ſurgite, eamus. Non erat Dominus conſternatus in animo, nec jacebat timore conpreſſus. Nam nulla paſſio veniebat ad eum, niſi permiſſa venire ab ipſo. Scilicet qui à virtute divina in omnibus agebatur. Erectus erat animus ejus, & ſuſpenſus ſtabat ad magnificum opus. Non ſuccumbebat animo paſſionibus, quamquis corpore voluerit plenè ſubire. Surgere non oportet, qui mente non cecidit. Qui verò animo jacet, animo ſurgat. Et qui corpore corruit, de remedio ſibi provideat. Qui non cecidit, proſtratis audacius loqui poteſt, & ſolicitare jacentes. Non ergo Dominus ad ſurgendum ſemetipſum invitat, nullum profectò caſum, ſed ad eundem cum aliis ſe connumerat, paratus ſemper adjuvare in omnem ſalutiferam actionem. Surrexerunt à loco cœnaculi, ubi nova & vetera ſunt peracta. Relinquenda in fine ſunt omnia, & ad montem luminum indeſſcientium eſt pergendum. Profectus ad potiora virtutum in operibus Chriſti ſemper attenditur, ut poſt actiones mirificas & poſt omnem juſtitiam operum alta ſecreta petamus, montem ſcilicet lucis inviſibiliter interlucentis cordibus amicantium veritati. Sed nihil relinquendum niſi comparatione majorum, nec mutanda ſunt loca pro libito; etiam ſi diſpliceant, & inepta noſtris actibus videantur; niſi aptiorum locorum fuerit ante facta proviſio. Signum eſt levitatis & inconſtantis mentis indicium, dum improviſè loca mutantur. Nulla mutatio ſit ad minus; nec ad æquale, ad id verò, quod pluris eſt ratio ſana concedit. Non ſit proceſſus ad æquales & majores delicias, ad minores utique fiat. Nec amœna pro æqualiter amœnis aut magis dimittere dixi virtutem, imo fragilitatem; & vitium appellavi. Aſpera verò petere, privata deliciis dixi profectum. Civitatem pro civitate; domum pro domo, niſi pro devitanda notitia, ſine neceſſitate urgente commutare, opus eſt hiſtrionum, pro moribus verò Chriſtianitatis eſt virtus. Magnam deceptionem etiam in his, qui ſe à mundo abdicaverunt, in mutationibus locorum operati ſunt dæmones, & multæ virtutes ab hominibus perierunt: quorum aliquos deceperunt, præoſtendentes ſolitudinis bonum, quod non rationabiliter exequentes revocaverunt ad propria, & facta ſunt in revocatis noviſſima peiora prioribus. Et occultò; ſed juſtiſſimo judicio Dei agitur; ut peior ſit apoſtata & reſiliens à virtute, quàm qui non admiſit ad fortia, ſive manus ad aratrum. Et Petrus in Canonica ſua dixit: Melius erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt cognitionem retrorſum converti, & ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato.

2. Petri 2.

Necnon in pluribus actionibus hæc ſententia locum habet. Aliquos vagari fecerunt vanitate videri, atque videndi, cum actibus qui videbantur virtute pollere, ſed à veritate pallebant omnino, & ruinam inviſibilem fecerunt, atque jacturam. Nec potuit eſſe medela, quià inaniter gloriandi & famæ virus intrinſecè cor tuum infecerat. Aliquos ſæpe transferri fecerunt de locis divinis cultibus aptis, præſupponentes importabilitatem conſortii, atque ſodalis, aut præoſtendentes meliores, aut ducem magis providum: & ignorabant, quià aut ab impatientia mentis, aut à vanitate ſpiritus agebantur, nec fructum virtutis perceperunt in omni vita ſua. Siccatur enim planta, quæ ſæpe transfertur, antequàm radices emittat, etiam ſi loco in optimo ſi plantata. Tutius eſſet nempe modicum bonum in quopiam loco aſſiduè operari, quam ſæpe transferri melioris reſpectu. Multi hoc intuitu perdiderunt bonum, nec melius invenerunt. Aliquos velamine charitatis ad proximos retroverterunt, & cum pereuntibus perierunt. Aliquos ſpe ſubventionum velut providos ad futura, reduxerunt ad civitates vel prope. Supponunt enim illi laruales infirmitates adeſſe, peregrinos oportere ſuſcipere, nec eſſe omnino expediens multo fatigari conamine itineris ſive quæſtus, ob mentis diſperſionem vitandam, ſed optimum eſſe ſi citò quæſita ſubveniunt. Et facti ſunt ex multis ſubortis cauſis de monachis ſæculares. Et qui erant domeſtici Dei, propter ſylveſtritatem mundi, facti ſunt ſylveſtri Dei ob domeſticitatem ſancti. Cautelæ ſpectaculum pro cura rei familiaris ad terram depoſuit rationales aves. Et intellectualibus argumentis jam cœlo vicinas recurvaverunt ad infima, velut vultures & miluos ad cadávera beſtiarum. Acutiſſimis argumentis moliuntur immanes adversùs incautos in tranſmutatione locorum; & eo arctius tentant; quo divina placita magis impedire noverunt, aut in majora nefanda demergere potuerunt. Adversùs quæ machinamenta cautela maxima opus eſt, ne ſterilis aut nulla ſive conciliativà peccati ſit tranſmutatio loci. Exemplum Chriſti penitus capiamus, qui de Sioniticà arce, de Jeruſalem ſepta muris magnificis egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis in montem oliveti; ubi non ſentirentur impedimenta lædentia. Surgendum eſt abſque odio ab his, quæ minoritatis habent germina, & ad illa procedere; quæ fructum quietiorem & uberiorem gignunt; pe-

hitus

nitus non tardemus. Mons olivæ in quem
Chriſtus ſeceſſit, ſæpe fata myſteria, virtu-
tem inſubmergibilem à curia mundi & à
defluentibus rebus dicit: ſuperfertur nem-
pe omnibus liquoribus oleum, & ſi liquor
quiſpiam ſuperfundatur aut ipſum ſuperia-
ciatur liquoribus, ſua proprietate ſemper
enatat. Necnon & lætitiam mentis inſi-
nuat, quam in his, quæ agimus, aut pati-
mur, oportet habere, atque intermiſcere
agendis. Et de Chriſto prophetatus eſt ſer-
Pſalm. 44. mo: Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ. Alia
litera exultationis habet. Proinde Salva-
tor proximus paſſioni, ſed ſtatim magis ca-
piendus, ad montem viſitat olivarum, ut
animo læto procedere ſe monſtret ad pœ-
nas, quamvis alia cauſa quandam triſti-
tiam ad eum permiſiſſet accedere. Inveni-
mus etiam membra capitis noſtri ſequen-
tia ipſum, atque in paſſionibus imitantia
lætanter & magno tripudio acceſſiſſe ad op-
probria, carceres ſive pœnas, & pro glo-
ria computaſſe torturam, & mentis jubilo
mortis ſententiam ſuſcepiſſe. Qua præro-
gatione monemur, ut in omnibus pro
Chriſto factis & toleratis internam lætiti-
am habeamus. Lætatur legitimus miles
bellorum ictus ſuſcepiſſe pro rege, quam-
vis dolor capitis afficiat. Et actionibus la-
borioſis exultat is, qui proceribus ſervire
decrevit. Gaudium exiſtimat inveniſſe pœ-
nalia, qui totum ſe altiſſimo mancipavit.
Novit nempe aliquid apud eum deperire
non poſſe, nec perdere aliquid putat, ſi
pro Chriſto membrum aut tota vita cor-
poris adimatur. Magnam porro fides in-
Jaco. 1. gerit de ratione lætitiam. Ex hoc Jacobus
in Canonica ſua dicit: Omne gaudium ex-
iſtimate fratres, cùm in varias tentationes
incideritis. Et in apoſtolorum actibus ſcri-
bitur: Ibant apoſtoli gaudentes à conſpe-
ctu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro
Actuum 2. nomine Jeſu contumeliam pati. Exemplo
igitur Chriſti, qui paſſurus in proximo ex-
ultationis olei exivit in montem, in agen-
dis & tolerandis & in abnegationibus vo-
luntatum mentis gaudio muniamur. Nem-
pe incaſſum itur, ſi in his, quæ pro Chriſto
jubemur agere cogimur, atque pati, ole-
um exultationis defuerit, aut montem non
viſitaverimus olivarum, ut lætitia exube-
rans condimentum actionibus atque paſ-
ſionibus præſtet. Et velut oleum miteſcere
facit undas, ſic ipſe levigat paſſiones, at-
que videtur amœnas reddere torturas. Igi-
tur laudabilis & imitabilis eſt ſalvatoris exi-
tus in olivarum montem, in quo ſermo-
nem diſcipulis fecit, omnem continen-
tem plenitudinem bonitatis, quem ordo
dicendi alibi inſertum tenet.

Conſummato verò ſermone, quem Joan. 18.
in pede montis oliveti Salvator di-
ſcipulis fecerat, cum eis egreditur
à monte, tranſgrediens quendam torren-
tem, à cederis juxta plantatis ſic nomina-
tum. Et pervenit ad locum, ubi hortus
erat, meditationi & orationibus aptus, &
pro tempore lachrymis fundendis amicus,
in quem ſæpe Salvator convenerat cum di-
ſcipulis ſuis. Multa peritia opus eſt ex om-
nibus mores colligere, ſed de cœlo mini-
ſtrat altiſſimus intelligendi hominibus fa-
cultatem. Ordo geſtorum Chriſti ordina-
tiſſimus eſt, nec habet ex aliqua parte ca-
lumniam. Et jure divinarum cauſarum ſua
geſta ſuccedunt. Tranſgreditur torrentem
poſt ſermonem almificum, ut ſermo vali-
dior operibus oſtendatur. Torrens nempe
ſubita & improviſa & irreparabilis inunda-
tio eſt aquarum, non ex vena perpetua,
ſed ex quis pluvialibus veniens, citò de-
fluens, aqua modica ſive nulla, relin-
quens alveum humectatum. Tranſit Sal-
vator torrentem, libertate corporis atque
mentis. Et retranſit more latronico captus
liber mente, ſed corpore compeditus, ſua
tamen voluntate, non alterius poteſtate, ut
primus tranſitus ſit libera diſpoſitio animi
ad futura tormenta ſecundus ſit executio
tormentorum. ubique mentis libertate ſer-
vata. Torrens ſubitam & defluentem ci-
tò tribulationem inſinuat, de qua pro Chri-
ſto David multò ante prædixerat: De tor-
rente in via bibet, propterea exaltabit ca- Pſalm. 109
put. Omnia brevitatem malorum inſinu-
ant. Non enim durabilia ſunt mundi mala
in aliquo, quoniam homo diu durare non
poteſt etiam in deliciis, nedum hominem
à vita propellunt, & tolerari non poſſunt.
Reſpectu verò illorum æternorum, ad quæ
fidelium ſuſpirat affectus, mille anni nec
una minutia ſunt horæ mergentis. Verè
bona & mundi mala defluunt, velut in con-
vallibus torrens. Tranſitur & non ſiſtitur
in torrente. Torrens ſæpe deorſum deflu-
it, & homo pedibus tranſit, ut ille non in-
tumeſcat, ille moram non faciat: ille deor-
ſum repente defluat, ille dextrorſum aut
ſiniſtrorſum citò pertranſeat. Defluxit tor-
rens tribulationum & paſſionum Chriſti,
& ipſe pertranſivit per eum ad gloriam.
Quod ad Hebræos teſtatur Apoſtolus: Vi-
dimus Jeſum per paſſionem mortis gloria, Hebr. 2.
& honore coronatum. Defluxit torrens
tribulationum apoſtolorum & martyrum.
Defluxit torrens perſecutionum imperato-
rum, & regum, & principum tyrannorum
adverſantium omnium regi Chriſto. Et
tranſierunt quamplurimi gloria & honore
coro-

coronati. Defluxit torrens primitivorum pa-
trum, qui ſe ab omni mundo abdicaverunt,
colentium memora, crucifigentium volun-
tariè in abſtinentiis corpora, & ipſi ad cul-
men palmiferum tranſierunt, Interſecat tor-
rentem, qui tranſit, ut pars ab inferiori ad ſua
receptacula currat, pars verò deſuper veni-
ens feſtinè tranſeuntem non tangat. Feſti-
nè quippe omnis homo tranſit, cùm vitæ bre-
vitas omnino citò exire compellit. Inquit
Job. 14. enim Job: Breves dies hominis ſunt. Et ali-
Job. 17. bi: Dies mei velocius tranſierunt, quàm à
texente tella ſucciditur. Tranſitus ſemper ad
aliud eſt. Proinde ſi tranſitur, non conſiſtitur:
ſi ſiſtitur, non tranſitur. Et in via, non in ter-
mino bibitur de torrente. Omnes enim in
via ſumus, & certiſſimè ad præfinitum termi-
num properamus, ubi æternè aut potabimur
de torrente divinæ dulcedinis non defluen-
te, aut inebriamur in æternum aqua tartarea
permanente. Ecce, quòd Salvator tranſit, &
retranſit, ut paſſio corporis veri & myſtici in
quadam ſignificatione, quid actum aut a-
gendum ſit, ex ipſa ſubſiſtat. Hunc eundem
torrentem cedron fertur tranſiiſſe David,
2.*Reg*. 17. cùm egrederetur de Jeruſalem fugiens à fa-
cie Abſolon filii ſui. Quod propter allego-
riam mores moribꝰ conjunguntur, ut tribu-
latio capitis & membrorum adumbrato my-
ſterio præcederet in David, qui patienter il-
lam ſuſtinuit perſecutionem, citam ſperans
revocationem. Qui omnia diſponebat in
manu altiſſimi, à quo nil procedit injuſtum,
nihilque permittitur in ſervis ejus, quod ad
meritum tolerari non poſſit, & quod citò
non tranſeat, ut ejus electio ſalva fiat. Nam
propter electos Deus ſæpe aut homines ci-
tò ſubtrahit, aut leve videri facit, quod per
crudelitatem aliorum infertur, aut dies tribu-
lationum abbreviat. Optimum eſt in mori-
3.Reg. 13. bus tribulari ad horam, & perſecutionem
brevem pati. Exhauritur enim aqua vitæ,
ſi humiliter toleratur. In eodem verò
torrente ſimulacrum turpiſſimum com-
Gen. 26. buſtum eſt ab Aſa rege Jeruſalem, ut
omnis turpitudo peccati & falſa ſimili-
tudo atque ſimulatio malæ vitæ, paſſio-
nibus pro Chriſto ab hominibus combu-
ratur. Iſaac cùm foderet in torrente invenit
aquam vivam. Fodere in torrente, humi-
Joan. 4. litatem profundam ſervare in paſſionibus
eſt. Unde aqua viva exoritur, quam Sama-
ritanæ, id eſt, eccleſiæ Dominus & Salvator
omnium offerebat. Aqua viva gratia inde-
ficiens eſt, & ſuperna beatitudo, atque cœ-
leſtis. Expedit omnino fodere in torrente,
humilem ſcilicet fieri eum, qui pro Chriſto
diſpoſuit, aut cogitur adverſi aliquid tolera-
re. Remittit ad altiſſima profunda humilitas
Nume. 13. in adverſis. Quia quo profundior radix, eo
arbor ſurgit in altum. Et juxta torrentem ex-
ploratores, quos in terram promiſſionis mi-
ſerat Moyſes, abſciderunt palmitem botri,
quià in tribulationibus invenitur vinea vir-
tutum, unde Chriſtus vitis vera conquiritur.
At quia ſignanter legimus Jeſum egreſſum
trans torrentem cedron, hæc arbor magnum
nobis in moribus & tribulationibus innuit
ſacramentum. Eſt enim alta & imputribilis,
cujus odore fugantur etiam ſerpentes. Co-
aptantur iſta per mores, & merita his, qui
torrentes tribulationum pro Chriſto tranſire
diſponunt, ſive coguntur. Si verò linguam
Hebraicam ſequimur, intellectum alium ca-
plemus. Nam lingua Hebraica cedron, te-
nebræ aut obumbratio interpretatur, ut tor-
rentem tenebrarum, peccatorũ & ignoran-
tiarum tranſeamus, quem cùm tranſimus &
pervenimus ad Chriſtum ſeu eccleſiam. Poſt
quem tranſitum Salvator venit in hortum.
Verè pervenit in deliciarum hortum, qui pro
hominibus pati & mori delicias computabat.
Venit in hortum pro omnibus hortus. Venit
in hortum, de cujus morte vita nobis peni-
tus oritur. Venit in hortum, capiendus in
horto, qui in oriente voluptatis plantaverat
hortum, in quo liberum poſuerat Adam de Gen. 2.
terra jam ortum. In horto à diabolo capitur
Adam, & Chriſtus à Judæis ligatur in horto,
ut ſit ſimilitudo ſatisfactionis ad culpam.
Hortus ab oriendo eſt dictus Et Chriſtus de
novo ſemper noviter credentibus oritur.
Hortus ad quem Jeſus ingreditur, eccleſia
eſt, qui concluſus fertur. Scriptura dicit:
Hortus concluſus ſoror mea ſponſa. De ſua
eccleſia iſta verba ænigmaticè loquitur Spiri- Cant. 4.
tus ſanctus, ad quam miro & ineffabili modo
ingreſſus eſt Chriſtus. Ingrediamur & nos
hortum concluſum ſepibus Angelorum, præ-
ceptorum, & conſiliorum Dei. Ut conclu-
damur divinis ſepibus neceſſarium eſt, ſi ſa-
lutem omnibus poſitam obtinere tendimus.
Vagari ſiquidem pro perniecioſa licentia, non
præmium, ſed damnationem ſortitur. Sunt
deliciæ paganorum & infidelium, ſed non
concluſæ. Sunt deliciæ peccatorum, ſed non
concluſæ. Hortus concluſus eſt paradiſus
eccleſiæ, vagari non licet. Deliciæ Chriſtia-
norum debitos fines habent, certis limitibus
concluduntur. In curſibus dæmonum patet,
qui non ſtat in horto concluſo. Omnia in ec-
cleſia divinis legibus concluduntur Quæ au-
tem concluſa non ſunt, de Chriſti eccleſia
omnino non ſunt. Hortus concluſus omni
virtus. A vitiis quodammodo concluditur
eſt virtus, alios confines omnino non novit.
Qui moratur in illa, non ingreditur terminos
vitiorum. Sed ad illam non celebratur In-
greſſus, quamdiu in terra vitiorum mora
contrahitur. Si ab illa fiat egreſſus, ad regio-
nem tenditur vitiorum. Nemo à vitio egre-
ditur, niſi hortum ingrediatur concluſum,

Nemo ab horto concluſo recedit, qui non
intret confinia vitiorum, Concluditur etiam
omnis virtus regulis aut maceriis veritatis.
Hortus concluſus omnis canonica vita, quæ
ſanctorum patrum decretis concluſa tan-
quam ſepibus manet, Sed væ has ſepes diſ-
ſipanti. Dicit enim Scriptura: Qui diſſipat
ſepem, mordebit eum coluber. Et Chriſtus
Ecc. 10. orat profundè ad patrem in horto concluſo.
Non enim expedit per devia quæquæ vaga-
n hominem orare volentem. Intrat Deus ho-
mo in hortum concluſum, non tamen ipſe
concluſus, & egreditur non excluſus, ubiq;
ſuo ineffabili modo manet, nec legibus ipſe
ſubjicitur, ſed ſuis moribus & exemplis ad
hortum deliciarum ſcilicet delectabilium &
ſurſum ferventium virtutum humanum ge-
nus invitat, ut in horto concluſo maneat, à
quo per culpam propriam excluſit Adam.
Paradiſus in noſtra lingua hortum ſonat. In
quo multiplicandum erat genus humanum,
& ab illo ad loca ſupercœleſtia inferendum,
niſi miſer peccaſſet Adam, & ſe atque totam
futuram ſobolem ab illo excluſiſſet in pœ-
nas. Concluſus erat hortus ille divina & fa-
cili lege, ne vetitum ederetur, & eo fuit cul-
pa gravior, quo facilius divinum præceptum
poterat cuſtodiri. Nunc ipſe idem manet
omnino concluſus impoſſibilitate redeundi,
his duotaxat exceptis, qui divinitus ſunt in-
greſſi, quorum niſi duos ex fide non novit
ecclesia, Enoch videlicet & Eliam, quamvis
multos tenere, atque concludere potuerit
ibi, & poſſit divina potentia, ſive in corpore
aut extra corpus, uſque ad diem judicii, aut
ad aliud præfinitum tempus, ſive innocen-
tes, aut quos ſibi placuerit ibidem quodam-
modo præmiare, aut fovere gremio molio-
ri. Quod credere à fide non eſt abſonum,
neque meritorium, ſive demeritum. Hortus
concluſus ordo vivendi per originalem ju-
ſtitiam, à quo licentiatus nemini patet egreſ-
ſus: à quo ſiquis egreditur, in aliquam labitur
culpam, ſed non impunitam. Nam famoſum
& prævium diluvium inſinuat omnibus po-
ſteris, quòd illi primi homines mundi origi-
nales egreſſi fuerant ab horto juſtitiæ origi-
nalis, qui tam ſæviter juſtiſſimè ſunt puniti.
Omnis enim caro corruperat viam ſuam.
Hortus concluſus ordo vivendi per legem
Moſaicam: ordo vivendi hortus eſt, quem
Deus in primævo conditionis humanæ ori-
ginali juſtitia circumcluſit. cui ſepe iſta ma-
nente, ſepem acerrimam mandatorum ſacri-
ficiorum & ceremoniarum circumdedit.
Concluſio verò iſta ſub peccato erat. Inquit
enim Apoſtolus: Concluſit Scriptua omnia
ſub peccàto, quia nemo iuſtificabatur per le-
gem, quamvis infra ipſam ſtaret incluſus. Et
ille hortus concluſus alium hortum in fide
habebat incluſum. Unde Apoſtolus ſequitur
ad prædicta: Prius antequam veniret fides
ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in ea
fide, quæ revelanda erat. Et hoc eſt, quod
Ezechiel prævidit, quòd rota vetut incluſa
erat in medio rotæ, ſcilicet fides incluſa in
lege tempore gratiæ revelanda. Noviſſimè
verò, cùm nobis Deus Pater loqueretur in
Filio, fecit nobis in ipſo alium hortum, miro
& ineffabili modo concluſum. Bonus iſte
hortus, in quo per carnem & ſanguinem aut
humanum ſemen nullus eſt ortus. Et in car-
ne & per carnem ortus, non ſalvabitur niſi
hic fuerit hortus. Et ſic ortus non videbit
ſummum bonum, niſi uſque in finem eum
tenuerit, & ab ipſo emiſerit talis ortus. Or-
tus in horto perſeveret in horto, ſi cœleſtem
appetit hortum Hortus iſte concluſus fon-
tem habet ſignatum. Ad quod in Canticis ſe-
quitur: Hortus concluſus, fons ſignatus.
Lector verus intelligat fontem ſignatum eſ-
ſe in horto, non extra Fons iſte divina largi-
tas ſeu redundantia eſt. Et fons erat in para-
diſo medio, qui dividebatur in quatuor ca-
pita, ad irrigandam univerſam terram. Sed
ſignatus eſt fons. Nam ideo cuncta ſignan-
tur, ne confundantur cum cæteris, & ut di-
ſcernantur à cæteris, atque ut ſalvæ fiant.
Vide alligorica, vide qui legis morum my-
ſteria. Hurtus eſt concluſus, fons eſt ſigna-
tus. Sed quo? Signo crucis, ut nullus bibat,
niſi crucis ſignum accipiat. Tau ſignari ex-
pedit, quos Angelus exterminator ſervabat
illæſos, & crucis ſigno, qui de fonte gratia-
rũ & divinæ largitatis aquam bibere volunt.
Fons ſignatus eſt ſacramentalibus ſignis.
Sunt enim ſacramenta ſacratiſſimæ rei ſigna.
S gnatus eſt fons velut liber Joanni oſtenſus, Ezech. 9.
ſignatus ſigillis ſeptem. Et fons eccleſiæ ſic
occultis ſignis manans atque myſteriis. Et
bene fons in horto, in quem ingreditur Jeſus,
fons ſcilicet eccleſiæ divinam redundans
gratiam, ſignatus dicitur, ut à fontibus cæ-
teris diſtinguatur, nam aquam emanat, &
ſanguinem. Etenim, cùm oraſſet Jeſus in
horto mente profunda, factus eſt ſudor ejus Apocal. 22.
tanquam guttæ ſanguinis decurrentis in ter-
ram. Magnum ſignum eſt à cæteris ſecer-
nens ſignatum, quòd fons ſit iſte ſanguineus
atque coccineus. Et Jericontina meretrix ſi-
gnum coccineum poſuit ad feneſtram, ne
cum cæteris malè confuſa periret. Signum Joſue. 9.
à cæteris diſcernens ſanguis eſt Chriſti. Hoc
enim ſigno atque ſacrificio ab omni alio po-
pulo ſecernitur populus Chriſtianus. Et in
eodem populo præferuntur, qui ſua corpo-
ra ſanguine proprio ſignaverunt. Nullum e-
videntius Chriſtianitatis ſignum, quàm pro
Chriſto ſanguinem fundere. Hoc ſigno ſi-
gnata erat multitudo ſignatorum, quam Jo-
annes Evangeliſta per revellationem aſpe-
xit, Habuit Paradiſus orientalis & delicia-
rum

rum hortus plantaria ſua & arbores plurimas, inter quas oberravit Adam. Habet iſte hortus ſuas emiſſiones, habet mala punica, fructus pomorum, habet cyprum, habet nardum, habet crocum, habet fiſtulam, habet cinnamomum, habet univerſa ligna libani, habet myrrham, habet aloe, habet unguenta optima. Inter quæ rectè vivit juſtus, & ad ordinem vitæ revocatur erroneus. Hæc ſiquidem omnia myſtenalia & allegorica ſunt, Moralia ſunt multitudo virtutum ſignatarum in eis. Qui ergo legit, intelligat: inveſtigandi materiam legentibus dedimus. Devitanda prolixitas ad alia feſtinare compellit.

SEd Chriſtus orat in horto, ut auferatur paſſio, veruntamen ad patris voluntatem ſeipſum diſponit. Hoc enim modo eccleſia ſeu fidelis anima orat pro horto, ut ſponſi & ſponſæ ſimilis ſit oratio. Inquit Cant 4. enim: Surge aquilo, & veni auſter, & perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Ut aquilo ſurgat petitur, videlicet ut & recedat. Et Chriſtus receſſum expoſtulat calicis. & petitur auſter, ſcilicet gratia calida Spiritus ſancti, & Chriſtus ex gratia Spiritus ſancti paternæ ſe ſubdidit voluntati. Receſſum eccleſia & omnis fidelis anima deſiderat frigidi aquilonis, quoniam ab aquilone panditur omne malum. Frigiditas enim animæ innumera mala & bonorum negligentiam operata eſt. Aquilo frigidiſſimus eſt, ad cujus flatum horti non germinant, neque campi, nec arbores aut herbæ aut vineæ gemmas, flores ſive fructus emittunt, imo emiſſi depereunt, & plerumque ad flatum ejus congelatur aqua. Sed omnino contrarium operatur auſter. Hæc omnia operante natura didicimus, & ab authoritate Scripturæ. Auſter flatus eſt Spiritus ſancti. Qui ſi perflat hortum, ordinem ſive ſtatum vivendi, ſive omne, quod noſcitur divina lege concluſum fortè inſinuat. Aromata fluunt, omnia videlicet Chriſto placentia & redolentia fiunt. Omne quod eſt divina & canonica regula concluſum hortus eſt concluſus. Qui niſi perfletur gratia Spiritus ſancti, aromata ſcilicet virtutes & earum acceptabiles actiones penitus non emittit. Aromata nempe adoramenta delectabilia ſunt. Nihil olfactui ſpirituali delectabilius in hac vita, quàm virtutum odor: etenim ſupercæleſtibib⁹ ſubſtantiis rationabilibus placet. Ubique virtutes & actus ejus de ſui ratione placent. Boni ac mali velint nolint bene judicant de virtute actibusque virtutis. Satis ergo fluunt, quæ in ſuperna decurrunt. Perindique fluunt, quæ omnibus jure placent. Alio verò ſenſu, cùm experitur flatus aquilonis & auſtri, vehementia tribulationis inquiritur, & aſſiſtentia Spiritus ſancti, quorum flatu ſancta adoramenta decurrunt, & ad profectum ſanctum conveniunt. Tribulatio multa bona eduxit in lucem. Florere fecit perſecutio ſanctos viros. Et Spiritus ſancti flatus confirmat corda bonorum, & perſecutio imminens, tolerantia Spiritus ſancti aſſiſtens catholicam eccleſiam diverſis & innumeris ſanctis fecerit germinare. Infinitas vero animas variis pullulare virtutibus aquilo perſecutionis per gratiam auſtri, martyres per ſanguinem & mortem, auſter gratiæ per abdicationem & juſtæ vitæ cenſuram, innumerabiles homines in horto eccleſiæ dum flarent, fluere jam fecerunt. Aquilo perſecutionis inviſibilis excitatæ à ſatana, & inſurgentis à carne corrupta, aut ab iniquis hominibus irrogatæ in cognitione propriæ infirmitatis atque miſeriæ animam pervenire ſuaſit. & fecit impatientiam inſitam ſcire, cujus contrarium ſe credebat. Latet unusquiaque ſibi, quouſque aquilonis flatus faciat experiri. Et ſi conſurgat, quòd non à perſecutione vincatur, non ſuæ ſed ſupernæ cognoſcet eſſe virtutis. Neceſſarius eſt aquilonis flatus ei, qui appetit in ſui cognitionem venire. Imperfectiones in hominibus latent, quas ſi quis poſſet aſpicere, tollerabilis eſſet aſpectus ſatanicus. Excitata perſecutio fecit pareſcere delitescens, unusquisque ſibi apparet patiens contumelia quieſcente. Et caſtus ſibi eſſe videtur, qui impugnationem non patitur: & eſſe fidelis, qui non ſenſit inviſibilis fidei bella, & inviſibiles pugnas quas immittit inviſibilis prædo. Auſter autem ſecus animam clarere virtutibus fecit. Aquilo conſtringit & congelat aquas, & timor Dei fluxibilem mentem frænat. Auſter verò mali timoris congelationem reſolvit, boni flatus auſtrales ad horti fœcunditatem, videlicet ad eccleſiæ aut animæ redimitionem uſque ſæpe proſunt. In hunc hortum Filii Dei petebatur adventus, & factus eſt, & ad ſingulos animarum hortos expetitur, & imprætermiſsè fit. Inquit profectò Scriptura: Cant. 5. Veniat dilectus in hortum ſuum & comedat fructum pomorum ſuorum. Verba enigmatica ſunt. Et completam petitionem dilectus oſtendit dicens: Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa. Velut ſi diceret: Quòd petiſti, perfeci. Aut alio ſenſu, ut ſponſa invitetur, ut in hortum ipſa veniat ſponſi dilecti, cum adjectione illorum, quæ in adventu in hortum noſcuntur eſſe perfecta, ſcilicet meſſui myrrham cum aromatibus meis comedi favum cum mele meo, bibi vinum cum melle meo. Ab humana natura per idoneos viros, patriarchas atque prophetas Chriſti petebat adventus ad hortum, ſcilicet ad ipſam eandem humanam naturam, quam in horto, ſcilicet in orientali paradiſo, primò

plantaverat, ſeu ad Iſraeliticam gentem, quam velut hortum inſeruerat & circumdederat ſæpe legis, ut commederet fructus pomorum ſuorum. Hi fructus per fructus & per poma ſignificantur & arborea, quæ homines etiam ipſæ ſignificant. Non enim ſimplex ejus exſpectabatur adventua, ſed ut comederet fructum pomorum ipſorum arborum ſuarum. Comeſtio approbatio eſt ciborum, aut quia delectabilia ſunt, aut quia utilia eſſe cognoſcuntur, etiamſi amaritudinem ferunt. Comeſtio incorporatio eſt eorum denuo facta, quæ ſummuntur ab extra. Comeſtio Chriſti myſtica eſt approbatio electorum ſuorum & incorporatio ad ſeipſum. Comeſtio Chriſti approbatio fructuum arborum ſuarum, ſcilicet operum illorum, qui ab æterno prædeſtinati à divina mente ſciuntur, & incorporatio ad ſeipſum, Idcirco ſignanter dicitur, ut comedat fructum pomorum ſuorum. Singultat etiam anima hoc ſedule, ut dilectus in hortum ſuum veniat, & approbet, ſi fecit juſtos aut dignos pænitentiæ fructus. Sed dilectus expeditus aut veniſſe ſe dicit, aut ſponſam invitat, ut veniat, quod utrumque illo comprehenditur verbo, videlicet ut adventum dicat jam factum, aut adventum imperet peragendum, factum in ſponſo, peragendum in ſponſa. Sed quoquo modo ſe habeat ordo rei, cætera prætermittentes,
Ibidem. quid Chriſtus in horto fecerit, audiamus. Myrrham meſſuit, qua contriſtatus eſt, ſudavit ſudore ſanguineo, calicem per voluntatem ſuſcepit à patre. Commedit favum & mel, bibit vinum & lac, qua apcrobavit & approbat, & incorporavit dulcedinem noſtrarum virtutum atque actionum dulcedine ſua, & puritatem vitæ noſtræ, atque morum noſtrorum puritate altiſſima ſua. Nam favum noſtrum cum melle ſuo, vinum noſtrum cum lacte ſuo ſua pietate aſſumpſit, cùm omnia bona noſtra inſeparabiliter ſibi ſociavit, dans noſtris bonis perfectionem, ſuia nullam diminutionem, ut apud omnipotentē Deum ſint merita capitis membro-
Matth. 26 rum, & merita noſtra ſuis meritis unita convaleant, quæ ſine ipſo deficiebant.

Villa gethſemani hujuſcemodi myſteriis correſpondet, quæ vallis pinguedinis interpretatur. Pinguedo refertur ad flatum auſtri, ſcilicet ad gratiam Spiritus ſancti, cujua infuſione catholica eccleſia & omnis verè fidelis anima vivit vita virtutis, & intus per
Gen. 27. charitatem, extra per jugem operationem facit augmentum. Et Jacob & Eſau pro benedictione magna ſuſceperunt à patre Iſaac, quòd in pinguedine terræ benedictio eſſet eorum. Pinguedo terræ operatio exuberans eſt, quæ a gratia flante procedit. Ille in pinguedine terræ habet benedictionem, qui per opera bona in virtutibus proficit. Et Judicum 9.
Aſer, cùm benediceretur à patriarcha Jacob, declaratus eſt, quòd pinquis eſſet panis ejus, & quòd delicias regibus daret. Habet eccleſia pinguem panem, corpus ſcilicet Chriſti. Et qui ſe ipſos virtutibus regunt, reges ſunt, & in iſto pane deliciantur. Omnis etiam fidelis & fideliter anima per rationis regnum vocata regina in iſto pane fidei habet delicias Et oliva nolebat deſerere pinguedinem ſuam, ut imperaret lignis. Quæcunque anima bonis aſſuefacta operibus, & ardentibus deſideriis aucta, non deſiderat regnum aut curam gerere ſuper alios, & velut impedimenta declinat aliis in regimine commiſceri, niſi talis neceſſitas aderit, quæ ſine peccato vitari non poſſit. Et quamvis quiſque melior ſit, ſi cum aliis, quàm ſi ſingulatim eſt bonus, non tamen ſi aliorum curam agit, aut appetit importunè, cenſendus eſt juſtus. Nullus deſerat orationis & devotionis & contemplationis pinguedinem importunè aut celeriter vocatus ad regimen. Orat enim Chriſtua & devotione agitur, paternam, quam invocat contemplatur præſentiam in valle pinguedinis. Optimum enim eſt orare in horto concluſo, qui eſt in valle ſpiritualis pinguedinis. Et melius ad ſe quàm ad alioa ſine certitudine altioris profectus fieri. Sæpè multi propter aliorum curam & regimen perdiderunt ſanctam pinguedinem, nec tamen aliis profuerunt. Nam non petebant arbores fructuoſæ olivæ imperium, ſed ſaltus ligna ſterilia. Fructuoſi ad ſterilem nulla conventio, & devoti ad indevotum, orantis & vagi, contemplativi & diſperſi. Holocauſtum pingue fieri pete- Pſal 62.
batur in Pſalmo. Tunc holocauſtum pingue fit, cùm omne quod offertur Chriſto, charitate aut gratia Spiritus ſancti perfunditur, & in alio Pſalmo petebat David, ut adipe & pinguedine repleretur anima ſua, ut exultando laudaret omnium conditorem, cùm dicebat: ſicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum. Et Eſras poſt recitationem verborum legis, & luctum populi audientis ipſum pinquia comedere hortabatur. Ecce Salvator in horto, ecce conſtitutus eſt in villa pinguedinis ad eos, ad exemplum vitæ agendæ, fructum & exemplar operum ejus.

CUm eſſet in horto, tres elegit ex un- Matth. 26.
decim, quos aſſumpſit ad altiora ſecreta. Coram quibus eſt proteſtatus ſuam triſtitiam, quos ad ſecum vigilandum exhortatua eſt Petrum, Jacobum & Joannem. In quibus prætermiſſo quod myſticè agitur, magna ſunt nobis oſtenſa ſacramenta pro moribus. Nam trinitatem quandam oportet habere hominem in magnis

ago-

agonibus conſtitutum. Primò neceſſaria eſt agendorum notitia, & perfundi vero lumine fidei, deinde debellatio ſeu vera ſupplantatio vitiorum, & aſſiſtens gratia Spiritus ſancti. Hæc trinitas in Petro, Jacobo & Joanne oſtenditur, ſine qua omnis actio noſtra deluditur. Quis enim juſſa divina perficiet, niſi primò cognoverit? Quis procedit ad bellum, ſi non cognoverit ſignum tubæ? Si neſciverit ducem ſub quo militabit? Vexilla regia ignoraverit ubi ſe colliget? Si pugnare atque repugnare non noverit, nonne deficiet? Si non agnoverit inimicum, quem percutiet? Aut à quo ſe cavebit, aut ſuper quem vibrabit configens haſtam? Si commilitones neſciverit, qua pugnabit fiducia? Si doctus non fuerit interdum inſidias prævidere, necnon & præcavere impoſitas, omnino ſuccumbet. Expedit nempe non ignorare aſtutias ſatanæ. Semper namque colluctat occultè, & ſibi aptos homines viſibiliter ad certamina movet. Qui legem Dei & Chriſti non agnoverit, quomodo legem ejus implebit? Qui Dei voluntatem, quam in nobis & à nobis fieri Chriſto docente petimus, ignorat, quomodo faciet? Si fuveas ignoraverit vitiorum, incidet in eas. Si non noverit rudimenta virtutum, non decorabitur in eis. Ignarus navigandi ſubmerget navem, aut non perveniet ad quietis portum, & qui neſcit cavere periculum, incidet in illud. Qui neſcit abundare cùm habet, ſuffocabitur in poſſeſſis: & neſcius pati penuriam opprimetur ab illa. Ignorans uti conceſſis, promiſſis privabitur, agnoſcens verò è regione in omnibus gradietur. Luctari cum vitiis, imo illa magis expedit ſupplantare: peccatorum enim pondere preſſus, iniquitatum ſarcina prægravatus, beatæ vitæ nunquam videbit longævum, niſi facta fuerit ſupplantatio vitiorum. Supplanta in te punitæ naturæ complacitum, & ejus abnega voluntatem. Supplanta fragilitatem, quæ tecum in omni bono duellat. Supplanta pigritiam, quæ tuum jam caput ſupergreditur. Eſto victor tui, Chriſto deſuper præſtante levamen, & eris omnium magnificus triumphator. Velut peſſimum inimicum ſtatue teipſum in campo ſpiritualis certaminis adversùs teipſum, & ſupplantare feſtina, & omnis mundi amœnitas vertetur in fugam, & terga dabit propere hoſtis antiquus. Qui ſeipſum in occulto agone apprimè devicerit, nihil habet obſiſtens. Qui ſecundùm Salvatoris ſententiam odio habet animam ſuam, non dormiet, niſi luctando ſupplantet. Perſeverans odium animo & actu quantum facultas concedit, impretermiſsè perſequitur inimicum. Agit hoc odium malum. Odium verò evangelicum de ſuo adverſario magis ſtrenuè triumphavit. Nullus alicui eſt ſeipſo nocivior inimicus. Nec enim ab alio, quàm à ſeipſo quiſquis ſpiritualia ſeu æterna nocumenta ſuſcepit. Mundus & diabolus non poſſident alias artes, in quibus ſe colligant, aut alios campos certaminis habent, niſi animas, quas mundus delebit, & diabolus quærit ad pœnas, ac per hoc neceſſarium factum eſt ſuperplantivam habere virtutem. Gratiam verò, quæ ſcientiam juvat, & luctam oportet eſſe præſentem, ſine qua vires hominum marceſcunt, atque virtutes. Nam ſicut ſine verbo factum eſt nihil in rerum creatione, ſic ſine ipſius gratia factum eſt nihil in ordine vitæ agendæ. Sed quamvis diverſis velis ipſa in mundi mari velificet, tamen cum illa, quæ gratam animam Deo facit, verus Chriſti agnonizator incedat, & ſibi toto animo inhæreat, quoniam nihil novi prodeſſe ſuſcepta dona per gratiam, niſi ex ſuſceptis fiat reſponſio meritorum. Non gratificat hominem Deo id, quod accepit, ſed id, quod debito ſervitutis & poſſibili actione rependit. Bona ſunt omnia, quæ per amorem à Deo accepimus ſed niſi homo in eis ſe juſtis actionibus gratum faciat, ad accipientium pœnam & judicium intorquentur. Sed ſatis grata redditur anima creatori, ſi de plenitudine amoris & magnitudine voluntatis rependit, quia non valet de plenitudine operis. Inquit enim Apoſtolus: Gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit. Tunc enim ſuſcepta gratia non patitur vacuum, cùm ille, qui accepit ex omni ſe virtutum uſibus, & exercitiis ſe coaptat. Gratia verò qua innitimur, qua proficimus, quam oculo fideli aſpicimus, quæ adjuvat, provehit, & dirigit, à patre luminum eſt, & ab ipſo deſcendit. Semper rectè volentibus adeſt, nemini deficit, niſi ei, qui primò ſibi voluntate defecit. Promptitudo, qua Spiritus ſanctus volentibus illam infundit, omnem excuſationem cauſantium hominum dirimit, & accuſat omnes, & ad judicium cogit. Ex defectu gratiam infundentis nullus habebit exceptionis aut excuſationis ſuffugium. Immutabilis eſt infinitæ largitatis author, qui heri & ipſe nunc & in ſæcula ſæculorum, defectus non recipientis, aut tepidi magis augebit ad crimen. Igitur trinitatem ſanctam in noſtris agonibus aſſumamus. Ordo vero rei geſtæ ſic elucet. Sedet ſeorſum in horto Salvator omnium Chriſtus cum ſanctis & electis teſtibus, & triſtitiam mentis aperit vocalibus verbis, dicens: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Suſtinete hic, & vigilate mecum. Quid eſt, quia cœpit contriſtari Je-

ſus & mœſtns eſſe? Non enim erat ex na-
tura triſtis Jeſus, neque ſibi à communiter
accidentibus invitè poterat provenire tri-
ſtitia. Sed accepit & ipſe triſtitiam. ad ve-
ritatem inſinuandam aſſumpti hominis, &
compaſſionem oſtendebat de perditis,
qui velut homo compatiebatur de ſua
paſſione damnandis. Interimitur hic phi-
loſophantium indocta doctrina, quòd
ſapientes triſtitia non premuntur. Ete-
nim, cùm Jeſus, in quo ſunt omnes theſau-
ri ſapientiæ abſconditi, uſque ad mortem ſe
triſtari fatetur. Pia eſt triſtitia Chriſti, &
ab ipſo ſanctè ſuſcepta in horto pinguedi-
nis, ut in ipſo puniretur, quòd in horto pri-
mævo male fuit lætatus Adam. Et pro pa-
terna injuria ſimiliter triſtabatur pro præ-
terita & imminenti, quia erat ejus filius in-
juſtiſſimè occidendus, & ut iniquitas erat
tractanda juſtitia, ut turpitudo ſanctitas, ut
ſtultitia ſapientia, ut dedecus decus, ut per-
ditio ſalus, ut latro improbus, ſuorum da-
tor largiſſimus. Perſpectabat altiſſima men-
te omnium hominum præteritorum præ-
ſentium & futurorũ delicta, & nefanda pec-
cata, pro quibus diluendis oportebat ſuſti-
nere dolores, in animo triſtari, & in carne
pati. Et pro hominum ingratitudine triſta-
batur, & acutius confodiebatur ex iſta tri-
ſtitia, quàm ex pœna. Triſtitiam acriorem
ſæpe fecit in anima ingratitudo, quàm do-
lor inflictus in corpore. Triſtabatur & an-
xiebatur ſpiritus ejus, unus exiſtens pro om-
nibus dolens, & qui tam brevi temporis ſpa-
tio ad emendam tot millium obligabatur an-
norum. Scripta erant inviſibili ſtylo in ani-
ma illa omnium temporum momenta, ut
imagines delinquentium, necnon & pec-
catorum variæ quantitatea, ſimiliter & qua-
litates, numeri & intenſiones, tetraliter &
lucidè refulgebant. Nam tetrum tetraliter
& lucidè videtur in claro. Tetraliter, quia
obſcurum eſt: lucidè, quia ſicut eſt, no-
tum eſt. Tenebat ipſe mœſtitudinem, non
tamen tenebatur ab ipſa, pro eo, quòd ex-
cellentiſſimum opus inviſibilium animarum
incluſarum corporibus vaſtationem acce-
perat, non aliter reparandam, quàm per
mortem ipſius & ſanguinem. Et erat exceſ-
ſus aſſumptæ triſtitiæ, atque mœſtitiæ, quàm
coram ſe poſitis & electis teſtibus voce fle-
bili oſtendebat. Quæ triſtitia magnitudinem
aſtruebat amoris ut intantum ſciamus nos
diligi, quòd lætitia triſtaretur pro nobis. Ne-
mo triſtatur, niſi de damno dilecti, aut de
de re perdita, quæ inhærebat amori. Et æ-
qua lance appenduntur in animabus homi-
num circa eandem rem amor cùm adeſt,
cùm vero deperditur dolor. Terminus au-
tem huic triſtitiæ appoſitus animum in con-
ſideratione ſuſpendit, cùm dicitur uſque ad
mortem. Sed ad ſaniores intelligentias ani-
mum convertamus, mortem æternam om-
nium, unius mortis victoria ſuperari cre- Roma. 5.
damus. Secundum Apoſtolum: Sicus uni-
us peccato morti omnes tenebamur abſor-
pti, ſic unius juſtitia multi revocantur ad
vitam. Mors & mors duro conflixerunt
duello. Mors Chriſti fiebat, ut deſtruere-
tur omnium mors. Mors omnium ſcilicet
ab Adam uſque ad Chriſtum in omnibus
gentibus firmaverat ſibi regnum. Proinde
triſtatur anima Chriſti uſque ad mortem,
videlicet quouſque mors Chriſti omnem
mortem per juſtitiam pleno jure devince-
ret. Nam in victoria mortis Chriſti mors
omnium abſorpta narratur, & à victoria
devicta victoria prædicatur. Unde ſecun-
dùm Apoſtphum: Abſorpta eſt mors in vi- 1. Cor. 13.
ctoria. Et ſequitur: Ubi eſt mors victoria
tua? Mors Chriſti omnium mortem abſor-
buit. Per ſerpentem introducta eſt mors,
& ſerpena devoravit ſerpentem. Nam ſer-
pens Moyſi cùm eſſet Pharaoni in Ægypto Exodi 7.
ad prodigia facienda exortus ex virga, quam
manu ſua Domino jubente geſtabat, de-
voravit ſerpentes magorum Pharaonis. Et
Chriſtus per ſimile ſerpens dictus, mor-
tem omnium ſua morte devoravit, ut mors
omnino abſorpta ſit in victoria. Nova &
inaudita exercitatio iſta erat, ut mors vin-
ceretur à morte, necnon ex morte vita
conſurgeret. Ex hoc erat iſta triſtitia uſque
ad mortem. Et ut intellectus altior inclare-
ſcat, ſimpla erat mors Chriſti, quæ dupli-
cem noſtram devoravit. Mortem incurre-
rat humanum genus à primo parente per
omnes propagata propagine, in anima ſi-
militer, & in corpore rei experientia do-
cente. Chriſtus verò in corpore, non ani-
ma unicam accepit, qua debellavit & bi-
nam. Hoc verò agere magni exercitii erat.
Et quod mentibus altè intelligentium plus
accreſcit, mors corporis unius hominis
mortem animarum & corporum pariter
interimebat. Quod tamen mors corporis
adversùs mortem corporum decretaſſet fe-
ciſſetque victoriam, magnæ utique fuiſſe
potentiæ, quod verò mors corporis mor-
tem devoret animarum, ipſarùmque vita ex
corporis morte conſurgat, hoc omnium
mortalium ſcientiam tranſcendit, quod pro-
penſioris & divini myſterii fide ſcibilis fu-
iſſe opificium novimus. Triſtabatur ergo
illa infinita & amibilis anima uſque ad mor-
tem, quouſque videlicet novus mortis oc-
caſus antiquum mortia occaſum exclude-
ret, & occaſus occaſum ad vitam revoca-
ret. Quoniam qui feſtinat aliquid magni
agere, triſtatur quouſque perficiat, & tri-
ſtitia & ſolicitudo in agentis anima ſe com-
miſcent. Inaudita res, & inſolita exerci-
tatio, in qua contriſtabatur Dominus Jeſus
Chriſtus, non ex eo, quià Deus erat, ſed
ex eo, quià carnem ſuſceperat, ſicut præ-
dictum

dictum de ipſo multùm ante fuerat per pro-
Pſalm. 54. phetam: Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus ſum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.

SEd omittentes, quæ dicenda parat ſuſcepta materia, ex ipſa triſtitia ſumamus troplogicam & inviſibilem actionem. Non omnis triſtitia laudabilis, neque omnis triſtitia virtuoſa. Et multipliciter ſcriptura mœſtitiam comprehendit. Veruntamen quædam triſtitia noſcitur, ad quam Chriſti exemplo animam debemus uſquequaque convertere. Triſtatur non propter ſua, ſed propter aliena peccata. Tu verò propter tua lamentum & dolorem aſſume. Nam quod lætitia vana committitur, nunquam melius quàm triſtitia vera deletur. Et quouſque in anima propriis voluntatibus abnegatos noſmetipſos noverimus & mundo mortuos, ipsique nobis aſpexerimus crucifixum, inconſolabilem & irremotam triſtitiam anima ipſa poſſideat. Renuit omnis anima conſolari, memor facta triſtitiæ Chriſti & pœnalium operum ejus. Triſtari ſiquidem expedit eum, qui deliquit, & mœrentem eſſe, qui commiſit digna mœroribus. Semper enim in loco tartareo non ex alio luctus intranſibilis erit, quàm ex delictis atque peccatis. Temporalis & non ficta triſtitia evaſit æternam. Et ſi padua & albula ex oculis hominum peccatorum lachrymabiliter proceſſiſſent, quaſi nulla recompenſatio pro pœnis removendis æternis. Facta eſt nobis in neceſſitate triſtitia uſque ad mortem, ut illam parati ſimus promptè ſubiicere pro vita, ſi horum alterum à quopiam in optione daretur, an ſuſtinere mortem, an deſerere in animo vel in actione virtutem. In his nempe, quæ habent aſperum ſenſum, nihil morte triſtius invenitur. Proinde uſque ad mortem triſtitia fieri dicitur, cùm quis pro divinis agonibus illam ſubire paratur. Chriſtus in morte ſummum & ultimum ſacrificium fecit pro nobis, & in figura & veritate appellatum enim ſacrificium veſper-
1. Eſd. 6. tinum. Et Eſdras legitur mœrens & triſtis ſtetiſſe uſque ad ſacrificium veſpertinum. Triſtabatur piiſſima triſtitia Chriſtus velut ardenter diligens, cupiens liberare, quem diligit, & dignè placere dignis offerre volens ſemetipſum in ſacrificium veſpertinum, quo liberabatur humanum genus, quod ex creatione diligebat, & ex unione quam fecerat. Placitum verò paternum perficiebat ex animo, quia de ipſo ſcriptum erat: Holocauſtum pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi, ecce venio. Non vitulorum aut hir-
Pſalm. 39. corum, ſed ſacrificium Chriſti filii ſui quærebat pater omnipotens. Inceſſabilis triſtitia nos diverberet donec fiat mors ſacrificii veſpertini, quod tunc plenè peragitur, cùm nil in anima & in ſenſibus remanet, quod non ſit altiſſimo dedicatum. Etenim in ſacrificiis antiquorum animalia mactabantur. In ſacrificiis Chriſtianorum occiduntur propriæ voluntates atque perperam actiones. Et vita naturæ offerendum animal privabatur, & vita culpabili quam ſuadet corrupta natura, privari expedit ſemetipſum offerre volentem in ſacrificium ultimum ſive veſpertinum. Sed quouſque animo fiat, triſtitia libens ab animo non recedat. Si fieri omnino negabitur, triſtitia æterna cruciabit invitè. Optimum eſt triſtitiam per triſtitiã prævenire, per temporalẽ æternam. More hominum triſtabatur & loquebatur Chriſtus, uſque ad mortem triſtari ſe pandens, ad meditationem ſuæ triſtitiæ atq; ad noſtram triſtitiam aſſumendam ſua expreſſione verborum nos invitans. Ac per hoc oſtendit ſuo verbo triſtitiam, ut ſciatur. Ideo ſcire facit, ut intendat anima noſtra in illas inviſibiles paſſiones, quæ paſſionibus corporis vehementiores proculdubio extiterunt. Proinde verbum flebile, amabilis vox: Triſtis enim anima mea uſque ad mortem. Verbum capitis ad ſeipſum membra tranſformativè convertens, ut ſit communicatio inviſibilum paſſionum etiamſi ſanguis non pro ſanguine funderetur. Ab hac communione nullus ſecernitur, nec excuſationis ſuffugium invenitur, quamvis multi effugerunt, multique devitaverunt, & plurimi non invenerunt participationem irrogatarum & ſenſibilium paſſionum. Ingrediamur, ut poſſumus, in illud ſecretum animæ Chriſti, quæ contriſtatur uſque ad mortem. Unde triſtatur? Quo fine triſtatur? Uſque ad mortem. Quomodo ille inviſibilis & intellectualis ſol eclipſim triſtitiæ paſſus eſt? Unde lux quæ omnem animam cohærentem ſibi, divinis facit coruſcare ſplendoribus, lætitiis ineffabilibus replet, triſtitiæ tenebras advocavit? Nam nihil ſibi dominabatur invitè, ut omni celeritate, qua valet, à ſe poſſet repellere. Ada vocata erat ab ipſo triſtitia, juſſa non importuna venit. Bonum enim ad illam per contemplationem fieri, ſed melius per communionem fieri Chriſtiformem. Chriſtiformis enim triſtitia, æternam poſt corporis mortem invenit profecto lætitiam. Idcirco ad ſuſtinentiam & vigiliam, ſuos electos invitat, dicens: *Suſtinete hic & vigilate mecum.* Non quærebat illos tres in ſuo eſſe præſidio, nec ad ſui cuſtodiam atque tutelam eos volebat omnes eſſe intentos, quos paulo ante prædixerat in eo ſcandalum omnes eſſe paſſuros, ſed eos ad tolerantiam & conſiderationem eorum, quæ ab ipſo agebantur diſponebat. Suſtinet quis cum Chriſto, cùm tædium non patitur ex repen-

repentinis eventibus, & ex ſubitis caſibus
anima melius roboratur, neque ſuecum-
bit imminente periculo. Multa ſunt, quæ
homines ſuſtinent, & multi ſunt ſuſtinen-
tes ſed non cum Chriſto. Sodalem ad Chri-
ſtum expedit fieri virtuoſè atque merito-
riè ſuſtinentem. Suſtnentia eſt quædam ex-
pectatio futurorum. Suſtineamus cum Chri-
ſto futura. Quamvis enim ex mundo abie-
rit corpore, nobiſcum tamen eſt divinitate,
poteſtate, ſacramento atque dilectione. Su-
ſtinet cum Chriſto, qui nullo mœrore in
expectatione contrahitur, nec temporis di-
latio animam gravat, nec animam afficit di-
lata promiſſio, nec in oratione anxiatur, ſi
non accipit illico, quod affectat, & ſemper
eodem modo ſe habet in his, quæ ad eum &
Eccleſi. 2. circa eum divina providentia fiunt. Tenta-
sionibus non opprimitur, qui cum Domino
ſuſtinet. Dicit enim ſcriptura: Fili accedens
ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore,
& præpara animam tuam ad tentationem, &
deprime cor tuum, & ſuſtine. Qui agonem
divinæ ſervitutis ingreditur, ſuſtineat, ſi
qua confluentia mala, & adjutorii dilatio,
& temporis non deterreat, ne à juſtitia de-
cidat, ne à divino amore diſceptet. Verus
ſuſtinens ad tentationem animam parat, ne
cum venerit, inveniat imparatum, & ve-
lut improvidus ſubito elidatur. Et abſque
corde per humilitatem depreſſo vera ſuſti-
nentia non habetur. Sequitur etiam: Suſti-
ne ſuſtentationem Dei. Conjungere Deo
& ſuſtine. Chriſtúsque dicit: Suſtinete me-
cum. Qui cum Chriſto & propter Chriſtum
ſuſtinere aliquid recuſarunt, pœnas nanci-
ſcuntur æternas, ſacra dicente ſcriptura: Væ!
Eccleſi. 2. his, qui perdiderunt ſuſtinentiam. Quam
perdidit, qui ferre inſurgentia & objecta
mala recuſat, qui conqueritur, qui de tem-
poris dilatione cauſatur. Qui ſeipſum ſen-
ſualiter & conpaſſivè diligit, omnino ve-
ram ſuſtinentiam abnegavit, nec cum Chri-
ſto fortiter agonizante in ſudoribus ſangui-
neis per virtutem ſuſtinet. Senſualis enim
amor, atque compaſſio cum divino agoni-
ſta divinè agonem agente pro nobis non
permiſit fieri, quem detinent in veritate col-
legam, & virtuti ſuſtinentiæ libellum fecit
dare repudii. Sed ad ſuſtinendum cum Chri-
ſto & recogitandum eum, qui pro nobis
omnem verborum & actuum & verberum
adverſus ſemetipſum ſuſtinuit contradictio-
nem, ſua irreprehenſibilis lex omni ratione
conſtringit. Ex hoc quippe loquebatur Da-
vid: Propter legem tuam ſuſtinui te Domine.
Lex Chriſti honeſta & irreprehenſibilis eſt,
ſancta eſt, juſta eſt, veriſſima eſt, æternas
& incomprehenſibiles promiſſiones habet,
propter quam ſuſtinendus eſt Chriſtus ſu-
ſtinendum cum Chriſto & propter Chri-
ſtum. Ille verò ſuſtinet propter legem, qui
propter evangelium Chriſti nil ferre recu-
ſat, fraudem nullam amat ex ipſo poſſe con-
tingere. Ille ſuſtinet propter legem Dei, qui
propter evangelium evangelicis virtutibus
non defecit. Unde Prophera ſecutus adjun-
xit: Suſtinuit anima mea in verbo ejus.
Quid enim verbum ejus? Vebum increa-
tum. Omnia ſuſtinenda ſunt propter
Verbum increatum, & in Verbo in-
creato, quia omnia per Verbum facta
ſunt, & ſine ipſo factum nihil. Sed
per Verbum increatum omnia facta ſunt
propter Verbum, & in Verbo incarnato
juſtè omnia tolerantur. Non enim tole-
rata in Verbo poſſunt aliquid boni adime-
re toleranti. Si per Verbum omnia facta
ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quid depe-
rire poteſt ſummo artifici? Quid deperire
poteſt omnia facienti? Quid deperire po-
teſt Verbo omnipotenti? Quid deperire po-
teſt ei, qui omnia fecit ex nihilo. & ſine quo
nihil fieri poteſt ab aliquo? Et quod fa-
ctum eſt rediret ad nihilum, niſi eſſet per
quod facta ſunt omnia Verbum. In altiſſi-
mis perambulabat confidenter anima Da-
vid, cùm dicebat: Suſtinuit anima in verbo
ejus. Cujus ejus? Omnipotentis Dei Quid
eſt verbum omnipotentis Dei? Verbum in-
carnatum, quia Verbum caro factum eſt
& habitavit in nobis. Suſtineamus omnia
inſurgentia, & irrogata verba & verbera, &
ſi quid ſuſtinentiæ juſtæ ſpecimen ſecum
portat, in Verbo incarnato, ad quod omnis
ratio nos compellit quia propter nos verbũ
caro factum eſt. Frates non in natura di-
vina, ſed per gratiam in humanitate ipſius
ſumus. Dedit enim his, qui credunt in no-
mine ejus poteſtatem filios Dei fieri. Si fi-
lii Dei, ergo fratres incarnati Verbi. Suſti-
neat frater cum fratre, clamat enim omni-
bus nobis melior noſter: Suſtinete hìc &
vigilate mecum. Suſtineamus in verbo e-
jus. Quod eſt verbum ejus? Verbum pro-
miſſionis eſt. Meritò ergo ſuſtinendum
eſt, quia quæ procedunt de labiis ejus, non
faciet irrita. Jurat enim per ſemetipſum,
quia verbum hoc faciet quod promittit.
Proinde ſuſtineamus in Verbo Dei, & cum
Verbo Dei, ad ſuſtinentiam nos invitan-
te. Altas enim & ineffabiles promiſſiones
ex ejus verbo ſuſcepimus, quæ non irri-
tæ fient, ſi cum ipſo & in ipſo & propter
ipſum voluerimus ſuſtinere. Ad vigiliam
æquè animat, ut ad internam ſpeculatio-
nem vigilia referatur, ut agoniam ejus at-
que triſtitiam, & omnem congreſſionem
ejus, atque proceſſionem ad pugnam, &
debellationem tetralium mente ſedula ſpe-
culemur, configurati ſimilitudini triſtitiæ,
agoniæ atque imaginini mortis ejus. *His*

dictis

Lucæ 22. *dictis progreſſus eſt puſillum Jeſus quantùm*
Matth, 26. *jactus eſt lapidis ſeparatus ab eis, & procidit in faciem ſuam, & profunda mente ora-*
Marci 14. *vit dicens; Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut & tu.* Sic corans prima vice nullum reſponſum in oratione ſuſcipiens; *Venit ad diſcipulos ſuos tres*, ſcilicet Petrum, Jacobum, & Joannem, *& invenit eos dormientes.* Et velue increpans eos, quos ad
Matth, 26. ſuſtinentiam & vigiliam induxerat: *Dicit Petro; Simon dormis. Non potuiſti una hora vigilare mecum* qui te paulo ante aſſerebas mecum in mortem venturum? *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Iterum ſecundò reliquit eos. *Et abiit, & oravit eumdum ſermonem, dicens;* Et reverſus ad diſcipulos tres dormientes invenit, quia eorum oculi vehementia ſomni gravabantur. Et nihil eis dicens, ad orationem tertiò eſt reverſus. *Et factus in agonia prolixius orabat* eumdem ſermonem quem primò & ſecundò dixerat repetens. Ubi tanta eſt ſuffuſus orationis vehementia, ut ſudor efficeretur ſanguineus profluens in terram. Cui angelus apparuit, ut hominem eum in agone confortans. Sed quibus verbis eum alloqueretur, aut in qua effigie appareret, per evangeliſtas minimè claruit. Cùm hoc omnino mentes in admiratione ſuſpendat quòd ſibi de novo angelus appareret aut quomodlibet loqueretur, qui omnes noverat ſecúmque habebat. Sed hoc in idem redit quòd devicta tentatione deſerti ſibi angeli de novo miniſtrabant, qui ab eo, quo creaverat, impræterımiſsè ſibi aſſiſtebant. Sed novitas hæc non ex forma Dei, ſed ex forma geritur ſervi, hominíſque ſuſcepti. Præter illam validam & clamoſam orationem, quam Chriſtus in cruce complevit, nullam ipſius & alicujus alterius efficaciorem & intenſiorem orationem legimus quàm hortalem. Dimittit verus orator diſcipulos octo, dimittit & tres, & totum ad ſeipſum ſe colligit, ab omnibus corpore ſegregatus, ſub indeterminata menſura, videlicet quantùm jactus eſt lapidis. Cautum fuit à Spiritu ſancto, ut ſic evangeliſta deſcriberet. Nam proprius & longius lapis poteſt proiici prout valetudo minor & major fuerit jacientis, quantitas & gravitas lapidíſque projecti. Proinde melius ſub indiſtincta menſura deſcribitur quàm determinata menſura jactus lapidis poneratur, ut nunquam tamen in hac vita Chriſtus ab aliquo elongetur, quià cor lapideum hominis etiam peccatoris ad ipſum non poſſit, ſi voluerit, plenè converti, fieríque particeps illius profundiſſimæ orationis, qui ſe paternæ ſubdidit voluntati, ut pro nobis calicem biberet paſſionis. Segregatus orat in horto Salvator. Et ſolitum loci tenet, & corporis amicum habet minoribus ſitum, in quo moneſacit nos, ut qui ad patrem profundè diſponit mentis alloquium, etiam in virtute chariſſimos intermittat, & qui vellent in eadem actione fore conſimiles. Tempus eſt pſalmodiæ, tempus cantandi hymnos cum multis, & tempus, quo verus orans etiam verè orantem non ſentiat. Tempus, quo per ſeipſum votum ſuum apud Deum unuſquiſque deponat. Non ſemper in concentu aut in ſynaxi eſt orandum, ſed ſi vox juvatur à voce, ſpiritus etiam juvatur à ſpiritu. Melodia ſpirituum utilior eſt, quàm vocum, & ipſorum concordia gratior, quàm verborum. Hæc ſiquidem agitur in melius in abſentia corporum, quàm præſentia. Orationem fortè feciſſent apoſtoli cum Chriſto, ſi ſecum ad orandum duxiſſet. Orationem eis indixit, ut per ſe orarent corpore diſcollegatus ab eis. Qui ſoliloquium quærit ad Deum, nil juxta ſe habere velit natura propia motum habens, imo pro poſſe deviter, ſive rationale ſive irrationale conſiſtat. Vitandum etiam eſſet, dum oratur, quod movetur ab aura. Improvisè habuerunt hujuſmodi ſæpe mentis ſpicula recurvare. Si ſanctus eſt collega, quem habes, dimitte interdum, propter æternum, cui te mente collegare diſponis. Bonum ſemper eſt orationem orationi conjungere, non autem ſemper utile corpus corpori in oratione ſociare. Unuſquiſque proprium habet affectum cujus humiliter petit effectum, & appropriatum defectum adversùs quem interpellat, & vulnus ſuper quo petet cataplaſma divinum. Ubi fuerit æqualitas affectionum, & locorum erit aptiſſima ſimilitudo. Ubi unuſquiſque propriam per ſe cauſam habet, ad regem per ſeipſum loquetur, ut excuſet objectam, aut excipiat compendia rerum, aut ſua interceſſione quenpiam tueatur. Diffundunt etiam plurimi orationem, ut virtutis inviſibile fiat augmentum, ut refrænetur ſatan, & conſimiles ejus, ut paretur aditus ad exercenda divina. Ac per hoc ubi major erit affectus ad ſingula, major erit devitatio ſingulorum. Secreti ejulatus ſimplices rigorem regis inviſibilis inflexerunt. Si dicente Apoſtolo ad rationem reddendam unuſquiſque per ſe conſtituendus eſt ante inevitabile Chriſti tribunal, per ſe unuſquiſque cauſam ſuam ante dijudicationis horam perficiat remotis teſtibus coram Chriſto. Multiplicatur ſæpe eum ſociis intellectus, & mens diſtrahitur & recurvatur. Propter orationem & intentionem ejus fieri ſingularem, maximæ dixi eſſe virtutis. In pſalmodiis, & hymnis, & orationibus, atque horis in ſynaxi omnis ſingularitas condemnatur. Boni ſunt & ſan-

cti catholici ritus, quos ſtatuerunt patres antiqui. Bona eſt oratio, quæ ab omnibus emittitur cum concentu, bonum eſt cum multitudine pſallere, obedientia enim ſervatur, & charitas. Et quod uno dicente ab altero intermittitur, media charitate ſuppletur. Dum enim alternatim cantatur, & pſallitur, una res dicitur & tacetur. Necnon & alternatio pſalmodiæ plerunque non permiſit in his quæ dicuntur includere intellectum, aut illa morari per modicum ad aſpectum ejus, ſed velut aqua fluminis quæ alia superveniente decurrit, ſic quod alternatim dicitur defluit, nec hauſtum dulcedinis præſtat. Et dum alter alternans expectatur, ut dicat, citò labitur, quod delectat. Et alternantium ex mora tædium præcavetur, ne delectabiliter ſurgatur, quod premitur. Et illa conſideratio ne nimia prolixitas aut brevitas fiat, conſiderationem dictorum & incluſum ſaporem inhauſtè omnino excluſit. Non enim eodem momento multa & diverſa recipit intellectus, aut in diverſis delectatur affectus. Succeſſiones enim temporum & actuum habent ſimiliter & vices. Tamen obedientiæ ſanctæ virtute, iſta non adſcribuntur ad crimen, magis verò effectum Deo gratum habent. Igitur poſt omnem ſynaxicam orationem oportet fieri ad ſeipſum, & qui ad ſpecialem per obedientiam obligatur, & qui per publicam Chriſtianæ vitæ juſtitiam, & conſuetudinem canonicam, & antiqam patentet pſallunt, aut in oratoriis & eccleſiis orant occulta neceſſitate, coguntur ab aliis abſtrahi, & ad ſe ipſos fieri, ut in cubilibus mentium atque zetarum gemant, compungantur, & clauſis labiis cordibus altè clament: Orat inter arbores Jeſus, quia inter arbores peccavit, non oravit Adam. Inſpiciat, & ſequatur orantem Jeſum, qui per orationem aſcendete in ſuperna diſpoſuit. *Progreſſus puſillum procidit in*
Math. 25. *faciem ſuam.* Bene procidit in faciem ſuam, qui per ſuam notitiam Deo dedit altiſſimas preces. Procidit in faciem, genuflexit capite inclinato, & in terram vultu defixo, Nam qualis erat conſiſtenria mentis, in eadem transformabat & corpus. Subjecta enim erat per omnia Chriſti anima voluntati paternæ. Alius evangeliſta dicit: Procidit ſuper terram. Terrenos enim cœleſtes venerat liberare. Procidit ſuper terram, quia de terra terram humanitatis aſſumpſerat, quam de terra ipſe cœleſtis venerat erepturus. Homo de terra, Deus de Deo erat. Procidit ſuper terram, ut maledictio terminaretur Adæ, qua dictum eſt: Terra es: & in terram ibis. Ipſe de terra natus Adæ procidit ſuper terram, humanam terram inclinatus, quærebat illam imponere ſuper cœlum, ad quod poſſidendum creata erat. Solertiori verbo alius evangeliſta dixit: Poſitis genibus. Effectus & ſigna in omnibus capiuntur ex hoc, quià qualis eſt in virtutum actionibus anima, in correſpondentibus actibus ſtatuit corpus. Anima per omnia humilis in oratione, motu, geſtu, & in omnibus moribus corpus deprimit & inclinat. Ad caſta convertit & ſenſus, & omnes corporeos lubricóſque motus ſua lege refrænat. Patientia querimoniam reſonare non ſinit, & corpus exponit ad pœnas. A paſſionibus libera fecit corpus injuriarum flumina pertranſire. Charitate affecta detexit theſauros, & corpus & res in uſun tradidit proximorum, nec eorum proſperis ex invidia maledixit, nec ſigno vel verbo quæſivit ab aliquo dignitatem, deſpectis contenta ſodalibus, devitavit proceres frequentare. Utenſilia pro neceſſitate duntaxat, non pro paſcendis oculis requiſivit. Et omnem ornatum corporis ſub anathemate judicavit. Naturæ contenta refugiis, corpus ordinavit in victu, Chriſtiformis facta in cibo, & potu, & aſperitatibus crucifixit. Infallibilis eſt regula, quòd qualem conſiſtentiam habet anima, in talem ab extra convertit & corpus. Equidem & per ſimile conſiſtentia exterior corporis, ſignum verum aut fallax eſt conſiſtentiæ mentis. Verum dixerim pro his, qui ſimulationibus carent, fallax verò pro his, qui detinentur ab eis. Bene autem procidit in faciem omnis orans, qui notitiam omnium, quam habet rationis & fidei in humilem deprecationem convertit. Agoniſtarum Chriſti ſcientia & notitia quælibet non elationem, ſed humilitatem prætendat omnimodam. & inclinatam ad obedientiam omnium pœnarum & mortis. Ex hoc forma virtutum omnium Chriſtus mente & corpore proclivus, ſupplex ſuam petitionem orditur, monefaciens omnes nos, ut dum anxiatur cor noſtrum ex aliquo, formam inditam obſervemus. Inquit
enim: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me* Math. 26.
calix iſte. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Motivum proinde habet omnis oratio, & determinatum aliquid omnis orans intendit, à quo movetur, qui orat. Præviſus atque præfixus finis motor eſt omnis agentis. Igitur Chriſtus ut homo ab aliquo fine ad orandum movetur, ut Deus à nullo, qui ſupra ſenſualitatem aſſumptæ humanitis verificans. Cui moventi conſenſit & ratio quamvis ſe non exaudiri prænoſeret. Expediebat omnino, ut ſenſualitati moventi ad petendum ratio conſentiret. Aliter enim funderetur oratio, cujus effuſio tota & totius rationis eſt, non ſenſualitatis, quanquam contradictandi poteſtatem ſemper ratio ipſa poſſideat. Ab inſtanti ſuæ incarnationis Chriſtus omnes

futu-

futuras pœnas aſpiciebat in anima, ſed nunc
ſuper rationem incumbes, pro ſenſualitate
orans, ſenſum paſſionis ab ipſa petit aver-
ti. Cujus petitione peracta, per eadem ra-
tionem id, quod pro ſenſualitate poſtula-
verat, paternæ voluntati hoc ſuum eſt pro-
prium poſtulatum remittere melius de-
cernenti. Pater mi, ab æterno videlicet dei-
tate. Pater mi & nullius alterius, per deita-
tis naturam. Pater mi, per æternum amo-
rem. Pater mi, qui omnium pater bene-
ficio es. Pater mi, & omnium, ſed mi plus
quam omnium. Allocutio pia, allocutio
humilis, allocutio amabilis, inflexivam poſ-
ſidens omnino virtutem. Hanc allocutio-
nem omnibus orare volentibus prædocue-
rat dicens: Cùm oratis dicetis: Pater no-
ſter. Sed ipſe ſingulari filiatione atque a-
Matth. 6. more dixit: Pater mi, & non noſter. Pater
in græco, genitorem ſonat in latino. Qui
generat, aliquid diffundit in genito. Ge-
neravit omnia ſua potentia Deus, & aliquid
diffundit in genitis, non de ſua ſubſtantia,
ſed per ſimilitudinem quamdam. In filio
ſuo æterno totum ſemetipſum infudit, quia
totus in filio pater, & totus in patre con-
ſiſtit filius. Ex his quæ Chriſtus habebat à
patre, ipſum alloquebatur. Ex his quæ ac-
cepimus à genitore omnium Deo, ipſum
ſupplices & ſuppliciter exoremus, capitali
orationi orationem noſtram nos, qui ſumus
membra, jungentes. Sed inquit Chriſtus:
Si poſſibile eſt. Quid ſibi vult appoſita &
dubitativa conditio? An vertitur dubium,
ſi ſuam potentiam aliquid ſubterfugit? Cer-
tum eſt, quià omnipotenti omnia ſunt poſſi-
bilia, & nihil vult, quod non poſſit, nihil po-
teſt, quod nolit. Unde poſſibile transfertur
de potentia in voluntatem, ut ſi velit poſſit,
non poſſit, ſi nolit. Et inquiritur, ſi decre-
tum mutatur æternum cum eum ſic mori
fuerit ab æterno præviſum. Et ſi firmum
manet æternum conſilium, ſi hoc opus eſ-
ſet aliqua ratione mutandum, cùm ſæpe
Deus opera mutet, firmo manente conſi-
lio. Alius verò evangeliſta evidentiori ver-
bo ſcripſit: Abba pater, omnia poſſibilia
ſunt tibi, ut ex iſto tollatur illa conditio, ſi
poſſibile, eſt cùm de potentia nulla ſit am-
biguitas, quin poteſt, quæ vult. Ideo alius
evangeliſta vigilantiori verbo dixit: Pater
ſi vis, transfer calicem hunc à me, ut om-
nino potentia in voluntatem tranſeat, &
velle atque poſſe diverſitatem non habe-
ant in divinis, quia omnipotens Deus non
poteſt, quod non vult, nec vult, quod ne-
quit efficere. Poteſt quod vult, vult &
quod poteſt. Ac per hoc Salvator omni-
um Chriſtus tale prænoſcens myſterium,
ex eo, quod orat, non dibitans potentiam,
voluntatem interpellat paternam, quod ver-
ba ſecuta declarant. Veruntamen non ſi-
cut ego volo, ſed ſicut & tu vis. Hæc enim
omnis orationis eſt concluſio verior, ut ni-
hil velimus, nihilque petamus, niſi quod
dare velle credimus bonorum omnium lar-
gitorem. Improba eſt petitio, quæ datoris
ſupergreditur voluntatem. Digna exaudi-
tione cognoſcitur, ſi ſubmittitur volunta-
ti. Abba, non ſcripta charta coram Deo
eſt formanda petitio, Dilaniabitur in expro-
bratione petentium ſchedula exarata, ſi
grato non fuerit largitori, maximè ſi perſi-
ſtitur in petendo, Et quia neſcimus quid
velit impendere dives in omnibus divina
majeſtas, omnis noſtra petitio in ſua eſt
voluntate claudenda. Sic enim Salvator ip-
ſe prædocuit, ut orando diceremus ad pa-
trem. Fiat voluntas tua. Hæc eſt enim om-
nis perfecti hominis tota & indubitata per-
fectio, voluntatem habere in omnibus dei-
formem, & factionibus perficere, ſi ſcientia
certa ſeu fide noverimus, In pleriſque nam-
que codicis evangelici ſcriptis dixiſſe repe-
rimus Salvatorem noſtrum, & in noſtris
moribus ducem hanc protuliſſe ſententiam.
Quia deſcendi de cœlo, non ut faciam vo-
luntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui
miſit me. Apoſtolis verò hæſitantibus de
cibo ejus, cùm eum ad puteum repeniſſent,
reſpondit. Meus cibus eſt, ut faciam vo-
luntatem ejus, qui miſit me, & perficiam
opus ejus. Et alibi: Non quæro voluntatem
meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.
Qui verò facit voluntatem Domini, om- Joan. 1.
nem ſpiritualem affinitatem ſeu propinqui-
tatem habet ad Chriſtum ipſo dicente: Qui Joan. 4.
facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt,
ipſe meus frater, & ſoror, eſt. Magis pro-
pinquitate ſpirituali à Chriſto aſtringimur,
ſi perficiamus voluntatem paternam, quàm
ex eo, qui aſſumpſit humanitatem noſtram.
Ad hoc in ſuis ſcripturis exhortatur Apo- Matth. 12.
ſtolus: Probetis, quæ ſit voluntas Dei, be-
neplacens & perfecta. Hoc idem ad Ephe- Roma. 12.
ſios ſcribit: Nolite fieri imprudentes, ſed Ephe. 5.
intelligentes, quæ ſit voluntas Dei. Nul-
la major imprudentia, quàm ſcientiæ divi-
næ voluntatis habere carentiam, & intelli-
gentia viatica nulla major, quàm ipſius cer-
ta ſeu per fidem notitia, nulla verò utilior,
ſi deduratur ad actum. Quod prænoſcens
David, petebat anxiè ipſius habere docu- Pſalm. 142.
menta, dicens: Doce me facere volunta-
tem tuam, quia Deus meus es tu. Non ſim-
plicem petebat habere ipſius ſcientiam, ſed
activam. Nam in expeditione voluntatis
ipſius omnis activorum eſt merces, ac con-
templativorum excellens exoritur præmi-
um. Sed multi cauſantur in excuſatione
fallari, ſcuto vitreo ſe tegentes, ipſius ne-
gantes habere notitiam, acſi non culpatè
vivant dum divinam voluntatem ignorant.
Sed Apoſtolus ad Theſſalonicenſes ſcuta vi- 1. Theſſ. 4.

tra fregit, & ſe fallaciter excuſantes, uno verbo fecit apparere culpabiles. Inquit enim: Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra. Mandata verò ſacramenta virtutéſque ſanctificant, & per illa nos facit, & approbat ſanctos omnipotens pater, quæ in ſancta eccleſia tubis vivis altiſonantibus per fidem ex ſcriptura divina didicimus, & diſcere potuit omnis adultus Judæus ſive paganus, ut nemini pateat excuſationis ſuffugium divinæ notitiæ adverſanti. Orat Chriſtus multa paſſurus ex humano ſenſu, ab his liberari deſiderans, ſed decretum præponit omnino paternum. Non reſcindantur à capite membra oratione vel moribus. Ad quod ſe ratio Chriſti ſubdit, omnis ſubdatur oratio rationis, ut nil velit orans removere in ſenſibus aſperum, aut amœnum inquirere, nil dirigi ſuo judicio, nil ſuæ conſentaneum rationi, niſi quod divina decrevit authoritas, & qùod ratio peteret Chriſtiformis. Conformitas vero noſtræ voluntatis ad Deum hac tripartitione peragitur, ut velimus quod vult, & quod non vult omnino nolimus, ad differentiam verò voluntatis indifferentia ſemper ſiſtat. Nec ex hoc quiſque accipiat in divina voluntate aliquid indifferens permanere, nec quòd per vices rerum & temporum ipſa mutetur, ſed pro noſtra intelligentia ſic accipi, quoniam multa ſunt quæ utrum Deus velit an non, certam ſcientiam non habemus. Omnia quippe, quæ de conformitate noſtræ voluntatis ad Deum dici poſſunt, iſto ſermone clauduntur, quo Chriſtus oravit ad patrem, ut non ſolum in tolerantia paſſionum, ſed in omnibus voluntas infallibilis ſua fiat. Impoſſibile penitus erit ſic in veritate orantem non exaudiri. Nam propheta querulus lamenta-
Thren. 3. tur per Jeruſalem, dicens: Oppoſuiſti nubem, ne tranſeat oratio. Prohibens penitus eſt quod tranſitum impedit euntis. Nubes radiantis ſolis ad nos ſæpe conſuevit tranſitum impedire. Profundi eſt intellectus noſcere illam nubem, quæ ad orationem noſtram ſe obicem facit, & qualiter ſe obiiciat, expedit ſcire intentè orare volentem. Luce clarius mentibus hominum inluceſcat, bonas vel malas noſtras cogitationes, verba vel opera nihil habere obſiſtens, quin ante divinum conſpectum perveniant, etiam antequam fiant, ſed uſque ad Deum tunc tranſire dicuntur, cùm nihil ſecum portant, unde improbentur. Tunc verè quopiam obſiſtente non tranſeunt, cùm ſecum ferunt, unde reprobentur. Nubes autem, quam Deus opponere dicitur, ne oratio tranſeat, orantium eſt ſenſualis, aut retenta voluntas. Non enim propheta inſolenti aut improviſo ſermone locutus eſt, cùm nubem obſtaculum orationis expreſſit: Nam ſicut nubes ex exhalatione terræ, atque paludum efficitur, & viſibus obſtat, ne uſque ad ſuperiora lumina uſitato more perveniant, & luci ſupernæ, ne partibus inferioribus ſolitis ſplendoribus fulgeat: ſic ſenſualis aut retenta voluntas ſurgit ex carne, naſcitur ex terris, provenit ex placitis, exit ex aſperis toleratis, aut utique tolerandis, quæ ad ſeipſam eſt, Deum ad ſe quærit inflectere, non ipſa ſub fieri. Quæ niſi à ratione victorioſa vincatur, & in divinam ſe transferat voluntatem, ut ipſa non noſtra fiat, nubes obex efficitur, ut ad Deum noſtram orationem tranſire non ſinat. Non tranſit ad Deum oratio, quæ non in ſpe utili, aut in re reportat optatum. Nubiloſa voluntas eſt, quæ ſuis directionibus inſiſtit, & gaudet, quæ in divinæ voluntatis ſe non tranſtulit claritatem. Proinde omnis anima pro cœleſtibus certans, cùm orationem effundit & ſuam, anima coram Domino, cùm gratiarum actiones & laudes jure præcedentes exolverit, aut nihil diſtinctum poſtulet, aut ſi poſtulaverit diſtinguendo, totum in divinam trajiciat voluntatem, quoniam, ipſe melius novit omne nobis expediens, quàm fervidus fervidè orans. Sanius cum infirmo agitur, ſi non frigidam, & appetitam aquam pro æſtu febrili, ſed bibat aquam calidam judicio medici. Æſtimat ſæpe infirmus utile, quod eſt noxium. Contra quem medicus altiori providentia ſanxit, ut quod eſt utile aut minus lædens conferat, denegat, quod delectat: Et infans tutius relinquitur in plorantibus, quàm ſibi ad ſolatium concedatur gladius, quem petebat acutus, quo accepto fortè læderetur à ſeipſo per manuductilem incautelam, & daret merito ejulatus & lachrymas. Non autem accepto illæſus infantiliter gemit, cui conſolatio præter læſionem feſtina ſuccedit. Non eſt noſtræ ſcientiœ petere, quæ Roma. 8.
utilia ſunt. Hoc etiam aſſerit Apoſtolus ad Romanos: Quid oremus, neſcimus. Solùm novit artifex, quid ad complementum expediat operis. Ipſe infallibili ſententia prævidit, unde perficere aut perſiſtere opus habet, ex quo melius omnis noſtra ratio, atque oratio terminatur, ſi abnegata per omnia in divinam trahitur voluntatem. Ab æterno nanque diſpoſuit, novit atque voluit bona data dare petentibus, & meliora penitus quàm petamus. Perſolvantur laudes, perſolvantur gratiarum debitæ actiones. Sint indeletæ receptorum chartæ in noſtra memoria. Inſpiciatur inviſibile chirographum obligationis noſtræ ad Deum, pro donis muneribùſque ſuſceptis. Videamus ſtipulationem ſolennem in ſenſu cordis inviſè contractam inter nos & Deum, ſub qua hypotheca quantùmque cenſus reddidimus juſtiſſimo exactori, cui omnia pleno jure debentur. Hæc ſi ſedulò in animo devolvuntur, juſtæ damnationis ſenten-

pro

tia omnes premit, ut etiam amoris ſcintillam inveritate non rependerimus ei, qui prævenit amando, & de non eſſe in eſſe produxit. Quid enim ex noſtra voluntate petemus? Qua inſiſtemus audacia, cùm ex adverſo nobis ingratitudinis crimen obſiſtat? Juſtè condemnatus ex habitis ſuam non habet voluntatem quia nec habet juſtitiam in petendis. Dicat igitur ſupplex orans: Domine, voluntas tua, non mea fiat, Non enim aliter ſane Intelligentibus hæc petitio ſonat, quam ut miſericordia Dei concedat, quod juſtitia denegat. Indubitanter à divina juſtitia improbantur, qui propriam in orando præferunt voluntatem. Et ſi quid humano ſenſu aliquando oratione profertur, non perſiſtatur ex animo neque verbo, ſed Chriſti exemplo poſtquam ratio interpellavit ad regem, velut ſenſualitatis amica ſine interpellatione ſe ſubdat ſuperno judicio, dicens: Veruntamen non mea, ſed voluntas tua fiat. Poſtulat inviſibilis ordo juris, ut ratio advocans pro ſenſibus in inſtanti fiat ſubdita infallibiliter omnia diſponenti. Chriſtus tota vitæ perfectio & imperfectis aliquid imperfectionis in ſuis moribus prærogavit, à ſua perfectione non cadens, unde non diffiderent, ſi pro ſenſualitate, non tamen ex vitio interdum aliquid poſtularent, dum emiſſa poſtulatione in voluntatem divinam petitum retorquetur.

SEd ubi eandem poſtulationis ſententiam repetens Salvator omnium Chriſtus, mirum quiddam mentibus noſtris accreſcit, ſcilicet cur tot vicibus iteravit ſenſualitatis exopimen. Sed ſi ſpiritus attendimus promptitudinem, eo frequentior orat in illo ſpiritus, quo magis ſenſus infirmatur humanus, & ad ſubdendum ſe Deo ratio firmior, quàm ſenſus ad reſpuendum, quod erat aſperum, parabatur. Et ille inviſibilis & pro parte ſenſibilis agnon magis fiebat ad oſtendendum victoriam rationis, quàm ad inſinuandam fragilitatem humanitatis, ut ſemper unus & idem mente conſtans inveniretur Salvator omnium in humana & inſita ratione, qui unus eſt cum patre & Spiritu ſancto in unitate divinæ ſubſtantiæ. Necnon & trinitas ſignificabatur In omnibus geſtis ejus, ideo triplicavit illam ineffabilem, & ſacratiſſimam orationem. Et patri fundebatur oratio, quam filius ipſe in aſſumpta humanitate fundebat, & ſpiritul remittebatur, cùm dicebatur: Non mea voluntas, ſed tua pater fiat. In lege autem ſcriptum eſt, quià in ore
Deute. 17. duorum vel trium ſtat omne verbum verum, proinde Chriſtus ex tribus aſſumptis teſtibus & totidem actibus, eſſe verum aſſerit, quod agebat. Prærogata eſt formà orandi ex geſtibus ſalvatoris. Et tu cùm oraveris, formam ſuſcipe hominis propter delicta propria ad exitiale ſupplicium ducti cui patibulum ex malè factis juſtitia præparavit, & eùm interna conſcientia premit & mordet, teipſum internè dijudicans, dicas: Meritò hæc patior. Nec audet aliquid in judicem Irrogare calumniæ, propriis criminibus accuſantibus conglobatim. Et majoribus urgetur doloribus, quia deliquit, quam quia in interitum vadit. Ejus verò ſimilitudinem non aſſumas, qui mala fecit digna pœna, ſed morte turpiſſima, & de judice querulatur vehementius dolens, quia patitur ſive moritur, quàm quià commiſit hujuſdmodi pœna plectendum. Talem typum aſſumens etiamſi ex animo fundat preces, nubem habet oppoſitam. Typo autem primo veſtitus poſtulans magnam Dei miſericordiam ſuper magnam miſeriam aſſequitur ſæpe petitionis effectum. Salvator prima vice oratione peracta, non accipiens ut homo reſponſum paſſibili humanitati ſive carni ſuſceptæ ſe donans, unionem indiviſibilem ſervans, ut homo verus pavens & tædio ſe afficiens, reverſus eſt ad illos tres, quos in obſervatione reliquerat, & ſecum ſuſtinere, atque vigilare fue-
rat exhortatus. *Et venit ad diſcipulos ſuos,* Math. 26.
& invenit eos dormientes. Vide agoniſtam Luc. 22
cœleſtem, in terris agonizantem pro nobis, Marci 14.
jam ab almis promiſſoribus & electis diſcipulis per ſomni altitudinem derelictum. Vide congreſſores cum congrediente pro nobis, qui etiam in conſideratione illorum, quæ pro eis & pro toto humano genere fiunt, vigilare aut ſuſtinere non poſſunt. Multi nempe Domino altiſſimo promiſerunt, & cum ipſo diſpoſuerunt tolerantiam paſſionum, ſed tempore quo actus virtutis exigitur, fallere cœperunt diſpoſita & promiſſa in cubilibus & privatis domibus. Multi probiter militant ſine bello, ubi autem aperta facie conſpicitur inimicus, aut multitudine bellantium fit congreſſus ſqualidatur facies & animus terrore concutitur, & æſtimata probitas tranſivit in ſomnium, ſicut qui evigilat non habet, quod ſomniat. Sed ſi hoc referimus ad id, quod ſupra poſuimus, hos tres diſcipulos tres ſignificare virtutes, abſonum videtur, quòd virtutes in agonizante dormitent, cum ſine virtutibus aliquis agonizare non poſſit. Sed ſi conſideramus acutè quod agitur, intellectus in partem aliam retorquetur. Non dormitant in agonizante virtutes, ſed velut dormiens eſt omnis habita virtus in quibuslibet agonibus Chriſtianis, reſpectu illius auxilii, quod deſupecmittitur, undè fit victoria, ſi bellatur. Ac per hoc apoſtolis ſoporatis, vero agonizanti confortans angelus de ſupernis apparuit. Sed dicit Do-
minus Petro ſic: *Simon dormis?* Qui vigi- Matth. 26.
liam corpore atque animo promiſiſti. Si-
mon interpretatur obediens, Malè obedit. Marci 14.

qui dormit tempore ſalutiferæ actionis.

Lucæ 22.

Nec ad voluntatem præceptoris excubat in multis obedientia. Sed væ! illis. Et multi ſacramenta obedientiæ juraverunt, ſed degenerati ſunt, & abierunt abſque potentia, & valetudine ante faciem diaboli ſubſequentis. Proinde ſequitur: *Non potuiſti una hora vigilare mecum.* In hoc ſiquidem ſermone membra reprehendit capitis promptitudo, & paſſionum, & tolerantiæ brevitas declaratur. Quid ſibi vult hoc, quod Salvator Petro cum cæteris objecit in facie: Non potuiſti una hora vigilare mecum? Si Deus non dediſſet potentiam negligentiam non increpaſſet. Multam poteſtatem accepimus, ſi credentes in Chriſto Dei filii facti

Joan. 1.

ſummus. Ex hoc Joannes inquit: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus. Multa poteſt Chriſtianus, multa poteſt qui per fidem eſt Dei filius. Igitur quare cum Chriſto non vigilat Petrus? quare cum Chriſto non vigilat Chriſtianus? Quare cum Dei filio æterno & vero pro nobis in tempore incarnato non ſuſtinet Dei filius per fidem & gratiam adoptatus? Huic interrogationi nulla vera reſponſio dabitur, ſi ſuffugium excuſationis inquiritur. Ad excuſationem ergo non intorqueatur reſponſio, ſi Dei ſententiam mereri nolumus ſæviorem, eſt amplius excuſando quàm accuſando delictum Certum eſt Deũ nobis omnem dediſſe ſufficientiam ad virtutis actus, quos exigit, aliter autem eſſet exactor iojuſtus. Si vigiliam & ſuſtinentiam exigebat, profecto potentiam dederat hoc agendi, aliter nos per fallaciam cauſaretur. Sed quod non vigilamus, diminutio eſt fidei & defectus amoris. Et charitas omnia ſuſtinet, qua deficiente, defecere virtutum exacti & debiti actus. Sed amplius hoc noſtris malis accreſcit, cùm, quod de unius horæ ſpatio apoſtoli non vigilaverint, increpantur. Hora brevis temporis ſpatium eſt, ut hic breviori curſu accipiatur quàm una de vigintiquatuor quibus dies naturalis peragitur, & in ſua ſphæra gyratus ſol à motu cœli, ab oriente in occidentem, ab occidente in orientem, non ſuo motu, ſed primi mobilis virtute revertitur. Omne tempus, quod ab initio creationis uſque ad finem mundi decurret, nec horam reſpectu æternæ diei poterimus appellare. Indicibilis brevitas eſt hominum vita, imo quod vivimus, velut atomus eſt in ſphæra. Quid cauſabimur de tribulationibus, aut anguſtiis, aut fame, aut ſiti, aut nuditate, aut de vinculis, aut de carceribus atque flagellis? Quid de cruciatibus? Quid de univerſis, quæ contra hominis ſenſum habent aſperum ſenſum, cùm vita noſtra ſit modica hora, qua cum Chriſto capite fidelia membra non vigilare, & ſuſtinere recuſant horridas paſſiones. Sed prætermittens horam negligenter decurrere, fine bono privabitur ſine fine. Solerter advertat, qui cum Chriſto in paſſionibus petit aſciſci, aut fieri per omnia Chriſtiformis, quoniam omnium hominum punctualis eſt vita, aut audacter dicam, quo vitam tranſigimus breve inſtans. Nam tempore, quod in præteritum eſt elapſum, non vivimus, Conſiſtatum enim eſt juriſdictionibus mortis, tempore vero futuro non vivimus, quia in eo quod nondum eſt, hominis vita non ſiſtit. Præſenti tempore vivimus quod majori velocitate in futurum tranſuolat de præterito, quàm bene curvato & forti ſagitta emittatur ab arcu. Quid ergo eſt, quòd tam brevi hora cum Chriſto in ſuis placitis & nobis utilibus non poſſumus vigilare atque ſuſtinere ferenda, niſi, quià defectus eſt in nobis amoris atque virtutis, quo acceptam potentiam homo facit inutilem, nec juſtum exactum reddidit deſuper exigenti. Ad paſtores eccleſiæ atque doctores terrificè dirigitur iſtud verbum, idcirco dicitur Petro jam totius eccleſiæ præ-

Matth. 26.
Marci 14.

ordinato paſtori: Non potuiſti una hora vigilare mecum? In qua commiſſionem animarum & curam ſuper ſuam animam acceperunt. In quo ſi vigilarent, corpus & res pro animabus liberandis exponerent, ſicut Chriſtus ad mortem ſemetipſum expoſuit. Nec theſauros conderent, quia Chriſti charitas theſaurizare non novit Contemnerentque omnem ornatum ſæculi, ſi vigilarent cum Chriſto ſuper ſalutem generis humani. Mecum enim ideo dicit,

Joan. 15.

quia ſine ipſo nihil poſſumus facere. Conſtanter & perſeveranter poſſumus nobiſcum, & cum ſodalibus hujus ſæculi vigilare, necnon iniquitatis & ſolicitudinis rerum labentium excubare, præ foribus cum Chriſto, qua nolumus omnino, nequimus, poſſemus utique ſi vellemus. More dæmonum ſunt multi, qui non dormiunt, niſi ſupplantent, utinam & cæteri, niſi divinis peractis placitis non dormirent. Væ! qui horam præfinitam non habet ad peragenda divina. Inquit enim Apoſtolus: Hora eſt

Romæ 13.

jam nos de ſomno ſurgere, non dormire. Sed Chriſtus exhortari non deſinit, etiam dulciter indulgens, quod ex fragilitate homo deliquit. *Vigilitate & orate, ut non interis in tentationem.* Ad vigiliam &

Matth. 26.
Marc. 14.

ſuſtinentiam ipſe præmovit orationem ubi nunc addidit, quoniam per ipſam & ex ipſa & cum ipſa tota virtus & actio noſtra invaleſcit, & creſcit, & avertit tentationis introitum, quamvis ipſius non prohibeat actum. Dæmonum eſt officium non ſemper poteſtas tentationem imminere, humanitatis eſt tentamenta ſentire, ſpiritus autẽ noſtri ſive voluntatis eſt tentationi conſentire, vel diſſentire. Angeli eſt in tentationibus adjuvare, ſolius Dei eſt ex toto ten-

tatio-

nem avertere. Ad tentationem verò intratur, cùm conſentitur, aut cùm efficitur, quod tentativè ſuggeritur. Quem introitum omnipotens Deus fortiſſimo vecte claudit, ne intret, qui ſibi fideliter orando deſervit. Proinde orandum eſt ab omnibus, ut non intremus in tentationem. Et
Matth. 26. in ſua prima oratione, quæ apoſtolos o-
Matth. 26. rare docuit, hoc præmonuit: Et ne nos
Marci 14. inducas in tentationem. Nam intrat inductus, & ſemper inducitur intrans. Multa de tentatione hic & alibi diximus, idcirco ad præſens currit ad alia velociter noſter ſermo. Sed hoc quod adjecit multam diſſertionem requirit. *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* De ſuo ſpiritu & carne ſua dicebat Salvator: Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma, an de ſpiritu & carne diſcipulorum? Secundum rei veritatem prolatum verbum poteſt ad utroſque referri. In Chriſto infirma caro, quia paſſibilem & mortalem acceperat, & ipſe illam ſubiiciebat pavonbus per voluntatem, ut infirmaretur timore pœnæ, quam virtute deitatis poterat roborare. In diſcipulis autem caro erat infirma, ex primorum parentum propagata propagine, in cujus ſemine infecti erant, in quo & ex quo non infirmabatur penitus caro Chriſti, Erat etiam caro & apoſtolorum infirma ex defectu virtutis, quia, quamvis eſſet promptus eorum ſpiritus, non tamen eos adhuc confirmaverat Spiritus ſanctus. Diſpartitè autem iſta ſentire veræ intelligentiæ non repugnat. Ac ſi Chriſtus dicat: Spiritus quidem, ſcilicet meus promptus eſt, caro autem, ſcilicet veſtra infirma. Communiori verò ſenſu totum ad diſcipulos quod dicitur, intorquetur, ex his, quæ Chriſtus ante prædixerat: Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem, quoniam ſpiritus veſter promptus eſt vigilare, atque ſuſtinere mecum, & me confiteri, & non negare, ſicut paulo ante dixiſtis, ſed caro veſtra eſt infirma, & intantùm, quòd promptitudinem ſpiritus deprimit, & retundit. Ecce durum bellum, ecce inevitabile omnino duellum, ecce mirandus omnino conflictus, quòd ab infirmitate carnis reprimatur noſtri animi promptitudo, quod aliis ver-
Gala. 6. bis in poſterum declaravit Apoſtolus: Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum ſpiritus autem adversùs carnem. Hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non quæcunque vultis illa faciatis. Pugna hæc ſentitur, oculis nunquam patet. Sed quæ ſit promptitudo Spiritus, & carnis infirmitas, advertamus. Promptus uſitatiori vocabulo eſt, quod paratus. Tunc ergo ſpiritus eſt promptus, cùm ad divina beneplacita fuerit ſine turbatione paratus. Hoc namque
Pſal. 128. dicebat David: Paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua. Promptitudo ſpiritus per ſanctam audaciam, non procacem, procerum aut quorumlibet hominum faciem non veretur, & loqui, ubi expedit, non formidat, nihilipendit pœnas & mori pro Chriſto ad palmiferum culmen adſcribit, & de vilitate gloriam, delectationem de pœna, de abjectione gaudium ſumit, & jucundior, quo ſenſibus aliquid ſentit adverſum, & contra carnem impaſſibili bello confligit. Infirmitas verò carnis eſt pronitas ad malum, rerum ſenſualium & labentium appetius, tædium bonorum actuum, agendorum injuria, declinatio utilium aſperitatum, vigiliarum & orationum odium, ſive fuga, dormitionis amica, inutilium congregatrix, importuna proviſio futuris, reſurrectio tarda vel nulla, procraſtinatrix bonorum actuum ex virtute, hiatus inclauſibilis ad delectantia ſenſum, impatiens Chriſtiformium paſſionum. Super hanc infirmitatem David Dei miſericordiam implorabat, dicens:
Miſerere mei Domine quoniam infirmus Pſalm 6.
ſum. Necpro infirmitate pœnali orabat David, ſed contra infirmitatem culpabilem, Pſalm. 30.
qua ſpiritus promptitudo reprimitur Et alibi voce flebili declarabat: Infirmita eſt in paupertate virtus mea. Omni remoto dubio notum fiat, quod omnis noſtra potentia infirmitatur in paupertate gratiæ ſive virtutum. Et flebilis Jeremias pro Jeruſa- Thren. 1.
lem dicebat: Infirmata eſt virtus mea. Sed Jeruſalem peccata & prophetarum, & ſacerdotum, & regum, & cauſam hujuſmodi ſupponebat, ut peccatum contractum ſubitò per pœnitentiam non abſterſum, infirmitatem ad pejora cadendum inducat. Plaga celeriter non curata majorem infirmitatem debilitatis appoſuit. Proinde in lamen- Ibdem.
tationibus ſequitur: Dedit me Dominus in in manu, de qua non potero ſurgere. Nam ſæpe divino judicio agitur, ut qui peccat, infirmetur: & fiat ad peccata cumulanda proclivior, ut amplius debilitetur. Ex quo fit, ut aut tradatur in reprobum ſenſum cordisque duritiam, aut morte præventus in manu dæmonum includatur, de qua ſurgere non poſſit, etiam ſi velit. Utraque quippe manus ſenſus reprobi & duritæ cordis atque diaboli quem acceperint, ita ſepeliunt, & talem lapidem ſupponunt, ut ſurgere non poſſit ſic ſuo merito tumulatus, niſi ſuſcitaverit qui quatriduanum de monumento vocavit. Ac per hoc orandum eſt, ſicut traditum eſt à Chriſto, ne cadamus in tentationem, quia ſi ſpiritus promptus eſt caro
periculoſa infirmitate langueſcit. His dictis Matth. 26.
Salvator agoniſta promptiſſimus, *ſecundò* Marci 14.
abiit ad orandum eundem ſermonem, dicens: Invariabilis eſt oratio Chriſti. Et forma nobis in oratione præſtruitur, nec mens orantis labatur in multa. Non fiat diviſa in mul-

ra mens illius, qui cupit obtinere, quod poſtulat. Variatio petitionum inſtabilis animæ nota eſt, & rigidum fecit exaudire volentem. Et nullo reſponſo ſuſcepto referenre ſcriptura interpolavit orare per modicum, reverſus tamen ad piam & utilem actionem. Nam venit confortaturus diſcipulos, *& invenit eos dormientes.* Oportet

Matth. 26. Marc. 14.

ſiquidem orationem intermittere pro utilitatibus proximorum, maximè ubi ſpiritualia bella timentur, ne inviſibilis ab inviſibilibus inimicis detur inopinatè conflictus. Et diſcertionis inſignis eſt virtus, actum virtutis pro actu virtutis alio intermittere. Omnium virtutum amor, & habitus in animo ſemper ſiſtant, actus verò pro variis eventibus oportet eſſe diverſos. Nom enim intermittitur virtus, ſi neceſſitate urgente intermittitur, & pro virtute reſumitur actus. Bonum eſt eſſe bonum, ſed melius in bonitate tua operatione habere conſortem. Intermittit orationem Chriſtus, tædio non affectus orandi, ſed remedio aliis providendi. Veniens ad diſcipulos, invenit eos iterum dormientes. Si virtutem in iſtis accipimus, eadem quæ ſupra eſt proferenda ſententia. Si verò Chriſti commilitones in his ſcire voluerimus, multam imperfectionem ad Chriſtum noſtris mentibus miniſtrabat, cùm nec ad exhortationem Chriſti primam atque ſecundam potuerunt vigilare. Sequitur profectò; *Erant enim oculi eorum gravati.* Ecce quòd merguntur oculi altitudine ſomni, quia caro infirma invaluit ſuper altitudinem promptitudinis ſpiritualis. Et mirum eſt quod infirmum virtuti prævaluit. Coaptamus enim ſæpe nos magis infirmæ materiæ, quàm virtuti. Sed quæ ſit iſta dormitio, quæ ſit iſta gravitas, videamus. Omnis dormitio cujuſcunque corporis, magis quàm vitæ imaginem mortis habet. Et, ut à corporalibus, tanqam à ſignis ad ſignata ſpiritualia tranſeamus, execrabilem typum hæc dormitio ſecum portat. Dormiunt, qui vitam in proximo negaturi erant, ut malum ſæpe futurorum præſagium ſit malorum, & peccatum peccati alterius ſit initium. Nam ſpiritualis dormitio eſt obtenebratio ſenſuum, & omnis incluſio, ſuffocatio intellectus, perditio memoriæ, voluntatis oppreſſio, dimerſio contemplationis, meditationis abolitio, & orationis carentia, inconſideratio æterni, atque infallibilis judicii, contra dæmones incautela, ſignum expoſitum ad ipſorum ſagittas, periculorum improviſio, bonorum incuria, virtutum abjectio, inneſcia quies, inſenſibilitas animæ, receptaculum phantaſiarum. Dormitionis cauſam evangeliſta conſcripſit, erant enim oculi eorum gravati. Occuli ſunt lucidæ intelligentiæ, timor & amor, intellectus & affectus, qui aut pondere ſenſualitatis, aut onere iniquitatis gravantur. Senſualitatis gravamen Job ad Deum declamabat: Factus ſum mihimetipſi gravis. Ille, imo quilibet ſibimet factus eſt gravis, qui non ab alio, ſed à pondere ſenſualitatis ex propagatione corruptæ naturæ gravatur, & velut ſomno inſidioſo reſiſtere volens, ab ejus dulci violentia prægravatur, & recurvatur, cùm certat ſuis conatibus expergiſci. Dulcis & fortis atque inſidioſa eſt violentia ſomni, latéque in nobis, nec inſurgit ab extra. Dulciſſimum eſt ſenſualitatis pondus, corruptæque naturæ, quod unuſquiſque pariter ſecum portat, ſed non unumquenque portantem æqualiter gravat, non leviatione ponderis, ſed gratiæ reſiſtentis. Nec pondus evenit ex nobis, ſed contrahitur ex antiquo iniquitatum onere, ſicut declamat David: Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. Caput mens hominis ſæpe dicitur, quam tunc iniquitates ſupergrediuntur, cùm in hominis anima virtutibus prævalent, & ex priſtina conſideratione recurvant, quæ multoties latent, & creduntur, quàm ſint ut plurimum leviores. Ex his nempe gravantur oculi noſtræ mentis, & tempore magni, & neceſſarii agonis quieſcimus ſoporati. Et Jonss fugiens à facie Domini dormiebat in inferioribus navis ſopore gravi, nec tempeſtatem ſentiebat, quam ſui cauſa nautæ ſeu remiges ſubſtinebant. Gravis eſt nimis mens hominis, cum fugit à facie Domini, hoc eſt ab ejus voluntatis imperio. Gravsrur valde, qui tempeſtatem non ſentit minantem ex omni parte naufragium. Apoſtolorum oculi ſomno gravabantur, quo menus oculorum ſegnities intimabatur. *Et ignorabant quid reſponderent ei.* Reſpondiſſe omnino ignorat, qui deliquiſſe convincitur, & ſuffunditur verecundia, qui, quod promiſit, non fecit. Alè promittens & in promiſſione ſuccumbens legitimam excuſationem non habet, maximè, ſi facilis eſt promiſſio, aut ſi leve, quod exquiritur ab amico. Promiſerant apoſtoli Chriſto ſocietatem, ipſe verò facilem vigiliam exigebat ab aliquo. Et hac vice Salvator nihil apoſtolis dixit, ſed receſſit ipſis aſpectis. *Et oravit tertiò eundem ſermonem, dicens:* Eundem ſermonem dixit, qui eundem & immutatum animum poſſidebat, non pertinacia impetrandi, ſed animi firmitate, non pro removenda paſſione, ſed pro ſua conformi voluntate cum patre pandenda. Calicis petebatur amotio, & dicebat nolle bibere, quod ſitiebat, & homo dicebat nolle obedire, prout ratio ſuperiori obediebat virtuti, prompto animo exhauriebat. Calix menſura ſuæ paſſionis erat, quam bibiturus erat, uſque ad fundum, ut etam in

Job 7

Pſalm. 57.

Jonæ 1.

Matth. 26. Marci 14.

fundo

fundo clareſceret exhauſto liquore. Bibit Salvator paſſionis pleniſſimum atque amariſſimum calicem, non pro ſe, ſed pro omnibus, qui mortui erant, per Dei gratiam, & occultas virtutes facti participes myſterii paſſionis, pro omnibus, qui tunc in mundo erant, & pro omnibus, qui nondum nati erant, & pro omnibus, quos ſibi ab æterno gratificavit, bibit: æqualiter à ſeipſo, diſpariter verò ſecundùm merita ſubjectorum. Iſta ſiquidem tertia agonia cum ſenſu carnis & animæ virtute acrius certabat, & longioris temperis ſpatio protelavit ſermonem in animo tacitè, aut expreſsè per vocem. Neceſſitas aut delectatio, timor ſive amor facit hominem quandoque orare prolixius. Et orat vehementius, cùm percipit aliquid ſupra ſenſum, aut cùm nititur devitare, quod cruciat, aut abigere, quod tentat ad caſum. Vehementia paſſionis tanta ex animo fuit in Chriſto, ut ſudor ſanguineus manaret à corpore, rigarétque terram, in qua flexis genibus orabat ad patrem: Intueamur, ſi poſſumus, quid anima illa geſtabat, quæ orando ſanguinem emittebat ex corpore. Timor erat fortè concumbens, ſed neminem invenimus ex timore ſanguineos ſcaturiſſe ſudores. An erat amor quo ſalutem humani generis feſtinabat efficere? An erat feſtinatio, qua paternam voluntatem, quam omnibus præferebat, volebat implere? An invitabat ad exemplar orandi ſudore ſanguineo, quod nemo in poſteris unquam fecerat? An aliquid futurum ſucceſſu temporis ſignificabat, ut velut caput in figura tranſmittebat in membra? Quid ergo dicemus? An tranſibimus ſilentio hujuſmodi novitatem? Libet potius pertranſire, quàm aliquid dicere. amplius vellet animus ſe transformare in tam altiſſimam actionem, & ſimilem fieri, & meditari propenſius. Poteſtativa fuit hæc actio, non naturæ, ut anima ſic affecta ſudorem ſanguineum per poros carnis emitteret. Quamvis naturale ſit, ut compago noſtri corporis ſanguinem habeat, naturale tamen non eſt, quòd ſanguinem ſic emittat. Multa facta novimus poteſtativè in corporibus hominū videlicet ſenſuum cohibitiones, & intenſiones, & remiſſiones præter communem curſum humanæ naturæ, quas ſi vellem diſcernere per ſingula, fabulator, non theologus apparerem. Sed cùm impertinentium deſertione, quantùm Dominus nobis dare dignabitur, enodabimus hanc ſupernaturalem & mirificam actionem, non phyſim nec medica commenta ſectantes, importuna enim hic ſunt omnia hæc, magis quam in luctu cithara ex omni chorda canora. Sudat Salvator ſudore ſanguineo, voluntariè illum ſcaturiens, fundendum ſanguinem ex verberibus, clavis, lancea præfigurans, ut oſtendat totum eſſe voluntarium, quod agebat, & nihil eſſe invitum quod in anima & corpore tolerabat. Sudat Jeſu ſudore ſanguineo, ut oſtendat in corpore, quali agonia tenebatur in mente. Sudat Chriſtus ſudore ſanguino, ut orationem efficacem ſupra naturam fieri omnino declarer, nec veram fieri niſi per ſanguinem Jeſu. Oravit Adam petens indulgentiam poſt peccatum, quamvis non illico, ſed in poſterum. Oraverunt omnes electi, qui adducti ſunt ad diſcretionis annos, oraverunt ſequentes, orabunt & ſecuturi, ſed nullorum oratio, niſi virtute ſanguinis Chriſti verum ſortitur effectum. Proinde Salvator in orationem ſanguinem fundit. Sudat ſudore ſanguineo, ut ſupra naturam communem hominum ſuum dicat eſſe amorem, quo aquam in oratione pro omnibus fundit & ſanguinem. Et voluntariè moritur ſic ſanguinem profundendo. Vehementiam verò laboris & æſtus inviſibilis agonis ſudor miſſus declarat. Nam ex labore nimio ſimiliter & ex æſtu, conſueverunt corpora deſudare. Cùm mors vicina fuerit, morituros ſudor invadit. Sæpe autem, dum natura cum pœna in aliqua infirmitate confligit, ſi natura vincit, per ſudorem ſanitatem reſtituit. Sudat in laboribus Chriſtus, quos à juventute ſuſtinuit, ſudat pro æſtu validi belli, ſudat morte vicina, quia ventura in craſtinum, necnon Chriſti ſudore genus curatur humanum. Sanguineus eſt ſudor, guttæ ſanguinis ſunt & futuras martyrum prænotant paſſiones. Decurrit in terram ſudor ſanguineus, en terra rigatur divino cruore, ut terra noſtri cordis tali pinguedine fœcundetur, & idcirco conformi myſterio in villa Gethſemaini, quæ villa pinguedinis eſt, in terram pinguedo ſalubris effunditur. Convertamus animum ad piam conſiderationem, ut velut præſentem in ſpeculo evangelii Chriſtum intueamur orantem poſitis genibus, nec exauditum à patre ſudantem ex vehementia mentis, & ſpiritus, & guttulis ſanguineis circumfuſum. Videamus velut repudiatum in petitis, ac ſi malè hoc à Domino poſtulaſſet. Ineptæ petitiones negationem pariter portant. Chriſtus petiverat, ſed nec ineptè, ut non executioni ſua petitio traderetur. Fontalis radius æternæ lucis, & ſapientiæ nota verna, nec in ſua petione quomodolibet oberrabat, ſed nec exauditur Chriſtus ad hoc, ne turbetur, ſi petitionem, quam petit non obtinet Chriſtianus. Geniculavit quindecim vicibus hoc in ſero Salvator duodecim ante duodecim in abulatione pedali, tribus verò pietatem exorando paternam. Ibi charitas & humilitas, hic pavor, & horror, hic vilitas, & abjectio. Nam ut vilis habetur, cujus petitio non admittitur. Et abjectio maxima eſt, dum abiicitur in pœnis, qui nullo peccato deliquit. Hic Chriſtus corpore in-

clinato, mente in altiora ſe tollit. Paternum ſtabat ante conſpectum anima ſanctaChriſti, quando pater mi ore clamabat. Ipſa verò anima clamoſius atque validius loquebatur; Videamus juvenem hunc genuflexum, nunc deorſum vertentem faciem, nunc erigentem ad cœlum, de profundis ſui cordis clamantem, & inrecurvatam omnino perficientem orationem. Anima ſuper cœlos porro conſcenderat, quando ſanguis manabat ex corpore, rigans ſub oculis terram arentem, & infœcundam fructibus ſanctæ vitæ, ſicut qui de cœleſti atque ſuperna virtute venerat excolere, ut fœcunda paſtum gratum plaſmatori & cœleſtibus civibus redderet. Signum erat ſanguis decurrens in terram profuſionis animæ Chriſti, per dilectionem ad humanam naturam, ut vita effunderetur ſuper mortem abſorbendo ipſam. In ſanguine dicitur eſſe vita. Terra mortalis Adam, & ex ea univerſalis contracta propago, ſuper quam tota vita Chriſti decurrit, ut hoc mortale compoſitum abſorberetur ab ipſa. Fervens ebullitio ſæpe mittit ad extra. Et quantumcunque anima Chriſti charitatis igne bulliendo ferveret in intimis, ſcaturitio ſanguinis monſtrabat. Durum bellum & inviſibibe in illa Chriſti anima gerebatur, quando velut ex percuſſionibus per poros corporis ejus ſanguis decurrebat in terram. Mens mea ſemetipſam cogit inquirere, ſed non poteſt, tamen ſcire peroptat, ſi an orabat prolixius, quia ſanguis exibat, an ſanguis defluebat ex corpore, quia prolixius & vehementius orabat. Erat ne ſanguis defluens orationis accenſio, an oratio ſanguinem ſic cauſabat. An anima Chriſti ante conſpectũ conſtituta divinum ſanguinem manabat ex corpore, an ſanguis manans animam remittebat ad Deum. Non dico quod volo, quia tantùm non capio, tamen dico, quod ſentio, quòd anima Chriſti profundiſſimè Deum orans, corpore ut ſuo inſtrumento utebatur, ad ſigna, & ad figuras, & ad oſtenſiones eorum, quæ in anima ſua divinitus & humanitus agebantur in redemptionem humani generis. In virtute amoris, & paſſionibus corporis perſeverantiam docens, ut uſque ad ſanguinis effuſionem à voluntate divina nullatenus recedamus, ut non ſolùm parati ſimus ſanguinem fundere propter devitanda peccata, ſed etiam propter virtutes agendas fundere ſanguinem & ſuſcipere mortem. Sanguis primi hominis juſti ad Deum contra fratricidam clamabat de terra, & ſanguis Chriſti orationis, & crucis profuſus ad terram, contra omnes ad Deum clamat de terra. Igitur væ! ingratis. Agoni-
Luc. 22.
zanti taliter *Chriſto angelus de ſupernis apparuit, confortans eum*, ex parte atque miſ-
Matth. 26.
ſione paterna. Mirum eſt, quod dicitur, cùm Chriſtus Dominus angelorum ipſos ſemper habet præſentes, cur ſic dicitur, quaſi de novo ejus apparitionem ſuſciperet. Et paulo poſt ipſum dixiſſe legimus, quòd potuit à patre orando ſuſcipere plus quàm legiones duodecim angelorum. Sed omnis apparitio angelorum de qua ſacer textus eloquitur, ſive in ſomnis atque vigiliis, per ſpeciem corporalem facta credatur. Species verò corporea corporis obiicitur. Proinde Chriſto in forma hominum conſtituto angelus in ſubjecta figura de cœlo miſſus ſenſibus ejus apparuit, & vocem emiſit corpoream per eandem ſubjectam figuram, confortans eum velut hominem in agonibus fatiſcentem, ut hujuſmodi apparitio & confortatio tota referatur ad formam ſervi penitus, & non Dei. Ex quo argumento magno factum eſt nobis, quòd neminem Deus in tentationibus & tribulationibus derelinquit, ut non miniſtret de ſuperis neceſſariam omnino virtutem, & confortet angelicè, qui humanè ſuccumbit, concedat de cœlis, quod non reperitur in terris, & ut velut incorporeus & impaſſibilis corporeus, & paſſibilis ſuſtineat paſſiones. Impaſſibilis factus eſt angelus, dum confirmationem accepit ad quaslibet paſſiones. Paſſibilis eſt homo & patitur, ſed confortatus à Deo paſſionibus acſi non pateretur omnino non cedit. Clamat hoc omnis congeries martyrum, qui tormenta pro Chriſto in hoc ſæculo indicibilia toleratunt, qui nec ceſſerunt ad horam, acſi non paterentur. Pati potuerunt, vinci non potuerunt, ſemper ferentibus fortiores, velut impaſſibiles, pendentes nihili mortem. Felicior eſt conditio angeli, qui habet à Domino impaſſibilitatem, fortior tamen hominis, qui patitur, & non cedit. Non poſſe pati, & pati, & vincere, ſicut excedens & exceſſum diverſa qualitate feruntur. Nam angelus non patitur corpore, quo caret, nec pateretur, etiam in aſſumpto, ſubſtantia etiam ſeparata, qua ſic eſt & confirmatus, pœnas ſentire penitus nequit. Homo verò, qui de cœlo acceperit confortationis annonam, etſi corpore patitur, mente non ſternitur, corpore preſſus, animo perſeverat invictus, ſubactus carne, anima verò impaſſibilis eſt. Quandam ſimilitudinem eſſe proportionemque inviſibilem terreſtrium agoniſtarum, & civium ſupernorum, Deus purè oſtendit cum Chriſtum confortavit per angelum. Et in capite præferebat, quæ ſecutura prævidebat in membris. Et Chriſtus caput eccleſiæ ſive omnium noſtrum ſuorum fidelium hanc apparitionem angeli & confortationem accepit in ſeipſo pro membris, timorem omnibus auferens paſſionis & mortis, quoniam pro nobis certat, & omnes de cœlo nos confortat altiſſi- Pſal. 132.
mus. Unguentum capitis redundat in barbam, & omnis gratia Chriſti ad ſua membra

de-

deſcendit. Proinde angelus corfortans ca-
put omnium Chriſtum, ſuper ſua mem-
bra certantia, neceſſitatis tempore confor-
taturus adveniet, ut & quod agoniſta Chri-
ſti tanquam homo non tolerat, ut angelus
impaſſibiliter mente ferat, etiam ſi corpore
decidat. Quid verò angelus iſte dixerit,
per evangelicam ſcripturam nunquam cla-
ruit. Sed abſque contradictione fidei & re-
linquitur noſtræ menti, ut piè credamus hu-
juſmodi angelim confortationi verba de-
centia protuliſſe, ſicut decebat dicere ange-
lum à Deo cœlitus miſſum, ſuſcipere homi-
nem Jeſum Chriſtum, cum dæmonibus &
diabolicis hominibus certaturum. Et qua ut
homo, non ut Dei filius hanc conſortatio-
nem acceperat: verba fortaſſis erant de a-
more paterno, de firma victoria, de reſur-
rectione feſtina, de gloria poſt ſepulchrum,
ſicut de ſtella poſt uterum, de conſcenſio-
ne ſuperna, de ſubjectione cœleſtium, ter-
reſtrium & infernorum, & his ſimilia, quæ
confortare poſſent ſtrenuè pugnaturum.
Nec quempiam per exorbitationem com-
moveat, quòd anima plura ſciebat, quàm
angelus, & in conſpectu altiſſimi ſe pararat
unita per omnia deitati, & omnibus ange-
lis penitus ipſa nobilior, ſi non ex commu-
ni animarum natura, quam ipſa ex creatione
habebat cum cæteris: attamen ex ſingulari
gratia, qua omnibus ſuperferebatur, & ex
unione deitatis. Unde igitur iſta conforta-
tio facta per angelum Domino angelorum?
Cum puro viatore talia peraguntur, & ſub-
mittitur comprehenſio, quam ab inſtanti ſuæ
incarnationis acceperat, non quòd ad ho-
ram comprehenſionem perdidit Chriſtus,
ſed tanquam viatori ſibi locutus eſt ange-
lus. Et retractis aut quomodolibet mirandis
Matth. 26. abſterſis ſudoribus *venit ad diſcipulos, &*
Marci 14. *invenit eos dormientes.* Lucas verò ſcribit
Luc. 22 *præ triſtitia.* Et meritò quia ſuccumbebant
defectibus, & deficiebant promiſſis. Nec
aſſoliti talia tolerant, & fides Petro tremu-
lo palpitabatur, ſi quis hic in quem credi-
derat, quem triſtitia videbant affectum,
cui paſſioni fortè ipſi animo communica-
bant, diligebant enim eum eos taliter di-
ligentem. Diligentium ſe animorũ cõmunis
eſt paſſio vel hilaritas, *Quib⁹ dixit; Dormite
jam & requeſcite.* Indulget Salvator infir-
mæ materiæ. Concedit abſque vitio ſenſua-
litati, quod importunitate ſua depoſcit. Re-
cordatur ſemper Dominus, quoniam pul-
vis ſumus, & novit, quòd corpus corrupti-
bile aggravat animam, & figmentum no-
ſtrum inoblite cognoſcit. Proinde parcit in-
firmitati, non ſocietate malitiæ, ipſamque
tolerat quam aſſumpſit. Infirmam enim aſ-
ſumpſit carnem tejecto vitio. Infirmitans
teſtes ſunt pœnalitates ſeptem, quas volun-
tate perpeſſus eſt. Ecce quòd diſcipuli ter-
tio dormiunt, ubi maximè apparet eorum
infirmitas. Et ſæpe accidit, ut neceſſitatis
tempore proferendíque teſtimonii pro vir-
tute credita virtus deficiat. Idcirco ad præ-
ſumptionis portum nullus ſuam naviculam
ſiſtat, nec ſuis velis penetret alta maris,
& de ſuis phantaſmatibus dormiat nemo
ſecurus. Trina dormitio diſcipulorum tri-
plicem arguit defectum, & eodem nume-
ro imaginem mortis culpabilis repræſentat,
ſcilicet contractæ fragilitatis, & ignorantiæ
inhærentis, necnon & priſtinæ conſuetudi-
nis, quam, quia non vicerit, cum ſe cre-
dit expergiſci, remergetur. Antiqua con-
ſuetudo, adversùs quam continuum & im-
pacibile bellum non geritur, nec reicitur
ex animo, & ferociſſimos viros, atque pru-
dentes jugo ſuæ ſervitutis oppreſſit. De-
inde Salvator poſt aliquantulam quietem
continuò intulit dicens: *Sufficit* & debitum
naturæ tenentes, aut novum exolventes
eventum reſpiremus. Modificatur noſtra
natura, niſi prædominetur inepta voluptas,
aut deprimat grave pondus. Sed quod non
ſufficit inſatiabili ſanguiſugæ, neceſſitati ſuf-
ficiens eſt. Novit enim Deus, quod ad tu-
telam perfunctoriam ſufficit, & quod ſu-
peradditur non ignorat, ſed ponderat juſta
lance. Sufficientiæ verbum omne ſuper-
fluum abrogat & condemnat. Superfluum
autem in omni re, qua corporaliter vivi-
tur, eſſe cognoſcitur, ſi auferiur, quod re-
manet, ſufficientiam præſtat. Hæc ſiquidem
regula in rebus ſpiritualibus atque virtuti-
bus, fallit in corporalibus. Nunquam, ſi una
dormitionis hora ſufficeret, & deinceps
ſufficerent, quicquam ad ſufficentiam in
corporibus & ejus uſibus & actionibus ad-
ditur, condemnatur. Ubi ſilentium ſuffi-
cit, ſuperflua eſt locutio: ubi duo verba ſuf-
ficiunt, reliqua non expediunt. Quamvis
nempe Salvator ab apoſtolis vigiliam ex-
quiſierit, naturæ ſufficientiam, aut debitum
non negavit, & quod infirma caro poſce-
bat, indulſit. Sed omnino expedit dare ter-
minum hujuſmodi actionibus, ne illa blan-
dities & compaſſio æmulæ ſanctitatis, atque
virtutis latentes in hominibus prodeant, &
ſub neceſſitatis vexillo turpiter nos invo-
luant. Sed quoniam omnium non eſt æ-
qua proportio, nec eiſdem ſufficientia æ-
qua erit. Proinde difficile ſemetipſum pro-
pter inhærentem compaſſionem homo co-
gnoſceret, niſi extra ſe diſcretum habeat
proviſorem. Veruntamen longa experien-
tia cuſtodita & diſſoluta compaſſio ad ani-
male corpus, in ſufficiantia & ſuperfluo di-
ſcretum hominem fecit. Subnectit cauſam
Salvator dicens. *Venit hora, ecce filius ho-
minis tradetur in manus peccatorum. Surgite,
eamus. Ecce qui me tradet, prope eſt.* Hora
venerat hominis ſervi, non Domini Dei.
Non habet Chriſtus horam ex forma Dei, Matth. 26.
ſed ex forma ſervi. Quæ hora? Paſſionis & Marci 14.

oſtendendæ virtutis, & æterni propoſiti declarandi. Beatus homo, qui non prævenit horam in agendis, ſi non prætermiſit, cùm venit, quoniam venit hora ejus, ſit paratus abſque mora. Venit hora, ſcilicet traditionis Chriſti Sequitur: *Ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Venit hora, & ipſe venit in horam. Joan. 2. Prædixerat enim matri: Nondum venit hora mea. Prædixerat cognatis, ſcilicet fratribus aliis, non diſcipulis: Tempus meum nondum paratum eſt. Præfinitum erat infallibiliter, quo tempore traderetur, ligaretur, pateretur atque crucifigeretur. Joan. 7. Tradi non potuit, niſi cùm voluit: ligari, niſi cùm permiſit, neque pati pœnas, & mortem, niſi cùm conſenſit. Acceſit ille ad paſſiones, & paſſionibus ſuper ſe dominium dedit, propterea intulit: Surgite, eamus. Ecce qui me tradet prope eſt. Voluntariè accedamus, ſummus enim illis virtutibus fortiores. Quaſi dicat: A me habent, unde me tradat Judas, & unde me ligent, qui eum eo veniunt, uſque in præſentiarum hora non fuit. Non infans mori debebat, Math. 2. dum eum quærebat Herodes, non puer, non juvenis, quouſque ſpatio vivendi mundo per perſonalem vitam innoteſceret, ne quædam deluſio crederetur. Non mori debebat in ætate tenera, ne interrogatus in reſpondendo ætatem tranſcendere videretur: quoniam omni tempore ab inſtanti conceptionis tantundem ſapientiam habuit. Aut ſubticendo fatuitas ſeu phantaſia crederetur. Si nihil fecerit aut dixerit inſigne tempore vernantis ætatis, & quo moles corporis ſumebat augmentum, nulla cauſa offenſionis & mortis Judæis præſto erat. Ante perfectam ætatem talia, quæ poſtmodum fecit, facere non debebat. Perfectio doctrinæ, operum & miraculorum ejus nondum in virtutibus, ſed etiam virum perfectæ requirebat ætatis. Condendum erat prius evangelium æternum, prædicandum ante erat Dei regnum, erant omnino facienda miracula, & vita Chriſti declaranda virtutibus, ſua erant exempla præroganda ſequentibus, & in ipſo & ſuo diſciplinatu omnib⁹ danda erat forma vivendi. Qui plenitudinem temporis expectavit incarnationis atque nativitatis, horam ſimiliter expectavit paſſionis & mortis. Proinde dicit Apoſtolus venit hora, completa ſunt omnia, hoc ſolùm reſtat ante reſurrectionis gloriam pro humana natura complendū, quòd per ludibria & opprobria tradar in mortem. Quòd ſæpe apoſtolis hanc horam ipſe prædixerat, de qua nunc expreſsè loquitur: venit hora. Eſt per perfectum in ordine vitæ agendæ horam debitam in omnibus expectare, nec illam effugere aut præterire negligentia, cùm advenit. Qui neglectam aliquam præterit horam, illam non revidebit penitus in æternum. Prætereunt tempora non reditura, & horæ irretroverſibiliter tranſeunt. Qui otioſam illam tranſire permittit, nunquam eandem recuperabit aliquando. Tenetur nempe in ſequentibus bona facere, ſi qua poteſt, & illa irrevocatè in præteritis decurrens ad præſens ſive futurum omnino non redit. Talis enim eſt conditio temporis, ut in ſuo curſu ſemper tendat in nihilum. Nihilum enim neque actiones habet, neque fundamenta bonorum. Proinde hora recuperanda non redit. Væ! igitur, qui culpatè illam aut debito non ſoluto tranſire permittit. Et qui in illa non fecit, quod debuit, nihil fecit, etiam ſi bonum eſt, quod fecit. Sed ſi melius fecit, hoc ſiquidem facere debuit, & excuſatus manet, ſi pro meliori bonum aliquid intermiſit. Sed multa diſcretione opus eſt actus reſpectu melioris variare per horas, nec aliquis in hoc ſibi faciliter credat. Qui verò ferulæ obedientiæ veraciter ſubjacent, in his incedunt ſecurius, cùm ex actibus aliquid per horas variare non poſſint, ſuperioris judicio mancipati. Capitis noſtri Chriſti ſolertiam inſpiciamus, qui horam exercendi myſterii vacuam pertranſire non ſinit. Dicit enim: Venit hora. Quaſi dicat apoſtolis: non illam prætereamus. Hic me paululum hominum incuria, & otioſitas, & inſolertia declamare compellunt. Heu! quam multi horam divinis actionibus aptam prætereunt, & eos incautos apta hora pertranſit, & in omni vita ipſorum non revocaverunt præteritum, nec illud bonum, quod ſe ad agendum præbebat in hora dimiſſum. Affuit hora exercendæ humilitatis, & abſque humilitate tranſire permiſerunt. Affuit hora qua parabatur fluvius lachrymarum peccata delentium, quæ acceptabile ſacrificium ſunt, & abſque lachrymis, imo ſteriliter illa hora defluxit, nec invenerunt ſimilem actionem. Affuit tempus, quod mens contemplatis intuitu ſe in alta levabat, & abſque inviſibili theoria tempus illud præteriit. Et cùm alio in tempore voluerunt mentem in alta ſuſtollere, invitè recurvabantur. Præſtat aliquando hora orandi facilitatem. Et mora horam deduxit in horam, & illa in aliam, & ſic per inſolertiam aut incuriam tempora multa vacua defluxerunt, quibus triſtitia ſterilis ſæpe ſucceſſit. Ex his nempe fit ratio multa ſimilia cognoſcendi, ſed utinam præcavendi. Fruſtra eſt triſtitia temporum labentium perditorum. Reprehendi ſolùm poſſunt, aut in tabula damnata depingi tempora vacua, quæ præteritum in ſuo jure ſuſcepit, corrigi autem nunquam nec in charta ſatisfactoris adſcribi. Potius maleactum per pœnitentiam ſequentem diluitur, quam recuperari poſſit bonum, quod extitit ex incuria, ſeu negligentia vel quomolibet prætermiſſum. Non ergo prætereamus horam noſtram, quia neſcimus horam divinam. Hora noſtra eſt a-

ctionis

ctionis, dijudicationis eſt hora divina. Inquit enim ipſe Salvator: Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam. Propterea ſupra dictum eſt: Non potuiſtis una hora vigilare
Matth. 25. mecum, ut hora mea in hora veſtra vos vigiles inveniret? Nunc verò dicit: Venit hora, non permittatur vacua bonis operibus pertranſire, ne hora mea vos morte interveniente dijudicet, non ad veniam, ſed ad pœnam. Laudabilis eſt providentia, & laudem habere in vita & præmia magna ſortitur, quæ nec momentum temporis ſteriliter tranſire permittit. Paratum in hora æterna hora ſuſcipiet, & in hora dijudicationis dæmonum calumnias vilipendet. Sequitur: Ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. Demonſtrativè loquitur, qua ſibi omnia nuda erant, & nihil occultum in intelli-
Matth. 26. gentia eius. Tradetur filius hominis, quia caro non deitas tradenda erat & vinculis alliganda. In manus peccatorum, ut revelentur eorum peſſimæ voluntates, innocentem crudeliter afficiendo. Et bene traditus fuit in manus peccatorum, quia propter peccatores traditur, à peccatore traditur, in manus peccatorum incircumciſorum traditur, ab eis in manus peccatorũ gentilium traditur, quæ traditio in protoplaſtis accepit Initium. Surgite, eamus. Tepidas excitat ſua promptitudine mentes, & cognita voluntate paterna intrepide ſe donat in pœnas. Argumento pro moribus eſt nobis, ut quod omnino novimus Deum velle, leve & aſperum prompto animo capiamus. Non ſunt timenda, in quæ nos tradidit divina poteſtas. Deus, qui novit in intribulationibus tradere, valet eripere, nec diu detineri permittit, qui tradidit. Altiſſima bonitas ſeu providentia Dei, aut abbreviat paſſiones, & tempora, & modificat ſævas hominum voluntates, aut præſtat in anima, & corpore valetudinem tolerandi, Omnino eſt neceſſaria noſtri animi promptitudo propter inviſibiles hoſtes, qui ſi animæ faciem cognoſcere poſſunt ex timore pallentem, ſumunt audaciam, & ignoranter credentes omnino poſſe dare conflictum. Si verò in nobis cognoſcunt audaciam, eorum deprimitur. Nam ſæpe in bellicis actibus audaciæ hominum, quam ictus ferrei plus fecêre. Omnem quippe confundit dæmonem promptitudo bene agendi. Et animoſitas cavendi à malo eorum machinamenta deſtruxit, & ſubvertit rotas curruum ipſorum, & ſubmerſit equos, & arma confregit audacia patiendi. Aufert dubia opinantium, quoniam Chriſtus non neceſſitate, ſed voluntate paſſus eſt, ſurgite eamus dicens. Pro neceſſitate omnibus debet eſſe voluntas divina. Igitur illa neceſſitas omnino generet volentem atque libentem. Surgamus omnes vocante nos Chriſto, ſurgamus à torporis & negligentiæ lectis, ſurgamus ab his, in quibus nos malè jacere cognovimus, ſurgamus ad Chriſtiferas actiones. Chriſtus verò, qui omnia novit, malorum & iniquorum feſtinantiam a- Matth. 24.
gnoſcebat. Proinde intulit: *Ecce, qui me tradet, prope eſt* Inſidiosè ambulat dux nefan- Marci 14.
dæ cohortis, quòd tam prope eſt. Et adhuc eo loquente ſcilicet Chriſto cum apoſtolis, nam reverſus fuerat cum tribus ad alios octo: *Venit Judas Iſcarioth unus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladiis & fuſtibus miſſi à principibus ſacerdotum*: Ecce dux in præceps, ecce obſtinata malitia, ecce animus inquietus, & impatiens feritas, quæ niſi perficiat concepta mala, non dormit. Receperat pecuniam, qua Chriſtum Judæis vendiderat, tanquam venale mancipium, & vili expoſuit pretio charam hominum vitam. Cohortem acceperat, ut Chriſtus turba circundatus de ipſorum manibus elabi omnino non poſſet. Et gladiis, & fuſtibus, & armis, ut removerent percuſſionibus prohibentes. Cum facibus & laternis, quia in vero lumine Chriſti cæcati penitus erant. Et nocte veniunt, ſicut æterna nocte damnati, detenti nocte peccati. Vide iniquitatis apparatum, quæ nihil omittit expediens ad ſuam nefariam actionem. Agnoſce diverſitatem malorum, quam Chriſtus incipit tolerare atque ſuſtinere in carne mortali, conſidera promptitudinem amoris ejus. Corde manet impavidus, pericula non timet, mortem non pavet, quamvis caro aſſumpta ſubdita fuit terrori. Nihil perhorreſcit, ut amor ſequatur effectum, qui ſolùm genus humanum à periculis æternis ſuis tormentis tranſitoriis diſpoſuerat liberare. Contemnit vehemens amor cuncta pericula, ſi prævidet non fruſtrata ſpe vota poſſe ſortiri. Agnoverat nempe Chriſtus infallibiliter victoriam poſſe reportare de bello. Intueamur in his malis hominum mores, quos Chriſtus hodie ſpiritualiter patitur, quos in priſcis temporibus etiam paſſus eſt. Dux nefandæ cohortis proditor eſt, Omnis proditor In eccleſia conſtituitur per receſſum à Chriſto, à quo recedens proditor factus eſt. Accepit cohortem, ut multitudine perficeret, quod unus nequiret. Vel multitudine autumat ſe tueri. Multi enim hoc errore detinentur, ut excuſentur, aut mitior ſit pœna ex multitudine hominum peccatorum. Seu malarum intentionum Chriſti proditor facit ſæpe cohortem. Cohors ipſa, ſi eam ſolam intueamur, quæ ducem nefarium ſequitur, oſtendit menti multitudinem iniquorum, quæ à duce diabolo per nefaria quæque ducitur, quorum aliqui gladios acutos portant, linguam videlicet facilem & maledicam, ad ſeminandam diſcordiam & injuriam irrogandam, Unde Pſalmiſta clamat: Pſalm. 56.
Et lingua eorum iniquorum gladius acutus. Sed gladius malorum intrat in corda ipſorum. Atrocitas ſemper gladium portat, ut ne feriat incaſſum, & vult ſibi certum fieri,

ſi transfigit, & manu propria vellet laniare, quem odit. Prope & non fruſtra percutit gladiator, & de propinquo vulnus infligit. Fuſtes ſive ligna portant, qui à mentis inſania derinentur. Etenim iſta ſtultorum arma fuerunt, aut quibus Domini verberaverunt ſervos, & animalia cum hujuſmodi agitantur inſtrumentis ad onera deferenda. Præter id, quod myſticum eſt, & quod Domini pœnam corporalem exaggerat, mortalia & corruptibilia portant impii contra lignum vitæ: eſt enim Chriſtus lignum vitæ plantatum in medio paradiſi, ſcilicet militantis & triumphantis eccleſiæ. Ipſe lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, videlicet labentium populorum, quod, qui accipiet, in peccata, & in pœnam non defluet. (Pſalm. 1.) Ecce portant ligna contra factorem ipſorum impii peccatores, quæ ſatis ſunt ignibus apta, velut in præſagium futurorum, quoniam ipſi ab ignibus inconſumptè ſemper comburentur æternis. Renovat diabolus in mentibus, & moribus hominum prima facinora, ut, in quibus in præceps traheret præcedentes, trahere confidat & poſteros. Etenim primi parentes in ligno vetito corruerunt. Sed verſa vice velut ſtulti ſervi, & animalia bruta his fuſtibus ſunt arcendi. Revixit in eis Cainina iniquitas, qui fuſte fratricidium fecit. (Geneſis 3.) Armorum verò nomine offenſionis atque defenſionis officium noſcitur, quod perfecerunt in bonis, & malis, qui veræ lucis arma præſumpſerunt. Qui verò ad nefanda perficienda iniquitatis arma ſuſcipiunt, aut cum expedit, prohibent, quod prohibet, aut multa protectione aut velamine ſe tuentur. Contra lucem mundi laternas portant & faces. Non enim in illa luce videbant, ſed præ magnitudine ſua eorum mentalis confundebatur aſpectus, & reverberabatur à radiis ſplendoris ejus. Nam & faciem Moyſi clarefactam ex colloquio Domini ſui antiqui patres in deſerto non poterant ſuſtinere. Plus hic, quàm Moyſes, quem intueri non poſſunt, imo nolunt: quoniam ſicut Moyſes velo, ſic iſte humanitate ſe velavit. (Exodi 34.) Sed quid ſibi volunt in nefariis moribus faces hujuſcemodi & laternæ? Omnium reproborum mens hoc proprium habet, ut infallibiliter velit malum agere, quod concepit. Ideo quærunt reprobi artificio tetrum lumen, quo certè ſciant mala, quæ faciant. Et ſcrutantur tenebroſo lumine intellectus latebras, ne quid mali lateat, ac ab eorum actione damnata diffugiat. Et ſcrutantur iniquitates obſcura luce, ut faciant, ſed deficiunt ſcrutantes ſcrutinium malum. Faces lumen patulum faciunt. Ut autem occultetur, aut præſervetur lumen, ponitur in laternis, ne ventorum vehementia extinguatur. Sunt nanque nonnulli ab improbitate nimis detenti, qui patenter ſcelera faciunt, & nihil mali ab eis præterire videtur incognitum vel intactum, & malè fæculenti ſemper mundo peſſimis actibus inclareſcunt. Væ! faciferis ad quæque ſcelera peragenda, nam faci ſcelerum ſuccedet æterna fax improviſa pœnarum. Plerique autem ſunt, qui occultè ferunt in animo malum concupiſcentiæ ignem, clarè ſcientes mala, quæ operari diſponunt, ſed timentes extingui quouſque quod æſtimant, prohibens auferatur, malam concupiſcentiam non oſtendunt: cùm verò cognoverint prohibitum, laternam cordis aperiunt, & opere complent, quæ animo tractaverunt. Sed ad Chriſti pœnalia revertamur. Miſſi erant miniſtri deteſtabiles à principibus ſacerdotum, & ſcribis, & ſenioribus populi. Erat in authoritate iniquitas. Omnis namque iniquitas ab iniquitate majore juſſa ſuſcipiens otius atque ſecurius ſævit, & perficit ſcelera, quæ jubentur. Principes erant ſacerdotum, non ſacerdotii, qui mala juſſa dederunt. Omne ſacerdotium ſanctum, ſed non omnis ſacerdos. Si ſanctitatis fuiſſent principes, iviſſent & ipſi ad obedientiam principi, & regi gloriæ, atque virtutum, non miſiſſent ſatellites improbos ad ligandum. Scribæ verò in mala legatione convenerat, litteram ſolam, quæ occidit, ſequentes. Idcirco & ipſi ad occidendum jam ſe paraverant. Si verò iviſſent introrſum ad intelligentiam ſcripturarum, inveniſſent utique Meſſiam, quem decepti expectant. Sed ſolùm tenebant amaritudinis corticem, medulla dulcedinis derelicta. Elementarii tamen erant, & ſunt Judæorum ſcribæ, quæ verò elementa exarata contineant, non advertunt. Seniores etiam populi aſciſcebantur eiſdem in nefaria juſſione. Erant ſeniores aut ætate aut vera diſcretione judicandi, & diſcernendi, quid expediat fieri de his, quorum in lege non reperiebatur aperta ſententia, in populo clariores, aut ſecundùm græcum eloquium ſacerdotes, qui præ cæteris in populo præminebant. Sed omnes defectum patiebantur virtutis, ut etiam ipſi cum cæteris delirarent, ut luce clarius pateat ratione dignitatis, ſcientiæ vel ætatis non deeſſe vitium, aut inhærere virtutem. Aliud quidem eſt latens, ullis ſenſibus non ſubjeſtum, quod vitium abigit, aſſequiturque virtutem. Sed eò perniciofior eſt iniquitas, quo ad ejus effectum omnes conveniunt, maximè, cùm illorum, qui habent ponderare recta judicia intervenit perverſus aſſenſus, ad quos plebejorum & totus aſpectus & agendorum dependet effectus. Hæc omnia tunc in corde, nunc verò in moribus aggravant Chriſto pœnam: *Traditor autem*, & artes mali conventus *ſignum dederat* pacis his, qui capiendo Chriſto crudelem legationem acceperunt dicem: *Quemcunque oſculatus fuero ipſe eſt, te-* (Matth. 26. Marci 14.)

nete

nete eum, & ducite cautè: Et cùm veniſſet, confeſtim accedens & oſculatus eſt eum dicens: Ave rabbi. Signum das proditor, ut ſignanter capiatur, quem oderat. Et nunc actu prorumpit in ſcelus, quod tam hoſtiliter & obſtinatè ferebat animo. Præmittit ſalutationem ei, quem in mortis damnationem inducit. Improba iniquitas, ſalutat quem perdit: vocat magiſtrum, cujus doctrinam contempſit procaciter. Nec à verbis ejus ab iſta ſævitia fuit aliquando averſus. Oſculatur ſanctum oa, & virtutem non ſentit, & ſibi divinum oſculum horridum eſt, non ſuave. Indicibilis erat illius amaritudo mentia, quæ tantam Chriſti ſuavitatem animo adhorrebat. Nec mutabatur animus; cùm funereum ex anima intus mortua extra ejus corpus Chriſti tangeret ſanctum corpus. Advertant, qui Chriſti corpus ſacramentaliter tangunt, & qui ſacramentis in corpore delibuntur, quoniam ſi fidei, & amoria deſit integritas, cum Juda ſortientur ſimilem portionem. Non nempe ex tactu ſacrorum corporeo

Matth. 26. quiſpiam ſanctificatur, niſi mentia manus

Lucæ 22. palpans accedat. *Inquit ad eum Salvator* qui pro ſalute hominis laborare non deſinit, adhuc Judam ad pœnitentiam vocans, & ad deteſtationem ſuæ impiiſſimæ actionis: *Amice ad quid veniſti?* Ex priſtina converſationem Salvator Judam appellavit amicum, necnon ex eo, quòd ipſe amicus eſſe non deſinit, ſi eum nemo faſtidit, aut ſi revertitur, qui receſſit. *Juda, oſculo filium hominis tradis.* Corripit dulciter proditorem & introrſum remittit, ut ſcelus, & modum, quo perficit ipſe conſideret: nam ſæpe modus, ut facinus eſt in cauſa. Oſculum amo-

Prov. 19. ris eſt ſignum. Nam qui oſculatur, videtur amare, quem palpat, erit autem proditor, ſi non amat, & falſum ſignum in deſignatione ſignati. Falſus teſtis non erit impunitus. Magnum amoris eſt teſtimonium, cùm adinvicem duorum ora premuntur. Falſitas autē omnis ſecluditur à regno Dei, & ad regna diaboli ſemper ſpectat, cum priore authore falſitatis poſterior author in æternum, niſi reſipiſcat arſurus. Oſculum reconciliatorum eſt indicium, qui hactenus ad invicem diſcordabant, nunc verò, eum illo diſcordia irrogatur, & ſanguis funditur vinculo pacis. Irrogatur mors oſculo vitæ, inſtrumentum virtutis impietatis arma imitatur. Sed eo ſceleratior omnis malorum author, quo agendi modus nefandior, ſed nullus, quam ille, qui fit ſub velamento virtutis. Suſcipit oſculum Chriſtus, & diſcipulum increpat, cujus actibus non conſentit, ſed ſponte vult pati, quod ſe paſſurum ab æterno prævidit. Attendamus patientiæ documenta, cujus velamina exvelantur in Chriſto, qui nec animo motus ſuſtinet proditorem, ut quem habuit ante diſcipulum, nuc traditorem patiatur, & ei tanta humilitate ſe donat, ut oris oſculum corporiſque amplexum ſuſtineat. Ecce veritas, & falſitas, bonitas & iniquitas, humilitas & ſuperbia, patientia & ira, charitas & invidia, liberalitas & avaritia in actibus, non in animis convenerunt. Chriſtus omnium origo bonorum in ſuis virtutibus & moribus ſemper idem. Damnatus homo ſibi falſo propinquat, ipſe agit, patitur virtuoſus, attrita frons & inſrunita temeritas eſt, ut arra fidei & amoris innocentem detrudat in mortem. Sed contemplemur attentiua, quomodo virtutes ſibi objecta hoſtilia patiuntur. Proprium nempe noſcitur eſſe virtutum conferre im̄otum animæ ſenſum. Ad hæc Salvator ſequaces ſuos invitat, ut virtutibus fulti ſint in omnibus ſemper idem. Nam virtus quærit ex animo Invariabilem poſſeſſorem. Cùm verò Judas

cum ſigno lætifero ori Chriſti oſculum im- Joan. 18.

preſſiſſet, receſſit cum cæteris. *Illis verò ſtantibus* velut attonitis à quadam virtute divina percuſſis *Chriſtus procedens ad eos dixit: Quem quæritis? At illi dixerunt Jeſum Nazarenum. Dixit ergo eis Jeſus: Ergo ſum. Ut ergo dixit eis*, ego *ſum, abierunt retrorſum & ceciderunt in terram* Utrum verò Judas ſignum dederat ante hanc Domini vocem miniſtrorumque caſum, differere non eſt opus, ad utrumque ſe offert indiſtinctè ſenſus hiſtoricus. Proceſſit ad eos Jeſus cum pavore depoſito, cùm in oratione non accepiſſet pro ſenſu quæſitum. Sed conſummata charitaa foras emittit timorem. Hoc proceſſu ſuo Chriſtus uſquequo verificat, qui ad ſuos ſicarios mente ſecura proceſſit, & voce impavida loquitur, quem quæritis, ut ſe ultro inimicis offerat pro horrenda morte quæſitum. Magna charitas, quæ mortis excludit

horrorem. Miranda ſecuritas, qua inimicis 1. Joan. 4.

ſponte ſe donat. Ad hæc caput noſtrum animavit & membra. Sciebat enim ipſe impaſſibilitatem poſt paſſionem igitur vitam poſt mortem, gloriam poſt ſepulchrum indubitanter futuram. Ac per hoc conſiderent omnes, qui volunt fieri Chriſtiformes, & ſecuritatem aſſumant, propellant charitate timorem, & non ſit horrori aſſumpta voluntariè vilitas hujus ſæculi, de qua gloria cœleſtis exoritur. Nec ultronea paupertas ingerat pro rerum defectu faſtidium, cujus campi divitias fructificant in ſupernis. Caſtitas etiam uſtulata tentatione non vertatur in tædium, cujus arbor in gemmas, gem̄æ in flores, florea in fructua erumpunt civium ſupernorum. Paſſio nulla deterreat, ad quam impaſſibilitas vera & æterna ſuccedit. Fruſtra pœna conturbat, de qua delectatio naſcitur. Nec tyrañorum gladios paveant, quibus conſecramur ad Chriſtum. Mortia terrore non angitur, qui de morte vitam cognovit prodire ſupernam, omne aſperum non conturbet, ſi cruciat, aut adimit tenerum ſenſum, cùm ex cauſa juſta ſuppoſita in-

nfinita ſequatur amœnitas. Præſtruit nos
in omnibus noſter Dominus Chriſtus, cùm
ſe ſponte ad pericula obtulit inquiſitus. Hæc
pro auditoribus dixerim Chriſtianicè, aut
Criſtiformibus Chriſtianis. Pro pavidis ve-
rò & minus perfectionis habentibus con-
ſulo fugam, devitare pericula, ne fortè fra-
cti pœnarum & mortis terrore deficerent.
Et melior talibus fuga humilis, quàm hu-
mano faſtu perſiſtere. Necnon & negatio
humilis, quam ſuperba confeſſio. Ubi ve-
rò nullum argumentum evaſionis affuerit,
captus inter tormenta perſiſtat invictus, &
verus confeſſor inter objecta doloroſa. In-
tentatam mortem omnino reputet vitam.
Magna etiam nobis altiſſimæ ſpei argumen-
ta donantur, cùm Chiſtus pro nobis mo-
riturus ſponte ſe obtulit inimicis, nec quæ
cognita devitavit opprobria. Quid ergo fa-
ciet amicis, ut cum ipſo vivant, eum in ve-
ritate quærentibus, qui inimicis ad mor-
tem ſe prodidit inquiſitus? Quid eis, qui
eum ad laudem & gloriam quærunt ſuam,
quonian eis ſe ligandum protulit, qui ad
contumelias ad opprobria quæſierunt?
Quid veris amicis, qui proditori amico ſe
ad oſculum dedit? Quid in bonitate quæ-
rentibus, qui malè quærentium noluit effu-
gere manus? Dicit ergo Jeſus *Quem quæ-
ritis? Illis dicentibus; Jeſum Nazarenum,
adiecit: Ego ſum,* Qua reſponſione audita
ceciderunt retrorſum, plus nempe fuit in
virtute, quàm in ſono vocis. Dedit voci
ejus pater vocem virtutis, ut doceat igna-
ros, mortuos ſuſcitet, infirmitates mor-
bóſque depellat, fuget dæmones, & ini-
micos malè auſos deterreat. Quid judicia-
ria faciet pro diſcretione meritorum, quan-
do ſic terruit cohortem improbam, cùm
eſſet adhuc in numero mortuorum? Non
poteſt humanitas ſuſtinere divina, niſi ſu-
pra naturam potentiam à creatore accepe-
rit. Et terretur iniquus ad vocem juſti,
horrori ſibi eſt, dejicit ſe retrorſum. Hæc
eſt ſæpe hominum nefanda perverſitas,
ut unde vocari debuerint, revocantur, &
avertuntur, unde converti debuerunt.
Ad hanc inſinuationem & ſuæ innocentiæ
vocem debuerunt ad Chriſtum ſola pieta-
te atque virtute converti, ad quam retro
miſerabiliter corruerunt. Quadrupliciter
caſum fieri ſæpe cognovimus, aut antror-
ſum, aut retrorſum, aut dextrorſum, aut
ſiniſtrorſum, quorumlibet fit deorſum.
Sed eum duntaxat, qui ad præſens ſe no-
biſcum obtinet, proſequamur. Cecide-
runt retrorſum, non velut ad lapidem ad
offenſionem antepoſitum impingentes, ſed
velut reverberati à luce majori, & à ve-
hementiori potentia, cum laternis, faci-
bus, gladiis & variis armis præfulti, qui-
bus innitebantur miſerabiliter, quo non
viderant retrogradi, non tamen averſa fa-
cie corruerunt: nam facies eorum quam-
vis cum quodam intolerabili modo è re-
gione ſtabat ad Chriſtum. Sed retro ca-
dentes ſupinatim ad cœlum, ut ſaltem co-
gnoſcant virtutem deſuper eſſe terrentem,
& de cœlo deſcendiſſe, quem venerant li-
gaturi. Supinantur ad cœlum, cujus autho-
rem in terra deſpiciunt, pro eo, quòd non
cognoſcunt, quia mundus eum non co-
gnovit. Sed ut cognoſcerent divina po-
tentia ſupinantur, nam legimus iniquitatis
& falſitatis authores noluiſſe aſpicere cœ-
lum, ne Dei recordarentur, & manda-
torum ejus, aut donorum deſuper deſcen-
dentium, ut corde compuncti à malis con-
ceptibus reſilirent. Sed iſti ad vocem Do-
mini corruentes in terram reſervantur ad
cœlum, ut proſternentem eos per vocem
cognoſcant eſſe divinum. Cadunt retror-
ſum, quo proſternuntur penitus, non vi-
dentes, quia vel ignorant, quod faciunt,
aut quantùm ſit mali nullo modo perpen-
dunt, aut damnationem meritam non a-
ſpiciunt. Retro actus caſus eos inſinuat,
qui ab eo, quod acceperunt per fidei co-
gnitionem ex mandato Domini, & actio-
nem juſtorum operum reſipiſcunt. De
quibus Petrus in Canonica ſua dicit: Me- 2. Petri 2.
lius enim erat illis non cognoſcere viam
juſtitiæ, quàm poſt cognitionem retror-
ſum converti ab eo, quod illis traditum
eſt ſancto mandato. Quotquot enim à
juſtis incœptis deficiunt, neſcii retro ca-
dunt. Caſus omnino noſcitur eſſe, à bo-
nis deficere, vel averſari. Retroacto ca-
ſu de ſella Heli multatus letaliter fuit,
quoniam ſuos filios non corripuit delin-
quentes, qui fractis cervicibus expiravit,
ut inflicta pœna præactum malum demo-
ſtret. Retrocadendo expirare meruerat,
qui poſtpoſuerat divina mandata, & ju-
ſtitiæ ordinem amoribus filiorum, ut inde
pœna proveniat, quod fuit contempta ju-
ſtitia. Inimici etiam Domini ſemper ut iſti
convertuntur retrorſum. De quibus Pſal- Pſalmo 55.
miſta dicit: Et convertentur inimici mei re-
trorſum. Inimicus eſt Domini omnis, qui
amicus non eſt verbis juſtitiæ atque virtutis.
Inimici Domini ſunt omnes amici mundi,
qui ſe ad vitam aliam virtutibus & mori-
bus non reformant. Inquit enim Jacobus: Jacobi. 4.
Qui voluerit eſſe amicus hujus ſæculi, ini-
micus Dei conſtituetur. Ingratitudo quos
poſſidet fecit abire delinquendo, malè cre-
dendo, atque peccando retrorſum. Iſaias Iſaiæ 1.
enim dicit: Filios enutrivi, & exaltavi.
Et ſequitur: Et ipſi alienati ſunt retorſum.
Adeo ſe alienant cadendo retroſùm, qui
fide nutant, nec illam moribus firmant,
qui aliud quàm Deum, aut plus, quàm
DEum, aut æquè cum DEO in amore
animi colunt. Et qui Domino dicunt, expe-
cta, expecta, cùm vocat, Iſaia decente: Iſaiæ 28.

Ca-

Cadent retrorſum, & capientur, & laqueis inſolubilibus ligabuntur. Sapientes mundi, qui nec ad ſapientiam Chriſtiferam trans ierunt, convertuntur à DEO retrorſum.
Iſaiæ 44. Iſaias enim inquit: Ego ſum DEUS convertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens. Mundi ſapientes convertuntur à DEO retrorſum, cùm ſemper ex ſcientia humano habita faſtu in peccata labuntur, nec in anteriora proficiunt, & in illa pœnalia cadunt, quæ velut retropoſita perſpicacibus oculis non viderunt. Si verò iſti, qui malè miſſi fuerant, ut caperent Salvatorem, ad eum mutato credulitatis animo acceſſiſſent, ſtetiſſent utique recti, nec cecidiſſent in retropoſitam terram. Habebant enim, ante faciem, per quem ſtetiſſe potuiſſent, quo debitè non aſpecto retrofactus eſt caſus. Prærogantur omnibus exempla cavendi, quoniam, qui non accedit per viam juſtitiæ ad interpoſitam vitam, cadet omnino in retropoſitam mortem. Perdiderunt audaciam, ſed non ſævitiam crudelis legationis authores, nec reſumere potuiſſent, niſi vox, quæ abſtulit, reddidiſſet. Proinde *iterum interrogavit eos, dicens: Quem quæritis?* Omnino ſe offerens ad injuſtam capturam. *Qui ſimiliter reſponderunt, dicentes: JEſum Nazarenum.* Eodem, ſcilicet crudeli animo, quo ante quærebant. Non erat mutata ſævitia, quanquam repreſſa fuiſſet audacia, nec mala voluntas, quamvis retunſa facultas, quia obſtinatæ hominum mentes non avertuntur à malis, converſæ ad ornatum virtutis, quamvis interdum reprimantur eorum peſſimæ facul-
Joan. 18. tates. *Dicit ergo eis JEſus: Si ergo me quæritis, ſinite hos abire.* Non enim decebat quempiam apoſtolorum ſocium fieri paſſionis, ne ſequeretur damnabilis error, ut alterius, quàm unius ſanguis crederetur in pretium. Vide tamen virtutis magnæ conſtantiam, vide inter preſſuras invictam hominis animam, ut pia memoria, tribulationum oblita ſuarum, de proximis curam gerat, cùm dicit: Sinite hos abire. Altiſſimæ virtutis eſt ſignum, cùm inter preſſuras non obruitur ſenſus interior, ut etiam exterius prodat officia pietatis. Profectò ſeptus chorea virtutum, nihil in utriusque actibus habet ademptum. Sed diſcipulis quodammodo dimiſſis intactis, duntaxat excepto, qui ſindonem, qua ſolùm tegeba-
Marci 14. tur, reliquit, qui tactus profugit nudus, in Chriſtum triſtes, & ſtolidas *manus*,
Math. 26. Marci 14. irrationabili audacia, *injecerunt, & ligaverunt eum*; qui venerat ſolvere compeditos. Fuerat enim ab æterno præviſum, ut ex injuſtis vinculis, juſta vincula ſolverentur, quam præviſionem non diſcutiendo laudemus, noſtris nempe profectibus ipſa ſervivit. Ligatur Dominus, & Salvator omnium à manibus ſceleratis funibus peccatorum noſtrorum, longè ante de ipſo dicente Propheta: Fu- Pſal. 118.
nes peccatorum circumplexi ſunt me. Et Petrus in canonica ſua dixit: Dominus Thren. 4.
captus eſt in peccatis noſtris. Ea quippe die, qua genus illuxit humanum, nere cœperunt miſeri protoplaſti funiculos, quibus in carne mundi conditor ligaretur; & ipſi genimina pro horum materia primitus produxerunt. Et ex eis damnata propago hujusmodi herbam, quæ neri ſive contorqueri poſſet ad vincula, velut campus reprobus continuò germinavit, nec germinare deſiſtit, ut inter peccata præcedentium atque ſequentium hominum, velut in quodam funis medio Chriſtus Dominus vincularetur. Nam pro præcedentibus atque ſequentibus culpis Chriſtus venit in laqueum, & captus eſt in pedica ſive decipula peccatorum, quæ ab exordio humani generis erat poſita ſuper terram, ſuis tamen oculis non abſcondita. Novit enim ut aliquis ab æterno, ab inſtanti conceptionis ut homo, vincula paſſionis, & cauſam. Nec fuit neſciè irreticus. Longa ſunt iſta vincula, quæ in primis parentibus incœperunt per millia vela labentium annorum, quibus ſemper additur à naſcentibus cæteris, quamvis ipſe ſit abſolutus à vinculis. Vincula Joſeph, atque Samſonis, vincula Jeremiæ, Ezechielis, etiam Chriſti vincula figuraverunt. Sed dum impia miniſteria hujusmodi agerentur, *dixerunt* Lucæ 22.
diſcipuli ad JEſum: Domine, ſi percutimus in gladio? Qui reſpondit: ſinite usque adhuc. Quaſi dicat: Intermittite vos prohibere lædentes quousque patiar, quoniam ad alios, & in tempus aliud ſervatur judicium ultionis. Nunc tempus eſt patiendi, tamen ſub occulta vindicta, quia cæci ſunt, manifeſtè verò ulciſcendi tempus advenit. Sed nec expectato reſponſo Domini Salvatoris, *Petrus exemit gladi-* Math. 26.
um, & ſervum percuſſit pontificis, abſci- Marci 14.
dit auriculam ejus dextram. Erat autem Lucæ 22.
nomen ſervo Malchus. Tunc ait JESUS Joan. 18.
Petro: Mitte gladium tuum in vaginam, aut converte gladium in locum ſuum. Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt. Calicem quem dedit mihi pater, non vis, ut bibam illum? An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & ipſe exhibebit mihi modo plus quàm duodecim legiones ange-

angelorum ? Quomodo implebuntur ſcripturæ prophetarum, quia oportet ſic fieri ? Petunt ſcientiam ſive licentiam diſcipuli, ſi Dominum, & ſeipſos tuentur gladio, aut ſi fero impetunt inimicos. Sed interrogatur incaſſum, ſi ante reſponſum exitur in opus. Fruſtra Petrus interrogat, dum ante Chriſti reſponſum ipſe percuſſerit. Subitæ hominum actiones non expetant judicia legitimè decernentis. Non dediſſet profectò licentiam malè agendi, aut taliter ſe tuendi, qui malè actum verbis increpavit in Petro, & facto auriculam ſanavit in ſervo. Levitate uſus eſt Petrus, qui ante reſponſum Domini vulneravit. Levitas vitium eſt non benè conſtitutæ mentis, qui nunc in bona, nunc in mala quodam improviſo impetu ſæpe raptatur, quæ nec ſui compos, nec judicium ſuperioris expectat. Sed fortè Petrus calcaribus timoris ad ſe, aut amoris ad Dominum urgebatur, quibus impulſus, dignum reprehenſione patravit. Non enim Salvator niſi malè digna reprehendit. Nec ſemper timoris aculeus, aut amoris vehementia excuſat à toto, vel à tanto. Proinde in omni re cautum oportet fieri pro Chriſto certantem, ne malè hic calcaribus urgeatur. Sed ex ipſorum interrogatione, ac ex Domini reprehenſione luce clarius patet, quid in talibus articulis ſit agendum. Interrogant diſcipuli, ſi percutiunt gladio, ut nullus percutiat in vindictam aut vim, removendo illam, niſi Chriſtus conceſſerit, cujus nutus lex Evangelica patefacit. Qui ſe tueri vel alium nititur, inculpatè omnino tueatur. Sed tutela quidem permittitur, non jubetur. Vindicare autem omnibus prohibetur, dicente Scriptura : Mihi vindictam, & ego retribuam. Nec quiſpiam à quoque eſt ſpirituali gladio feriendus, niſi quantùm juſtitia indubitata permiſerit. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Nullus authoritate ſua gladium juſtitiæ ſumat. Quotquot acceperunt, gladio divinæ juſtitiæ perierunt. A quo Nemroth accepit gladium ? A nullo præterquam à ſeipſo, & damnatus eſt. A quo Pharao ? & damnatus. A quo Ninus, qui condidit Ninivem ? A quo Nabuchodonoſor ? A quo reges Perſarum, atque Romanorum ante Chriſti ſuſceptam fidem ? Qui, etſi eis populi conſenſerunt, æterna damnatione à Deo proſcripti ſunt, nam non eſt gladius juſtitiæ ſumendus, niſi à Deo, qui eum nemini, niſi cum lege ſua irreprehenſibili & vera conceſſit. Non enim, niſi ſecundùm legem, & per legem eſt gladius juſtitiæ producendus, multò minus ſica vel ultor. Qui verò acceperint, æterno gladio ſubjacebunt. Atrocior verò gladius, nempè confodiet, qui malè utuntur gladio ſpirituali. Sed non ſolùm cum gladio feriendo injuſtè culpa committitur, ſed in accipiendo. Quod vigilanti verbo ſcriptura uſa eſt dicens : non omnes, qui ferient gladio, gladio peribunt, ſed qui acceperint, ut omnio ſit interdicta omnis uſurpata poteſtas, & à Chriſto condemnetur omnis arrogata juſtitia. Sanciunt immutabiliter divina decreta, quod à ſuperioribus inferiora dependeant. Nemo igitur ſibi à ſe accipiat vindicariam, aut judiciariam poteſtatem, ſi ad majorem ſpectat collatio. Convertere gladium in locum ſuum à Salvatore Petrus jubetur. Locus cujuslibet rei eſt, quem ſibi ordo infallibilis ordinavit, in quo immota permaneat, quouſque per eundem mutetur aliter decernentem. Nam multa ſub invariabili ordine variantur, prout neceſſitas ſuccedit, aut ordo cauſarum. Stent omnia ſuis locis viſibili, aut inviſibili modo, & ſi qua moventur præter imperium omnia decernenns, ipſo jubente ad loca priſtina, viſibilia ſive inviſibilia revertantur. Nempe umnia male fiunt, ſi certus prætermittitur ordo. Trifarius enim eſt, naturæ, legis & gratiæ. Locus gladii eſt vagina. Non hominis caro locus gladii eſt, non corpus hominis, ſed omne per quod incidendo educitur ad uſum hominis, cum judicio rationis. Si autem hominis corpus pro tempore locus efficitur gladii, aut erit in corpore aliquid exortum impertinens reſecandum, atque curandum peritia medici, aut erit in corpore culpa commiſſa, in eodem multanda conſilio judicis juſti. Quod ergo eſt medici, agricultor omittat, quod verò eſt judicis, piſcator non faciat. Proinde juſtè dicitur Petro, & omnibus ſpectantibus ad ſimilem actionem : Converte gladium in locum ſuum. Omnes enim qui gladium acceperint, gladio peribunt. Nam eo malo, quod fecerit, transverberabitur omnis homo, & ad culpam juſta multatio annectetur. Sed in eo, quod dextra præciditur auricula, magnum nobis præſtruitùr Sacramentum. Nec credimus hoc factum providentia Petri, ut ſolùm ad illud membrum abſcindendum gladium aptaſſet. Non enim, qui percutit conturbatus, curat quemadmodum Janter, ſed prout ferientis adeſt habilitas, & ſubeſt diſpoſitio patientis. Veruntamen divinâ providentiâ nequaquam caſu creditur

Roman. 12.

Matth. 26.

Geneſ. 10.

Matth. 26.

ditur factum, cùm abſciſio dextræ auriculæ ſervilis, abſciſionem prænunciaverit rectæ obedientiæ Judaicæ ſervitutis. Ad auriculam refertur obedientia, ſicut Pſalmus ait: Pſal. 17. In auditu auris obedivit mihi. Sed ad dextram obedientia pro cœleſtibus recta, quam omnino perdidit ſervilis conditio Judæorum. Omnis, qui perdit rectam obedientiam, quæ ſolùm pro cœleſtibus à creatore poſita noſcitur, auriculam dextram utriusque videlicet actionis perdidiſſe convincitur, ſolùm reſtituendam per Chriſtum. Ipſius tantùm eſt omnia reintegrare deperdita. Nam Chriſtus jam circumdatus mala cohorte, perfectus in omnibus, inimicis reſtituebat bona pro malis, cum ſervo auriculam abſciſam reddidit. Servus erat pontificis, non pontificii. Multi enim ſerviunt in dignitatibus conſtituti intuitu commodi, non officii, perſonam, non dignitatem colentes, qui meritò pravæ ſervitutis ſpiritualia bona perdunt, & ſperant fruſtra ſuperna. Quòd verò Chriſtus, cùm ligaretur, ſanavit auriculam, atque pontificis ſervo reſtituit, dum ad tolerandas pœnas & opprobria cogeretur, virtus proceſſura ex Chriſto, aut ex martyribus, ex tormentis oſtenditur. Et nihil adeo noſtram intelligentiam aperit, Chriſtum DEI Filium eſſe oſtendit, fidem Chriſtianam exemplo confirmat, nec aptitudines ad agenda diſpoſuit, nec præter Chriſtum Deum commovere debuit hominum mentes ad credenda, quæ incredibilia videbantur, quàm martyrum paſſiones, cruces, & tormenta, ſanguis effuſus, & varia crudelitas moriendi. Si caput noſtrum inſpicimus, dum infirmatur, dum patitur, dum ligatur, dum moritur, reſtituit ſanitatem, & intelligentiam reparat ad credenda, & ſperanda ſuperna. Vinculatur Chriſtus, & aurem reparabat ſervo, ut reparatio humani generis malè ſervi, ex CHRISTI paſſionibus tota proveniat. Reſtituitur auris dextra: intelligentia vera, obedientia recta ex Chriſti cruciatibus oritur. Nulla intelligentia verior atque ſublimior, quàm credere Dei Filium incarnari, quod quoddam nihil fuit, dum ipſe ſe in utero virginali colligeret. Quid hac intelligentia ſublimius, atque rectius quàm ipſum pro humano genere credere velle pati? Præoſtendit etiam ex hoc, quantùm dilexerit, quo auris obedientiæ in amore rependendo incaleſcat. Ipſe patiendo patientiæ modum dedit, & formam, & ad interrogata regulam reſpondendi conſtituit. Ipſe in cruce moriens latroni aurem cordis aperuit, quem ei confitentem ſibi continuò aſcivit, dicens: Hodie mecum eris in Lucæ 23. paradiſo. Hæc omnia quid ex Chriſti paſſionibus venerit, oſtendunt. Colligatè imo conjunctè cum Chriſto & pro Chriſto capite, martyrum variæ paſſiones intromittunt in animam credendi ſecuritatem, roborant fidem, Chriſtum eſſe veraciter Dei Filium, qui ad talia toleranda eos potuit animare, incunctanter mentibus offerunt. Terrena pro Chriſto deſpicere, ſuperna ſperare, mundo mori, Chriſto vivere, velut carbones vivi extinctis conjuncti, mentes hominum accedunt. Aperitur profectò, & perdita reſtituitur auris intelligentiæ, atque ad obediendum fit ipſa proclivior, ſi ſedulò inſpiciuntur martyrum paſſiones. Quòd vero adjecit Salvator: Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum, aliam conſiderandi materiam exorditur. Dedit Pater Filio calicem amariſſimæ paſſionis, quem usque ad fundum exhauſit pro eo, quòd Pater dedit, cujus voluntati nihil ſtatuit præferendum. Oraverat jam in horto, ut tolleretur calix amarus, ſcilicet acerbitas paſſionis & mortis, & inexauditus abceſſit, decreto manente paterno, ut ipſe biberet calicem paſſionis. Inquit ergo Petro. Pater dedit calicem mihi, non alii reddunt. Quis removebit, quod Pater decrevit æternus? Quis bibet, quem ego bibiturus ſum? Quod mihi ſoli, nemini eſt conceſſum. Mihi, non alii calix redemptionis offertur. Non vis tu homo, quod vult DEUS? Non vis tu creatura, quod vult creator? Non tu ſervus, quod vult Dominus? Si non bibo, quis bibet? Si non patior, quis alius pro humano genere patietur? Quare non vis, ut bibam illum? Si non bibo, ſiti æterna omnes afficientur. Amara eſt potio, ſed ſitim tollet malis caloribus æſtuatis. Membra coaptentur ad caput. Non renuant calicem porrectum à Patre, & omnem increpent bibere prohibentem. Quia ad divina impoſita impedimenta ſuadet, & præſtat, ſimilis eſt diabolo, etiam ſi prætendat in verbis, aut in moribus pietatem, nec eſt tolerandus, velut qui hominem avertit à vita. Nam qui obedientiæ divinæ cuique ſeſe obicem facit, ipſum à vita divertit. Eſt enim in divina obedientia tota vita. Increpandus eſt, ſi ſubeſt, ſi æqualis, penitùs non ferendus, ſi verò excedit, nulla ratione timendus quispiam quocunque intuitu à divinis juſſionibus te avertens. Nam ubi divina agnoſcitur facienda voluntas, prohibeatur prohibens, & dulci animo quodlibet bibatur amarum. Omne pœnale cruciatùs æquanimitate animi toleretur.

2. Reg. 16. Legimus David regem egreſſum velut expulſum de Jeruſalem, fugientem à facie filii ſui Abſolonis, cui turpibus verbis maledicebat & exprobrabat Semei de cognatione Saul. Quem, cùm audiſſet, & vidiſſet Abiſai filius Saruiæ, commilito probus David, ad amputandum maledicentis caput animo & corpore ſe parabat, indignum omnino arbitrans, atque deteſtans regem ſuum ſic exprobrabiliter ab indignori homine maledici. Ad quem rex ſuper ſeipſum tribulandum divinam prævidens voluntatem, dixit: Quid mihi, & vobis filii Saruiæ? Dimitte eum, ut maledicat. Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David. Et quis eſt, ut audeat dicere, quare ſic fecerit? Dimitte eum, ut maledicat, juxta præceptum Domini. Juxta quorum verborum ſententiam Salvator increpat Petrum, monefaciens, ut in vaginam gladium reconvertat. Et allegabat rationem inſolubilem, non præteribilis juſſionis, dicens: Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum? Omnem removet cunctationem, fuggillat rationes adverſas, omnium claudit ora loquentium. Protinus omnem condemnat amorem, nullum ſuſtinet contradicentem, nullis ſenſualitatis acquieſcitur blandimentis, cùm ſupra dorſum ponit onera juſtus pater, & amicus ſecus conſulens aut agens habeatur Matth. 16. titulo inimici. Et pluribus ante diebus Petrus à Chriſto eſt appellatus Satan, qui ipſi Chriſto ſuadebat, ut nullatenus pateretur. Qui ſibi, & in aliis non vult, quod DEUS vult, nec ipſe à DEO ſua vota ſuſcipiet. Subinfert CHRISTUS, quoniam conformitate paternæ voluntatis, & ſuæ libens patitur, cúm dicit: Matth. 26. An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & ipſe exhibebit mihi modo plus quàm duodecim legiones angelorum? Sed jam oravit in horto, & nec exauditus eſt, quomodo ergo nunc dicit, & exhibebit mihi, &c. Tunc pro ſenſualitate interpellavit ad patrem, quam ſtatim ſubdidit rationi, rationem verò paternæ ſuperpoſuit voluntati, nunc verò dicit, ſi certandum eſſet, ſi renitendum, ſi hoc non decreviſſet paterna voluntas, ſi protinus ipſa calicem non dediſſet, nec ex hoc auxilio indigeo terrenorum hominum, qui habere poſſum exercitus angelorum, nec duodecim Apoſtolorum quæro auxilium, qui habere poſſum duodecim legionum. Sed expedit his paſſionibus corporaliter ſubjacere, non reniti, aut armis ſenſibilibus ſe tueri. Qui verò venerat ſine armis ſæculum expugnare, orbem transformare terrarum, cum dæmonibus habere congreſſum, & inviſibilem ei dare conflictum, nec armis ſe tueri decebat, & quod erat in paſſione voluntarium longè antè prævisum, armis aceri penitus non debebat. Prædocuit omnes ſequaces Chriſtus, ipſum perfectè ſequentes, ut mundi auxilia non quæramus, nec vitare velimus, quæ ab improbis irrogantur, dum nobiſcum providentia divina utiliter agitur, dum tribulati ad meliora provehimur, ſi adeſt in animo tolerantiæ fortitudo. Sed quamvis liceat, humanæ puſillanimitatis & imperfectionis exiſtit. Poteſt enim providentia utiliori humanum auxilium quæri, prout Paulus in Actibus fecit, venturus Romam ad utilitatem eccleſiæ ſe præſervans. Actor. 20. Nam inæſtimabilibus pretiis Deus quærit noſtras emere paſſiones, & tolerata pro Chriſto germinat ad ſuperna. Hoc autem quod ſecutus adjunxit, quomodo ergo implebuntur ſcripturæ prophetarum, quia ſic oportet fieri, non ad neceſſitatem intorquendum eſt, quaſi Chriſtus neceſſariò pateretur, aut prophetiæ propheticè ad patiendum Chriſtum ſibi legem neceſſitatis imponerent. Ac per hoc Chriſtus non ideo ſic paſſus eſt, quia ſic præfiguratum aut prophetatum eſt, ſed ſicut pati ab æterno diſpoſuit, ſic prophetari ad tempus decernit, ut pótius paſſio cauſa fuerit prophetiæ, quàm prophetica ſcriptura cauſa fuerit paſſionis. Nam juris divini ordo poſcebat, ut tanti regis myſteria in mundo futura, per Prophetas idoneos multis ante actis temporibus inclareſcerent. Ideo igitur implendæ dicebantur ſcripturæ prophetarum, pro eo, quòd ea, quæ ab æterno infallibiliter, & neceſſariò fuerant ordinata, quia ſic Deus volebat, mundo ventura ſcripturæ ipſæ prædixerant. Quod futurum erat in Chriſto ſecundùm rei veritatem, per Spiritum Sanctum prophetis innotuit. Et veritatem rei præceſſit veritas prophetiæ implenda per paſſionem Domini JEſu Chriſti. Proinde ſi non patiar, fruſtrabitur ab æterno in veritate proviſum, necnon & ſcripturæ, quæ ab æterno proviſum prædixerunt in tempore dilabente, futurum in plenitudine temporis ſubſequente ſimiliter fruſtrabuntur. Magna eſt ſcripturarum propheticarum authoritas, in eis profunda & velut imperſcrutabilis veritas latet, & paucis nota priusquam ſequatur effectus. Et ad veritatem capitis totius corporis ſubſequitur veritas. Nam omnia impleta ſunt

ſunt in capite, quæ ipſum in carne, in terrisque geſturum longè ante prophetæ cecinerunt, ut nullo pacto trahatur in dubium, quòd etiam illa modica, quæ complenda reſtant, in corpore ſuo myſtico complebuntur, tam in his, qui prædeſtinati ſunt ad hæreditatem æternam, quàm etiam in his, qui præſciti ſunt ad interminabilem pœnam, vocabulo fidei, & participatione Sacramentorum hic viventes, de Chriſti corpore videantur. Adimpletio ſcripturarum de Chriſto profectò in Chriſto, & in ſuo corpore arguit eſſe complendas, & complementum unius arguit etiam alterius, ut ordinata ſucceſſione infallibili temporum ſcripturæ impleantur in partibus, ut totius eccleſiæ peracto myſterio, in corpore toto ſcripturæ impletæ noſcantur. Qunmodo implebuntur ſcripturæ prophetarum? Non aliter, quàm juxta hujuscemodi opprobrium. Quoniam ſic oportet impleri, prout fuit ante proviſum. Sic verò proviſum, prout erat omnino futurum. Difficile usquequaque cognoſcitur in omnibus ſcripturis cudere velle mores. Quodam intraneo intellectu colligitur, ne aliter velimus fieri pro nobis, aut in nobis, nec tentemus aliter agere, niſi prout divina imperia tacita vel expreſſa, dicta vel ſcripta, edicto immutabili ſtatuerunt. Hæc ſiquidem verba intellecta pro moribus, ſcripruris theologicis nos coaptant. Et ut verum fatear, & coaptant, ne velimus aliter vivere, quàm ipſæ dicant, quoniam illa pro agenda vita dixerunt, ſine quibus hominibus nulla ſalus. Oportèt autem omnino fieri, quæ dirigunt in ſalutem. Nec oportet impleri ſcripturas pro moribus editas, ut ipſarum honor & veritas amplius inclareſcat, ſemper enim ante actionem, & poſt actionem eorum, quæ conſuiunt, ſive jubent, eodem modo ſe habent dignitas & veritas ſcripturarum. Sed pro nobis oportet fieri, aliàs damnaremur non implendo mandata, ut voventes non reddendo conſulta. Si CHRISTUS ab omni neceſſitate liber, opportunè pro nobis voluit, quòd in ipſo ſcripturæ protinus implerentur, qui leges & ſcripturas ſacras ſolvere non venit, ſed adimplere, quantò magis nos juſtis moribus debemns illas implere, quos mortis interitus, peccatorum mucro dilaniat. Et aſtutus diabolus quærit, quem devoret, qui & ſi omnem infidelitatem abſorbuerit, nec ejus lethalis ſitis extinguitur. Sperat enim ad ſuum horrendum & profundiſſimum os etiam trahere Chriſtianos, juxta ſubtilem intelligentiam illius ſcripturæ dicentis: Abſorbebit fluvium, & non mirabitur. (Job. 40.) Habet enim fiduciam, quòd Jordanis influat in os ejus. Omnis infidelitas nomine fluvii, nomine Jordanis intelliguntur baptiſmate tincti. Etenim in Jordane baptizatus eſt Chriſtus, in quo initiavit cœleſtia Sacramenta, quibus etiam clauſum eſt empyreum regnum, niſi ſcripturarum juſtis impletionibus reſeretur. Premit nos miſeranda & alta opportunitas, ut ſanctas ſcripturas, quæ moribus dirigunt in ſalutem, moribus impleamus. Clavis ſanctorum delata ſenſibus ſolùm, cœlum ſupernum non aperit, niſi Sacra Scriptura pro ſuo gradu ſuſcepta, repagulum poſitum moveat. Nam Scripturæ Sacræ, quæ ordinant, & enunciant opportunos hominum mores, moribus peraguntur, atque complentur. Et quæ myſteria, myſteriis, & quæ ſuperna, ſupenis. Proinde quia implendæ ſunt ſcripturæ in capite atque membris, prout enunciant, ſic oportet fieri. Hanc eandem opportunitatem, cùm reſurrexit à mortuis, incluſis diſcipulis patefecit, ut omnino neceſſitas, cui caput Chriſtus ſe ſubdidit, membra vera concludat, & ipſa opportunitas tranſeat in virtutem. *Dixit autem JESUS ad eos, qui venerant ad ſe principes ſacerdotum, & magiſtratus templi, & ſeniores: Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me. Quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis. Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Hoc autem totum factum eſt, ut adimplerentur ſcripturæ prophetarum.* (Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.) Captionis Chriſti modus & tempus ipſius injuriam plus depromunt, cùm velut latro, & nocturno tempore capitur, qui nil ab homine per violentiam exigit, nec præter virtutes aliquid quærit. Et dies in die palàm fiebat, ad quem capiendum nec nocturna hora fuerat opportuna. Sed quales in animo erant, tempus malefactionis oſtendit, quoniam omnis, qui malè agit, odit lucem. (Joan. 3.) Et furentes animi furiam continere non valent, nec aliorum cruciatibus ſatiantur, niſi oculorum præſentiam præſtent. Ecce principes, & magiſtratus, & ſeniores perſonaliter progrediuntur ad nefas, qui per malè ſubjectos poterant crudelia perficere. Nam ſæpè crudelitas viluſcere fecit animos generoſos, & dominationem coëgit peragere officia ſervitutis. Ira & invidia plerunque principes in ſubjectos, magiſtratus in famulos; ſeniores in amentes, & juvenes in furentes converterunt, Complent animos hominum cæcitate,

 ubi

duæ iſtæ nebulæ ſuperveniunt, ut decentia in conditionibus & dignitatibus non ſerventur, nec indecentia prohibitionibus ſileant. Ecce quid agunt nocturno tempore principes, & magiſtratus, & ſeniores, quando aut corpus opportunam debet captare quietem, aut animi perſpicaces veritatis, & fidei oculis intendere in ſuperna, vel ſaltem ex officio meditari utilia proximorum, aut quiete inviſibili & corporea divinas perſcrutari pagellas. Student etiam membranulis odii, & inquieti animo innocentes corpore inquietant. Quæ iniquitates hominum etiam ad poſteros tranſierunt, ut à quibus, & quæ pertulit Chriſtus, patiatur hodie verus ſibi ſubſequens Chriſtianus, ut intantam ſæpe reſidentes plerique in Dei eccleſia in culmine dignitatis exorbitaverint, ut ſacris ſtudiis intermiſſis aſpirent, atque intendant perſecutionibus innocentum. Plerumque nanque vidimus, & audivimus, quod ſine dolore, & gemitibus referendum non eſſet, ut ex invidia ſive ira fuerint ſanguine fuſo gaviſi, cujus effuſione præeunte, canone prohibente, dignitatem
1. Para. 22. qua pollent, non fuiſſent adepti. Ac per hoc David ſanguinarius apellatus eſt, & ab ædificatione domus domini reprobatus, quem propria manu neminem legimus occidiſſe, niſi urſum & leonem, & Goliath Philiſtæum Dei populo exprobrantem, quem de Dei licentia occidere carebat omnino peccato. Incunctanter horrendum eſt, quod ſupereminentes in populis torqueri videant etiam juſtè contortum. Multo magis abſonat, quod in præſentiarum quæſtionarii faciunt juſtum. Proinde ipſis principibus, & magiſtratibus templi, & ſenioribus Chriſtus voluntariè captus exprobrat, quòd ad eum viliter & turpiter agitati, more ſatellitum venirent, ipſi facti ſatellites iniquarum & turpium voluptatum, Sed non cœperunt in templo docentem quotidie, turbarum verentes tumultum. Cæpiſſent fortè ſi pernoctantem velut diem agentem ſi quando reperiſſent. Altiori autem myſterio factum eſt, ne Chriſtus docens caperetur in templo, in quo nec & potuit lapidari. Nam templum manufactum, ſanctorum viſibilem formam inſinuat in quibus Chriſtus ineffabili modo exiſtens, per aliquam manuductionem non tangitur neque patitur, neque in eis ſenſibiliter colligatur. Etiam libertas doctrinæ, atque verborum Dei præfigitur, quòd Chriſtus in templo docens non capitur. Verbum enim Dei non eſt alligatum, neque concluſum fuit aliquando funibus tyrannorum. Non capitur in templo conditor magni templi, nam veri amator templi ſancta libertate potitur. Sed hora & iniquorum poteſtas tenebræ ſunt, ex quo Salvator intulit: Sed hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum, ut tenebræ mentis tenebris temporis innoteſcat. Nam tenebrarum hora eſt, in qua peccata patrantur, non poteſtas, qua fiunt, ut perperam agere tenebroſitas ſit ex tempore, poteſtas, qua malum perficitur, ſit ex omni ſe tenebris implicari. Magnæ quippe tenebræ illorum oculis exponuntur, qui ſplendentia objecta non vident, protinus hora & poteſtas aderant tenebrarum, qui mundi lucem nolebant, aut juſto merito non poterant intueri. Accidit ſæpe pertinaciter ab aliqua iniquitate detentis, quòd ſitam ante oculos veritatem non videant. Et velut corporalis oculus invalida & excellenti luce ſolis ſine ſuo damno non figitur: ſic interior oculus, cùm vitiatus voluntariè fuerit, in luce veritatis & juſtitiæ profectò cæcatur. *Cohors ergo, & tribuni, & ministri Judæorum comprehenderunt Jeſum,* Joan. 18.
& ligaverunt eum. Tunc omnes diſcipuli relicto eo fugerunt. Matth. 26. *Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo,* Marci 14.
& tenuerunt eum. At ille relicta ſindone, profugit ab eis. Iniquis præceptoribus aut dominis obſequentes iniqui cenſendi ſunt, cùm juſſa iniqua perficiunt, & eo iniquiores, quo paratiores ad malum. Ecce iſti miniſtri damnato præcepto comprehendunt, qui carne cæteris ſimilis, deitate verò cætera comprehendit, & ligant, qui venerat omnes abſolvere à vinculis peccatorum, & à compedibus infernalis tyranni extrahere compeditos. Quia paulo ſupra aliquid de ligatione protulimus, idcirco de ipſa hic breviter diſſeremus. Comprehenditur & ligatur homo ſeu forma ſervilis, exiſtit liber formam ſervi ſuſcipiens. Dum comprehenditur, & ligatur forma viſibilis, non paveat intellectualis imago. Sicut Deus liber extra hominem & in homine, ſic anima libertatem à corpore poſſidet, excepta ligatione naturæ, propter quam corpus corruptibile aggravat animam. Sed in affectionibus, & volitis nequit urgeri, niſi ſemetipſam ſuſpenderit voluntariis laqueis. Libertatem ſuſcepit anima, non corpus, & præter ipſum propriam vitam habet, & ab ipſo excepta vivit liberior. Cum ipſo tamen aliquamdiu vivit, & in ipſo, non tamen per ipſum aut ex ipſo. Quod ſi vinculetur, dilanietur, confodiatur, omnes pœnalitates inſtantaneè aut ſucceſſive ſuſtineat, ab illis anima non attingitur. Non enim

enim quod in corpore, aut à corpore agitur, habet in re corporea ſenſibilem actionem, quamvis anima ſæpe habeat ex ſucceſſu affectionem, ſimiliter & impalpabilem paſſionem. Ligatur hominis corpus, ſed non ligatur affectus. Ligatur homo Chriſtus, ſed invinculabilis manet Deus. Sed tunc omnes diſcipuli eo relicto fugerunt. Tempore perſecutionis à ſuis diſcipulis relinquitur Chriſtus, quos prædocuerat, amore ceperat, cautos fecerat, qui omnes ſe ſpoponderant ſecum in tribulationibus permanſuros. Sed melius noverat Chriſtus, quod latebat in eis, quàm ipſi ſcirent, quid eſſet in eis. Fit igitur, quod Chriſtus prædixit, non quod cœtus ille promiſit. Relinquunt & fugiunt: fugiunt, quia relinqunt. Hæc verſa vice ſe cauſant. Qui relinquit Deum, perdit ſecuritatem: ipſa deperdita conturbans timor ingreditur, qui quos invaſerit, vertit in fugam, & fruſtrata ſæpe ſpe in dubiam. Qui relinquit Chriſtum, vitam relinquit, & quærens vivere fugit in mortem. Relinquens Chriſtum, viam rectam abhorruit, timoris agitatus à ſtimulo, fugiendo vias ingreditur tenebroſas. Proinde per ſapientiam de iniquis dicitur: Relinquunt iter rectum, & ambulant vias tenebroſas. Relictor Chriſti vitam negavit. Ipſe ſiquidem ſecundùm Apoſtolum eſt vita noſtra, qua relicta omnis amari-

Jerem. 2. tudo ſubſequitur. Hinc per prophetam dicitur: Vide, quàm malum & amarum eſt te reliquiſſe dominum Deum tuum. Iſto malo nullum pejus. Et amaritudo nulla ſævior in ſenſibus adeſt, quàm mortem incurrere, maximè, ſi ſubſequatur æterna. Omnem obliquitatem fugiendo incurrit, qui Chriſtum reliquit, quem credimus altiſſimam veritatem. De his ſi-

Joan. 14. quidem ipſe prædixerat: Ego ſum via, veritas & vita. Relinquit ſæpe amicum malefidus amicus, benefidus verò etiam in morte non deſerit. Deficit in charitate, qui deſerit non deſerendum. Charitatis verò defectus advocavit timorem, quia ipſe in charitate non eſt, cùm vero affuerit, convertit in fugam ſub evadendi reſpectu. Sed ſæpè incurritur, quod ipſo agitante vitatur. Ac per hoc relinquere Chriſtum eſt invenire ſatan, fugere verò in quampiam partem, niſi per virtutem, ipſe non aderit. Sub alis magni draconis protectio facta eſt, ubi percipitur, quod timetur. Tutius eſſet ad modicum mortis tolerare dolores, cum invincibili vita, quàm ad modicum vivere præter ipſam. Malè igitur Apoſtoli meditati ſunt fugam, relinquentes talem vitam. Sed quo fugerunt? In incertum à timore raptati. Non enim ante præviderant, quo fugerent, qui mori jam deliberaverant cum Chriſto. Et tanquam inexperti de concuſſionibus iniquurum, in ſeipſis malè confidebant, valere credentes, ubi virtus peritura parabatur. Velut volatilia, inter quæ jacitur lapis, improviſè per incertas ſemitas äëris volant, & in ſummitatibus & ramulis arborum ſe tollunt, quas ante non præviderant, ſic apoſtolicus chorus fugiendo incertitudine refugii vagabatur. Meritò certam hi non habent civitatem, atque refugii ædem, qui non credunt hoſtili bello poſſe ſuccumbere. Quutquot bellorum noverunt eventum, ante congreſſum confligent, aut confligi præmeditantur. Quod ſi alterum venerit, per certi loci fugam tuen prævident vitam. Ignari & inexperti bellicis actibus, ſi patiuntur conflictum, aut moriuntur, aut vinculantur ab hoſtibus, aut per devia, & improviſa ſe convertunt in fugam. Subitò deliberare de remedio ingruente duriſſimo bello, protinus eſt paucorum. Incertam ad tutelam capiunt viam, quos timor repentinus invaſit, & qui cum duce belli non contulere de remedio evadendi. Inter majora bellantium pericula, computatur, cùm ante omnem congreſſum dux exercitus hoſtium venerit in cupturam. Et ultra, quàm dici queat, durum eſt bellum, cùm primo capitur princeps. Nullum ſub cœlo à conditione gravius ex paucis aut multis geſtum eſt bellum, quàm ubi captus eſt Chriſtus filius Dei, dominus mundi, principes regum terræ, dux in moribus, ductor in cœlum, inferni deſtructor, diſſipator mortis. Nullus in hominibus ab eo, quo eſſe cœperunt, ſublimius triumphavit, ubi relictus ab omnibus, ſolus cum hoſte carnis & Spiritus conflixit. Nullus triumphus nobilior, in quo bellat ſingulariter natus, & ſolus inter mortuos liber. Vide inſignem inſignis ducis exercitum, cum duce capto totus arripuit fugam, ut ſibi ſoli mortis æternæ adſcriberetur victoria. Sed duo ex paucis ſequebantur ligatum ab hoſtibus ducem, quurum unus à longè, ſed ter de prope denegavit. Alter adoleſcens amictus ſindone ſuper nudo, per quam detentus ipſam in manibus hoſtium dereliquit, nec veritus nuditatem, quam primo malè primi ſuorum in noſtro periculo incurrere parentes, nec recordatus amoris, cujus dulcedinem paulo ante hauſerat, inclinatus ſuper dominicum pectus, & quam ſentire debuerat, cùm guſtavit & corpus. Ecce omnes corpore fugiunt, quia omnes à fi-

de

de pariter corruerunt. Nec prætereundum eſt, quibus, & quot veſtibus apoſtoli refulgebant, quòd unus uno tantam excepto humanæ artis, atque peritiæ veſtimento: ſolùm coria, quo natura carnem, & oſſa involuerat, tegebatur. In almifico bello, dum initiarentur, patuit, quibus divitiis apoſtoli fovebantur, & quibus armis hoſtes impios propulſabant. Erat profecto tunc in honore paupertas, & mundi abdicatio de hoſtibus triumphatura protinus ſperabatur. Quod & fecit in poſterum. Sed ubi divitiarum amor acceſſit, & ſub pedibus velut abjecta calcatur Chriſtiana paupertas, verſa vice de nobis diabolus triumphavit. O! utinam non tegeremur, quod voluptas, & ambitio procuravit, ſed quod ipſa neceſſitas ordinavit. Et tamen princeps hujus mundi nobiſcum jure decertans, in omnibus non haberet quicquam, unde devinceret, aut traheret ad horridas ſedes, ſed innocuè de ſuis manibus elaberemur, nec traheremur ad pœnam. Patuit pavido fugiendi libertas, cùm veſtimentum reliquit in manibus detentoris, & Joſeph, cùm partem palii reliquit in manibus Ægyptiæ meretricis, capturam evaſit, & pudicitiam cuſtodivit. Ad bonum & malum poteſt nuditas iſta converti, ſecundum veram intelligentiam agendorum, ſimiliter ad utrunque poteſt iſta fuga reduci. Nam bonum eſt, quod manus effugiunt Judæorum, ut ſub eo typo fugiamus & dæmonum, ſed malum eſt, quod fugitur deſerendo Chriſtum. Deſertus à Chriſto fugit, qui eum fugiendo deſerit. Quòd verò Chriſtus non fugit, ſed promptè ſe obtulit inimicis, aliam dicendi ſubordinat rationem. Ad hoc enim venerat, quod & fecit, ut ſua captura malè convinculatos abſolveret, & pro noſtris captus peccatis vitam morum & æternæ beatitudinis inferret. Dicit ſane ſcriptura: *Chriſtus dominus captus eſt à ſatellitibus mortis, qui duxerunt eum ad Annam primum.* Dux omnium, & lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, qui via inobliquabilis eſt, primo ducitur ad Annam, quem, ſi oberrantes duces poſteritate juſti ordinis ſequerentur, ipſe duxiſſet ad vitam æternam. *Hic interrogavit Jeſum de diſcipulis, & doctrina ejus.* Interrogat de diſcipulis, in quorum numero renuit calculari, & quos credit hebetes, qui ſequuntur. Qui autem norit & interrogando tentat, aut neſcit, aut an nobiles, vel gregarii ſint interrogat, ut ex conditione diſcipulorum cenſeat in magiſtrum. Nec non in authoritatem, qui congregave-

Joan. 1. | Joan. 18.

rat, intendebat, cùm ſuo judicio præter decretum pontificium & ſacerdotum, nemini liceret ſub nova doctrina diſcipulos aggregare. Proinde interrogat Chriſtum de doctrina. Ad pernicioſam inquiſitionem Annas ſe contulit, cùm exquirit. Nam involvere vult doctorem, non ſub ipſo docilem fieri, nec ſe aptabat ad illam, quæ non de terrenis, ſed de cœleſtibus erat, nec ex homine, ſed ex Deo. Prædixerat enim ipſe Salvator: Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me. Sedebat Annas tribunalico more, tamen supernè tribunitiam atque deificam ipſe doctrinam formam judicantis, non diſcentis habebat. Ipſam verò inveſtigare, atque ſcire volentem, oportet per omnia humilem fieri, nec contradicere, ſi per rationes naturales atque humanas intellectui non clareſcit. Fide quippe, non ratione præcipitur. Id jam agebatur ab iſto ſuperbo quærente, ſi adverſus Moſaicam legem, & traditiones templarias & paternas doctrina Chriſti aliquid intuliſſet, cùm jam Salvator arguerit eos, quòd tranſgreſſi ſint mandatum Dei propter traditiones ſuas. Ecce Chriſti doctrina humilitatis decore præfulget, quæ, cùm ſit divina, ſub hominum judicio ventilatur. Salvator autem ad inquiſita reſpondet: *Ego palam locutus ſum mundo. Ego autem ſemper docui in ſynagoga, & in templo, quò omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui me audierunt, quid locutus ſum ipſis. Ecce ipſi ſciunt, quid dixerim ego.* Occulta doctrina ſuſpicione perfunditur, & vitium habent annexum, ſi publicum timet. Non autem omnis occulta inſinuatio ſanctæ doctrinæ condemnatur, quæ ſecura manet, ſi ducatur in publicum, quæ palam fieri non devitat, ne deprehendatur in macula; cùm ſit immaculata. Neceſſitas, & cauſarum varietas ſæpè cogunt, ut lucerna quandoque paucis luceat in occulto, quæ mallet in manifeſto. Protinus ſpectat ad ſanam doctrinam, ut nihil ſub velamine habeat, quod publicum horreat, quod deprehenſum pudore aut infamia ureretur. Sed quæ omnino velaminibus gaudet, latibula & angulos ſemper deprehenſa pudore ſuffunditur, arguta non habet, unde ſe juſtis ſententiis tueatur, eſt protinus proſcribenda, promulgata etiam ab his, qui ſanctitate pollere videntur. Tutius enim audirentur iniqui propatulè inhæſitanter vera docentes, quàm boni clandeſtinè dubia proferentes. Omnem excludit errorem, etiam animas audientium abſolvit

Joan. 7. | Matth. 15. | Joan. 18.

ſoluit à dubiis, palantina & exanimata doctrina. Quocirca Salvator ad invincibilem reſponſionem & defenſionem pro ſua doctrina ſe contulit, cùm reſpondit: Ego palam locutus ſum mundo. Et tacens de diſcipulis ſolum approbavit ex manifeſto doctrinam, quoniam immaculate reſplendebat. Et quoniam per ſapientes conſuevit approbari, aut reprobari doctrina, locum in quo ſapientes Judæorum convenerant, ſubinducit dicens: Ego autem ſemper docui in ſynagoga & in templo, quo omnes Judæi conveniunt. Conveniebant in templo, & in ſynagoga ſapientes & magiſtratus, & ſcribæ, atque pontifices Judæorum, inter quos Chriſtus altius à Moyſe cœleſtem legem edixerat, à quibus ſæpe agitata confutatis omnibus triumphavit. Et venerabantur illam ſilentio, à qua velut à clariſſimo ſolis radio cæcabantur. Nam cùm multitudo ſapientum ſanitas ſit orbis terrarum, ad Judæorum ſapientiam, ſuam approbandam remittit Chriſtus doctrinam, ut ſi ſapientes ſunt, & audierunt, reprehendant, ſi reprehendendum quippiam invenerunt. Si ſapientes non ſunt, ſileant à propria ignorantia jam proſtrati. Si ſapientes ſunt, & amici, dicant quæ noverunt, non amicitiæ gratia, ſed veritatis gloria. Nam verè ſapientes ſecundum veritatem, non ſecundùm amicitiam omnino diffiniunt. Si ſapientes ſunt & inimici, ad validius teſtimonium interpello, ut propter ſapientiam ſubmittant inimicitiam, & garriant, ſi poſſunt, in manifeſtam doctrinam. Si verò non poſſunt, aut taceant, aut ſi juſtitiam ſentiunt, juſtis laudibus efferant. Nam ubi multi ſunt ſapientes, ibi cautio eſt doctrinæ. Veretur ſemper docens, quos novit aſſiſtere ſapientes, & cautè loquitur, ne deprehenſus in aliquo confundatur, & occultum devitat, qui multis prodeſſe volens & loquens in veritate fundatur. Ex hoc ſubjecit: *Et in occulto locutus ſum nihil.* Nam ſi in occulto locutus ſum nihil, tibi non potuit, niſi quod palam locutus ſum, omnino referri. Quod enim non eſt, non devenit in aures, niſi harum ſyllabarum ſonus, quod non eſt. Sed quoniam proprius amor ſæpe hominem fallit. *Quid me interrogas? Interroga eos, qui me audierunt, quid locutus ſum ipſis.* Non me interroges, quem purum hominem credis, & à proprio amore deludi, & oculo carnis intueris, non diſcipulos meos, qui ob timorem in propria ſunt diſperſi, ſed veſtros ſapientes, qui me in ſynngoga, & in templo reſonantem vocibus, eructantem verba divina perceperunt, quid locutus ſum ipſis. Irreprehenſibilis eſt doctrina, quæ ad judicium remittitur æmulorum, & in obſcurabili claritate reſplendet, quæ ad examen ponitur reproborum. Et juſtiſſima ex omni parte cenſetur, quæ nullorum expavet trutinas vel fornaces. Ecce ipſi ſciunt quid dixerim ego. Sciunt quidem non imitationis amore, ſed odio confundendi. Sciunt, quia me loquentem audierunt, non quod ad illam dilectionis animo vigilaverint. Velut ante judicem ſtabat ipſe Salvator, & adverſus doctrinam teſtes æmulos allegabat, ſciebat enim ſe dixiſſe infallibilem veritatem. Inconfundibilis nempe veritas eſt, & arguta amplius fulget. Hoc ſortitur triumphum, cùm adverſarios habet Chriſtus, qui tota veritas eſt, hoc intendebat pro veritate doctrinæ, eùm æmulos quærebat in teſtes, ut aut illam exponerent, quam audierant veritatem, aut ſi adverſaretur, ipſe ſub judice replicando firmaret. Ad poſteros ego hujusmodi dirivetur exemplum, ut doctrina non ſit privata, ſed communis, non occulta, ſed publica, non opinata, ſed veritate firmata: quæ nullis obtrectationibus tremulet, quæ nullos paveat detractores, quæ ſuos ubilibet conterat inimicos, quæ magis adverſitatibus, quàm tranquillitatibus eluceſcat. Hoc ſolùm antonomaticè Chriſti doctrina poſſedit, quæ nec mirum, ſi manſit intrepida coram Anna, æmulos ad ſui teſtimonium quærens, Chriſto capite defendente, cum coram Imperatoribus & regibus mundi non ceſſerit in membris Chriſtianis, in eis Spiritu ſancto loquente: *Hæc autem cùm dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum, dedit alapam Jeſu, dicens: Sic reſpondes pontifici?* Peſſimus eſt miniſter, qui magis pro rege, quàm pro veritate decertat. Iniquus eſt ſervus, qui ante Domini præceptum injuriam irrogat. Caret juſtitia miniſtrandi, etiam ſi juſſus percutit, quem omnino noverit innocentem. A damnata gloria detinetur, qui malè agendi cauſa, regis gratiam optat obtinere, opprimendo juſtum. Illuditur à funeſta jactantia, qui per juſtitiam ante regem inſinuat probitatem. Væ ſervis, dominorum amore malè facientibus. Væ! mala juſſa complentibus, qui ad cumulum gloriæ dominorum injuriam non merentibus irrogant, ſupernam utique perdiderunt. Ecce igitur malus miniſter, qui aſſiſtebat pontifici, non veritati: homini, non Deo: ſed pro pontifice percuſſit veritatem, & pro homine malo Deum hominem alapa excepit, & pro honore injuſti domini, juſtum hominem exprobra-

vit, percutiens innocentiam, deſerendo juſtitiam, dicens: Sic reſpondes pontifici? Præſumptuoſus miniſter, qui ad injuriam ſui domini vertit, ad quod ſuus dominus non advertit, & ſæpe diſſimulando pertranſit, ut manſuetudine ſapiens habeatur, Impius eſt, qui ad injuriam ſui ſuperioris adducit, quod ad declarationem veritatis infertur, aut ad excuſandam innocentiam eructatur. Malus zelus ſervi ad dominum intulit ſæpe ſine cauſa jacturam. Alapa excipit Chriſti faciem omnis, qui veritatem expugnat, & qui opprimit veram juſtitiam, quam accepit. Quid Chriſtus, niſi bonum reſpondebat pontifici, quod nequiter aſſiſtens miniſter per alapam improbavit? Sed furioſus & infrunitus animus violentia, non rationibus utitur, & factis, non verbis juſtis improbat, cum concertat. Ecce dominus Jeſus divinè loquens, velut locutus nequiter improbatur. Ad reprimendum noſtram audaciam agitur, ut manſueti toleremus, ſi ex humanis locutionibus improbamur. Sed vide manſuetudinem patientis, cognoſce ſapientiam reſpondentis. *Si malè locutus ſum, teſtimonium perbibe de malo. Si autem bene quid me cædis?* Judicium vult ſubire cum ſervo, qui omnium dominus eſt & judex. Et ſecurè adverſus ſe teſtimonium quærit, cui puritas conſcientiæ ſemper adeſt. Nec timet verſutiam, qui poſſidet innocentiam. Totum ſe ponit in judicio Chriſtus, omnia inimicorum examinationi remittit, corpus, mores, & verba, & ſi qua humana ſunt ejus, in juſtitia vult appendi, approbari, aut improbari teſtimoniis ſatagit, cùm dicit miniſtro: Si malè locutus Proverb. 10 ſum, teſtimonium perhibe de malo. Dicit ſcriptura: Qui moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt. Et ipſa tota prudentia, & ad alios fons & origo prudentiæ, divina moderatione labiis loquebatur, ut niſi per falſitatem impietatis, non paterentur ſua verba calumniam. Quiſquis imitator eſt hujus, moderetur verba & ſermones antequam proferat, & delimet antequam dicat, ut poſſit ad examinandum etiam committere inimicis. Si autem bene, quid me cædis? Nemini bene agenti eſt injuria inferenda, neque in perſona muhandus, qui perſonaliter non deliquit. Non retundantur Verba verbis, neque verberibus arguantur, quæ juſtitia pollent, & omni carent dolo ſeu fraude loquendi. Quid me cædis? Impiè percutis innocentem, & hominem rectè loquentem. Quid me cædia? Juſtitia non ſuadet, à propria malitia commoveris. Quid me cædis? Unde tibi collata poteſtas? Non enim præceptum ab eo, cui ſubderis, ſuſcepiſti. Tua ergo crudeltas te impellit. Quid me cædis, remota cauſa delicti? Quid me cædis vera juſtitia prohibente? Sed ipſum Deum jam injuſtè vexatum ab impiis inquiramus. Cur aliam non paras maxillam, prout in tuis ſermonibus docuiſti, ut tali opere validior ſit ſermo doctrinæ? An commotus es animo, quod tuus ſermo quærulus ſonare videtur? an ut affectus tædio dicis, quid me cedis? Maxima hic inſtruitur patientia & ſapientia patientis. Virtus magna eſt tranquillo animo pati, nec querulari per Verba. Sed altius penditur, ſi ratione juſtæ reſponſionis à patiente ad bonum trahitur malè agens, charitas ſervatur in animo, & ſuavi Verbo proximus compungitur. Et perfectum eſt in virtutibus, ei, qui te percutit, inferre Verba ſalutis. Et cùm odio te feriat, tu charitate conſtringas, ut quem pateris percuſſorem, correctum poſſis habere conſortem. In id tendebat Salvator, quia vult omnes ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, ut hunc malè miniſtrantem in miniſtrum ſupernæ vitæ converteret. Nec adverſus eum odio movebatur, quem conabatur dulci allocutione verborum de medio iniquitatis eripere. Ad ſeipſum hunc miniſtrum remittebat Jeſus, ut conſideraret, quod injuſtè inferebat jacturam, cùm non inveniſſet calumniæ cauſam, & cum eo argutione juſta certabat, dicens: Si autem bene locutus ſum, Quid me cædis? Norma hæc patiendi dirivetur ad poſteros, & capitis actio in membra deſcendet, ut tanta virtus conſtantiæ, atque patientiæ, necnon & charitatis ſervetur ad proximum, ut lædens & calumnians ad veritatem atque virtutem, virtute patientis & Verbis injuſtè vexati ſancta poſſibilitate trahatur, & oſtendat iniquè lædenti verbis pacificis quod per injuſtitiam lædit, qui ſi molli reſponſione ſuam iram extinguit, quoniam dicit ſcriptura: Reſponſio mollis frangit vel extinquit iram, ſermo durus excitat Proverb. 15 furorem: ſimul duo bona congerminant, ut virtus patientiæ ſuo munere fulgeat, & converſus proximus dignam pœnitentiam agat. Et utriuſque boni ſortitur patiens præmium, quia ſuſtinuit & convertit. Et reſipiſcens à malo, pœnas malis dignas evaſit. Interſerenda hìc occurrit negatio Petri, *qui eum à longe ſequebatur*, non tantùm corpore, quantùm mente, quam titubatio fidei plenè compreſſerat, & amor ad Chriſtum, à timore hominum patiebatur inviſè conflictum, qui verbis Chriſtum trina negatione vilependit. Vile videtur, quod tanta proca- Matth. 26. citate negatur. Et ſub anathemate poſuit Dei

Filium

Filium, qui omnes venerat reconciliare cum Patre. Valdè angebatur virgâ timoris, qui ſe excommunicabat, ſi cognoviſſet, & Chriſtum & juramento falſo firmabat, quòd non cognoverat veritatem. Dixerat enim interroganti Chriſto : Et ego dico tibi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, quam cognitionem veritatis non ab homine aut ab angelo, ſed ab æterno patre ſuſceperat, qui quen-
Math. 16. piam docendo non fallit. Ecce in quod malorum profundum poteſt homo deſcendere, ut pro parte vitæ labentis totam & æternam deneget ipſe vitam. An fortè occaſiones fuerunt præter timoris anguſtiam, & fidei detrimentum, quod ancilla oſtiaria introduxit ? Ancilla oſtiaria vitium eſt avaritiæ, ut per eam prælatus in eccleſia introductus moribus neget CHRISTUM, & ſæpè verbis in mendacium transferat veritatem. An fortè quia frigus erat, & ad ignem ſe poſuerat Judæorum ? Exterius frigus interiorem frigiditatem inſinuat, & Spiritus Sancti ignem, ignis Judæorum excuſſerat. *Et gallo dante vocem, & CHRISTO inter verbera miſerante ab ipſo reſpectus, Petrus foras egreditur, & flevit amare.* Dimittenda ſunt loca, quæ noſcuntur cauſa peccati, & dimittenda ſunt conſortia, quæ ſolicitant. Egrediatur foras, qui deliquit intus. Egredi enim foras eſt à malè collegiatis feciſſe divortia. Et melius eſt egredi, quàm reſidere in domibus iniquorum. Sane tutius eſt vagari corpore, quàm habere commune domicilium cum malignis. Fletus verò amarus jure peragitur, quia nihil amarius, quàm negaſſe Dominum Chriſtum. Quæ negatio, an ſit tota facta in domo Annæ, an tota in domo Caiphæ, an in una incœpta, & in alia conſummata, non ſit præſentis diſſertionis. Nihil enim addit, aut adimit fidei, nihil demit, aut opponit virtutis vel vitii, alterum horum credere. Sed ad ea, quæ nunc aguntur in CHRISTO, ſermo revertitur. *Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.*
Joan. 18. Uterqúe pontifex, ille ceſſerat, iſte regebat. A pontifice, in pontifice illuditur Chriſtus, ut à ſacerdote Aaron, usque ad Samuelem', ad Dei opprobrium in ſacerdotibus non rectè fuerit ambulatum. Et à Samuele usque ad Chriſtum etiam templi pontifices exorbitaverint. Et tunc pontificium veteris & novi teſtamenti Chriſtus, proſcriptus fuit in ultimatis opprobriis, nunc verò inter pontifices ſanctæ matris eccleſiæ, uno cedente per mortem, altero ſubrogato Chriſtus illuditur, cùm vilitate atque paupertate contemptis, quas Chriſtus maximè tenuit, honoribus & divitiis inhiatur. Ligatus mittitur Deus, homo tenetur, non quia Deus, ſed quia homo ligatur. Amore ligatur, quo ſe trahi etiam permittebat. Non tenebatur funibus, qui miris modis elementa ligavit, & inviſibili vinculo ligata tenet tam diverſa, quæ nexuit. Hæc ligatio perverſos inſinuat mores, ex eo, quod ligatæ videntur Chriſtianæ virtutes, ut nec expeditè, ſed quod velut compediti homines ambulent viam DEI. Ligatio capitis noſtri, membrorum ſuorum malum præſagium fuit, & quod agebatur corporaliter in capite ſpiritualiter ad membra defluxit. Et quod ipſe ſine ſui crimine patiebatur, præoſtendit criminum crinibus ligantes, qui debuerunt eſſe ſequaces. *Siſtitur coram Caipha Dominus JEſus Chriſtus, cum quo, adverſùs quem convenerunt Sacerdotes, ſcribæ, & ſeniores populi.* Ecce ſacerdotum ſanctitas vertitur in turpitudinem, ſcribarum ſcientia in errorem, & in furorem trajicitur matura ſenectus, cùm omnes conveniunt contra veritatem & innocentiam ſubvertere moliuntur. Nihil ad reipublicæ ſubverſionem noxius, nihil ad deſtruendum feliciter conſtituta validius, quàm ſi unde ſanctitas, unde clara ſcientia, unde matura conſilia debent egredi, horum contraria præſto fiunt. 'Tutrices eſſe debent innocentum ſanctitas, & ſcientia, & ſenectus, & ſub alis illarum miſerorum debet eſſe refugium. His in civitate deficientibus, neſcitur, ad quos alios poſſit eſſe recurſus. Convenerunt autem adverſùs JESUM damnata concordia, inter quos ſanctior diſcordia extitiſſet. Et omne illorum conſilium erat quomodo Chriſtum per apertam juſtitiam occidiſſent, & non prout erant homicidæ in occulto, in publico vocarentur, adverſùs innocentiam teſtimonia conquirebant. Sed nunquam innocentia verum teſtimonium habet adverſum, nam ſi haberet ; innocentia vera non eſſet. Nemo enim innocens judicatur, adverſùs quem juſtè teſtificatur de crimine. Sed ut nocentes appareant, innocentes tacent veritatem, & ſubmittentes in judicio falſitatem. Congregatus conventus malignantium odio æſtuabat in Chriſtum, *ut eum morti traderet.* Inquirebant teſtimonia, Matth. 26.
ut zelo juſtitiæ puniretur, quem ipſi zelo Marci 14. Lucæ 22.
invidiæ ſectabantur, & juſtitiæ velamento invidiam, & animi crudelitatem palliare tentabant. Et cum multi procaci animo, impudica lingua teſtimonium contra Dominum loquerentur : *convenientia non*

erant proferendæ ſententiæ. Teſtimonia falſa nulla ratione conveniunt, ut innocens judicetur. Et, qui nihil reprehenſibile fecit, per teſtimonia convenientia judicari non potuit. Ubi teſtimonia non conveniunt, irreprehenſibilis vita fuit. Convenientia verò teſtium, vitam arguit criminoſam. Vita immaculata non niſi per falſitatem aut tyrannidem condemnatur.
Matth. 26. *Noviſſimè autem venerunt duo falſi teſtes.*
Marci 14. Sed malè noverant ſententiam Salomonis,
Proverb.19. quia falſus teſtis non erit impunitus, nec ab ipſa in animo terrebantur, ſed velut arreptieii dæmonum loquebantur in ventum. Qua lingua doloſa, & funeſta proclamant, inter ſe prius dicere condicentes: *Hic dixit: Poſſum deſtruere templum DEI, & in triduo reædificare illud.* Falſi erant, quia contra veritatem teſtificaturi advenerant. Falſi erant, etiam ſi verum dixiſſent, dum non amore veritatis atque juſtitiæ, ſed invidia, & odio trahebantur. Falſi ſunt omnes homines, ſi verum dicunt, cùm falſum dicere credunt, aut ſi odio adverſus conſtitutum in judicio agitantur. Quod verum eſt proferendum zelo veritatis, non zelo invidiæ proferatur reſpectu juſtitiæ, non odio in judicio conſtituti. Quod falſum eſt, nulla debet ratione depromi, & quod verum eſt, ut eſt ſine admixtione contrarii depromatur. Parva ſcintillula falſitatis, magnæ veritatis ſententiæ notam dedit, velut modicum fermenti totam maſſam corrumpens. Nam iſti falſi teſtes etiam in parte veritatem dicebant, Chriſtum aſſerentes illa dixiſſe, ſed omnino in proferendi rectitudine fallebantur. Chriſtus enim dixerat: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Teſtes falſi dicebant: Hic dixit:
Joan. 2. Poſſum deſtruere templum DEI, & in
Matth. 26. triduo reædificare illud. Sed vigilantiori verbo alius evangeliſta diſſeruit illos eſſe falſos atque mendaces, quoniam Chriſti ſententiam atque dictum verborum permutationibus & additionibus ſubvertebant. Ait enim illorum recitans falſitatem. Quoniam nos audivimus eum di-
Marci 14. centem: Ego diſſolvam templum hoc manufactum, & poſt triduum aliud non manufactum reædificabo. Vide igitur quanta verborum diſſonantia, & ſententiæ, quàm magna diverſitas, quæ verè inſpicientibus luce clarius patet. *Sed non erat conveniens teſtimonium.* Jure conveniens non erat, quia falſum in verbis, & ſententia promebatur. Et adverſus rectum dolus & fraus convenerant. Multa hic occurrunt adverſus teſtes falſidicos diſſerenda, ſed intueri CHRISTI conſiſtentiam magis placet, cui ex adverſo, & in facie falſitas obſiſtebat, & contradictionem patiebatur injuſtè, qui nihil dixit injuſtum. Unde inquit Apoſtolus. Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit adverſus ſemetipſum contradictionem, ut non fatigemini animis veſtris deficientes. Quis patienter ferre non debeat, Hebræorum.
ſi ſibi aliquid exprobratur in facie, cùm omnis homo mendax & poſſit plenè mentiri, cùm CHRISTUS in ſuis exprobraretur ſententiis, qui tota veritas eſt, nequiens ab illa omnino deficere. Sed magna eſt iniquitas hominum, cúm tanto malo ſe colligat, ut adverſus quempiam teſtetur ad necem, cùm irrevocabilis ſit vita per hominem, & mala nota criminis apponatur, quæ indebilis eſt, cùm fuerit lata ſententia, poſt quam dicere innocentem, ac purgare velle, quem judex falſis teſtium aſſertionibus damnavit ad mortem, difficile atque ridiculum eſt. Proinde duo ſæpè mala ex falſa teſtificatione proveniunt, ſcilicet perſonalis, aut realis punitio, & infamia damnati criminis, quæ difficiliter aboletur. Suſtinet patienter Salvator, & Dominus, *nec ad objecta reſpondet*, inſinuans cum negantibus veritatem, non eſſe in judicio diſſerendum, niſi ſuperioris judicio arceantur. Semper enim reſponſio falſitatem amplius exhauriret de illorum cordibus. Et adderentur peccata peccatis, & cumulus falſitatis excreſceret. Sed nec ſemper exemplo CHRISTI fallacibus improbis eſt cedendum, ut falſitas non repreſſa, veritatis vexilla reportare ſe gaudeat, & innocens nocens, & nocens innocens videatur, ſed eſt humili aſſertione in obliqua veritate auxilio judicis, teſtium improbationibus comprimenda. Veruntamen alia ratione CHRISTUS à ſilentio tenebatur, quia non agebatur ſub juſto judice cauſa ejus. Judex enim, & adverſarius erat, pars erat, atque tribunal. Chriſtus autem erat omni humano auxilio deſtitutus, ut nullus pro ipſo auderet proferre ſermonem, nec volebat prorogare reſponſionibus ignominiam crucis, quam erat protinus ſuſcepturus. Parvipendebat velut magnanimus & altiſſimi cordis homo verba ſibi exprobrari ad faciem, qui latronicam mortem ſe paſſurum ante præviderat. Prænoſcens exprobrationem per exprobrationem exprobrari. Nam exprobratio vera falſam exprobrationem exprobrat, & factum verum exprobrat verbum mendax. Et verbum divinum exprobrat ſemper humanum. Nec perit veritas, ſi tempus prætereat. Ex Chriſti perſona

perſona loquebatur David, cùm dicebat: Pſalm. 108. Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, quia ſperavi in ſermonibus tuis. Non reſpondebat tunc Chriſtus exprobrantibus ſibi verbum, quod dixerat, aut exprobrantibus vitam ejus atque ſermones, *verbum non reſpondebat.* Sed quod in præſenti non erat, promittebatur eſſe futurum. Nam de ipſo fuerat prophetatum, & reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, ut quod præſentis fieri poterat, futurum penitus crederetur. Nam tunc non reſpondit, ſed reſpondit in poſterum, per novitatem ſcilicet in morte oſtenſam, qua etiam à paganis creditus eſt Filius Dei, qui nequit omnino mentiri. Reſponſum eſt per creaturas, quæ de ipſo moriente teſtatæ ſunt per inſolitas & horribiles actiones. Reſpondit per reſurrectionem à mortuis, & apparitiones, & aſcenſiones in cœlum, quod Filius Dei eſſet, & falſum loqui nequibat. Magnis ſe dederunt periculis teſtes falſi, adverſus eum teſtificantes, quem Pater omnipotens tuebatur, & ipſe ut homo ſperabat in ſermonibus ejus. Proinde tunc velut ad patrem loquebatur, tunc tacens reſpondebo exprobrantibus mihi verbum. Poteſt autem futura reſponſio ad judicium futurum juſtè referri. Tunc enim omnibus ſibi verbum ſuum exprobrantibus reſpondebit, aut exprobrantibus exprobrando reſpondebit & verbum. Nihil ſibi novit innocentia deperire, ſive taceat, ſive loquatur. Cauſa innocentis magis ſilentio quàm clamoribus agitur. Et quamvis in humano judicio ſupplicia ſæpe luat, in divino ridebit. Et quos habuit ſuperiores, inferiores ipſa calcabit. Sed quid faceret, ſi loqueretur, cùm Matth. 26. tacendo exagitet furioſos? *Nam ſurgens princeps ſacerdotum, ait illi: Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adverſus te teſtificantur? JESUS autem tacebat.* Surgit ob inquietudinem mentis, & ſævitia efficiebatur ſeipſo ſuperior. Quærebat reſponſionem, non ad credulitatem, aut excuſationem, ſed ut captis verbis magis ex ipſa ſubverteret. Sed tacebat JESUS myſterio, non timore, tanquam cognoſcens eum, qui loquebatur in fraudem. Laudabilis hominis eſt prudentia opportunè tacere, ubi omnino locutio efficitur importuna. Et honeſtius eſt tacere, quàm loqui, ubi ex omni parte calumnia præparatur, & ad odium ſcribitur, quod profertur. Tunc iterum malè agitatus in corde, verbis exagitabat & Matth. 26. Chriſtum, dicens: *Adjuro te per Deum* Marci 14. *vivum, ut dicas nobis, ſi tu es CHRISTUS* Lucæ 22. *Filius DEI benedicti.* Adjurabat ignorans Deum vivum, per Deum vivum, non per alium, quàm eundem ipſum, ſed purum hominem æſtimabat, quem per Deum vivum adjurabat. Adjuratio ſemper per majorem ad minorem depromitur, nunquam verò verſa vice peragitur. Adjuratio eſt interrogatio de re dubia per vivum ſuperius, ut aut ejus amore aut timore pateat certitudo. Adjuratio eſt inquiſitio alicujus ſciendæ veritatis ſub reſpectu ſuperioris poteſtatis. Dubitabat Caiphas ne Filius DEI eſſet, & per Patrem Filium inquirebat, ut ſaltem intuitu honoris paterni ſive amoris, ſi Filius DEI eſſet, aſſereret. Sed quomodolibet Caiphæ adjuratio capiatur, Chriſtum arguit eſſe Filium DEI, & DEUM Filium habere omnino decernit. Cur Caiphas adjurat, ſi eſt DEI Filius, niſi quia poſſibile credebat perſonam quandam Deum poſſe habere Patrem, & ſi non credebat hanc perſonam eſſe Chriſtum, ex adjuratione ſua credebat Deum verum omnino poſſe habere Filium. Nec ea illum ſententia abſolvit, quæ dicit: Ego dixi dii eſtis, & filii excelſi omnes, quia ex hoc adverſus omnes eadem eſſet exactio. Attamen ſicut in collecto concilio, cùm unius mortem pro omnibus neceſſariam diceret, non à ſemetipſo dixit, ſed cùm eſſet pontifex anni illius prophetavit: & nunc fortè à ſemetipſo non loquitur, ſed cùm ſit Pſalm. 81. pontifex, verum fatur, quia DEUS habet Filium, quem adjurando non intelligens aſſerit eſſe Chriſtum. An fortè aliquid latentis virtutis in Chriſto eſſe cenſebat, quem credebat Deum vivum & verum amare, vel timere, per quem ad veritatem incognitam differendam adjurando cogebat. Unde ſi non credebat ipſum eſſe Filium DEI, amatorem ſaltem credebat eſſe virtutum. Non enim ipſum per Deum vivum adjuraſſet, niſi ipſum amare aut timere crediſſet. Nemo enim quenpiam per alium requirit, niſi credat cum eo amore conſtringi, aut ſub eo timore detineri, aut reſpectu commodi ex eo expectari proventum. An fortè Caiphas aliquorum relatione perceperat Chriſtum ſe dixiſſe Filium Dei, & hoc ab ipſo in judicio repeti ſatagebat, ut ejus condemnatio mortis per legem eſſet apertior, & ipſe condemnans aut tradens præſidi condemnandum, à cunctis haberetur immunior. Jeſus autem ſic adjuratus, ne crederetur DEUM vivum nun diligere vel timere, prætermiſſo ſilentio diſponebat dare reſponſum, magnum argumentum & exemplum relinquens, ut per Deum inquiſiti veritate prævia ne ſileamus. Sed ante reſponſum

 paucis

Lucæ 22. paucis verbis fraudulentiam Caiphæ detexit: *JESUS dicens : Si vobis dixero, non creditis mihi. Si autem interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis.* Acſi apertè dicat : Fruſtra veris reſponſionibus non crediturus interrogat. Et fraudulenter inquirit, incredulitati ſubjectus. Nam ubi aliter de facto quod inquiritur non elucet, ſtandum eſt per fidem ſermonibus veritatis. Proinde ad ſubverſionem omnino interrogat, qui non credere ante diſpoſuit. Et mos eſt præſidentium iniquorum, inquirere dulciter offerendo ſecuritatem, ut audito quod quærunt, irrogent mortem. Ac per hoc fide pereunte de medio, nihil rectum agitur inter homines. JESUS autem mentes omnium, clarè prænoſcens, quod quærebatur abjecta crudelitate aſſcribebat ſubverſioni. Ex hoc autem ſubjunxit : Si autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi. Quod nihil aliud ſonat facta conjunctione verborum : Si dixero vobis verum, non creditis mihi, ſi autem interrogavero, verum non reſpondebitis mihi, ut ex eadem damnata radice proveniat verum dicenti non credere, nec verum in reſponſione reddere inquirenti. An fortè quod unum ex alia naſcitur, quod qui verum proferenti non credit, nec ipſe interroganti proferat veritatem. Proculdubio Caipham voluiſſet interrogare Jeſus, ut interrogando inſtrueret, & lucraret animam ejus, & circunſtantium omnium, niſi quia prævidebat illos ad falſitatem, & mendacium prolapſuros. Protinus etiam poſtulat rectus ordo juſtitiæ, ut reus in judicio conſtitutus, aut pœnam ſubeat, aut libertatem obtineat veritatem faſſus. Pœnam, ſi digna pœnis commiſit, libertatem à judicio, & à pœna, ſi liber à criminibus fuit. Sed per rei linguam rei veritas claruit, ex quo illorum fraudem detegebat Jeſus addendo per verba, neque dimittetis. Profectò cognoſcebat Jeſus crudelem tyrannidem, & tyrannicam crudelitatem, cùm per veram reſponſionem & interrogationem eum non dimiſſuros penitus aſſerebat. Quid ergo à perfidis Judæis tantus verborum circuitus quærebatur, cùm omnino ab eis innocentia eſſet velut iniquitas condemnanda? Cur judices terreni multas & varias reſponſiones à reis coram ſe oſtenſæ conſtituris inquirunt, cùm in quamcunque partem reſponſio inflectatur, reus paratur ad romphæam, nec diſponunt parcere per miſericordiam, cui etiam per juſtitiam mortem aut pœnam irrogare non poſſunt? Quid eſt enim tot reverſare innocentem in judicio conſtitutum, niſi, ut aut in cautela linguæ aut moleſtiis agitatus, id proferat, quod intentioni malè judicantis conveniat? Unde dicitur ſententia, qua damnetur innocentia, & actio judicantis videatur confeſſione rei, & innocentia injuſta perverſitate rei, necnon & crudelitas judicis ſimul juſtæ videantur, & pœna innocentis? Quare autem hoc verbum Chriſtus adjecerit, ſcilicet neque dimittetis, mentem excitat, & amorem fovet. Quærebatne Chriſtus dimitti, ne pateretur, qui ad hoc venerat in hanc horam, ut omnino moreretur. Si dimitti nolebat, cur ſe non dimitti cauſabat? Cur eſſe flectebat in judicem, cùm non vi, ſed voluntate propria teneretur? Cur adſcribebat ad poteſtatem judicis, quod in arbitrio erat ſuæ poteſtatis? Sed illorum voluntatem inemendabilem oſtendebat, acſi infallibiliter dicat : Si verum dixero, non emendabitur hoſtiliter obſtinata voluntas, ut innocentiæ parcat. Non dimittetis, voluntate veſtra ex vera reſponſione placata, ſed eo animabimini hoſtilius, quo verum clarius illuceſcet. Sed non dimittetis me à morte liberum, cui in animo libero volui obnoxius ſubjacere. Et ſi non à Judæis, aliunde Chriſtus captaſſet vehicula moriendi, paterna obedientia & amor noſtræ redemptionis eum impellebant ad mortem. Detecta verbis Chriſti doloſa interrogatione Caiphæ, coram omni conſilio clara voce reſpondit : *Veruntamen dico* Lucæ 22.
vobis? Amodo videbitis Filium Hominis ſedentem à dextris virtutis DEI venientem in nubibus cœli. Dixerunt ergo omnes : Tu ergo es Filius DEI? Qui ait : Vos dicitis, quia ego ſum. Alibi præmittit : *Tu dixiſti.* Marcus verò expreſſè dicit : Matth. 26.
Ego ſum. Hæc ſiquidem verba ſic ad præcedentia contexuntur, continuatione literæ atque ſententiæ. Marci 14.
Si dixero vobis, non creditis mihi, quia nunc injuſtè judicor occultus DEUS, manifeſtus homo. Aſto ut reus judici præſidenti, homo duntaxat reputor, qui Filius DEI ſum. In imis judicor, qui ſemper in ſuperioribus, imo in ſupremis partibus aſto. Idcireo dico vobis, quòd amodo videbitis Filium Hominis, quem purum hominem credentes usquequaque contemnitis, ſedentem à dextris virtutis Dei, ut unum & æqualem credatis cum Patre Filium & hominem infallibiliter factum Deum, ineffabiliter conceptum & natum, & hominem deitati unitum, divinitati immotum, ſed humanitate in ſuperiora ſubvectum. Vide- Apocal. 1.
bunt omnes boni & mali Chriſtum Dei Filium,

um, quem boni amaverunt, mali contempſerunt: boni ad gloriam, mali ad terrorem & pœnam. Quod & Joannes in Apocalypſi accepit. Et videbit omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Sedebit quieſcens, qui nunc in laboribus agit. Sedebit judicans, qui judicandus aſtat. Sedebit ad dextram, qui in ſiniſtra injuſtè multatus eſt. Sedebit ad dextram virtutis Dei, qui ad ſiniſtram diabolicæ poteſtatis morti adjudicatus eſt. Sed quomodo viſuri erunt, qui tunc nulla ratione crebebant? Quomodo viſuri ſunt infideles, qui mortui ſunt fidei luce carentes? Videbuntne per fidem futuri ſæculi, qui hac caruerunt, an fidem aliam, aut hanc ſæculum futurum habebit quam hoc renuens omnis non habuit. An erit ſucceſſus alterius fidei ad hanc fidem? An à malis auferetur ænigmatis ſpeculum, & videbunt Chriſtum ſicuti eſt? Profectò nihil horum vel ſimilium erit in malis. Sed quodam miro, & nunc ineffabili modo certificabuntur corda malorum, Chriſtum eſſe, quem Dei filium negaverunt, & ſentient ſupra ſe judicem increduli atque fideles iniqui, quem aut fide non receperunt, aut receptum damnatis moribus irritaverunt. Dextra virtutis Dei tota eſt filii, omnipotens & æqua potentia tota cum Deo patre, omnipotens & æqua juſtitia, quam habere ſe oſtenſurum mundo prænuntiat. Quam habere omnes infallibiliter ſcient, qui eum ſemetipſos fallendo hic contumaciter contempſerunt. Adventum ejus in nubibus futurum eſſe commemorat, non ut in nubibus pluvialibus, aut obſcuris adveniat, ſed virtute glorificati, & deiferi corporis, in nubibus lucidis velut in tribunalibus ſedens, terræ ad judicandum in aere more nubis efficietur ipſe vicinus. Non enim calcabit amplius terram neque judicaturus in montibus reſidebit, neque locabit tribunalia terris, ſed judicabit de aereo cœlo, velut in nube ſedens omnes in terris poſitos, qui de cœlo cœleſtis ad terras adveniens, à terrenis improbandum judicium pertulit. Similem verò ſententiam diſcipulis interrogantibus de conſummatione ſæculi Salvator ipſe reſponderat, dicens: Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & majeſtate. Nec me credo fallit pia credulitas, ut per cœli nubes angeli, ſive ſupernæ virtutes intelligantur, qui levitate naturæ corporibus ſuperferuntur terrenis, in quibus & cum quibus judicaturus adveniet, qui judicatus in terris ab hominibus derelictus eſt. Cœli nubes exaltantur à terra: exaltatus in omnibus, & ſuper omnia terrenos terribiliter judicabit. Ut erat moriturus, ita & judicaturus. De morte namque prædixerat: Cùm exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipſum. Quod evangeliſta illico expoſuit, dicens: Hoc autem dicebat, ſignificans qua morte eſſet moriturus, quia per exaltationem à terra in ligno crucis, ut non in terra, ſed in laribus aeris moreretur. Proinde ſicut in ligno pendens in aere, inclinato capite pro omnibus ut moreretur, tradidit ſpiritum: ſic in aere corporea terra exaltatus judicabit mundum ſibi ſubditum univerſum. Nec nubes ad opem quærerent altimode judicantis, ſed ad quandam tolerabilem viſionem populi judicandi. Nec enim nubes, quæ ipſum aſcendentem in cœlo ſuſcepit, ſui corporis fuit opportunum vehiculum, ſed quoddam moderamen glorificati corporis, quo mediante Apoſtoli poſſent Chriſti aſcenſum propenſius intueri: ſic nubes temperamento temporis illo facient, ut judicandi tolerabiliter videant
Actum 7.
judicantem. Pronuntiabat etiam Jeſus alios ex Judæis fideles eſſe futuros, qui Chriſtum viſuri eſſent ad patris dexteram reſidentem. De quorum numero fuit Stephanus, qui poſtquam dixit Chriſtum ſe vidiſſe ad dextram patris ſtantem, lapidem
Actum 9.
in ſeipſo ſuſcepit. Necnon Paulus ſimilia vidit, cúm in illo triduo fuit raptus in cœlum. Quod de ipſo in poſterum ſcripſit, dicens: Sedet ad dextram majeſta-
Hebr. 1.
tis in excelſis. Adventum ejus exinde futurum in nubibus, à veritate non abſonat, quid in prædicatoribus fiat, magis verò nubes prædicatores intelligere conſonat veritati, juxta illius ſcripturæ ſententiam: Mandabo nubibus deſuper, ne plu-
Iſaiæ 5.
ant ſuper eum imbrem. Tunc verè Deus nubes à pluvia prohibet, cùm peccatis populi exigentibus, doctores à prædicationibus arcet. Merentur enim ſæpe homines occultis peccatis ſuis, ut non audiant Verbum Dei, aut quia poſt auditum credituri non eſſent. Per experientiam rei eventus patuit, quod Chriſtus ad calumniam non ad credulitatem interrogabatur, & in omni reſponſione calumnia ſibi fuiſſet objecta. Nam tunc omnes furio-
Lucæ 22.
ſè dixerunt: *Tu ergo es Filius Dei?* Non velut credentes, ſed ironicè, atque deriſoriè Chriſti ſententiam repetentes, quibus Salvator fida voce reſpondit, dicens: *Vos dicitis, quia ego ſum* Vos dicitis quo animo, qua fide, qua dilectione noſtis, ſed ego melius novi. Sed quacunque intentione dixeritis, verum dicitis, quia ego ſum.
Matth. 26.
Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua dicens: Blaſphemavit. Iniquis inimica eſt veritas, & eorum animum vertit in furiam,

cùm

cùm dicitur: Et patientia juſti vexat amplius furioſum. Ecce princeps ſacerdotum audita veritate mentis ſententiam paſſus, corporis veſtimenta præſcindit, quia ex malo mentis habitu in turpem actum erumpitur. Et corde diviſus, diviſas à DEO peragit actiones. Scindit veſtimenta pontifex, & ſacerdotum princeps, quia ſcindendum penitus erat pontificium & ſacerdotium Judæorum. Sciſſio veſtium
Geneſ. 37. divisionem ſtultam in moribus arguit, &
2. Reg. 3. copulam denegat charitatis. Quod apud
Actuum 14. Judæos inolevit, quando aliquid deteſtabile audiebant, veſtimenta ſcindebant, ab eo tempore, quo Jacob audita filii ſui Joſeph horrida morte ſua veſtimenta proſcidit. Et David audita turpiter facta morte primi uncti regis, ſimiliter. Et Paulus & Barnabas in Lycaonia veſtimenta etiam proſciderunt. Qui pontifex collega factus Diaboli, qui non dormit, niſi ſupplantet, confeſſionem CHRISTI veram in falſam, & blaſphemiam ſuo ſenſu convertens, & quaſi dicta teſtium plus appendens impetu malo actus, tonanti voce aſtantes alloquitur, dicens: *Blaſphemavit. Quid ad-*
Matth. 26. *huc egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam. Quid vobis videtur?* Piorum princip m eſt, reorum non intendere, ſed extenuare delicta, ne videantur propter delicta vitam velle perdere conſtrictorum. Et ne maledicendi præſtent audaciam, cùm patet extra voluntas ad auferendam rei hominis vitam. Impiorum verò, & prius aviditatem in reum necandum oſtendere, ut teſtibus contradicendi præſtetur audacia, & populus contra reum inclamitet mortem, quàm ante velle prænovit & principem. Ecce Caiphas omni fera crudelior conſiliator mortis contra Chriſtum velut reum in judicio conſtitutum, veritatem in blaſphemiam vertit. Et quod eſt æternum, de novo dicit eſſe compoſitum. Veritas erat quod Chriſtus dicebat. Æternum ei erat, non ex tempore, quod ſe DEI Filium aſſerebat. Hanc confeſſionem velut blaſphemiam prolatam ex ore Chriſti, quam ipſe accepit velut ex ore rei, ad ſui perditionem introrſit, quàm multò amplius quàm dicta teſtium in cauſa valere decernit. Proinde velut in Chriſti morte feſtinus, adjecit: Quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam. Nulla eſt indigentia teſtium, ubi rei eſt aperta confeſſio. Valet rei confeſſio adverſus ſeipſum ſine teſtibus. Teſtium verò aſſertio ſine rei confeſſione ſæpè deficit. Ecce nunc audiſtis blaſphemiam. Ecce nunc audiſtis, quòd corruptibilis homo ſibi arrogat Deitatem, & immortalitatem mortalis, & temporalis æternitatem ſibi appropriat. Ecce audiſtis, quia unitatem multiplicat, cùm unum DEUM vivum & verum, alium DEUM genuiſſe fatetur, & habere Filium, qui non gignit. Semper enim hoc ſubterfugit, præterquam in paucis electis Judæorum mentibus, generationem in DEO eſſe æternam absque quòd Deitas à Trinitate recedat. Et quamvis unius DEI cultus apud eos fuiſſet uspuequaque retentus, ad trinitatem credendam pluribus credendi aditus non patebat. Nec intelligebant quomodo fieri poſſet generatio ſine ſordibus. Deum autem hominem fieri nullis arbitrabantur judiciis, verentes compoſitionem in ſimplici commixtione poſſe fieri naturarum, aut compoſitionem unius in alterum nullo modo credentes. Et quamvis in his vera eſſet eorum, & opinio atque credulitas, tamen cæcabantur in intellectibus ſuis. Quoniam eſt in divinis ineffabili modo generatio ſine ſordibus, unio ſine compoſitione Deitatis, aſſumptio humanitatis ſine commixtione aut converſione unius in alteram naturarum, nec à ſimplicitate Deitatis factus eſt receſſus, neque DEUS compoſitus eſt atque geminatus, commixtus humanæ naturæ, neque in illam converſus. Quod Judæi nullo introitu in hoc ſecretum intrantes, Chriſtum ſe Dei Filium dicere, ſummam blaſphemiam aſſerebant. Eſt autem blaſphemia impertinentis appetitio ſuper dignitatem, arrogatio impropria, reputatio ſupra ſenſum, aſſertio ſupra condignum. Omnis autem exceſſus blaſphemiæ conſtituitur, cùm, quòd eſt DEI, attribuitur homini, aut cùm quod eſt hominis, dicitur eſſe DEI. Utrumque verò ad id, quod Chriſtus dixerat, ferebatur. Sed ne Caiphas totus nocens ſolus in hoc judicio deliquiſſe videatur, ſibi aſſiſtentes quid ſuper blaſphemiam & blaſphemum decernant, interrogat, in criminibus ponderat ſic, ut pœna blaſphemum diverberet. Judex qui pervertere judicium ſatagit, eos duntaxat interrogat, quos ſibi noverit in malo concordes, inde reſpondere pro voto. Judex verò juſtus exquirit oppoſitam partem. Non expedit in judicio ſuper reum exquirere odioſos, nec eos interrogare in judicio contra reum, qui eum imprætermiſſè venantur ad mortem, quàm poſſe inferre in ſuæ vitæ ſolatium vertunt. Nam ſæpè vita iniquorum, de innocentum morte tripudiat. Sed eos quærat ad judicium proferendum, quos noverit

amore

amore Juſtitiæ, non amore privato, aut
odio teſtimonium dare. Credit Caiphas
multorum aſſertione ſe contegi,
cùm aſſiſtentes, quid eis videatur, exquirit,
ſed eo gravius eſt crimen, quo
multos quærit in ſocios. *Reſponderunt
omnes* ſibi male conſcii, & in damnando
juſto concordes: *reus eſt mortis.*
Matth. 26. Hoc eſt, ex hoc, quod in præſentiarum
dixit, morti nunc ſubjacet, ſtatim morte
plectendus, ejus vita proximus prorogan-
da non eſt. Nam mortis reum eſſe velut
alios homines Chriſtum eſſe credebant, &
ipſam non poſſe vitare meritò damnatæ
naturæ. Sed nunc reum mortis aliter eſſe
diffiniunt, ut ſi natura amplius differet, ju-
ſtitia punitiva non differat. Si non aderit
infirmitas ſua, eum nunc iniquitas premit,
Si moriturus eſſet lecto decumbens, nunc
tibulo ſuſpendatur. Si cum pace morere-
tur, nunc pœnis exactus intereat. Si quo
modo tempus, anni, menſes, hebdomadæ,
ſibi vitæ fomitem miniſtrarent, ad hunc ho-
diernum diem, quo iſte blaſphemus ſævè
moriatur, arcentur. Inſpicite juſtitiam eſſe
calcatam, virtutem depreſſam, rationem
obrutam, ut omnes magiſtratus, & ſapi-
entes, & ſenes in juſti mortem conveniant,
& neminem inveniri qui pro innocente con-
ſurgat, qui beneficium excuſationis, aut
tempus defenſionis expoſcat. Quid mira-
mur unum hominem in magnis aut parvis
criminibus poſſe delinquere, vel errare, cùm
omne Judæorum conſilium noverimus ex
invidia diaboli deliquiſſe, ac etiam ex uno
damnato per mortem ſapientes homicidas
peſſimos factos? Quæ autem JESU con-
ſiſtentia erant, cùm ſolus erat innocens in-
ter tot improbos conſtitutus? Hæc omnia
pœnalia erat, ſed hoc magis erat doloris
augmentum, quòd à veritate diſtortæ ra-
tiones errabant, & ſal, ſcilicet omne Ju-
dæorum conſilium conditurum omnem
aliam gregariam plebem, ex toto infa-
tuatum erat. Jeſus autem non clamabat
adverſus impias voces, nec reprimebat ſub-
dolas linguas, animo conſtans mortem ex-
pectabat in voto, & promptitudo mentis
aſtabat intrepida, & ipſe paratus erat in-
conturbatè illam ſuſcipere, divinè magna-
nimis, cùm contra eum mors in tot vo-
cibus reſonabat. Mirum ſentire de DEI
Filio, vidente tetras effectas imagines, quas
formaverat, non qualibet ſuſcanone, ſed
illa, qua creatura contra ſuum pugnat
authorem. Mirum de Chriſto tacente,
magis ſuam ſubmittendo potentiam, ini-
quorum moribus variatis, juſtos ſuos
omnino non variat, multò magis & Chri-
ſtus ſemper in moribus ejus. Non enim
venerat Chriſtus in manibus Judæorum,
aut ſe capi permiſerat, ut decertaret ver-
bis cum negantibus veritatem, & cum
obrutam habentibus rationem, neque ſua
inviſa potentia mutare decreverat pertina-
cium mentes, ne in ſua cauſa liberum
videretur auferre arbitrium, quòd huma-
næ naturæ pro tanta dignitate conceſ-
ſerat. Patientia in isto myſterio & vir-
tutibus opus erat, quas ſecum portabat
ſæculi Salvator, cùm audita mortis ac-
clamatione tacebat. Sed antequam morti
per Judæos adjudicatus, mortis ſentiret
aculeum, prius ſuis pœnis ſatiari quæ-
rentes, exſpuunt in faciem ejus velut in
faciem abjectiſſimi & viliſſimi hominis;
cui ex animo verbis, & actibus expro-
brabant. Exſpuerat autem Salvator, & Joan. 9.
lutum fecerat, ut in lucem revocaret
hominem, cui natura negaverat, nunc
verò procax impudentia Judæorum, fa-
ciem ſputis polluit Salvatoris. Actus
enim abjectionis erat eorum, quæ dice-
bantur, cùm exſpuebatur in faciem, ac
ſi dictorum vilitas ſputorum vilitate da-
naretur. Et Job ad ſui vilitatem lamen- Job. 30.
tabiliter aſcribebat, cùm de abjectis at-
que plebeis adverſum ſe inſultantibus aſ-
ſerebat. Et faciem meam conſpuere non
verentur. Acſi amaro animo dicat: Ita
ſum ab altitudine ſtatus mei ad ima deje-
ctus, ut ad vilitatis exaggerationem etiam
indigni homines meam faciem improban-
do & viliſaciendo expuere non formident.
Et quoniam conſuevit in ſaliva hominis
hominis ſapientia prænotari, quæ de ca-
pite ad corporis interiora deſcendit, & in
facie attenditur tota notitia hominis, col-
ligitur, quòd ex ſtulta ſapientia hominum
Chriſti vera notitia reprobetur. *Et vela-* Matth. 26.
verunt faciem quam primò conſpuerant. Marci 14.
Velatio faciei facta noſcitur in deriſum. Lucæ 22.
Sed illos reprobos inſinuat, qui mallent
peccando non videri, & potius DEUM
non habere notitiam. *Et colaphis eum
ceciderunt*. Colaphus in id tendit, ut ex
actu inferat pœnam, magis verò adum-
brato myſterio, ut fidei, qua Chriſto
jungimur, Judæorum pertinacia maledi-
cat. Ac etiam crudelitas paganorum in ſuis
tyrannis illam ſit conata diverberare atque
ſuccidere, cùm ante ſuam converſionem
omnes in Chriſto credentes, quos potuit
ſupplicio diræ mortis adſcripſerit. Nam
colaphus eſt percuſſio ſupra collum. Col-
lum autem eccleſiæ fidem inſinuat, ſicut
in Canticis legitur: Sicut turris David col-
lum tuum. Et collo namque corpus capiti
jungitur, & eccleſia per fidem Chriſto ca-
piti copulatur, Turris in alta ſuſtollitur,

ſides verò ad altiſſima ordinatur. Et morum credentium maximam notam prænuntiat colaphizatus Chriſtus, quoniam credentes quamplurimi & magnis & horrendis criminibus fidem qua Chriſto jungimur & varia morum perverſitate diverberant.

Matth. 26. *Alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit?* Expalmata Chriſti facies, id quod ſæpe diximus præoſtendit. Sed ut omnis compleatur deriſus in domibus Judæorum, prophetia, qua ille populus inter cœteros jam effluxerat in CHRISTO capite deridetur, cùm dicitur: Prophetiza nobis, quis eſt, qui te percuſſit? Nec poſteri à prioribus diſcrepabant qui occiderant prophetas veriſſima prophetantes, & malè tractaverant illum, qui ab utero propheta conſecratus extiterat, & quotquot à Deo miſſi fuerunt à malefidis Judæis, regibus, proceribus, & plebeis ſupplantati ſunt. Nunc ad eorum iniquitatis cumulum in propheta prophetarum, & inſpiratore veritatum veritatem prophetiæ contemnunt, derident, & confundunt, dicentes: Prophetiza nobis, quis eſt, qui te percuſſit? Ac ſi prophetia careret anima Salvatoris, ſive tanta ſit ignorantia judicis, quòd culpam neſciat delinquentis, & quòd neſciens culpam non inferat pœnam. Et pernicioſâ licentiâ pervagetur iniquitas, ſi judex ignorat, quem puniat. Similiter, & ſi neſcit patiens ferientem, quòd juſtam nequit rependere vicem. Credunt namque nonnulli, velut infrunitum conſilium Judæorum, oculos Domini faſciolis ignorantiæ obvelaſſe, ut nec ipſe ſpeculator deſuper adſtet atque conſideret facta malorum, & quòd pro tempore impunè pertranſit, quod in Dei cognitionem non venerit. Et temporalis impunitas inde proveniat, quòd velut Deus velata facie reproborum mala non videat. Sed mentita eſt iniquitas eis aliter dicente Pſalmiſta contra illos, qui propriè aut ænigmaticè talia crediderunt, & dixerunt:
Pſal. 26. Non videbit Dominus, neque intelliget DEUS Jacob. Quid enim eſt dicere, non videbit Dominus, niſi, quia mala, quæ fecimus, aut ignorat, aut non conſiderat omnino? Et hæ ſententiæ ſe verſa vice reſpiciunt, cùm dicitur: Dominus non videbit, & prophetiza nobis quis eſt qui te percuſſit, ut in utroque ignorantia prætendatur, ut malefactorum impunitas ſubſequatur. Contra hos vero tam nequiter opinantes, ipſe Pſalmiſta ſubſequitur: Intelligite hæc inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantavit aurem, non audiet? Qui finxit oculum, non conſiderat? Qui corripit gentes, non arguet, aut docet hominem ſcientiam? Et indeciſè contra ignorantiam in Chriſto ponentes adjunxit: Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt, Si novit cogitationes, novit & actiones. Si cogitationes varias hominum ſcit, & eum, qui percuſſit agnovit. Æquali enim notitia malè cogitantem & pravè agentem de alto cognoſcit. Præſcivit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Quid enim vanius in cogitationibus hominum, quàm Chriſtum credere aliquid ignorare? Quid in deriſione ferocius, quàm quod ſcienter faciunt, per prophetiam exquirere? Nam prophetia omnis ad non viſa præterita ſive futura refertur, non ad ea, quæ præſenter manibus peraguntur, oculiſque videntur. Sed hæc deriſio prophetiæ ad ipſos Judæos impios retorta cognoſcitur, ut facti omni populo in deriſum, & prophetis veracibus non credentes, à mendacibus decepti, veritate privati, miſerum in mundo experiantur exilium. Et quoniam Chriſtum tanquam prophetarum omnium veritatem velaverunt, juſto Dei merito ſuper ipſorum corda velamen cæcitatis, & ignorantiæ manet expanſum, & niſi ad Chriſtum fide, atque dilectione pertranſeant, in hac vita nulla ratione tollendum. Sed in fine ſæculorum elevabitur omnino velamen, bonis meritò juſtæ credulitatis in gloria, incredulis verò cum juſto Dei judicio affligentur in pœna, quàm, quia velamine appoſito credere noluerunt, idcirco perſentient quotquot CHRISTI faciem velaverunt, aut in ſimilibus actionibus his aſciſciti ſunt. Illorum crimina ſimiliter & pœnam exagerat, quod prophetia verbis & verberibus ſit deriſa, ut qui codices tenent, & relegerunt prophetarum, veritatem inſertam omnino legendo, intelligendo non videant, nec bona perdita, donaque promiſſa inſpiciunt, ut acquirant. Nec pœnas incredulis debitas legendo cognoſcunt, niſi ſe avertant à malis, quorum meritò irrogantur, ſed gurgitem malorum implendum ſimili malo multorum credentium iniquitas creſcit in amnem, ut exiſtiment propemodum Chriſtum habere velamina ſuper faciem, quod aut propter ſuam eximiam dignitatem mala noſtra non conſideret, aut

ab

ab ignorantia detentus ignoret, aut neutro præventus, ſed ſi qua peragimus, velut eum non lædentia nil æſtimet. Sed non advertunt, quòd ſcriptura de ipſo inclamitat: In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Et alibi: Vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Inevitabiles ſunt oculi Domini, ſi boni & mali aſpectum ejus non effugiunt. Protinus velamen non patitur ſemper oculus inſopitus. Multùm delirat humana improbitas, ſi propter divinam dignitatem non credit conſiderationem, aut cùm ignorantiam apponit ei, qui ab æterno antequam fierent, cuncta cognovit. Necnon ad delirationem damnabilem pertinet, ſi non Jeſum à criminoſis per ultionem juſtam ipſos lædere non credamus. Quoniam Deus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit, quia ſinè paſſione, aut reſpectu ſui criminoſos liberè amore juſtitiæ punit. Et major dignitas eſſe cognoſcitur punire peccata, quàm inulta permanere. Nec ignorare peccata credendum eſt, qui omnia novit. Voraginoſum profectò verbum eſt pro Deo, & adverſus homines peccatores multa complectens, cùm dicitur, propheti za nobis, quis eſt qui te percuſſit? Roboat in varia verbum iſtud. Si quis eſt, qui Deum offendit. Sed in multis offendimus omnes. Et omnis homo mendax. Et non eſt qui faciat bonum, nec eſt usque ad unum. E ſi offendentem novit offenſus, & ſi Deus hominem novit, creator creaturam, nam quis & te homo, & Deus, iniquus & juſtus? Quis eſt, qui te percuſſit? Nemo manu palpabilem tetigit Deitatem. Sed angelus in cœlo illam ſuo modo percuſſit, cùm poteſtate propria delectatus, id appetivit, quod eſſe non poterat. Magnus impetus factus eſt ad percutiendum, quamvis non ſit inflicta natura, cùm, quod Dei proprium erat, in ſe transferre angelus nitebatur. Simili atque diſſimili modo protoplaſti, niſi ſunt in paradiſo impetere Deitatem, cùm ſicut Eloim eſſe diabolo ſuadente in animo voluerunt. Et hic omnis ejus corporalis & ſpiritualis eſt initiata percuſſio, ut illa culpa delenda DEI Filium expeteret incarnari, unde ad manualia opprobria ſic turpiter ventum eſt, quod peccatores in poſterum, & idololatræ, atque diverſis criminibus maculoſi faciem Domini percuſſerunt verbo deriſionis tacitæ ſubanexo, propheti za nobis, quis eſt, qui te percuſſit. Sed ſicut novit Dominus, qui ſunt ejus, ſic reprobando cognoſcit omnes adverſarios ejus. Ad quid devenit hominum feritas, & averſa iniquitas, ut ſub hujuſcemodi typo dicere velit, cùm peccat, ſi eſt ſcientia in excelſo. Cur quærit de ſua nequitia quiſpiam prophetiam, cùm patran ſceleris certam habeat ipſe ſcientiam? Sed omnis malè agens pœnam ſentiendo ſua crimina quæque cognoſcet, qui perpetrando illa ignoravit, aut ignurare ſe finxit. Porrò Judæi mortem Chriſti differre periculum autumantes, poſtquam in illorum fuerat diffinitum conſilio illum morti obnoxium ſubjacere, nec habentes quomodo poſſent ſententiæ mortis tradere, poteſtate translata in Romanum imperium, aut falſo religionem monſtrantes, ne propter invidiam viderentur ſententiam inferre ſuper CHRISTUM. *Manè facto, initoque conſilio principes omnes ſacerdotum & ſeniores populi contra JESUM, ut eum morti traderent, vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi*, ut exactus ab ea ipſorum fucatè credita innocentia ſævæ mortis experientia puniretur. Tranſivit inſomnis nox in CHRISTO opprobriis, affecto toties, & deriſo atque pecuſſo multoties, & ira fecit aliquos Judæorum, ad irrogandas CHRISTO injurias vigilare. Nam ſæpè contingit, ut alium lædens in corpore proprio, primò ipſe lædatur, quamvis ſine cunctatione ſemper damna in anima patiatur. Et nec vertatur in dubium, quòd nocere alteri cupiens, primò ſentit laborando & deſudando jacturam, & vigilias ſuſtinet ſuæ diſpoſitioni adverſas, ut alteri noceat. Nempe multa incommoda circumveniunt lædere cupientem, antequam lædat, necnon & lædendo læditur, cùm laborat ille qui verberat, aut debitum naturæ ſibi ſubtrahit, dum vigilando mala cogitat inferre ille, qui odit, & quies optata deperit, cùm unus alium zelo nocendi imperit. Unde torquens & tortus corporea ſæpè pœna plectuntur, quamvis magis in corpore ille, qui patitur, in anima verò torquens magis ipſe torquetur. Nam qui per importunitatem atque injuſtitiam alium lædit, ſenſibiles, atque inſenſibiles interiores incurrit in tenebras, exterioribus & æternis, niſi reſiliat, reſervandus. Manè autem facto in ordine ſolis terram deſuper orientis, ſed nox profundiſſima erat in cordibus Judæorum. Et quamvis corporà vigilarent ad corpoream lucem, ad ſpiritualem verò animabus interlucentem lethaliter dormiebant damnato iterato conſilio. Tradiderunt præſidi, authoritate

Romana Ieroſolymis præſidenti. Nec ſaturati pœnis illatis, mortem ejus anxiè ſitiebant. Aut in ſimul in conſilio condicentes, quod tradendo præſidi accuſando ſibi objicerent, quo præſes juſtè moveretur mortis proferre ſententiam. Et hujuſcemodi deliberatione facta, omnis multitudo ſurrexit, & duxerunt eum ad prætorium Pilati. Prætorium autem erat ſecundùm traditionem antiquam, civium Romanorum locus judiciariæ poteſtatis, ubi & eorum fiebat exactio, ſeu locus, in quo prætor cum ſapientibus & populo conveniebant ad aliquid diſſerendum. Sed prætorium Pilati ſic Ieroſolymis diſpoſitum erat, ut ex ipſius feneſtris allocutio poſſet eſſet ad extra poſitum populum, ſi neceſſitas poſtularet. Similiter prout in aliis vicis fit congregatio, ut diſſerendorum ordo poſcebat. *Sed principes ſacerdotum, & omne Judæorum conſilium prætorium Pilati non intraverunt, ne contaminarent paſcha* quod tunc in tempore celebrabant. Vitabant enim Judæi ex antiqua traditione in tali ſolemnitate ingredi gentilium ædes. Semper enim Judæi vilibus ceremoniis intendentes, in magnorum malorum voraginem ceciderunt. Maxima illorum cæcitas, & perverſa conditio. Verebantur contaminare paſcha, ſi præſidis intrarent prætorium, ſed non verebantur ad mortem injuſtè deducere Dominum omnium Chriſtum adverſùs quem nullam cauſam, mortis invenerunt, niſi quam illi ex animo imponebant. Contaminaverunt paſcha, & omnem eorum ſolennitatem fœdaverunt, cùm tam crudeliter in Chriſtum Dei Filium exarſerunt. Jam fœdaverant animas odio, & invidia, & falſitatibus deturpaverunt, ut nil prodeſſe poſſet munditia exterior, cùm homo interior totus eſſet in culpa. Fruſtra nititue forinſecus ſe comere moribus, horrendè in intimis maculatus. Et abſtinentia exterior tendit in nihilum, ſi animus interior impetu vadit in præceps. *Pilatus autem, cùm Jeſum cognoviſſet in ſuum prætorium intromiſſum*, foris autem expectare Judæos, velut doctus in agenda & diſcutienda cauſa reorum, & judicio diſſerendi, hunc quoque tolerans morem Judæorum, ipſis extra poſitis *eſt locutus dicens : Quam accuſationem aſſertis adverſus hominem hunc?* Ad ſapientiam præſidis ſpectat, & ad cujuslibet juſtitiam præſidentis, reum oblatum non judicare pro voto offerentium, niſi probabilis accuſatio afferatur. Proinde ſolerter hic Pilatus inquirit, & ordinariè procedit in cauſa, cùm ab offerentibus reum adverſus eum accuſationem expoſcit. *Tunc Judæi* ſanctitatem & falſam juſtitiam ſimulantes, & quod non velut invidi eum ſuæ juriſdictioni tradiderant, *reſponderunt : Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Ac ſi dicerent : Non movemur invidia, odio non agitamur, nec ſumus in ſuo facto præcipites, antequam tibi tradidiſſemus, ipſum diſcuſſimus, vidimus malefacta ejus, maledicta cognovimus. Nil aliud, ſed ſua malefacta tibi eum per te judicandum tradere nos compellunt. Igitur apertè cognoſce, quòd ſi hic malefactor non eſſet, tibi à nobis traditus tunc nunquam foret. O! Judæorum damnata procacitas, quæ perſequi non deſinis innocentem, quæ tuis non ſatiaris opprobriis, quæ veritate carens, & juſta cauſa quærelæ, ad commenta fallaciæ te convertis. In quo malefactor, adverſùs quem paulo ante coram Caipha tuis falſis teſtibus defeciſti? In quo malefactor, qui veſtrum decalogum immaculatè ſervavit? In quo malefactor, qui veſtram legem non venit ſolvere, ſed adimplere? In quo malefactor, qui ad vos reſidentes in Moſaica ſede reverentiam mandavit turbarum, ne per veſtra malefacta debita obedientia rumperetur? In quo malefactor veſtrorum curator infirmorum, ſanitatum donator, & veſtros mortuos de imperio mortis eripiens, ut vos vocaret ad fidem, & corda veſtra pro æterna reſurrectione ad ſeipſum juſtè converteret? In quo malefactor, qui vobis prædicavit regnum cœlorum, & repromiſit æternum? In quo malefactor, quem nullum potuit maculare peccatum? Ubi ſunt homicida ejus, ubi ſeditiones, ubi furta, ubi rapinæ, ubi extorſiones violentæ, ubi adulteria, ubi ſtupra, ubi inceſtus, ubi delictum aliquod, ex quo conſtituitur homo reus? In quo malefactor, qui omnibus venerat relaxare debita? In quo malefactor, bonorum omnium conditor, & creator? In quo malefactor, qui ab eo, quod eſt, deficere nequit, qui ſummum bonum eſt, & omne bonum ab ipſo procedit? An ideo malefactorem judicatis, quia purum hominem creditis, nec in illo creditis Deitatem? Sed ſi Deum eſſe non creditis ſibiqúe loquenti, ſaltem operibus credire, qui talia fecit, quæ nemo ante eum facere potuit. Et ſi omnes patres tuos ab Adam in præſens, ſi omnes patriarchas, atque prophetas, quos credis juſtitia præditos, ſanctitate pollentes, etiam ut homines ad iſtum Chriſtum ut hominem compares, ut lumen ſtellarum aurorale vel luna, cùm ſol apparuerit, ſic illorum ſancti-

tas

tas reſpectu Chriſti hominis omnino palle-
ſcet. Cur præſumpſiſti Judæorum implà-
cabilis ſentas cum Chriſto in judicium in-
gredi? Cur non timuiſti malefactorem di-
cere apud Pilatum præſidem, cujus vita
omnino neſcivit criminis labem? Cur
commutaſti in mendacium veritatem, ut
perverſo corde, perverſitate loquendi be-
nefactorem, malefactorem in judicio ap-
Lucæ 7. pellares? Nonne turba vulgaris exclama-
vit viſo miraculo, benè omnia fecit? &
tu tunc coram præſide aperta falſitate, im-
petuoſis vocibus malefeciſſe cauſaris. Non-
ne turbæ dixerant alio viſo miraculo, quia
propheta magnus ſurrexit in nobis, quia
Joan. 6. DEUS viſitavit plebem ſuam? Necnon
& alio viſo miraculo, turbæ in monte
ſatiatæ dixerunt, quia hic eſt verè pro-
pheta; qui venturus eſt in mundum,
& tu nunc nefanda voce inclamitas
ipſum dicens malefactorem inmundum.
Nam omnis malefactor in populo Judæo-
rum conſtituitur, aut contemptu legis
naturæ, aut contemptu legis Moſaicæ.
Profectò neutram iſte homo contempſit,
quem tu malefactorem conſequeris. In
aliis verò nationibus malefactor habetur,
qui juſſa principum, civilesqúe leges du-
xerit in contemptum. Sed nec CHRI-
STUS ſpectabat ad alias nationes, qui
natione carnali profectò Judæus erat, in
qua lege malefactor omnino non erat.
Sed ſupervacuum eſt CHRISTI veram in-
nocentiam excuſare, potius hominum
malitiam accuſemus, qui ad tanta mala
prolabi poſſunt, ut negent veritatem,
falſitatem omnino præmittant, & ad id
deveniant; quod retractare non poſſint.
Nam hominem extra judicium malefa-
ctorem aut reum quomodolibet appel-
lare, aduſtio eſt infamiæ, & quando-
qúe debilis, cùm firma vita ſteterit in-
nocentis. Cùm verò in judicio ut ma-
lefactor quis conſtituitur, quandoqúe
lata ſententia pœna ſubſequitur, quæ nul-
lis remediis abrogatur, unde urit infa-
mia, torquet & pœna. Quid igitur fiet
illi, qui ad judicium protrahit, falſis
accuſationibus impetit, cujus immacula-
te eſt vita, & ſententia ſequitur, unde
vita privatur? Sed ſecundùm juſtum le-
gum judicium, quod univerſale aut in-
definitum non recipit, nemo condem-
ri convincitur, niſi crimen particulare aut
probabile objiciatur. Pilatus autem in
hac cauſa Judæis juſtior erat, & leges no-
verat Romanorum; quæ tunc per uni-
verſum orbem velut juſtiores ſumma ob-
ſervantia ſervabantur. Quæ leges non
damnabant reum, niſi de particularibus,
& diſſertis criminibus juſta probatione
convictum. Perſiſtit inquirens, quam-
vis litera taceat, quid diſſertè adverſus
CHRISTUM objiciant Judæi, & qui
eum ſibi tradiderant. Sed ne in hac
cauſa juſtiſſima ſuccumbere viderentur,
ſe ad falſa commenta convertunt. Nam
moris eſt perverſorum, falſitatem verbis
ejus facere numeroſam, qui authoritate
ſe animo diſſecuerunt, inquiunt enim
linguæ doloſæ, dicentes: *Hunc invenimus*
ſubvertentem gentem noſtram, & prohiben- Lucæ 23.
tem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe re-
gem eſſe. Ecce fingunt audaciam mente
dejecti. Imponunt falſa infallibili veritati,
per improbitatem inſiſtunt, juſta impo-
ſtura carentes, & ſubverſi à diabolo di-
cunt Chriſtum Dominum ſubvertentem.
Non eſt ſubverſio, ubi ad Deum ordinatur
converſio. Venerat enim omnes ad De-
um convertere. Hoc ſiquidem vita, mo-
ribus; factis, dictis in veritate atque in-
ceſſanter clamabat, ut ipſi converterentur
ad Dominum. Et per Prophetas ſuos
velut per conſonantes voces ſibi invicem
ſuccedentes ad converſionem veram atque
veritatis notitiam, multò &. paulò ante
Judæorum perfidum populum invitaverat.
In illis namque prophetis hoc potiſſimè
agebatur, ut populus & principes Ju-
dæorum converterentur ad Dominum,
ſicut eorum ſcripta, quæ hic inducere
longum eſſet, verè intelligentibus ma-
nifeſtant. Nunc verò DEI Filius incar-
natus in id tendens, appellatur ipſe ſub-
verſor. Humana quippe iniquitas ſæpè
contrarium virtutis illorum quos odit,
objecit in facie. Plerunque autem, &
veritatem in vitium, aut falſa opinione
aut fallaci criminatione mutavit. Non
ſubvertebat gentem, quam convertebat
ad legem. Non ſubvertebat gentem ve-
ſtram, cui novam ſcalam parabat aſ-
cenſionis in cœlum, unde nec ſubverti
poſſet à regibus, qui vos toties captiva-
verant, & de terra promiſſa non veſtris
meritis, ſed veſtris culpis exigentibus,
ſubvertebant. Nimis pateris bone Jeſu,
cui virtus in vitium ab improbis ver-
titur. Et dura eſt cujuſpiam hominis
paſſio, cùm innocentia pro crimine com-
putatur. Magis enim ex his, quàm ex
corporeis flagris mens ipſa confingitur.
Et plus quàm flagella corpus, animam
iſta diverberant. Sed mitius ſuſtinet, qui
tribunal expectat divinum, ad quod magis
quàm verbis tacitè appellatur, etiam ſi Matth. 22.
nolit ille, qui patitur, nec tributa dare
Cæſari prohibuerat, ſed reddenda Cæſa- Matth. 17.
rea Cæſari interrogantibus ipſe prædixerat: Joan. 17.

Et ad vitandum ſcandalum, cúm eſſet liber, per Petrum ſtaterem regi ante perſolverat. Et cùm eſſet Rex regum, & Dominus dominantium, ſe regem eſſe nunquam aſſeruit, potius autem fugit, cùm turbas prænoſceret venturas ad eum, ex miraculo magno motas, ut regem ſibi eum præficerent, qui ſecreta poteſtate de paucis panibus tantam hominum multitudinem ſatiavit. Non librant verba homines animoſi, nec advertunt utrum mendacium, an proferant veritatem. Sed Pilatus hanc animoſitatem intelligens, & ex ante relatis cognoſcens invidiam Judæorum, eis ſecundùm legem tradidit judicandum, dicens:

Joan. 18. *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate eum.* Immunis volebat eſſe Pilatus à judicio hujus hominis innocentis, cùm eum remittebat judicandum legis judicio Judæorum. Et neſcio qua humilitate agebantur, ut legem & authoritatem in Chriſto vellet ſuſpendere Romanorum, cùm nollet inquirere aut diffinire aliquid ſuper Chriſtum. Fortè præſagium erat, quòd propter Chriſtum ſuſpendendæ aut remittendæ Romanorum leges forent, quas tempore ſævæ paganitatis ediderant, aut non ſpectare ad ſæculares principes de Chriſtianis poſt Chriſtum amplius judicare. Seu prægnoſticon fuit, quòd authoritas terreni regis, atque humanæ legis ceſſura erat authoritati divinæ, atque Evangelicæ legis. Non enim hæc à Pilato pro Chriſto, quamvis ipſo ignarante, niſi adumbrato myſterio agebantur, ut ſecundùm legem Moſaicam, non ſecundùm Romanam de Chriſto in judicio ageretur. Moſaicam legem Judæi ſe tenere fatebantur, quàm à DEO datam eſſe in monte Sinai per totum orbem quadam fidei notitia & revelatione veridica ferebatur. In qua, & ſub qua mira DEI providentia & diſpenſatione ubique terrarum, etiam poſt depoſitionem permiſſi vivere ſunt Judæi, quæ legem Evangelicam tenebat incluſam, & ſecretò Chriſtum in ſuis geſtabat viſceribus mundo naſciturum, tunc verò jam natum. Cui legi Pilatus etiam non intelligens, quid hòc ſecreti haberet, tanta reverentia deferebat, ut diceret: Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate eum. O! ſi Judæi à Pilato prædocti rediiſſent ad cor, & legem cum prophetis vigili mente legiſſent, & ſecundùm illam judicaſſent, CHRISTUM profectò decreviſſent penitus eſſe Deum DEI Filium, hominem verum, & ducerentur pœnitentia, quòd tradidiſſent ut hominem reum. Sed quem per Moſaicam legem morti adjudicare non poterant, ut ipſi benè prænoverant, ſe falſo ad religionem convertunt, dicentes: *Nobis non licet interficere quenquam.* Inviſibiliter homicidium, & CHRISTI mortem geſtabant in animo, qui de interfectione clamaverunt. Non enim dixerat Pilatus, accipite, & interficite, ſed dixerat, judicate. Quoniam multi per legem judicantur, atque variè plectuntur ſecundùm exigentiam delictorum, qui tamen non ſuperſtante digno crimine mortis, ipſius evadunt ſupplicium. Sed Judæi perfidi ſolùm de interficiendo loquuntur. Quare autem dicebant interficere non licere? Aut enim honeſtate feſti, aut ratione tranſlati Dominii, ſed hoc ad eos Pilatus reſtituebat, cùm dicebat, accipite. Veruntamen quadam alia ſagacitate doloſa vexabantur, qua dicebant penitus non licere, ut puta quod à turbis & cæteris præſentibus & futuris haberentur immunes, ſi non ab ipſis, ſed à gentibus authoritate juſtitiæ Romanorum Chriſtus publicæ mortis ſententia puniretur. Aliam verò ſecretiorem cauſam evangeliſta ſubnectit, diceus: Ut ſermo Jeſu impleretur, quem dixit, qua morte eſſet moriturus. Pilatus his auditis illorum importnnitate ad Chriſti examinationem ordinario jure ſe contulit, & de tribus accuſationibus factis unam tantùm veritus, ſuper illam Chriſtum duntaxat examinat. *Introivit igitur in prætorium Pilatus, & vocavit JESUM, & dixit ei: Tu es Rex Judæorum?* Cavebat ſibi Pilatus, qui ex mandato Romani imperii procurrabat Judæam, ne rex aliquis per ſubdolam actionem inſurgeret, quàm ipſe cavere non poſſet, & ne Romano imperio auferetur provincia, ſimiliter & jacturam propriam verebatur. Ex hoc à Jeſu, ſi rex eſt, exquirit, primis duabus accuſationibus prætermiſſis. Præfixerat enim in ſua mente Pilatus ſe CHRISTUM regem propria lingua confeſſum, aut morti tradere, aut Romam mittere puniendum. Spectabat ſanè ad eum ex commiſſione Tyberii Cæſaris, Romanique ſenatus, ne Judæa, quam Roma in deditiónem acceperat, ab aliquo invaderetur, in qua, ſi permiſiſſet aliquid inacutè moliri, capitali ſententiæ ſubjacebat. Poinde non ex toto vilipendit verbum; cùm tantùm interrogat, ſi rex erat CHRISTUS hominum Judæorum. JESUS autem cautè reſpondit interrogatus interrogans: *A temetipſo hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* Nec CHRISTUS, qui omnia novit, velut ignorans interrogat,

rogat, ſed volens juſta ratione Pilatum in ſua examinatione reprimere, ac ſi recavendo dicat: Si à temetipſo cogitaſti me fore regem, communis judex transivit in partem, quo facto ſemper eſt ſuſpecta ventilatio rei. Si à temetipſo hæc cauſa ſumpſit initium, injuſtum eſt, ut cogitatio præſidum per examinationem exbuiratur. Non eſt juſtitiæ præſidis, ut ſecundùm ſuas ſuſpiciones abſque rumore, vel fama, ſeu accuſatione prævia quid in judicio quærat. Si autem alii dixerunt tibi de me, non me interroges, ipſi reſtificentur, qui me accuſaverunt. Accuſanti, non reo incumbit probatio, tantùm defenſio competit reo. Juſtè atque modeſtè videbatur procedere Pilatus, juſtius autem agebat & CHRISTUS. Si verò tentabimus ingredi interrogationis ſecretum, alio ſplendore fulgebit ipſa ſententia. Ordo rationis expoſcit, & juſtitia vera requirit, ut omnis interrogatus cauſam & rationem interrogationis agnoſcat, aliter per incaptionem & incompactè loqueretur. Prima enim virtus reſponſionis eſt interrogationis cauſam ſciviſſe. Necnon honor & virtus eſt interrogati, ſi interrogantem de his, quem non novit interroget. Fecit hoc CHRISTUS, quamvis omnia noſceret in myſterium & exemplum, ut ſi qua ratione interrogaretur, reinterrogaret ipſe Pilatum, ut ſi dicere velit: Si à temetipſo hoc dicis, edicito, & reſpondebo tibi: ſi autem alii dixerunt tibi de me, congrediantur mecum & reſpondebo eis. Necnon aliter reſpondendum erat, ſi à ſemetipſo, aliter, ſi ab aliis imbutus exquireret CHRISTUM regem eſſe Pilatus. Nam ſi à ſemetipſo dixiſſet Pilatus, CHRISTUS quare iſta cogitatio ſubintraſſet, ſuis interrogationibus extorſiſſet, qua cognita ipſum aut convertiſſet ad ſeipſum tanquam hominem alta & vera cogitantem, aut eum confundiſſet verbis in ſua perfidia remanentem. Si autem alii dixiſſent ex ore Pilati, quærebat audire cum quibus habeat, & quo iure in hac cauſa congreſſum. Noverat enim omnia, ſed interrogat ut homo ante hominem conſtitutus. Modeſtia Pilatus uſus eſt & ſuavi prudentia, ut prius reſponderet interrogatus, quàm reſponſum acciperet primo interrogans. Manſuetudo viri præſidis, qui non ex animo, ſed ex juſtitia procedit in reum, verba dicit & audit, interrogat & reſpondet, & pro accuſationibus excuſationum præſtat audaciam. *Et Pilatus: Nunquid Judæus ſum ego? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi. Quid feciſti?* Ex quadam benignitate loquebatur Pilatus, cùm interrogatus verum reſpondebat, & humanitate miti agebat in CHRISTUM, quam ſi usque in finem cauſæ ipſe ſervaſſet, mortis non dictaviſſet ullo modo ſententiam. Et humanæ ſub diabolo ſervitutis fuiſſet dilata redemptio, quousque CHRISTUS aliter accepiſſet compendia moriendi. Sed ejus perverſitas, quia non manſit, ut cœpit, noſtrum acceleravit remedium. Reſpondit ergo Pilatus ad interrogata JESU: Nunquid Judæus ſum ego? Ut omnino excuſare ſe velit, quòd à ſemetipſo CHRISTUM eſſe regem non dixerat, neque cum eo fuerat obſervatus, ut mores & vitam ejus agnoſceret, aut quòd ab illo audierit ſe factum regem. Propterea ſecutus adjunxit: Gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi. Ad ipſos retorquet Judæos objectum crimen JESU, quaſi CHRISTO interroganti reſponderet: A memetipſo te regem eſſe non dico, quia Judæus non ſum. Gens tua, de qua natus es, & tui principes ſub quibus populus dirigitur Judæorum, aut gens tua & principes tui, ſi te illorum aſſeris regem, ſeu ipſi te regem aſſerunt deluſivè, aut te tolerare nolentes, tradiderunt te mihi ſub iſta delatione, quod improbiter te regem fore prædixeris, quod ſi non es, quid feciſti? Diſceptat cum CHRISTO exquiſitivo more Pilatus, interrogans ſi quid fecit, quod in tantum odium venerit Judæorum, ut eum ſibi tradiderint judicandum, quaſi dicat: Si te non aſſeruiſti regem, quod ipſi tibi objiciunt, ut ſi non es, quod mores tui inſinuant, abjectis enim à mundo moribus utebatur Jeſus. Quid feciſti? Quod eſt crimen in lege tua? Quid aliud commiſiſti adverſùs gentem tuam, adverſus pontifices & ſacerdotes, qui te in hanc miſeriam induxerunt? Non te quærebam in judicio ſiſti, neque mihi es à mea gente delatus, de ſe ultra omnes viventes mira multorum relatione percepi, te utique vivere permittebam, dignitas Romanarum legum liberum te ſinebat, tribunal noſtrum nihil adverſùm te habet, de nihilo, & à nullo præterquam à tuis pontificibus accuſaris. Quid ergo feciſti? Latet ne aliquid præter objecta, quæ vera non judico, quæ probatione deficiunt, unde adverſùs te tumultuet gens Judæorum? Quid feciſti, ut aut te juſtè condemnem, vel dimittam immunem? Affectabat enim Pilatus Chriſtum dimittere, atque ſedare Judæos, idcirco à Chriſto exquirebat quid egerat. A Pilato ſuſcepto reſponſo, quod non à ſeipſo, ſed

Joan. 18.

à Ju-

à Judæis ſuaſus Chriſtum, ſi rex erat, exe- Matth. 2. gerat, *reſpondit Jeſus: Regnum meum, non eſt ex hoc mundo: Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis. Nunc autem regnum meum non eſt hinc.* Veritus fuerat Herodes tempore Chriſti naſcentis, magorum audito præconio dicens: ubi eſt, qui natus eſt rex Judæorum, aliquem regem natum, qui ſuum regnum vellet omnino præripere. Et cùm novæ ſtellæ audivit auribus novitatem, quaſi majus imperium ſuper eum venturum expavit. Nunc tempore Chriſti mortis imminentis ſimilia Pilatus extimuit. Sed nec reſpondit, niſi fugiendo Herodi, erat enim infans, cui nondum tempus mortis obvenerat, nec ipſe debebat in judicio non requiſitus aſſiſtere, maximè, cùm non ad rei veritatem oſtendendam, ſed ad mortem ſubeundam ab illo impio quæreretur. Nunc homo factus Pilato pro ſeipſo & pro jam mortuo Herode reſpondet, quod de regno terreno non timeant regem ſe eſſe, regnumque non temporale, ſed æternum ſe habere conteſtans. Regnum habere Chriſtus ſe aſſerit, ſed non de hoc mundo, quia non ab homine, ſed à Deo: non de hoc mundo, quia non corruptibile aut mortale, non tranſitorium, ſed incorruptibile ſemper eodem modo ſe habens & ſine fine manſurum. Daniel. 4. 7. Et in Daniele prædictum jam fuerat: Poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur. Unde regnum o! Chriſte Jeſu, ſi non de hoc mundo? Eſt ne alius mundus, regendo præferaris? Eſt ne tibi aliud regnum quod dimiſeris, ut in hanc miſeriam devenires? Proinde regnum eſt ſenſibilis mundi, cui præfecit hominem protoplaſtum, ut irrationabilibus dominaretur, qui ſine contradictione fuiſſet omnibus dominatus, ſi in eo, quod acceperat, ipſe ſtetiſſet. Et ad id deveniſſet ſucceſſor transductus, ſi non ex infecta radice ipſe fuiſſet exortus. Sed ſicut multatus eſt primus, æque multatus eſt poſterior. Quod quamvis remanſerit præeminentia naturæ, virtus deperiit obedientiæ, & obedientia plurium irrationabilium in inimicitiam verſa eſt. Et elementa ſumpſerunt aculeum læſionis. Horum ſiquidem omnium ſcilicet, domini & ſubjectorum, erat ipſe dominus & rex verus. Sed ab altiori regno rex erat ipſe cenſendus. Nam eſt aliud regnum inviſibile corporalibus oculis & imperceptibile corporeo ſenſu, juxta quod Dominus Sabaoth ipſe vocatúr, id eſt, rex & dominus exercituum inviſibilium angelorum, qui unquam in hac miſeria peregrinati ſunt. Eſt ergo regnum Chriſto Dei filio, ſed non in perfunctorio mundo. Abnegat regnum mundi hujus ſcilicet corruptibilis & corrupti, quia omne quod eſt in hoc mundo, eſt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, 1. Joan. 2. ſuperbia vitæ, nec ſuper iſta regnare, ſed deſtruere competit filio Dei. Regnum iſtud regnum eſt mortis, ſicut dicit Apoſtolus: Regnavit mors ab Adam uſque ad Rom. 6. Moyſen, qui eſt forma futuri ſæculi, etiam in eos, qui non peccaverunt, quam ſi illam corporis & animæ diviſionem intelligimus, regnavit, & regnat, regnabitque in hominibus quouſque ſæculum iſtud præfinito fine claudatur. Chriſtus autem non regnum mortis, ſed veræ vitæ conſtituit, quod in ſe habet, & cui vult ipſe concedit. Unde regnum ejus non eſt de hoc mundo non inevitabilis mortis. Regnum mundi regnum eſt peccati, ſub cujus tyrannide omnes naſcuntur, qui generantur ex ſemine, duntaxat exceptis ſanctificatis in ventre, adverſus quod Apoſtolus clamat: Non regnet pecca- Rom. 5. tum in veſtro mortali corpore, quod de originali abolendo per baptiſmum eloquitur, aut de actuali, quod libera voluntate peragitur, quod de raro, aut ferè à paucis vitatur. Venerat enim ipſe peccata cuncta deſtruere, non ſuper ipſa regnare. Fundatur mundus ſuper nihilo ratione materialis originis, & de novo per creationem ſumpſit initium. Sed Chriſtus Dei Filius habet ſine principio regnum. Sed mirum mentibus noſtris ingerit quæſtionem, quòd Pilatus Chriſtum humanè interrogat, Chriſtus verò divinè reſpondet. Non enim Pilati capacitas rationis in altiſſimo ferebatur, ſed juxta ſenſum hominis, humanumque morem, ſi rex eſſet, à Chriſto Domino inquirebat. Ipſe verò Chriſtus reſonſum dabat divinum. Videbatur fortè Chriſtus ſub velamine reſpondere, & à ſubſtrato interrogationis Pilati ſua reponſio diſcrepabat, cùm omnis vera reſponſio ad ſubſtratum interrogationis intendat, ut quæſtioni ſatisfaciat & quærenti. Niſi fortè, quia de regno gloriæ loquebatur, quod in mundo iſto reperiri nequit, aut quòd regnum ipſum etiam præſidem reſponſione altiſſima inquirebat, ut deſpiciens procurationem, quam à Cæſare Romano accaperat, procurator æterni regni pro ſeipſo efficeretur. Necnon decebat divinum reſpondere divinè, quamvis humanus interrogareret humanè, Non expediret ſubmittere propter tempo-

Proverb. 26. rale habens æternitatem, neque ſemper ſtulto reſpondendum ſecundùm ſuam ſtultitiam cenſetur. Non reſpondet Chriſtus divinè neque humanè brevi verbo multæ comprehenſionis, cùm Pilatus interrogat, quid feciſti, quoniam divinè infinita hominum comprehenſione patravit, humanè verò multa fecit infinitæ virtutis, quæ non erant hujuſcemodi diſſertionis habitæ cum Pilato. Sed breviloqúe reſpondit de regno, quod ſuum non erat penitus de mundo hoc, quoniam ſi regnum ſuum eſſet de hoc mundo, commilitones, ut pro regibus aſſolent, decertarent: calamitatem huius traditionis atque judicii ne ipſe ſubiret, & ne Judæis tradentibus traderetur. Non infert Chriſtus pondus criminis in Pilatum, & parvipendere videtur, quod ſibi ſit traditus judicandus, ſed in Judæos, qui eum Pilato tradiderunt judicandum. Proinde nam dicit: Decertarent, ne traderer Judæis, ut juxta eorum petitionem judicer, & pœnam ſubeam judicatus, ut pateat, quod ſi pereat innocens magis fallaciam accuſantium, quàm judicis eſſe crimen. Et habere poterat de alio regno legiones innumeras inviſibilium pugnatorum, quas etiam denegavit ſe velle in ſuo principio captionis. Proinde affirmando ſubnectit: Nunc autem regnum meum non eſt hinc. Verè illo nunc regnum ſuum in mundo non erat, qui in mundum advenerat injuſtè judicandus. Nunc, quia voluntariè judicor, regnum meum non eſt hinc. Non habet ibi regnum, ubi quis mortis imperium ſubit. Sed nunc ad tunc usquequaque perveniet, aut ad nunc ſubſequetur, in quo judicandus injuſtè, juſtè omnia judicabit. Et cognoſcent eum omnes Dominum univerſi, cui à Domino in cœlo & in terra omnis eſt collata poteſtas, & omne genu flectetur cœleſtium, atque terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confitebitur, quia ipſe eſt rex regum, & Dominus dominantium, ſedens æternè ad dextram Dei Patris in majeſtatis gloria in excelſis. Ac per hoc illo nunc regnum ſuum hinc eſſe negabat. Objecit Salvator humanitatis formam dæmonibus, ut ſpecie deluderentur, ne Filius eſſet Dei. Hanc eandem objecit hominibus, ne crederetur Filius Dei, niſi eo merito, quo divina providentia occultè, ut crederent, multis hominibus interluxit. Quoniam tantùm formam Pilatus aſpiciens, ſecundùm illam Chriſtum ſuis interrogationibus agitabat. Erat nanqúe magnum divini ſacramenti myſterium, ut ſub eadem forma diabolus, & homo collega ejus in Chriſto Dei Filio fallerentur. Nec tamen in eo, quod fal-

Matth. 28. Philipp. 2. Apocal. 19.

luntur, ut falli juſto DEI merebantur, Chriſti veritas àltramitibus ſuis exorbitabat. Fefellerat diabolus humanam naturam, & in ipſa ipſe cum ſuis complicibus fallebatur. Nec erat injuria vel deceptio, ſi cum eadem, quam deceperat, forma haberet ipſe congreſſum. Proinde ſtupendum erat audire, nunc autem regnum meum non eſt hinc. Ergo regnum ſe habere dicebat, ſecundùm aliam formam, præterquam mundo monſtraverat. Ad altiora reſponſio iſta ſe tollit, nunc regnum meum non eſt hinc, ut ſi non eſt nunc, omnino fiet in poſterum, nam nondum eccleſia collecta de Judæis, & gentibus erat, nondum mortuus erat, in cujus morte virtutum etiam vita noſcebatur. Nondum fluxerat ſanguis ex latere, nec aqua initiativa ſimiliter, & effectiva baptiſmi effluxerat. Nondum etiam ſub cœlo, & in hoc mundo novitas reſurrectionis, & Chriſtiani regni claruerat. Nondum miſſus erat Spiritus Sanctus, in cujus virtute diſperſi apoſtoli per mundum atque diſcipuli in omni populo, & lingua, & natione Chriſtum ſic judicatum DEI Filium prædicarent, ut regnaret ipſe per fidem in cordibus hominum, eo ſenſu, quo ipſe prædixerat: Regnum DEI intra vos eſt, ut etiam in ipſius virtute conſtitueretur eccleſia in orbe terrarum, quæ dicitur propriè regnum Chriſti. Sed nec per hoc intelligendum eſt, quòd eccleſia, quæ dicitur regnum Chriſti, ſit de mundo, velut de ipſo exorta, quia hæc Jeruſalem nova non de mundo, ſed de cœlo deſcendit, ſicut Joannes in Apocalypſi vidiſſe ſe aſſerit: Vidi civitatem novam Jeruſalem deſcendentem de cœlo, &c. Sed eſt in mundo, non de mundo. Nec etiam animus autumet Chriſtum eccleſiam ſuam tanquam regnum æternum atque decoris & gloriæ conſtituiſſe, aut poluiſſe in mundo, cùm ipſe per fidem catholicam, & vicarios authoritate ſua fungentes, regnat in orbe terrarum, aut cùm ſibi ſubdita fuit in ſuis vicariis gloria Cæſarum, ſed tantùm hinc tali ordine credamus regnum eſſe virtutum in æternum gloriæ regnum conſummato mundi myſterio transferendum. Et ſumma veritas hoc compellit aſſerere, quod in mundo dominandi libidine regnare volentes, non habent partem cum Chriſto, cujus regnum non erat de mundo. Accedant ad hanc diſceptationem omnes, qui Chriſti nomine cupiunt ſe cenſeri. *Stetit JESUS ante præſidem.* Quomodo ſtetit? Ut reus ante judicem exactus, redditurus debitam rationem. Quo animo? Immobili, forti, conſtantiſſimo, imper-

Lucæ 17.

Apocal. 21.

Matth. 27

imperturbato, ad excipiendam ſententiam, non ad liberationem parato cupienti condemnari potius quàm adſolvi, qui omnia retro, ante duntaxat ſalutem noſtram poſuerat. Quo vultu? Honeſtate fulgente, clarente lætitia, carente procacia, in quo non apparebat pudor, aut verecundia maleſacti, nec illum timor pœnæ per modicum ſqualidaverat. Caput non inclinaverat, aut erexerat, ſed conſiſtentiam conſervabat, à natura, & ex ſolidis, & ex ſolitis moribus inhærentem. Non tremula verba, quamvis pauca prodebat, non ceſpitabat lingua, nec murmur in gutture reſonabat. Et cùm ſciret mortem eſſe vicinam, ex omni ſe aſtabat intrepidus, primo, quem aſſumpſerat hora captionis, abjecto pavore. Non variabat corporis geſtus, nec permutabat nutus, quamvis juxta edictum præſidis permitteret ſe ducenti, ne tali varietate à præſide velut ab aſtuto crimen objectum verum eſſe crederetur, aut ineſſe timorem in anima ante mortem. Solent enim judices præſides, qui multa conſiderant, per geſtus, vel nutus corporis pro vel contra ſentire de reo. Non circumferebat oculos Jeſus, ad ſeipſum totus collectus exiſtens, & tamen præſidi pro ſuſcipiendis pœnis volebat eſſe obnoxius. Sic profectò erat in exactionibus, prout in propriis actionibus Chriſtus. Quomodo ſtetit? Interpellantibus & fidejuſſoribus carens, nec aderant parentes cum redemptione, quorum alter mortuus erat, altera in prætorium nondum advenerat, cujus nec redemptionem ſuſpectabat. Pro Chriſto namque fuerat pro-
[Pſal. 26.] prophetatum: Quoniam pater meus, & mater mea derelinquerunt me, Dominus autem aſſumſit me. Stetit ſolus, abſque amicis & notis, quia ſingulariter ſolus, quem mundus non cognovit. Scriptura enim dicit, ac ſi Filius hic Chriſtus clamaret ad patrem. Longè feciſti notos meos à me. Et ibidem: Elongaſti à me amicum & pro-
[Pſalm. 87.] ximum, & notos meos à miſeria. Excipite formam conſiſtentiæ miriformem, & ad prærogatam imitationis & dilectionis imaginem reformamini. Nec pudeat, ſi ad judicium trahitur homo, cùm tractus ſit, à quo eſt conditus homo. Nec in animo moveatur, ſi cum culpa, vel abſque homo ſiſtitur ante hominem, cùm Chriſtus abſque crimine ante præſidem ſteterit peccatorem. Intendite libentes, & audite Chriſtum regnum mundi per omnia denegantem. In quo mentibus hominis interlucet, quales appetat ſectatores. *Pilatus his auditis adjecit: Ergo rex es tu. Chriſtus reſpondit: Tu dicis, quia rex ſum ego.* Syllogizavit Pilatus ex verbis altiſſimis Salvatoris, & Chriſtum regem eſſe admirando, aut affirmando, ſeu interrogando concluſit. Quæ verba quoquo modo proferantur ſententiam ſimplam ſonant, nec credamus Pilati verba parvipendiſſe Jeſu regnum, ſed non de hoc mundo ſe habere dicentis, imo magnipendit, & admiratus eſt. Et velut numen audivit hoc verbum, quòd claret ex ſequentibus, cùm ſtatim Chriſtum voluerit tradere libertati, Chriſtus autem confirmavit Pilati dictum, qui concluſerat, ergo rex es tu. Magis autem confirmavit & ſuum, quia dixerat de hoc mundo non eſſe regnum ſuum. Propterea dixit: Tu dicis, quia rex ſum ego. Vigilanti ſtudio per quia, non per quod, ſcriptum eſt dictum Chriſti, cùm replicat ad Pilatum: Tu dicis, quia rex ſum ego. Tu dicis, ut admirans aut credens, quia rex ſum ego, etiam ſi ſubinterroges, quia rex ſum ego.
Et ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni [Joan. 18.] *in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Ut interrogationis & reſponſionis ordo texatur, prout verſa vice inter Pilatum & CHRISTUM aguntur, per quandam non ſcriptam, aut tacitam interrogationem Pilati, litera eſt ſupplenda, ut hoc quod Chriſtus adjecit, ſcilicet ego in hoc natus ſum, debita ſeriè coaptetur. Audiens nempè Pilatus, quòd Chriſtus ſe regem ſermone intrepido aſſerebat, & quòd regnum ſuum de hoc mundo non erat, tacitè in animo aut verbis exquiſivit à Chriſto: Si regnum tuum non eſt de hoc mundo, cur in hunc mundum veniſti? Cur in hanc miſeriam delapſus es? Cur hanc calamitatem incurrere voluiſti, ut ab hujus mundi principibus tam turpiter tractareris, ut patiaris etiam obices falſitatis. Idololatra erat Pilatus, & fortè ipſum credidit, quandam cœliculam creaturam, aut unum de numero deorum effigiatum in homine, ſicut ipſe Romanorum errore deluſus, deos colendo credebat. Aut quendam inſignem virum ex antiquis inter numina raptum, prout Romulum credidit hactenus populus Romanorum, nunc veró, neſcio qua de cauſa, in iſtis inferioribus devolutum. Hæſitabat in homine iſto Pilatus, & quare in hunc mundum venerat exigebat, admirans, ſi numen à ſe creditum erat, cur in humana effigie apparebat. Si homo ſublatus ad ſuperos, cur ad ima regreſſus. Si potens, cur ſe ligari aut capi permiſerat. Si ſapiens, cur hanc calamitatem ſibi futuram non ante prævideerat. Si rex, cur mundo ineptus apparebat, Si nullius virtutis, cur tantùm

tantùm præſumpſerat. Si homo, cæteris ſimilis, unde in alio mundo regnum habebat. Si DEUS ſummus, aut unus de diis, cur aut quomodo verus homo factus erat. Si ſeparata ſubſtantia, cur unionem cum carne ſuſceperat. Si ex ſpiritibus ſuperioribus aut terralibus, cur à ſuperioribus emiſſus. Si ab inferioribus, cur ab eis ſecerni permiſſus. Erat enim omnium quædam indocta cognitio apud urbem Romam, qua Pilatus exierat, & DEUS ſummus, & dii, & ſubſtantiæ lucidæ atque tercles credebantur, dogmaqúe dabatur. Pilatus etiam gentilium falſitate deceptus, magnorum credulitate ferebatur in CHRISTUM, qua dicere cogebatur: Si non eſt de mundo regnum tuum, neque tu eſſe convinceris. Cur igitur te in hoc opprobrium induxiſti? cur es in mundo? quid ergo facis in mundo? Cui Chriſtus tacitè aut expreſſè hæſitationi è regione, reſpondet, dicens: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati. Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.* Videtur Chriſtus Pilati quæſtioni aut hæſitantioni tacitè vel expreſſè dediſſe reſponſum, & cauſam ſui aſſignaſſe adventus, cùm dicit: Ego in hoc natus ſum. Ad hoc CHRISTUS, quamvis non ſatus, natus fuerat temporaliter carne ſuſcepta, & in mundum venerat, ut teſtimonium redderet veritati. Sed quo teſtimonio eſt digna veritas, cùm ipſa omni rei entitatem habenti teſtimonium ferat? Nam omnis res exiſtens ſola veritate conſiſtit, & ab ipſa eſſe ſuſcepit. Quod teſtimonium dabitur veritati, cùm ipſa reddat etiam teſtimonium falſitati? Nam aliter, quàm per veritatis teſtimonium falſitas non cognoſcitur. Quod teſtimonium accipiet veritas, quæ ſeipſa conſiſtit, quæ nemini cedit, quæ opprimi nequit, quæ per adverſa clareſcit? Quod teſtimonium dabitur veritati, quæ ipſa DEO viventi teſtimonium reddit? Et ſi dici poſſet Deum deficere, ipſa non deficit. Teſtificatur ipſa de DEO, quia æternus eſt, qui ſi deficeret, etiam ipſa teſtificaretur, verum eſſe; non eſſe quod deficit. Teſtificatur ipſa de privatione rerum, quia verum eſt non eſſe, quod eſſe non omnino ſuſcepit. Et ſi aliqua entia defecerunt, aut quomodolibet commutata feruntur, veritas teſtimonium perhibet, verum eſſe non eſſe, quod deficit, & aliter, quàm fuerit eſſe quod commutationem accepit. Ipſa omnibus inviſibilibus & viſibilibus teſtimonium donat, entibus & non entibus, bonis & malis, beatis & miſeris, permanentibus & deficientibus, permutatis & impermutatis ſuo teſtimonio ſubvenit. Adjuvabitur ergo parvis luminibus clariſſimum lumen ſolis? An veritas aliam veritatem ſuo teſtimonio fulciet? Et veritas CHRISTUS, ipſo dicente: Ego ſum via, veritas & vita. [Joan. 14.] Quæ igitur veritas eſt, cui CHRISTUS veritas teſtimonium dabat? Totus mundus teſtificatur veritati, clamant omnia veritatem, boni & mali diligunt veritatem. Cùm ſe rerum oſtendit proprietas, reddit teſtimonium veritati. Magis verò ipſa omnibus teſtimonium præſtat. An CHRISTUS, quia ut homo natus, & in mundo corporeo ſenſu cum hominibus converſatus, incomprehenſibili DEO teſtimonium dabit? An [Joan. 8.] quia non multo ante prædixerat Judæis: Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos, ipſi veritati liberatrici teſtimonium perhibuerat, aut daturus advenerat? Sed ne legentium animos ſuſpendamus, eo ſenſu & [Joan. 7.] modo loquendi ſciamus hoc dictum, ſicut ante prædixerat: Mundus me odit, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quoniam opera ejus mala ſunt. Nam non expediebat CHRISTUM dare teſtimonium veritati, quod eſſet, aut bona eſſet, ſed contra illos teſtimonium ferre, qui ab illa velut inſcii, aut velut conſcii aberrabant. Quia confuſio falſitatis, veritatis eſt teſtimonium. Et falſarios quoquo modo convincere, noſcitur dare teſtimonium veritati. Nempè omnipotens DEUS ad uſum mundum creaverat, inviſibilia verò creaverat ad amorem. Homo autem in ſeipſo perverſus, in amorem pervertit & uſum, ut ita fatear, utenda diligeret, & diligendis uteretur, contra quod Apoſtolus ad Corinthios loquitur: Non contemplantibus, quæ videntur, ſed quæ non [1. Cor. 4.] videntur. Quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt. Falſitas enim eſt rerum commutare naturam, & edicta perverſare majorum, Huic falſitati Chriſtus vita, & moribus, & doctrina ſe obicem faciebat, ne amor, & uſus ſe adinvicem permutarent, ut uſus juſtus eſſet in ſenſibilibus rebus, & amor ad inviſibilia firmaretur. Jam ferè totus erraverat populus Judæorum, nec CHRISTUM intelligebant in eorum lege promiſſum, Chriſtus ad hoc natus erat, ut incluſa veritas ſui adventus in mundum veniendo clareſceret, & ſi tranſirent ad ipſum, vela-

velamen auferretur à cordibus Judæorum. Quod & factum eſt in his qui tranſierunt. Populi gentium in idolorum cultura mentalibus oculis cæcabantur. Sed CHRISTUS ad hoc natus eſt, ut in ejus virtute idola, & templa conſtructa corruerent, & unius Dei nota fieret veritas, quam idololatriæ falſitas improbabat. Et deſpiciendo damnavit, quæ mundus amabat, patiendo approbavit, quæ mundus horrebat, & illam veritatem docuit, per quam aſcenderetur in cœlum, & ad beatitudinem pervenirent, quam homines ab ipſa deviando inquirunt, Omnes propemodum diligunt beatam vitam, ſed ab illa fugientes quærunt eam, quia veritatem ignorant, aut contemnunt, quæ inobliquè dirigit, & novit eam. Nec hoc teſtimonium ad illam veritatem refertur, qua ſunt omnia, quæ ſunt, & conſiſtunt, ſed ad illam veritatem, qua vita peragenda deducitur, ut ad æternam beatam, nobisque promiſſam poſt iſtam veniatur. Huic Chriſtus teſtimonium perhibuit in ſeipſo, vita & moribus illam ſervans, & docens verbo in montibus, in campeſtribus, in ſynagogis, & domibus, & templo eidem teſtificans in miraculis, & prodigiis multis, in paſſionibus, & morte, ſepultura, & reſurrectione, aſcenſione almifica, & in miſſione paracleti, Et ſubſecuta Chriſti membra in orbe terrarum teſtificata ſunt ubique per paſſiones, & ſanguinem, & mortem, in coruſcationibus miraculorum, in everſione templorum, quæ idolis fuerant dedicata, in deſtructione ſtatuarum, in quibus dæmones introgreſſi decipiebant illos, qui idolis immolabant atque conſulebant in eis, quòd res humanæ ipſorum providentiis agerentur. Nec hanc, quam acceperant veritatem, cui per omnia teſtimonium dabant, deſerebant tyrannorum terrore; nec acerbitate pœnarum à teſtificando ceſſabant. Unde à DEI Filio deſcenſum eſt. In quo ventum eſt, ubi peregrinatum eſt, quid actum eſt? Ante quos examinatum eſt, ut Chriſtus redderet teſtimonium veritati? Inſpicite, ô mortales! incarnati Verbi patefactam hiſtoriam, geſta ejus, & dicta ad alios, aliorum ad eum, intimo mentis intuitu noveritis qualiter per Chriſtum teſtimonium & quali ſit redditum veritati, amatores cujus ad ſe pertinere omnino conteſtans, dicens: *Et omnis qui eſt ex veritate audit vocem meam.* Durum aut dubium eſt verbum, niſi expoſitionibus digeratur, cùm dicit: Et omnis, qui eſt ex veritate audit vocem meam, Nam omne quod eſt, inquantum eſt, à veritate habet, ut ſit, ſive ſenſibile, ſive inſenſibile, ſive viſibile aut inviſibile, ſive rationale aut irrationale illud ſit. Et ſi ad homines duntaxat verba reſtringimus, omnis homo ex veritate eſt, quod eſt, nec omnis Chriſti vocem obediendo audit. Nam audire Chriſtum, audientium obedientiam ſonat, & fidem credentium. Sed alius eſt, quo prior ſententia claret. Dixerat primò ſe perhibere teſtimonium veritati, dicit & poſtea: Et omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Perhibebat ipſe teſtimonium veritati, videlicet illi, quæ agendam vitam ad beatam conquirendam informat, & de ipſo, qui veritas erat, ex qua veritate, qui eſt ex fide qui eſt ex amore commotus noverit in moribus natus. Ex qua, qui cognitor factus eſt deceptionis incluſæ in apparentia mundi, amaritudinis abſconſæ in dulcedine labentis vitæ, dulcedinis obvelatæ in amaritudinibus ſæculi, audit vocem meam, id eſt mihi credit, & ſequitur. Quam vocem? Qua ſcilicet aberrantem revocat, qua pœnitentibus parcit, qua juſtis quæſtoribus æterna regna promittit, qua vocat electos, qua damnat & reprobos, De qua per Pſalmiſtam dicitur: Vox Domini ſuper aquas, id eſt, ſuper convertendos. Nam aquæ Pſal. 28.
multæ, populi multi, quos Chriſtus vocat, ne mare damnationis excipiat. Et alio loco Pſalmiſta ad obedientiam hujus vocis omnes invitat dicens: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Hodie tempus eſt mundi à tempore CHRISTI uſque ad finem ſæculi. Vox ejus ſemper clamat, ſilet Pſal. 94
nunquam. Vox CHRISTI evangelium ejus eſt, nunquam à clamore quieſcens, quòd diverſis tonis atque inſtrumentis ad rectam vitam, & vitam æternam omnes invitat. Et regnum ejus eſt ſuper ſuſcipientes evangelium ejus. In quo verbo de regno ejus Pilato clarum dedit reſponſum, quòd Pilatus hujuſcemodi locutionis ignarus, penitus in animo non advertit. Nam verè regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, ſed ſuper ſuſcipientes, & audientes evangelium ejus, quòd homines per crucis myſterium ad agendam vitam ſub directione cœleſtium virtutum avellit à mundo, ut finita mortali vita inſerat ſummo cœlo. Non diſplicuit Pilato veritatis verbum, quod & improbus amat, Hoc enim habet veritas dignitatis inter cæteras virtutes præcipuum, ut eam ſuus æmulus diligat, atque laudibus efferat. Omnis quippe, qui malè agit, amicus eſt veritati. Et ſi fallere vult, non falli mavult. Et iniquus Dominus veritatem in

ſervo

ſervo requirit. Fallax homo Filium, uxorem, familiam univerſam quærit habere veracem. Clamant omnia expreſſis & tacitis vocibus veritatem, quam Pilatus in altitudine cordis ſui, & ad ipſam amore converſus illectusquè dulcedine vocis ejus, quid ipſa ſit CHRISTUM *interrogat dicens: Quid eſt veritas?* Neque unquam Pilatus talem audierat oratorem, aut diſſertorem omnium dicendorum, & fortè permodicum tangebatur cor ejus à liberata probatione verborum ejus, quocirca interrogat, quid eſt veritas? Cujus diſſertionem, ſi audiſſet ab eo, qui coram eo velut homo reus in judicio conſtitutus aſtabat, forſitan eum ſuperna claritas infulſiſſet, forteqúe rebellaſſet Tyberio Cæſari per univerſum orbem divinè regenti, cui ſi credidiſſet, liberaſſet omnino Dominum CHRISTUM, deſcendiſſetqúe de ſede, factus de judice judicatus, de præſide reus, de ſuperſtante Chriſtum imitator Chriſti, de Domino ſervus, de tyranno collega, & proclivis animo & corpore Chriſti pedes fuiſſet amplexus, non ipſum vinculatum miſiſſet Herodi, non affeciſſet verberibus, non adjudicaſſet fieri petitionem improbam Judæorum, non dictaſſet injuſtam, tam ſævam in Chriſto mortis ſententiam ſuſpendiſſet, judicari potius ſimili ſententia elegiſſet, quàm judicare Dominum Chriſtum. Sed quibus occultis demeritis aut manifeſtis, nobis tamen ignotis, aut qua Dei providentia non meruerit de veritate certum à Chriſto expectare reſponſum, quodammodo ignoramus, quamvis ex geſtis, aut pie præſumptis ſubortas cauſas meritò perpendamus. Nam dum Pilatus Chriſtum ante ſe ſtantem interrogantibus ventillaſſet extra prætorium Pilati improbiter aſtans populus Judæorum, Pilatum clamoſis vocibus incitabat maximè pontifices ſacerdotum, ſacerdotes, ſcribæ, phariſæi cum ſenioribus populi, qui ſuſpectum Pilati & CHRISTI colloquium autumabant, ne Chriſtus Pilatum deciperet ſagacitate verborum, ne confuſionem à CHRISTO Judæo pateretur homo gentilis velut indoctus peritia Moſaicæ legis, ſicut Judæi Pilato aſtutiores in lege, confuſionem à Chriſto diſputando ſunt perpeſſi. Ad Pilati autem animum liberandi via ſubitò præoccurrit, & velut nutabundus in animo, jam mente ſuſpenſus, ad dilationem impatiens, non expectato reſponſo egreditur ad Judæos, non odio veritatis, quam ſcire quærebat aufugiens, ſed meditatus compendium, ut abſolveretur innocens injuſtè ſibi traditus judicandus. Unde ſequitur, *& cum dixiſſet*, ſcilicet interrogando: *Quid eſt veritas, iterum exivit ad Judæos.* Nam ideo iterum evangeliſta contexit, quia paulo ante in prima dilatione CHRISTI exierat attorquens, quam CHRISTO vellent objicere, impoſturam. Nunc iterum egreditur, aſſerens ſe nullam in eo inveniſſe judicationis cauſam. *Et ait ad principes ſacerdotum & turbas: Ego nullam cauſam invenio in hoc homine.* Alloquitur Pilatus adhuc ſanæ mentis exiſtens, principes ſacerdotum & turbas, ut omnes liberationi Chriſti conſentiant, qui traditioni ejus pariter conſenſerunt. Publicè Pilatus Chriſtum excuſat, quem publicè Judæorum ſynagoga condemnat. Quàm ſignanter Pilatus contra Judæos pro Chriſto teſtatur, dicens: Ego nullam cauſam invenio in hoc homine. Ego qui gentilis ſum, natione Lugdunenſis, civisque Romanus, non invenio cauſam pœnæ, vel mortis iſtius, quem meas tradidiſtis in manus. Si ego non invenio, vos qui Judæi, vos qui compatriotæ quid inveniſtis? Ego judex ſum, vos criminatores atque accuſatores eſtis. Non ad accuſatorem, ſed ad judicem ſpectat examinare cauſas reorum. Non eſt, qui Chriſti cauſam extenuet, eſt qui omnino intendat, non tamen unus, ſed tota univerſitas pontificum & ſacerdotum, ſcribarum & ſeniorum, nobilium & gregariorum omniumque turbarum Jeroſolymis habitantium unum corpus falſi accuſatoris effecit. Jura nulla concedunt etiam perſonam teſtis aſſumere delatorem. Quid in iſto inveneritis, reflectatur in vobis, ego autem nullam in eo cauſam, qua plectatur, invenio. Nec credendum eſt delatori, qui ad objectum crimen probando defecit, neque ſtandum, ſi ad cauſam probandam ſe porrexit in teſtem. Secundùm legem Moyſi teſtis primum lapidem debebat mittere in plectendum verè vel falſe convictum, ſecundùm quam nec Judæi prævalebant in Chriſtum. Sed judicandus erat Chriſtus legibus Romanorum, quæ nunquam decreverunt, aut permiſerunt delatorem ex eadem cauſa poſſe tranſire in teſtem. Proinde Pilatus tuetur cauſam conſtituti rei, quàm pro innocentia magnam, pro iniquitate nullam eſſe cognovit dicens: Ego nullam cauſam invenio in hoc homine, qua in perſona ſeu alia realitate lædatur. Non inquirebat Pilatus, in Chriſto cauſam bonitatis, ſed iniquitatis. Primam non inveniſſet, quia protinus infinita: Secundam non inveniet, quia penitus nulla. Magnum teſtimonium ad memoriam poſterorum, quod

Joan. 18.

homo gentilis, tutor reipublicæ, procurator Judææ, legatus Cæſaris totiuſque ſenatus, cultor idolorum, ignarus divinæ legis, nihil in prophetis, aut prophetiis agnoſcens, & dat Chriſto teſtimonium, quod in eo nullam invenit criminis notam, nullamque condemnationis cauſam. Et bene dicit, in hoc homine, ut ſingularitate loquendi ab omnibus diſcernatur, in quo nulla iniquitatis aut pœnæ irrogandæ cauſa, quia ipſe ſolus inter homines, qui peccare non potuit. Ad confuſionem hominum inflectitur ſuperborum, etiam aliqua ſanctitate pollentium, quòd Chriſtus ſub examine idololatriæ gentiliſque judicis tranſigere voluerit vitam ſuam. In hujus humilitatis profundum nondum deſcendit, quicunque ſibi aliquid eſſe videtur, aut qui ſeipſum in agenda direxit judicem ſuorum actuum alium non inquirens, aut præcavens inſpectorem, non pro vitanda laude, ſed pro examinatione cavenda. Qui detinetur à gloria propriæ complacentiæ, devitat tam malorum, quàm bonorum ſubire judicium. Sed in Chriſto nulla inventa eſt cauſa iniquitatis, quia eſſe non potuit, nec ulla Chriſti voluntas potuit ad malum aliquod inviſibile inclinari, aut ad aliquod, quod fieret per corporis inſtrumenta, in quod malæ voluntatis imperio traherentur & membra, in quibus omnis erat ad rationem perfecta obedientia, & rebellio nulla. Et nihilominus examinatus, interrogatus eſt, innocens pronunciatus eſt. Sed ubi alicujus ex invidia & odio eſt facta delatio, quem verè nulla culpa contaminat, cùm deficiunt ad clamores, & ad condenda de novo mendacia ſe conferunt delatores. Unde ſequitur: *At illi magis invaleſcebant dicentes: Commovit univerſum populum, docens per univerſam Judæam, incipiens à Galilæa uſque huc.* Synagoga Judæorum mente confuſa voces emittebat gregatim contra Chriſtum altè confuſas, non tamen, quin in eis adverſùs eum alia delatio reſonaret. Verum quippe dicebant, ſed ſub intentione fallendi bonum ſubinferebant, ſed voluntate nocendi, & quod erat fas, vertebant in nefas. Quod erat miræ virtutis, pro damnanda iniquitate coram judice inferebant, aſſerentes quia commovit populum. Commovit ſanè populum in mente propter altitudinem verbi ſui, ac per doctrinam mellifluam, quam etiam operibus validabat. Commovit populum in virtute miraculorum atque ſignorum, quibus ſimilia nec talia ullus hominum fecerat ante eum. Commovit animos hominum ad ſpem ſupernæ vitæ, initians viam novam, atque nova compendia exordiens aſcendendi. Commovit ad imitationem, quæ obliquari neſcit, commovit ad vitæ novitatem. Verè commovit hominum mentes, cùm illas in tantali admiratione ſuſpendit, & animavit quam plurimos etiam corpore ad ſequelam. Commovit homines, qui omnium motor eſt. Commovit non potentia ſua, cui reſiſti non poteſt, ſed in ſimilitudine hominum factus mira ſuaſione, cui ſtante in homine arbitrio libero, unuſquiſque poteſt boni aut doli capax, aſſentire vel diſſentire. Non enim in commotione populi ad optima quæque virtutis violentia, ſed ſuadibilitate uſus eſt. Non Deus commovit exire Filios Iſrael de Ægyptio vi coactiva, ſed promiſſione melioris, cum evaſione pejoris. Non qui capacibus ratione inſtet bona, ſed qui mala irrogat, per violentiam ſatagit. Commovit igitur populum non verberibus, ſed verbis: Non cædibus, ſed ſermonibus veris. Poſtea ſequitur: Docens per univerſam Judæam. Ecce actus juſtus & Sanctus & irreprehenſibilis geſtus, docere neſcientem, docere utilia ſedulum auditorem, virtus eſt docere, quam ipſi vertebant in crimen. Commovit & docuit. Commovit populum non ad ſeditionem, ſed ad hominum morum ipſorum imperturbabilem pacem. Docuit non errorem, ſed infallibilem veritatem. Et hæc omnia irretunſa pravitas Judæorum vertit in amaritudinem ſceleris, & contra Chriſtum in delatione falſa producit. Sed iſta delatio teſtimonium eſt laboris, quem Chriſtus pro Judæis ſuſtinuit, pedeſter incedens, ore non tacens, cùm docuit per univerſam Judæam, incipiens à Galilæa uſque Jeruſalem. *Cœpit à Galilæa uſque Jeruſalem.* Luc. 23. Aſcendendo docet, nam doctrina Chriſti facit hominem in ſuperna conſcendere. Cœpit à Galilæa velut à minus doctis hominibus, ut pedetentim perveniret ad doctos Jeroſolymis conſtitutos. Non autem cœpit à Jeruſalem, ne videretur illorum ſacerdotum, & ſcribarum favore aliis prædicare. Neque doctrina Chriſti tradenda erat favore aut aſtutia mundanorum, ſed etiam his adverſantibus erat populo promulganda, ut magis eorum adverſitate atque impugnatione, quam eorum propitiatione clareſceret. Nihil porro in humanis quærebat habere præſidii. Cœpit à Galilæa perveniens Jeruſalem. Una rota interpretatur, altera pax: In rota rotatur exiſtens, & procul pellitur quies rota rotante, nec capitur corporis requies ſeu imperturbabilis ſomnus,

mnus, ſi exiſtitur in quoverſum rota voluta. Sed mundus eſt rota volubilis, in quu velut in rota violenter intorta, non deſignatur ex oculo punctus, nec in parte aliqua intuentis defigitur viſus, nec quies adducitur ab amatoribus ejus. Jeruſalem pax eſt, quæ terrenam inſiuuat & ſupernam. Proinde Chriſti doctrina cœpit in Galilæa, & provenit in Jeruſalem, ut ſciamus abſque dubio Chriſti doctrinam temporaliter latam tendere in æterna, enunciatam in mundo aſcendere in ſuperna promulgatam, & non retenta volubilitate ad incommutabile bonum perducere. O quam altè loquebantur Judæi, eorum tamen, quæ dicebant ignari, & ſuper omnium bonorum retributione digniſſima, ut velut ſeditiones populi punirentur, judicem inflectere nitebantur. Quid in homine iſto ex his verbis calumniamini o! Judæi, ſi vobis ratio aliqua dominatur, ſi non à vobis omnis receſſit humanitas, edicite? Quæritis ne ſolum ſubvertere Chriſtum, & approbare docendi opus, ſimiliter & doctrinam? An nitimini damnare tantummodo opus docendi, cum præſervatione Chriſti atque doctrinæ? An quomodolibet molimini Chriſtum punitione damnare? Si Chriſtum quæritis mortis damnatione proſcribi, ſaluate aut efferte laudibus opus virtutis. Nam docere ſeu docuiſſe opus eſt juſtitiæ. Meditatio eſt mentis, labor eſt corporis. Et ſaltem docendo ſex vocis inſtrumenta laborant. Hujuſcemodi labor præmium ſit, ſed calumniam non meretur. Si verò impingitis in doctrinam, unde noſtis malam? Nonne paulo ante in nocturnis tenebris, quamvis facibus & laternis permodicum pellerentur, veſter animus de hominis hujus doctrina interrogando defecit, cùm ipſum audiviſſet fore publicam, non privatam, palam non occulte prolatam? Si audiviſtis, quid calumniæ imponitis? Si non audiviſtis, cur contra ipſam velut neſcii ad judicium convenitis? Si docendi opus eſt juſtum, & doctrina veritatis fulget, qnid voces veſtræ tumultuant contra Chriſtum? Nonne voces veſtræ adverſus vos ſunt catapultæ, confodientes corda pariter & verba, quoniam Chriſtus docendo cœleſtia laboravit in vobis? Nonne intelligitis, quod veſtrum commentum, quod adverſus Chriſtum profertis, contra vos in vero judicio retorquetur? O quam ab interno & æterno bono deficiunt, qui commutant in mendacium veritatem, & beneficium in maleficium transferre propria perverſitate conantur. Et in hoc Judæi invaleſcere dicebantur evictione mala & conatu mortifero, ut Chriſtum in judicio ſuperarent. Et invaleſcebant amplius ſuper Pilati vocem, qui Chriſti coram Judæis innocentiam allegabat, ut vox unius tumultuantis populi ſuperata clamoribus atque mota ſuccumberet, nec pateret innocentiæ locus, quo libertatem reportans à judicio egrederetur. Sed Pilatus audita nova objectione criminis, & Galilæam ſuis auribus inſonuiſſe, percunctatur ſi Galilæus erat JEſus ſuis tribunalibus conſtitutus. Et rei veritate comperta conabatur illum à ſuo judicio fieri alienum, & ad alium judicem tentavit illum inferre, pro eo, quod Galilæa ſuo Dominio non ſubſtabat. Quamvis ſecundùm Romanorum leges, ſi capitur reus, ibi ſubeat pœnam doloris, ubi fuit patratio criminis, & ſub illo multetur judice, ſub quo rempublicam conturbavit, aut quippiam dignum pœna commiſit. Sed Pilatus ad Herodem reverentiam ſimulavit, ut à judicio Chriſti manus ſuas ſervaret innoxias. Et Herodem prupter non poſitas cauſas, ab ipſo diſcordem placaret in homine Galilæo, quem ſuæ præſidentiæ ratione ſuæ tetrachiæ ſubjacere cenſebat, ſibi tradidit judicandum. Propterea Evangeliſta dicit: *Et ut cognovit Pilatus, quòd ſub Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Jeroſolymis erat illis diebus.* Lucæ. 23. Non erat Chriſtus ſub poteſtate cujuſpiam hominis conſtitutus, nec in illo erant ratione originis ſive moris, quibus deberet ſub hominum poteſtate conſtringi, niſi prout ſua voluntate volebat ab hominum poteſtate arceri. Unde ergo ad juriſdictionem Herodis Chriſtum pertinere Pilatus agnovit, niſi quia ignorabat Chriſtum eſſe Deum exceptuatè natum? Et judicabat hominem purum ex patria Galilæum, & deferebat in homine tanto, imo Deo vero regi terreno, quamvis eſſet altiſſimæ actionis ignarus. Nam omnis vera reverentia & amicitia perfecta in Chriſto & propter Chriſtum conſtituitur & tenetur. Et futurorum erat præſagium, quòd terreni reges in concordiam venerant propter Chriſtum. Sed quæ paſſionis crudelitas, quæ immanitas criminantium, quæ inconſideratio præſidentium, quæ hujus non rei, ſed tanquam rei conſtituti patientia, quòd ſic mittitur, & remittitur, ſic inter duos judices ventilatur, & inter præſidem & regem ejus cauſa diſcutitur? Non reluctatur multa voluntariè patiens ab iniquo vel æquo committi, & firma veritas examinari à pluribus gaudet. Et nullum judicem innocentia timet, & irretito corpore ſua liber-

tate

rate potitur. Et corporis compedes non præjudicant vitæ immaculatæ. Chriſtus remiſſus eſt ad Herodem tanquam Galilæus reus ad Dominum Galilææ, ut ipſe in eum decernat, quod vera juſtitia dictat. Et divina providentia factum eſt, quæ illa, quæ vult loco & tempore facit convenire in unum, ut Herodes illis diebus intereſſet Jeroſolymis ad complementum paſſionis Chriſti, ad teſtimonium veritatis, ad confuſionem Judæorum, quòd etiam Herodes non invenit, quòd puniret in Chriſto. Quod ſubſequens ſcriptura declarat,

Luca. 23. *Herodes autem viſo JEſu gaviſus eſt valde. Erat enim cupiens videre illum ex multo tempore, eo, quòd audiviſſet multa de eo, & ſperabat aliquod ſignum videre ab eo fieri. Interrogabat autem illum multis ſermonibus. At ipſe nihil reſpondit.* Viſo JEſu Herodes exultat præ gaudio. Merito enim cauſæ gaudium eſt videre, ſed nec illo gaudio geſtit, quo amatores ejus, ſed gaudio curioſitatis, quo gaudent, qui civitatibus delectantur. Verum de Chriſto gaudium nunquam ſenſerunt iniqui, niſi abjecto, quo iniqui erant, Chriſtianæ virtuti ſe dederunt. Oportet abſcindi legitime gaudere volentem. Ut dormiens ridet & gaudet, qui curioſè lætatur. Deſideraverat namque Chriſtum videre rex Herodes ex multo tempore propter ea, quæ audierat, ſperans ſigna ex illo videre magis, quam rationem veritatis & virtutis agnoſcere: Nam veritas & ratio prodigia, & ſigna præcellunt. Signatum ante ſe habebat Herodes, ad quod multa ſigna in veteri teſtamento fuerunt ante monſtrata, in quod, ſi luce fidei aſpexiſſet, vero gaudio fuiſſet omnino profuſus, nec ſignum à Chriſto videre tentaſſet, duntaxat ſignato contentus. Signa nanque aliud oculis, aliud menti noſtræ inſinuant. Sed quem ſigna præſignaverunt erat ante corporis oculos, ſed ipſe mente non noverat, eclipſim patiebatur interioris lucis. Ad ſignatum nempe omnia ſigna referuntur, quo intellecto fruſtra ſigna quæruntur. Invanum ſunt umbræ cognita veritate. Non ſunt neceſſaria veſtigia quærentibus quempiam, ſi veſtigians oculis imprætermiſſè tenetur. Omnia ſigna deficiunt ſignare JEſum. Et ad majorem numeri gratiam ipſe ſe nobis obtulit præter ſigna, quamvis eum multa præceſſerint. Et interrogabat JEſum Herodes multis ſermonibus. Interrogant multi, ut diſcant, quam plurimi interrogant, ut explorent. Interrogant multi, quia ſcioli, ut ipſi ſcientes fiant. Sed plerique interrogando tentant. Quo autem ſtudio interrogatio fiat, reſponſum exigit. Et qui multis ſermonibus aliquem interrogando exagitat, non ſuſcepit à primæva reſponſum, aut ſapiens vult multipliciter interrogando videri, aut multifarie confundere mentem interrogati prætentat. Qui verò multis ſermonibus Chriſtum interrogat Herodes, aut unius rei reſponſionem multis ſermonibus interrogando quærebat, aut multis interrogationibus in prolatis ſermonibus ſcire ſive audire diverſa ſatagebat. Cujus curioſitatem & mentis vanitatem Salvator advertens, neque ſignum coram eo fecit, neque ad ſua interrogata reſpondit. Non enim faſtidioſis animis pandenda ſunt alta myſteria, neque facienda ſunt coram ſectantibus vanitatem. Neque Salvator venerat per oſtentationem facere, aut more præſtigiatoris reſerare divina. Nam verè ſapiens nihil per importunitatem facit, neque inutiliter agit aut loquitur, tempus obſervat & locum, & cui, & à quo, & quid, & qua intentione aliquid facere vel dicere inquiratur, primò conſiderat, ne actio ſua ſive locutio emiſſa fruſtretur. Quanto magis Salvator omnium Chriſtus, qui hominum intentiones novit & corda, & quantum utilitatis potuerint inferre ſigna vel verba, ſemper ante cognovit. Præſciebat enim ſe inutiliter ab Herode inquiri, cui ſi reſpondiſſet ad votum, nec ipſum venturum ad viam veritatis prævi- derat, nec cauſam prærogandæ paſſionis ſigno facto aut emiſſo reſponſo volebat inferre, neque coram gentilibus aliam ſubnectere cauſam mortis, pro eo, quod per incantationem & magiam multa poſſe fieri gentiles omnino credebant, velut merito idololatriæ in talibus à dæmonibus ſæpe deluſi. Et ſibi deputatum fuiſſet ad crimen, quod poteſtate divina feciſſet. Et ubi innocens velut nocens & criminibus ſerviens fuiſſet morte damnatus, Magis autem ad ſuam innocentiam comprobandam, & Judæorum condemnandam proterviam excuſat ſæva gentilitas, quod in Chriſto nulla reperitur iniquitas. Sed Chriſto coram Herode tenente ſilentium, inclamitat inſatiabilis crudelitas Judæorum. Unde ſequitur: *Stabant autem principes ſacerdotum & ſcribæ conſtanter accuſantes eum.* Ibidem. Patet, quòd à domo Pilati uſque ad domum Herodis, principes ſacerdotum & ſcribæ Chriſtum nocendi animo fuerunt perſecuti, ut ſi elapſus aut emiſſus erat de manu Pilati, ab Herodis judicio tergiverſari non poſſet abſque mortis ſuſcepta ſententia. Proinde principes & ſcribæ accuſaturi advenerant. Unde ſtabant, procaci vultu animo efferato con-

ſtanter accuſantes eum. Utinam alio verbo uſus Evangcliſta foret, aut ille qui Evangelium de græco tranſtulit in latinum, & dixiſſet pertinaciter, non conſtanter: Nam conſtantia nomen eſt virtutis, & virtus, quæ non competit hominibus odioſis aut ad mala conantibus: Pertinacia vero, proprium eſt malorum, quæ nomen eſt vitii, & ipſa vitium, donec malum perficiat, non quieſcit. Sed ſtabant conſtanter, quia contraſtabant ad Chriſtum, quærentes falſis criminationibus ab eorum conſpectibus per mortis ſententiam abolere. Et accuſabant eum, ſed formam delationum hic Evangeliſta non replicat, ſed illas credimus, quæ fuerunt ante Pilatum, & tanto plures atque iniquiores annexas, quanto eos, ne Herodes eum abſolveret, amplior timor angebat: Nam à Pilato dimiſſus erat. Si eum liberè dimiſiſſet Herodes, ſuffugeret à Judæis Jeroſolymis cauſæ tribunal, ante quod potuiſſent Chriſtum ulterius convenire. Quamobrem exagitati à rabie occidendi manibus propriis interfeciſſent grandine lapidum, aut velut appellantes ab his judicibus morte plectendum & compeditum ſub fida cuſtodia & cum delatione cauſarum; Romam deſtinaſſent ad Cæſarem. Hæc enim erat Judæorum damnata conſtantia, ut Chriſtus morti protinus traderetur, & velut Filii mortis vitam non ſinebant vivere ſuper terram. Sed etiam coram Herode delatio iniqua defecit, quæ & Herodem ad ſententiam proferendam inflexit. *Sed*
Lucæ, 23, *ſprevit eum Herodes cum exercitu ſuo.* Non tamen permotus accuſationibus Judæorum, ſed quia ſignum non fecerat, neque protulerat ad interrogata reſponſum. Vilipendit enim Herodes, quia ſignum non viderat, neque verbum ab ore ſusceperat, quem æſtimavit fatuum, aut mortis terrore paventem, ſeu hominem præſumptuoſum in ſuis moribus, atque vita; qui nunc velut imperitus defeciſſet in cauſa. Jure videbatur Herodi vilipendere hujuſcemodi reum, quem comprehendere ſigno non poterat, neque verbo. Reputavit eum nullius eſſe virtutis, qui coram eo in ſignis defecit & verbis. Sed profundum contemplationis mentibus hominum præſtat, quòd divina ſapientia ſtultitiam, & potentia infirmitatem in terreno judicio voluit reputari, ut ipſe Chriſtus fieret opprobrium hominum, abjectio populorum, & deriſio regum. *Et*
Ibidem. *illuſit, indutumque veſte alba remiſit ad Pilatum. Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die. Nam antea inimici erant adinvicem.* Illudit regia dignitas Chriſto regi, ſed eo fit indigna hominum dignitas, quo ſuperiori dignitati præſumit illudere. Et indignitas digna cenſetur, quo vilipendit naturæ conſortem, quanquam opinione hominum & ſucceſſu rerum conſiſtat inferior. Non eſt verorum regum illudere in judicio conſtituto, ſed damnare convictum reum, aut abſolvere innocentem. Sed ad exaggerationem paſſionum Chriſti & contumeliarum etiam reges terræ infatuati ſunt. Hæc ſiquidem illuſio præter Chriſti pœnam præſagium eſt malorum, quòd reges terræ principesque populi, & alta Sæculi ſapientes illuſerunt, atque illudunt ſapientiæ Chriſtianæ, necnon & ſtultitiam reputant ſimplicitatem altiſſimæ fidei noſtræ. Et æſtimant cum Herode fatuum, qui voluntariè mundo fieri vult abjectus, corona regum terræ claritatem coronæ abjectæ pro Chriſto vitæ, quam habet in æterno depoſito, nempe non novit. In regem iniquum etiam aſſiſtentes ſæpe conſentiunt. Et qualis rex, talia & latera ejus. Hinc eſt, quod Herodes Chriſto illuſit cum exercitu ſuo. Ad cumulum opprobriorum accedit, quòd cum Herode illuſit ejus exercitus. Et ad damnatam imitationem adſcribitur, quòd ſubditi regi ad moleſta conſentiunt. Illuſus in veſte alba indutus remittitur ad Pilatum. Alba quippe veſtis inſinuat innocentiam patientis. Et adumbrato myſterio fideles poſteros per fidem connexos, charitate contextos, abluendo in ſanguine dominicæ paſſionis, & agni immaculati innocenter occiſi. Quod
Joannes Apoſtolus in ſua revelatione ſuſcepit, cum interrogationem fieri Salvan- Apoc. 7.
dorum Spiritu intueretur. Et reſpondit unus de ſenioribus dicens mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt & unde venerunt? Et dixi illi: Domine tu ſcis. Et dixit mihi: Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine agni. Nam omnis albefactio & candidatio Salvandorum facta eſt in ſanguine agni immaculati. Sed aliud indicavit in eo, qui ad deriſionem illam invenit. Albedo eſt color oculis minus aptus, & alba veſtis alios denegat adeſſe colores, & diverſitate colorum multicolor veſtis efficitur, delectabiliter & pulchrè intuentium oculis ſe objectans, quæ in altiorem intellectum ſublata, varietatem præſignat ipſa virtutum, qua perornatam eccleſiam David de Pſalm. 44.
æterno & æternè aſtitiſſe providit dicens: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumamicta varietate. Porro hic non dicit, in veſte alba, ſed inaurata,

deſuper ſcilicet charitate contexta, & virtutum varietate perfecta. Nec ſemper credendum eſt albedinem in ſacra ſcriptura in bonam relabi partem. Nam cum Actuum 23. Paulus Apoſtolus injuſtè percuti juberetur, ſic dixiſſe refertur: Percutiat te Deus paries dealbate. Dealbatus paries eſt, quem nulla figura perornat varietate colorum, ad cujus aſpectum amœnitate trahantur oculi contuentium. Proinde principem illum dealbatum parietem appellavit, quia contra legem juſſerat illum cædi, quaſi non eſſet in eo virtus aliqua, ſeu cognitio legis verè depicta, neque morum variè colorata figura: Quam ob veſtem qualis erat, talis deſignatur Herodes ejusque ſequaces. Et virtutum varietate carentes, alba veſtis illa figurat, à quibus Chriſto illuditur ad præjudicium illudentium. Magna illuſio ſemper noſcitur facta Chriſto, cùm ejus virtutes humano faſtu reſpuuntur, cùm contemnuntur ea, qui docuit, & quæ pro nobis tanta dilectione ſuſtinuit, atque fecit. Remittitur ad Pilatum velut ad judicem propriæ regionis, in qua ſibi volebat deferri iniquus Herodes. Credebat ſanè Pilatus ſe ſervare immunem auferendo ſententiam ſuper Chriſtum, in quo nullam cauſam malæ actionis invenerat. Et contriſtatus eſt, cùm ſibi Chriſtum remiſſum ab Herode conſpexit. Sed nimirum animum legentium pulſat, cùm Chriſtus tam viliter inter mundi principes agitatur, & velut ſubjugale animal aut mutuum, uſuale mittitur, remittitur & examinatur & accuſatur, & nihil mali feciſſe convincitur, nemo tamen audaciam liberandi præſumit, à delatoribus non ceſſatur, nullus pro Chriſto interpellationis aſſumit officium. Quòd Chriſtus agitur inter præſides atque reges, nulla cauſa damnationis inventa, innocentiam omnimodam arguit Salvatoris, quæ in poſterum ad Tiberium Cæſarem per apices & oretenus eſt delata, ut etiam ipſe Tiberius Romanum ſenatum moneret, Chriſtum inter Deos eſſe colendum, necnon & perfidiam arguit malè ſceptra tenentium, qui ſe adinvicem ad agenda mala concordant. Nec judicari poſſunt vera mundi dominia, inter quæ vexatur innocentia, nec libera ſibi patet via, per quam poſſit evadere. Ad tuitionem innocentum ſunt permiſſa & inventa juſta dominia. Qualia igitur ſunt, inter quæ perit vita immaculata? Caret veritate, qui lædit, aut ſi poteſt non liberat innocentem. Patitur ſanè Chriſtus inter mundi principes pœnaliter, & cum opprobriis manuducitur. Et conſtans alta virtute ad improbandum objecta non loquitur. Aſtat divinè & humanè ad ſalutem omnium peragendam expoſitus. Alterutra remiſſio facta de Chriſto procedit ex ignorantia remittentium, quia neque ipſe à principibus cognitus, & mundus eum non cognoſcit, neque aliquid eorum, quæ ſunt ejus. Supra mundum & altitudinem & ſapientiam mundi, fieri oportebat in agnitionem ejus intrare volentem. In perplexitate non exigua erant Herodes & Pilatus, quia nihil certum poterant diffinire de Chriſto, ut non credamus humanæ potentiæ datam ſcientiam divinorum, niſi ad obſequium fidei, non ſcientiæ intellectus ſcire Chriſtum quærentium captivetur. Et in dejecta potentia & ſubmiſſa prudentia tacente lingua opprobriis adjectis, altitudo Chriſti oſtenderit inter reges. Et eo altior ſanè ſapientibus reputatus eſt, quo magis incognitus extitit: illa videlicet cognitione qua faſtus humanus innititur, quia ſolùm cognitione fidei, dum peregrinationem hanc peragimus, inclareſcit. Sed Chriſti paſſio inter geſta mente magis, quàm calamo tractanda eſt. Et patientia ejus contemplationis tradenda eſt, non literalibus elementis. Amicitia verò celebrata inter hominem regem & Pilatum præſidem propter Chriſtum, futuros quam plurimos reges præoſtendebat convenire debere in unum. Nulla tamen amicitia eſt vera, niſi cujus Chriſtus eſt cauſa. Non autem refert, quoniam mali adinvicem amici facti ſunt, quoniam laudandus eſt Chriſtus, ob cujus cauſam penitus facti ſunt. Sed intellecta ſenſu ſatanico ſterilitatem præfert amicitiarum mundi, ex quibus nullus verus eſt fructus, inter quos interimitur, aut non exoritur virtus. Nam ſi Herodes atque Pilatus amicitia vera colligati fuiſſent, tradidiſſent innocentiam libertari, & unus alteri omnino fuiſſet præſidio, ne inter eorum juſtus collaberetur manus. Sed amicitia, quæ intet homines vertitur, qui nec virtutibus amici ſunt, infrunita dilectio ſeu conventio eſt dicenda. Quæ autem fieri mala deſancit, & facit, & perverſitas morum & confuſio æquitatis. Diſceptatione potius opus eſſet inter eos, qui amicabiliter ad mala conveniunt, quia ſi non aliter, ſaltem eſſet minor numerus iniquorum. *Pilatus autem convocatis principibus ſacerdotum, & magiſtratibus, & plebe, exivit ad eos foras, & dixit eis: Obtuliſtis mihi hominem hunc quaſi avertentem populum. Ecce adduco eum foras coram vobis interrogans, ut cognoſcatis quia in eo nullam cauſam invenio ex his, in quibus eum accuſatis,* Lucæ, 23.

accuſatis, ſed neque Herodes. Nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei. Emendatum ergo illum dimittam. Nec ita inadnexè credendus eſt Chriſtus miſſus à Pilato Herodi, neque ab Herode Pilato remiſſus, quin aut per proprios apices, aut per ſecretarios relatores alteruter delatoribus uſus ſit, hujus expoſita cauſa tanquam rei. Quamobrem Herodes ſuſpendit judicium, nec acquievit accuſationibus Judæorum. Nunc eadem reauditis verborum bajulis, vel Herodis apicibus lectis, in nullo cunctatus, concionem omnium Pilatus advocat Judæorum & ad eos foras egreditur. Erat enim in conclavi cum Chriſto, quoniam ſuam innocentiam tuebatur, & piè atque juſtè ferebatur in ipſum. Foris autem Judæi ſtabant, quia legis interiora & ſecreta non noverant, & extra poſiti erant à lumine veritatis, & ab omni colluſtratione ſeu actione virtutis. Ad quos Pilatus foras egreditur, non velut adhuc eorum malis aſciſcitus, ſed enuncians mala in quibus populus ille à bonis ſtabat excluſus, & apertè ſub divo volebat eos reprimere, quòd fruſtra loquebantur in Chriſtum, quem innocentem repererat in conclavi. Egrediebatur Pilatus velut judex ad Judæos foras, ſed ignorans in affirmationem Chriſti ſententiæ, quam ante prædixerat, quoniam Judæi, qui vocati fuerant, eſſeque debebant Filii regni, ejicerentur foras, ut in exteriores tenebras mitterentur. Qui egreſſus ſic Pilatus alloquitur majores & plebem: Obtuliſtis mihi hominem hunc quaſi avertentem populum. Quàm ſolerter Pilatus verba liberationis eructuat, qui Chriſtum avertentem non dicit, ſed quaſi. Non enim Pilatus hanc terminationem veram cenſebat, quòd Chriſtus populum à bono aliquo, aut à rectitudine avertiſſet. Proinde ſic loquitur quaſi avertentem non avertentem. Ecce adduco eum foras. Demonſtrativè loquitur Pilatus, & effectu perfecit. Nam in hac concertatione verborum primo Chriſtum in veſte alba illuſum ab Herode remiſſum Pilatus Judæis oſtendit, Chriſtum coram ipſis interrogans, ad majorem excuſationem criminis objecti à Judæis perfidis ſuper illum, ut ipſi apertè cognoſcerent, quòd cauſam pœnæ levis, aut mortis in illo non invenerat, ſuper illis, de quibus erat porrecta delatio. Ad judicem non ſpectat ſuggeſtione partis, præterquam in delatis probatione vera firmatis, promulgare ſententiam ſuper reum. Quo ſenſu ſuam aſſertionem firmabat Pilatus: *Ego non invenio* Ibidem.

cauſam in hoc homine, in his, in quibus eum accuſatis. Ex aliis incognitis vel non factis mihi eum judicare non licet, & ad validationem aſſertionis ſuæ inducebat Herodem, dicens: Sed neque Herodes, ex quo Chriſti puritas amplius elucebat. Quoniam duo diſertiſſimi principes cauſam mortis in Chriſto vel modicæ pœnæ pro commiſſo crimine, indagatione ſcilicet protinus invenire non poterant. Dicit enim ſe nullam invenire cauſam, ut omnis nota criminis auferatur. Et nihil includit, qui univerſalem negationem inducit. Nec ante hos principes ſuis falſis delationibus potuerunt juridica forma prævalere Judæi: Prævaluerunt autem, cùm judiciaria poteſtas juris figura relicta ſe flexit in partem. Sed cùm Pilatus in ſuæ aſſertionis robur, atque firmamentum aſſumit Herodem, ad oſtendendam innocentiam JEſu, ſic verba connectit, ſed neque Herodes, nam remiſit illum ad nos, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei, ut ſic contexatur ordo verborum: Ego coram vobis interrogo, ne vobis ſuſpicio ſurrepat, quòd alia cauſa, quàm à jure commotus, ipſum velim tradere libertati, nec vos imaginatio falſa deludat, quòd in conclavi ſecum pacto convenerim, vos in probatione deficitis, judicari ergo ſine ſua confeſſione non poteſt. Proinde coram vobis interrogo, ſi in quo deliquit. Nam adhuc in eo non invenio cauſam mortis. Et ne vobis abſonum videatur, quod cauſam damnationis non invenio, & ne quia ſolus exquiſierim cauſam, credatis me fortè deceptum, corruptum amore, vel pretio, in inquirendo experientia debita tacuiſſe, remiſi ad Herodem. Qui eum juxta prudentiam regalem examinans, qui rex eſt, altiori fungitur titulo, tetrarcha eſt Galilææ. Galilæus eſt homo iſte, ſuorum ad eum magis, quam ad me clareſcit notitia ſubjectorum. Homo iſte quem morti adjudicari depoſcitis, amplius in Galilæa quam Jeruſolymis converſatus eſt, cujus facta prius in Herodis quàm in meam debuere obvenire notitiam. Sed neque ipſe in hoc homine in his, in quibus eum accuſatis, cauſam damnationis invenit, cujus rei cauſa remiſit illum ad nos, ut eum abſolvam, in cujus judicio à vobis primo traditus eſt. Ecce nihil dignum morte actum eſt illi. Demonſtrativè loquitur Pilatus, innocentiam CHRISTI aperiens, & quod nihil dignum morte actum, ſcilicet inventum eſt in illo, etiam per Herodem, apud quem in hunc hominem maledicta clamoribus intuliſtis. Lucæ, 23.
Qui quamvis illuſerit, non damnavit,

neque dictavit in illo ullius pœnæ ſententiam. Emendatum ergo illum dimittam. Hic verbis ſuis incipit exorbitare Pilatus, cùm emendare ſe velle dixerit innocentem. Ad quem declamare per modicum ſatis libet. Si eſt innocens, quomodo emendabis? Si emendabis, quomodo innocentem toties proclamaſti? Si emendabis innocentem, devias à juſtitia. Si innocentem arctaveris, à veritate protinus aberraſti, cùm nullam in eo cauſam te inveniſſe ſæpe prædixeris. Spondebat Judæis ſanè in hoc verbo Pilatus, ut ſi eum ad mortis ſententiam non compeſcerent, quòd eum argueret verbis, increpationibus reprimeret, verberibus cæderet, manciparet exilio, propulſaret eum de finibus Judæorum. Sed nec excuſaretur, quin ſubjaceret criminibus, ſi exiguè vexaſſet innoxium. Non enim concedit vera juſtitia, ut in omnibus innocens etiam indulta morte pœna modica torqueatur. Nec à delicto immunis eſt judex, pœnas majores ſubmittens, ſi per omnia innocentem pœnis immitioribus torquet. Sed cùm Pilatus tantum polliceretur emendatum Jeſum, morte non irrogata, exarſerat velut ignis Judæorum ſynagoga maledica. Et tunc univerſa turba mente confuſa & infrunita voce exclamavit: *Cruci-*
Lucæ 23. *fige eum.* Hic primò ſynagoga cæca & omnis turba hominum Judæorum Chriſtum petiverant morte punire per crucem. Ante hanc horrendam, & tetram vocem, quamvis expeterent Chriſti mortem, non tamen genus mortis edixerant. Nunc verò morituro genus mortis inclamant, ut nec contenti pœnis, niſi turpiſſimam moriendi formam inducant. Tunc enim crucifigi patibulis erat inhoneſtiſſimum genus mortis. Quod ideo faciebant, ut in Chriſtum caderet maledictio Dei & legis Moſaicæ: Maledictus enim erat à Deo in lege Moſaica omnis, qui pendebat in ligno. Quæ maledictio injuſtè damnatum etiam non tangebat tunc temporis ſecundùm judicium veritatis, quamvis tangeret ſecundùm ceremonias legis, quæ plurimas immunditias inferebat, multò minus & Chriſtum obfuſcaſſet maledictio ligni, carentem
Deuter. 21. culpa ſupplicii. Sed in hac exclamatione maledicta turba geminavit & vocem. *Nam*
Lucæ 23. *pontifices & miniſtri clamabant, dicentes,*
Joan. 19. *Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus:* verbum quod ante prædixerat: *Accipite eum vos, & crucifigite, ego non invenio in eo cauſam.* Non liberat Chriſtum Pilatus, ſed in manibus tradere nititur æmulorum. Nec ſic tradendo liber fuiſſet à crimine, ſed cognitum innocentem potuiſſet tradere libertati, quamquam fuiſſet minus apertè culpabilis, ſi judicandum reddidiſſet tradentibus, quam ſi lege Romana ſeu authoritate ſecundùm Judæorum ſuggeſtionem, ſuper eum ſententiam tuliſſet de morte: Non ſatis eſt liberum fieri à crimine, ſi non lædat, ſi non, cùm poteſt, innocentiam tueatur. Supra quippe Pilatus dixerat in prima delatione ſeu incœptione cauſarum. Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate eum. Nunc autem quoniam genus mortis inſinuant, etiam de genere moriendi remittit in eos. Accipite eum vos & crucifigite. Atque Judæorum ſuperbiam retundebat, quod intantum exceſſerat, ut judici & præſidi dictarent contra Chriſtum deteſtabilem modum pœnæ. Factum eſt in eis ſuperbia ſuadente, contra conſuetudinem præſidum atque delatorum. Nam delatorum tantùm eſt veritate teſtium probare genus, aut notam objecti criminis, præſidum verò authoritate legis, vel propria juſtè aſſerere genus mortis, aut juxta exigentiam culpæ inferre pœnam aliam debitæ ultionis. Nec præſidum eſt cauſam probare objectam, neque delatorum ullius pœnæ vel mortis ſuper reum proferre ſententiam. Proinde fortè Pilatus Chriſtum æque ironicè retradebat. Tutius autem credimus Pilatum auferendo ſententiam ſuper Chriſtum ſe velle ſervare immunem. Quamobrem dixit: Accipite eum vos, & Joan. 19. crucifigite, ego verò non invenio in eo cauſam, ut apertè dicere velit. Vos accipite & crucifigite, quoniam ego, qui non invenio cauſam mortis, nec invenio imponendæ crucis. Porro Judæorum pravitas, niſi Chriſtum eliminet, non quieſcens, impoſturam in puro tantùm homine ab hominibus non ferendam, inferunt ſuper Chriſtum dicentes: *Nos habe-* Joan. 19. *mus legem, & ſecundùm legem debet mori quoniam Filium DEI ſe fecit.* Nituntur Judæi armati zelo furoris, zelum legis inflectere ſuper Chriſtum, ut ignominioſam mortem incurrat, qui paulo ante, cùm Pilatus dixiſſet eis: Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate. Reſponderant: Nobis non licet interficere quemquam. Nunc excitati amplius odio ſuper Chriſtum, Pilato dicunt: Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori. Ut ſic reſponſioni Pilati objiciant: Si tu, cùm ſis præſes nobis à Romano imperio conſtitutus, non invenis in eo cauſam ſecundùm Romanas leges, unde moriatur, nos legem habemus, ſecundùm quam maxima ſubeſt cauſa, unde ſit morte turpiſſima moriturus, qui Filium Dei ſe fecit. Si verba referantur ad intentionem, aut intentio retorqueatur in verba, mentiuntur Judæi,

& ce-

& eorum eis mentitur iniquitas. Non enim Chriſtus Filium Dei ſe fecit ex tempore, qui ab æterno non factus, ſed genitus eſt ex patre, ſed tantum hominem autumabant Deitatis unione negata. Nec Chriſtus aliquando ut homo ſe aſſeruit DEI Filium, ſed quia homo propter nos factus erat Filius Dei non in aliquo Deitate mutata, ſed in melius pro nobis humanitate aſſumpta. *Cùm ergo Pilatus audiſſet hunc ſermonem, magis timuit.* Sermo ſupra ſenſum & intellectum humanum erat, ſive veritate, ſive mendacio fulciretur. Tremendus ſermo erat ad timorem adjiciens auditores, quod unus homo ſe faceret, aut eſſet Filius Dei. Aut etiam, ſi recta fuiſſet pronuntiatio ſermonis, quod humanitatem aſſumpſiſſet Filius Dei. Sed nunquam Judæi, niſi aliqui ipſorum per fidem ingredi potuerunt myſterium trinitatis, neque paternitatem aut filiationem æternam agnoſcere, neque ſubmittere altitudinem intellectus, ut Deum hominem factum, niſi oculo fidei aliquando viderent. Pilatus verò aſſolitus cultui deorum, in Deum verum & magnum ut omnes intendens, horrendè pertimuit, cùm DEI filiatio intonuiſſet de homine ſuper terram, & magis de rei veritate ignarus juſtiusquè de modo pertimuit, quàm ſi agnoviſſet per fidem myſterii veritatem. Et fortè variè mente actus cœlicam virtutem de cœlo delapſam, ut aliquid in eo, quod ſuum ſubterfugeret intellectum, ſuſpicatus ex-

Ibidem. pavit. *Et ingreſſus in prætorium iterum dixit ad Jeſum: Unde es tu? Reſponſum autem non dedit ei.* Prætorium ingrediebatur Pilatus, velut diligens judex cauſas reorum ordinario & quieto more percunctans. Et delatoribus minus credens, interrogabat Chriſtum, qui ſibi aſtabat ut reus, dicens: Unde es tu? Judæorum ſermone commotus, quia ſe fecerat Filium DEI, ſic CHRISTUM interrogat, quoniam Deus, vel dii ſunt de ſuperis, non de terra. Et ipſi Romanos Deos tanquam ſupernas virtutes colebant, ima & humana regentes. Proinde quærit, unde ſit Chriſtus. Et fortè tradiderat oblivioni, quòd CHRISTUS interrogatus ſupra reſponderat, quod regnum ſuum non erat de hoc mundo. Ex quo trahebatur, quod etiam ipſe de hoc mundo non erat. Sed mirandum, quòd ſecundùm objectionem factam CHRISTO eum non interrogavit Pilatus, ut diceret, ſi DEI, aut cujus filius erat, ſed generationem reflexit ad patriam. ut quæreret, unde eſſet. Quam patriam ante cognoverat, quia Galilæus erat. Quamobrem eum remiſerat ad Herodem, & terram ſciverat pro eo quod ſuperſcripſerat in titulo Nazarenus. Conſuetudo tamen laudabiliſque mos judicum eſt, ſæpe atque diverſimode interrogare reum, ut in claram objecti criminis notitiam veniant. Necnon aliter Pilatus in cauſa fuiſſet exorſus, ſi CHRISTI originem perfectè noviſſet. Arguebat tamen prudens in animo, & proclamatum ſermonem tacitè revolvebat. Quoniam dii de ſuperis ſunt, non de terra. Proinde quærebat unde Chriſtus eſſet. Si referebatur interrogatio ad materiam carnis, ut unde caro ejus eſſet more cæterorum naſcentium, non erat ex ſemine, ſed ex Spiritus Sancti virtute. Quod tranſcendebat hominum intellectus, quòd poſſet eſſe caro cujuspiam hominis præterquam ex traduce. Si ad ſubjectam animæ materiam, non erat reſponſio eis, qui creatorem ex nihilo nunquam credere potuerunt. Sed ad originem, patria & civitas notæ ferè omnibus erant. Neſcio ad quid iſta interrogatio referebatur, unde es tu? Quam juſta taciturnitas ſequebatur. An fortè ad partes infimas & ſupernas intendebat interrogando Pilatus, ut quæreret ſi de infimis aut de ſupernis eſſet, ut de altera partium daretur reſponſio, addidiſſet continuò interrogando Pilatus ſi de infimis, aut de terra es, cur Dei Filium diceris te feciſſe? Si de ſupremis, eſt ne verum, ut ſis Filius Dei? Et cujus? ſummi Jovis ſive Saturni, atque ſimilium Deorum, quos colebat indocta & cæca ſuperſtitio Romanorum. Sed cùm ſic tantùm interrogaretur, unde es tu, Jeſus reſponſum non dedit ei. Ac per hoc ideo non dedit reſponſum, quoniam quamvis curioſa eſſet interrogatio, altiſſima penitus erat, excedens profentis mentem. Sed nec danda reſponſio ei, qui ſupra intellectum ſuiipſius interrogat. Nec humano more loquendi potuiſſet CHRISTUS ſatis feciſſe Pilato, niſi primò mentem ejus convertiſſet ad fidem, quam converſionem tumens humana potentia, & Romanorum ſcientia imperita penitus non merebatur. Caſſa quippe reſponſio dicitur, per quam non ſatis ſit quæſtioni ſive quærenti. Stulta quodammodo, & impertinens erat interrogatio Pilati, ad quam digna non erat reſponſio Chriſti Dei. Scriptura enim ſancta dicit: Ne reſpondeas ſtulto ſecundùm ſtul- Proverb. 26
tiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur. Meritò tacet Chriſtus, quia interrogavit & ſtultus. Non dat reſponſum Jeſus, quod

non intellexiſſet Pilatus. Et tempus obſervat in ſuis moribus cum temporalibus hominibus CHRISTUS. Nam
Eccls. 2. ſcriptura divina dicit: Tempus tacendi &
Joan. 19. tempus loquendi. *Tunc Pilatus* ſe contemni à CHRISTO conſiderans, humano faſtu intumuit in verbis, dicens: *Tu mihi non loqueris? Neſcis, quia poteſtatem habeo dimittere te, & poteſtatem habeo, crucifigere te?* Tu, qui ut reus aſſiſtis, mihi non loqueris præſidenti? Tu de cujus culpa exquiritur, mihi non loqueris authoritate judiciaria inquirenti? O! ſi cognoviſſet per fidem Pilatus, quam verbo pronuntiat illam ſecundam in trinitate perſonam, non tanto tumore loqueretur, ſed ei humiliter ſubderetur. Sed elatus authoritate regiminis, objicit Chriſto velut indignans, tu mihi non loqueris? Et ſe credens agi per altitudinem atque plenitudinem poteſtatis, dicit: *Neſcis quia poteſtatem habeo dimittere te, & crucifigere te?* Acſi patenter dicat: Quare non loqueris mihi, tibi taliter præſidenti, ſed tacendo contemnis, qui ſuper te mortis & vitæ habeo poteſtatem, liberandi, atque plectendi? Propitium me tuis verbis deberes efficere, ut cruce remota libertati te tradam, qui poteſtatem poſſideo utriusque. Hinc Chriſtus abegit ſilentium, quoniam tempus loquendi advenerat, & reſpondit humiliter imperito tradendo doctrinam, ut eum revocaret à faſtu, & ab errore, quo tenebatur ipſe deluſus, qui ſe fore credebat propriæ poteſtatis. Unde *reſpondit JEſus: Non haberes poteſtatem adverſus me ullam, niſi tibi datum fuiſſet deſuper. Propterea, qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.* Non eſt, ut multi credunt, iſta collata poteſtas ad Cæſarem referenda, quod Pilatus ſuper Chriſtum judicandum authoritatem à Cæſare accepiſſet. Nec enim Cæſar illam alicui potuiſſet juſtè conferre, quoniam non ſubdebatur jurisdictioni alicujus regiminis criminis nota carens. Et liber erat à ſubjectionibus hominum, qui ſupra homines natus erat, & ipſos venerat propria paſſione ſalvare. Sed DEUS Pater deſuper permiſſivè Pilato præſidi ſuper CHRISTUM tradidit poteſtatem, ut pro omnibus morti traderet. Et non deſuper, ſed de ſupter erat authoritatis Cæſaris, ſed deſuper duntaxat eſt omnium creatoris, qui Pilatum CHRISTUM ad mortem judicare permiſit. Propterea qui odio commotus, & ſuccenſus igne malitiæ, traditit me tibi, majus peccatum habet, quàm tu, qui ad omnium utilitatem Deo permittente me judicas. Plus peccat delator iniquus, quàm judex injuſtus, ſi jure legum aſſertione falſorum teſtium cogitur judicare reum. Si judex quanquam impius, aliquem non quæſiviſſet ad pœnam, criminoſior eſt delator, qui tradidit ad judicia innocentem, quàm ille, qui judicat. Non enim innocens in judicio ſiſteretur, niſi fuiſſet delator iniquus, cùm judex malus contentus tantùm ſuis faſtibus ſtaret. Judex enim populi animoſitate compulſus omnino delinquit judicans innocentem. Sed mitior eſt culpa comparatione tradentis. Et quanquam hinc & inde rationes effulgeant, ſed patrona ſententia ſalvatoris nutantes quietat animos, & hoc credere nos compellit, cùm ait: Propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet. Væ! igitur conditioni miſeræ Judæorum, peccatum ad mortem Chriſtum judicantis exceſſit. Nam ipſi Jeſum Pontio Pilato tradiderunt, non ipſe quæſivit. Ipſi vocibus inclamabant, ut traderetur ſupplicio ſævæ crucis, quem ipſe abſolvere ſtudio nitebatur. Nec non refertur hujus peccati comparativus exceſſus ad quoscunque, qui egerint ſimiles actiones. *Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum.* In religionem ſe con- Joan. 19.
vertit Pilatus, & CHRISTI verba retorſit in verum. Proinde quærebat dimittere JESUM, ſemper enim ad Chriſti verba Pilati ferocitas ungebatur. Unctus erat Chriſtus, à quo liniebatur Pilatus, & dulciter Chriſti reſponſio penetrabat animum ejus, & ſibi propitiabatur, niſi Judæorum procax audacia perſtitiſſet. Ibidem.
Nam *cognito à Judeis*, quòd Pilatus CHRISTUM velut innocentem volebat tradere libertati, *clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis, qui ſe regem facit, contradicit Ceſari.* Ad omnia mala commenta Judæi ſe conferunt, & adinventiones falſas inveniunt, ut CRRISTUM deleant ſuper terram. Incutere conantur Pilato ex ſuperiore timorem, ſi CHRISTUM abſolvat à crimine, vel à pœna. Et ejus præſidentiæ derogant, quod non revereatur ſuperioris ſui Cæſaris majeſtatem, neque jura ſuſcepti honoris atque amicitiæ plenè cuſtodiat, ſi Chriſtum inultum morte dimittat, quâſi Chriſtus ſe regem faceret contra Cæſaris voluntatem. Sed erat usquequaque certiſſimum Judæos eſſe Cæſaris non amicos, cui non amore ſed violentia ſubdebantur. Et nunc ad opprobrium Chriſti fingunt ſe agere cauſam ejus. Sed mos eſt ſolitus peſſimorum, ut interdum ſub-

ſubmittant minus odium pro majori, & cùm minori æmulo paciſcuntur, ut ejus auxilio exoſo magis poſſint inferre jacturam. Sic enim Judæorum à diabolo exagitata malitia tunc agebat, ut viderentur Cæſaris amici eſſe & agere cauſam ejus, qui eorum erat moribus & animis inimicus, ut ejus favore Chriſtum occiderent, cui ex animo inimici erant. Sed falſam delationem replicant, cùm dicunt: Omnis, qui ſe regem facit. Nec enim Chriſtus ſe regem fecerat, ſed turbas eum facere volentes effugerat. Nec opus erat de novo ſe regem facere, qui rex regum & Dominus dominantium extiterat ab æterno, eritque per omnia Sæcula Sæculorum. Nec contradixerat unquam cæſari, cui ſuaſerat exhibere tributa. Sed peſtifer mos eſſe noſcitur reproborum, cùm à veritate deficiunt, ne in cauſa ſuccumbant, falſitates imponunt. Et cùm tam procaciter accuſaretur à principibus ſacerdotum & ſenioribus populi, *nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta adverſùm te dicunt teſtimonia? Et ideo non reſpondit ei JEſus ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer.* Non reſpondit Chriſtus accuſatoribus falſis, augmentarent enim ex reſponſione vitium falſitatis, cùm ad veram reſponſionem in malo pertinax falſam reprobationem objiciat, & verbis à concertantibus verba trahuntur, & reſponſionibus reſponſiones accreſcunt. Et mus eſt ſapientis non pugnare verbis cum negantibus veritatem, aut non aſſentientibus veritati. Aſtabant principes ſacerdotum, ſeniores populi pertinaci animo contra Chriſtum, nec ſe aſſumpta iniquitate flectebant. Et contendendo cum pertinacibus ſæviunt magis, & multa falſa verbis certando inveniunt, ne tacendo confuſi videantur. Dominus autem JEſus nemini præſtitit materiam delinquendi. Præſtitiſſet, ſi reſpondendo certaſſet, maximè, cùm ſciret more humano non poſſe verborum, atque reſponſionum collocutionibus prævalere, potentia uti nolebat. Juſtitia ſua, & innocentia, & veritas rationis non reſpondebant ſibi, prævalente malitia objectantium. Judex autem, ſub quo hujuſmodi cauſa agebatur, quanquam conaretur aſſentientibus Judæis eripere eum, tamen de facto declinabat in partem. Et timens diſplicere, volebat malè placere, malè autem placente ſubmittebatur, quæ clamabat pro Chriſto, veritas rationis. Nec Chriſtus repetendo atque recipiendo reſponſa volebat prorogare ſupplicium pro ſalute omnium noſtrum. Nimia enim charitas, qua nos Deus ab æterno dilexit, pro opportunitate noſtra loqui, & tacere docebat. Et amor devitat ad cœpta noxias quaſque moras. Pilatus, qui Chriſti cauſam fovere videbatur, incitabat Chriſtum ad objecta dare reſponſa, dicens: Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? Aut audis aut obaudis. Si audis, quare ſi innocens es, non hæc objecta refellis? Quare tuam innocentiam reſponſionibus non tueris, ſicut iſti accuſationibus variis impugnant? Non audis, quoniam tua cauſa ventilatur, vita diſcutitur? Contemnis famam neque infamiam curas? Aut forte non expaueſcis mortem, quam omnis ſenſus mortalium refugit. Non audis, quanta, videlicet quàm magna crimina tibi objiciunt? Nec verentur in facie tibi obſiſtere. Hic teſtimonia pro ſceleribus & peccatis atque criminibus accipiuntur, non pro verbis & probationibus teſtium productorum. Necnon & Pilatus quærebat verbum Chriſti exprobrans delatores, prout ipſi & abjecta reverentia exprobrabant. Et quia ipſum nunquam copioſè loqui audierat, id agebat, ut accenſus ſolito zelo cum ſuis æmulis in judicio loqueretur, tum delectatus dulcedine verbi ejus, tum ejus apologiam in examine, ubi utrinque verba proveniunt, quærens, quoniam tuebatur innocentiam ſanctam ejus. Sed non reſpondit ad ullum verbum tam teſtificantium, quàm Pilati, ut etiam miraretur præſes. Sed non ſolùm hunc, ſed omnes in admirationem trahit ſilere Verbum, & non reſpondere verbum. Mirabile ſilentium, ubi ſilens habet tanta proferre. Sed tacet judicandus, qui, cùm judicaturus eſt in fine Sæculorum adveniet ſua voce unica terribili laudabilique omnes mortuos repentè ſuſcitabit. Miratur præſes, quia tacet Chriſtus, & quod nec ſe defendendo reprobat delatores. Miratur, quia videtur Chriſtus ſemetipſum negligere, in quo mens ejus in alta ſe tollebat, acſi de mundo non eſſet, qui hominum judicia contemnebat. Et totum credendum eſt divinum, quòd ad Verbum humanum non reſpondebat divinum. Incarnatum quippe Verbum aliam aſſumens naturam, à ſua delapſum non erat. Et homo ille divinè in omnibus agebatur, quem non decebat contentionibus deſervire. Nam & ſicut indigebat teſtimonio pro ſeipſo, omnibus opus erat ad delendam infamiam. Et quanquam Deus nun mutaretur in hominem, nec in Deo eſſet homo mutatus, ſed utroque in primæva ſervato natura, potior tamen per exceſſum erat forma Dei, quàm

Joan. 6.
Matth. 22.
Matth. 27.
Marci 15.
Matth. 27.

quàm forma hominis ſervi. Et quæ potior erat, gubernabat, & dirigebat in omnibus, quamvis in ſenſibus non organizaret aſſumptum. Ac per hoc Verbum incarnatum nihili pendebat Verbum delativè prolatum, ne videretur, aut crederetur eſſet divinum, ſi reſpondendo magnipendiſſet humanum. Non caret aliqua dignitate, ad quod dignitas reſpondet, & celſitudo regalis. Sed indignum erat, ut Chriſtus pertinacibus reſpondendo, eorum verbis tribueret dignitatem, aut æſtimaret pro grandi, quod ſibi pro nihilo erat. Noverat etiam Judæorum pertinaciam, & Pilati animum ad Judæorum placita faciliter inclinabilem infallibiliter præſciebat. Proinde veritas meritò reſponſa non dabat Judæis velut hoſtiliter obſtinatis, & Pilato ex Judæorum placito judicium perverſuro. Et admiratio ex ſtupore in animo Pilati naſcebatur, & vagabatur anceps animus ejus, neſciens quis & qualis eſſet, qui teſtimonia falſa, delatores, & delationes, famam pariter, & infamiam, ignobilitatem, & gloriam, dedecus, & honorem, vitam humanam & mortem, æquo animo, æqua facie, æquis moribus contemnebat, & hoc arguebat maximè deitatem, ut miraretur

Joan. 18. præſes. *Pilatus autem* omnino *nitens JEſum tradere libertati* eis conſuetudinem religioſam & piam *appoſuit, dicens: Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in paſcha, quem vultis?* Habebat Pilatus nanque quendam virum, nomine Barrabam inſignem, ſcilicet in malo, vinctum in carcere propter ſeditionis crimen, & homicidum, qui ſceleratior omnibus vinctis erat, quem Pilatus cum Chriſto in optionem dedit, ut boni & mali comparatione facta, quamvis inter bonum & malum comparatio vera non cadat, bono libertas, malo ſupplicium adderetur. Et cùm Pilatus ſpatium eligendi concederet, principes ſacerdotum, & ſeniores populi perſuaſerunt populis, & concitaverunt turbam, ut peterent Barrabam. Et exquirente Pilato, quem vellent de duobus dimitti, petiverunt Barrabam liberum fieri, Chriſtum verò ſæva morte damnari,

Lucæ, 23. dicentes: *Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. Iterum autem Pilatus locutus eſt ad illos volens dimittere JEſum, dicens: Quid igitur faciam de JEſu, qui dicitur Chriſtus? Illi autem ſucclamabant, dicentes: Crucifige eum. At ille tertiò dixit ad illos: Quid enim mali fecit? Nullam cauſam mortis invenio in eo. Corripiam ergo illum & dimittam. At illi inſtabant vocibus magnis poſtulantes, ut crucifigeretur. Et invaleſcebant voces eorum. Tunc Pilatus ſciens, quod propter invidiam tradidiſſent eum, & videns quod nihil proficere poterat, ſed magis tumultus fieret in populo, & volens ſatisfacere populo dimiſit illis Barrabam. Et accepta aqua lavit manus ſuas, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus, vos videritis. Reſpondens autem univerſus populus, dixit: Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper Filios noſtros:* Lucæ, 23. Ibidem. Matth. 26.

Joan. 19. Supra contextus ordo hiſtoriæ, quanquam non omnibus contexentibus æquè ſonet, non tamen moveat auditores, dum ſi non ſervatur ordo literæ, ſed ſervatur ordo ſententiæ, & unuſquiſque ſuo modo ſubordinet, ſi à rei veritate non excidat. Sed omnia iſta conflata in unum pœnam Chriſti exaggerant & accreſcunt malitiæ Judæorum, quod neque Pilati religio, neque Judæorum religioſa conſuetudo Chriſtum exceperint à tormentis, & ab ignominioſiſſima morte ſæviſſimæ crucis. Conſuotudo bona cum comparitione venit in juſtitiam operatione, quoniam ad iniquos optio eſt porrecta, qui potius hominem homines tradentem exitio revocaverunt ad vitam digna morte plectendum, quam Chriſtum agentem cauſam pro omnium vita mortalium. Quem potius crebris, & maleſonis vocibus necaverunt. En Pilati religio ſatis placet, quamvis firma non ſteterit, qui tot modis, & toties libertati tradere nitebatur, quem ſæpe prædicavit omnibus innocentem, in quo notam querelæ non invenerat, neque pœnæ, in quo toties examinata igne judicii nulla iniquitas eſt reperta. Crebra examinatio juſti facit ipſum ſæpe clareſcere, qui eo amplius nitet, quo amplius ipſe diſcutitur. Geminatæ crudæque voces de cruce JEſu delectatum odium in longa pœna pronuntiant, & affectum anxium in opprobrio condemnati. Concitatio imo contaminatio turbæ in homicida petendo, tradendoque Chriſto, dejectum in profundo malorum animum ſonat, qui perverſus alios pervertere omni actione conatur. Ideu namque principes, & ſeniores populis Barrabam petere ſuadebant, Chriſtumque tradere, ut ſe multitudine tuerentur. Sed eo periculoſior eſt iniquitas qoælibet, quo gaudet multitudine iniquorum, & ſe credit immunem, quo plures ſocios habet in crimine. Sed nullam cauſam in eo ſe Pilatus inveniſſe crebrò prædixerat, ſed cauſam traditionis ſciebat eſſe invidiam, quæ nunquam quieſcit, quouſque ſit deleta felicitas, nam ipſa neminem unquam alium habuit hoſtem, præter felicitatem. Nullus ea eſt ſeverior inimicus, qui nunquam ſiſtitur,

nisi

niſi proſperitas retundatur. Tunc ſolùm quieſcit invidia, cùm in aliis aderit plena miſeria. Propter quod Pilatus videns, quod nihil proficere poterat, ſed tumultus amplior excitabatur in populo, ira & invidia concitantibus mentes, & vocum erat confuſa & horrenda clamatio, & duntaxat Chriſti mors in linguis & vocibus omnium reſonabat, accepta aqua lavit manus, innuens, quod eum judicabat invitus, & Chriſtum appellavit publica voce juſtum, quem Judæi ut reum ad perniciem ſectabantur. Referebat autem culpam & pœnam ad Judæos, dicens: Vos videritis. Quandam aliam ineffabilem juſtitiam intellexit eſſe Pilatus, cùm dixit, vos videritis. Senſus eſt Verborum: Vos me ad judicandum hominem innocentem importunè compellitis, ſed cùm pœnam ſuſtinebitis hujus ſceleris, agnoſcetis. Hic memor erat Pilatus Verborum JEſu, qui ſibi dixerat, propterea qui tradidit me tibi majus peccatum habet. Conſuetudo erat præſidum manus abluere in hujuſcemodi judiciis, ut haberentur immunes, ut lotio manualis innocentiam totius cauſæ oſtenderet. Sed nec abluebat aqua, quem culpa ſæva damnabat. Sed deceptus in hoc Pilatus, quòd ſibi adſcripſit innocentiam, dicens: Innocens ego ſum, judicans innocentem, Sed eo ipſo nocens efficitur, quo ſuo judicio traditur exitio non delinquens. Nempe pertinax rabies Judæorum Pilatum ſuo more vel poſſe abſolvens, in ſe atque in futuram prolem ſententiam perperam & tantæ crudelitatis excepit, ut ſanguis Chriſti flagellis, aut morte, aut ejus vita delenda fidei exquireretur judicio, eſſet ſuper eus & ſuper Filios ſuos. Maxima eſt hoſtilitas Judæorum, qui in eandem damnationem, qua erant patres, Filios induxêre, ut non reorum, ſed quod plus excedit, fieret obligatio perſonalis, non ſolùm exiſtentium, ſed etiam futurorum. Sed neſcio, quo demerito tam occulto ſit iſta obligatio ſubſecuta, ſeu quæ fuerit iſta tam ſecreta juſtitia, ut tantùm ſcelus ſubeundæ vindictæ patres Deo juſtè permittente, potuerint nondum natos Filios obligare, ut nondum ad naſcituros proximi temporis, ſed uſque in præſentiarum profluxerit iſta damnatio, ut illi meruerint indurari. Necnon poſt quadraginta annos illa ætas manum militantem ſenſerit Romanorum, & qui deinceps meruerint non vocati. Ac per hoc prout exceperunt ſententiam, ita in vita ipſorum novimus obveniſſe, etiam cum pœna, quæ reſervatur

Lucæ. 25. æterna. Tunc Pilatus dimiſſo Barraba, & lotis manibus implacabilem ſævitiam Judæorum intelligens, adinvenit modum alium liberandi, ut ſcilicet flagellari faceret & illudi, quòd ſaltem Judæi ejus verberibus & opprobriis ſatiari annuant liberari JEſum. *Proinde flagellavit eum* ut ex aliis Joan. 19.
relationibus ſumitur, & prout moris erat præſidum Romanorum, ligatum ad quandam aulæ columnam. Ante quam ligarent ad columnam *exuentes eum veſtimentis ſuis.* Quo flagellato, & à columna Joan. 19.
ſoluto *milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti ejus, & veſte purpurea ſive coccinea circundederunt eum, & veniebant ad eum, & cœperunt ſalutare, dicentes: Aue rex Judæorum. Et percutiebant arundine caput ejus, & dabant ei alapas, expuentes ſcilicet in faciem ejus, & ponentes genua adorabant eum.* Et ſic flagellatus & aſpernatus Judæis oſtendebatur, ut ſaltem compaſſione commoti velint tradere libertati. *Exiit ergo JEſus, portans ſpineam* Ibidem.
coronam, & purpureum veſtimentum. Et dicit eis Pilatus: Ecce homo. Cùm ergo vidiſſent eum pontifices, & miniſtri, clamaverunt dicentes: Crucifige, crucifige eum. Expoliatio, columna, flagella, ſpinæ, purpura ſive coccinea veſtis, ſalutatio, percuſſio arundinea capitis, alapæ & ſputum in faciem, genuum poſitio, pœnam accumulant. Sed neſcio ſævitiam miniſtrorum ſive ſatellitum, cùm non fuerint Judæi, ſed Romani, qui piè credendi ſunt conſenſiſſe cùm præſide in liberatione JEſu, ac etiam cognoviſſe præſidis voluntatem, qui Chriſtum malè tractabat invitè, necnon & voces ipſius audierant, quibus toties proclamabat innocentem. Et nunc ſiquidem ſciebant, quod ideo juſſi fuerant flagellare, ut Judæorum ferocitas ſedaretur. Poſſibile tamen erat ipſos miniſtros ſatanico Spiritu inſtigari, malas tamen hominum conſiſtentias ex ſuis geſtis, atque inſtrumentis incunctanter accepimus. Expoliatio innuit immititatem, ut ſubjaceat verecundiæ, qui autem ſine peccato, ſubjacebat decori, ſed veſtimenta ſiquidem ſunt regumenta corporis, ob velamentum pudoris, & tutamentum à frigoribus aeris. Quòd verò ſuis expoliatur veſtibus propriis, typico & adumbrato myſterio in id incurrit, ut aliorum injuſtitia prævalente rationibus, & tuitionibus propriis denudetur, ſic vel eſſe puſſit in cauſa, unde per juſtitiam excuſetur, aut aliquid, unde à malis immitibus mutuatur. Sed prout ſuis veſtibus expoliatus patet pudori, ſic rationibus ſuis privatus juſtè videtur addici morti, ut nulla impoſiti criminis ſit excuſatio, ſubeundæ

pœnæ nulla protectio. Columnas eductionis & directionis novimis ignis & nubis, quibus eductus & protectus eſt populus ex Ægypto, quas divina bonitas finxit, quibus nihil erat ligabile, nam præterquam viſui ſenſibus aliis ſubjectæ non erant: Ut in una charitas, in alia velata veritas ſignaretur: Una in die, in nocte altera præbebat ducatum. Et ſæpe diurna deſuper à ſole & ad tutelam inimicorum, ne conſpicerentur, fiebat à tergo. Et ubi quieſcebat, fiebat caſtametatus populorum. Hæc autem ideo dixerim, ut ſciamus, quæ ingratitudo illis columnis mirabilibus ſit repenſa. Nam columnis beneficii, repenſa eſt columna tormenti. Sed non ſine occulto myſterio Chriſti ligatio extitit ad columnam, cujus profecto hæc talis eſt natura, quod rectè exiſtens erecta quodlibet deſuper pondus accipiens, firmatur amplius, ſi cœperit in partem flecti, perficit ex paruo ruinam. Columna Chriſtus erat, ejus veri ſuntque ſequaces, qui tribulationum ponderibus ſolidantur perfectis. Sed cùm ex toto ad paſſionem refertur, inevitabile ſupplicium dicit, nam qui ligatur, inevitabiliter toleret pœnas inflictas. Sua enim voluntate Chriſtus ligatur, ut etiam pro nobis inevitabiliter pateretur. Flagella ſunt tormenti, non eruditionis in Chriſto. Sed ſive eruditionis ſive ultionis atque ſupplicii agitur in capite quod membra pati deberent. Et pro toto corpore caput inclytum pœnas luit. Inter ſpinas hærentem
Geneſ. 22. cornibus arietem vidit Abraham, in qua viſione Chriſtum ænigmaticè ſpinis coro-
Geneſ. 3. natum aſpexit. Sed exortæ fuerunt in
Lucæ, 8. maledictionibus primi parentis, cui dictum eſt, quod terra ſpinas & tribulos germinaret ſibi, quibus in præfinito tempore pungendus erat Filius Dei. Et mundi divitias ipſe Salvator ſpinas exponens parabolas appellavit. Ac per hoc quoniam principes Judæorum deſiderio plus habendi aut ſæcularia non amittendi, Chriſtum uſque ad coronam ſpineam perduxerunt, ut undique punctura conſiſteret in capite glorioſo, & pro dignitate regali, quam ex alto contulerat populo Judæorum, coronam ſpineam accepit in meritum. Purpura illa non ad honorem, ſed ad deriſionem pertinet, ſed coccinea erat pro deſignatione illorum præſentium, & futurorum, qui nunquam ſanguine ſatiantur, & conantur ædificare in ſanguinibus civitatem. Altiori autem intellectu illa chlamys coccinea & purpurea, qua circundatus in deriſum à miniſtris pœnarum fuit, martyrum paſſiones præſagio præmonſtrabat, quibus velut contexta chlamyde, quæ tantùm fertur regibus apta, circundandus erat, vertendo tamen in gloriam, quoniam purpurea erat. Aue dicebant ei, cui ex ſe competit aue, aliiſque conferre. Nam ſibi ſalus, & præterquam ab ipſo nemini ſalus eſt. Mira verò erat deſponſatio, tanquam homini pereunti, qui ſe ſalvare non poſſet, deſpectivè optabatur ſalus. Et proferebatur ore maledico, quod propheticum erat. Et loquebantur neſcii verbum magni myſterii, quòd inverſis literis nomine primæ parentis hoc Verbum ſumpſit initium, & ab angelo ſuit impoſitum, ut ſub hac forma Verborum almam virginem ſalutaret, in initium ſalutis mundo reſtituendæ velut in manu fœminæ, quoniam in manu fœminæ fuit prærogata damnatio. Arundine facta percuſſio, vacuitatem præſanxit hominum iniquorum, qui calamitatem animi patiuntur, dum in alium hoſtiliter inſiliunt, & velut arundo vento agitata, in illam partem feruntur, quo popularis aura, ſive dæmon inſtans impulerit. Et qui vulgarem favorem captare contendunt, aut aliquo à Dei veritate flectuntur, aut deviant à juſtitia, arundine caput Chriſti percutiunt. Quod à Matth. 11.
contrario ſenſu de Baptiſta Salvator loquens Salvatnr diſſeruit, dicens turbis: Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam? Arundo vento agitata inconſtantiam hominum pandit, ac etiam per ipſam ad omnia mala & impertinentia noſtri cordis facilis inclinatio deſignatur. Sed arundinem Chriſtus geſtabat in dextera, & avellabatur interdum, ut caput ex illa feriretur, ut ab improbis Judæis, atque paganis, erroneiſque philoſophis atque in fide deficientibus Chriſtianis. Omnia geſta Chriſti, quòd incarnatus eſt, quòd natus eſt, quòd ſit converſatus, quòd fortiter paſſus ſit, quòd fortiter & victorioſè mortuus eſt, quòd portas effregit averni, quòd ſe ſua potentia ſuſcitavit, quòd eduxerit ab inferis animas, quòd aſcenderit ſuper omnes cœlos, & ſuper altitudinem omnium angelorum, quòd miſerit Spiritum, quòd mundum in forma hominis judicaturus ſit, hæc omnia tollunt à fortitudine dexteræ ipſius, cùm calamum intus vacuum in dextera ejus ponunt, & quòd non ſint tantis myſteriis plena, ſed vacua, neque credunt, quod deitas res hujuſcemodi fuerit operata. Poſuerunt ergo arundinem in dextera Chriſti, ut fortitudinem infirmitatem, plenitudinem vacuitatem in Chriſto crederet, atque diceret

perſidus

perfidus populus omnium infidelium & malè ſapientium, & hæreticorum. Et ex eadem arundine, ex eadem vacuitate malè credendo caput Chriſti hoc percuſſerint, prout in eis eſt, impercuſſibilem deitatem. Percuſſio in faciem ad id refertur, ſimiliter expuitio faciei, quòd ſupra in alia percuſſione maxillæ prætulimus. Quòd ad exaggerationem tanti opprobrii, atque vilitatis geniculant ante Chriſtum, præter id, quòd more puerili Chriſtum ſubſannant, & deludunt, illuduntque, ut nihil deſit aſpernationis atque dedecoris, in magnam conſiderationem myſterii fidelem animum vehit, quoniam hæc ſunt mala præſagia, quòd Chriſti opprobria, dejectiones & afflictiones eſſent adoranda in poſterum, & aſſumenda ſudoribus, & agonibus ab his, qui cœleſte regnum captare certarent, atque mundi hujus habere victoriam. Et in nomine JEſu flectendum erat adoratione morali & myſtica omne genu. Et velut omnis figura tranſibat, & tranſitura ſperatur in evidentiam, & claritate, ſic & hæc illuſio in veritatem, ut magis ſint in honore Chriſti abjectiones, afflictiones atque opprobria pro ſalute credentium, quàm ipſa creatio cæterorum. Non enim in eo, quod creati ſumus, adipiſcimur beatam & interminabilem vitam, ſed per Chriſti opprobria, quæ ſenſus humanus refugit, & indocta ratio præterquam fides Chriſtiana non cognoſcit. His peractis, decrevit Pilatus, aut de conſenſu Judæorum Chriſtum tradere libertati, aut ſuper eum mortis proferre ſententiam.

Joan. 19. *Adduxit ergo foras JEſum ſic illuſum, circundatum coccinea chlamyde, corona ſpinea coronatum, ſceptrum arundineum dextera geſtantem*, ut ſaltem hæc viſio hominis ſic abjecti corda compungeret Judæorum, ut nec ejus amplius curæ foret de morte,

Matth. 17. quem tanta vilitas comprimebat. *Et ſedet pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabatha. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad illum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, & juſto illi. Multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter ipſum.* In hac muliere innocentia Chriſti & malitia diaboli convenerunt, & diabolus ex malitia ſuggeſſit pro innocentia. Veruntamen quocunque ordiente, innocentia Chriſti claruit, ſed nec diabolica malitia invaluit. Volebat hoſtis antiquus redemptionem humani generis impedire, quia patres in limbo jam exultare cognoverat, qui uxori Pilati terribiliter apparuit terrendo, quòd, qui apud ſuum virum aſtabat ut reus, innocens erat & juſtus, cujus damnatio ad mortem eſſe non poterat ſine horrenda ultione Pilati. Proinde tibi conſule atque viro, ut judicium omnino ſuſpendat, ne ille tecum inopinata damna patiatur. Adit diabolus primo mulierem, quam ut plurimum novit eſſe proclivem, & ad patranda mala impediendaque bona idoneum inſtrumentum, cùm quo morti perpetuæ genus humanum affixerat. Sciebat etiam & Pilatum ad illam plus debito amore ligari. Amor autem confeſtim exaudit, quod amatus expoſtulat, etenim primum virum per fœminam in amore ligatum diabolus circumvenit. Expavefacta novitate mulier, videndi ſimiliter & audiendi ſuggeſtioni more fœmineo credens, accerſitum quendam referendarium præſtructum viſionibus dirigit ad Pilatum, aut librum miſit verba hujuſcemodi continentem. Nihil tibi & juſto illi. Mira res, quòd omnes præterquam Judæos innocentiam Chriſti clamant. Clamat præſes, Herodes actibus pandit, dæmon per viſum inſinuat, mulier confitetur, nuntius referendarius refert. Nihil tibi & juſto illi, ut non ſolùm innocentia, ſed juſtitia Chriſti præconium auditus in judicio habeat. Plus enim eſt juſtum fieri, quam innocentem, Innocentia ſiquidem tutatio eſt à malo, juſtitia nempe virtutes & earum actus plures accumulat. Quid enim ſonat talis aſſertio, nihil tibi & juſto illi? Verba ſunt magnipendenda per ſingula, & ſententia elicienda de verbis. Nam ad forum cauſarum nullus niſi cauſatus juſtè producitur. Nec debet conveniri in judicio crimine carens, & nulli obnoxius creditori, nec aliqua conventio eſt inter præſidem, aut aliquam judiciariam poteſtatem, tutoremque reipublicæ ultorem malefactorum, & eum, qui de nullo convincitur reus. Quo ſenſu uxor virum alloquitur: Nihil tibi, qui ad malefactorum vindictam poſitus diceris, & juſto illi, qui non deliquit. Nihil eſt unde in tuo judicio juſtus ille debeat præſentari, aut tuam ſubire ſententiam ex objectis. Nihil tibi eſt cauſæ, ut illi juſto aliquid inferas pœnæ. Nihil omnem jurisdictionem in Chriſto à Pilato evacuat. Ac ſi apertè dicat. Reſigna judicium, ſuſpende omnino ſententiam, non efficiaris viro juſto proferendo ſententiam criminoſus, non enim, ſi maculoſè judicaveris, impunè tranſibis. De mala pœna expectat minus confundere, quem ignoras. Multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum. Paſſa ſum multa videndo non ſentiendo in præſenti, ſed in comminationibus de futuro per viſum, quia ſic oſtenſum fuerat ei. Ap-

paruerat ſibi bonorum omnium impediſor, fortè in aliqua ſubjecta materia, diſſuadens Chriſti mortem ſub futurarum interminatione pœnarum, & illam angebat, ut diſſuaderet & viro. An ei ſuo inexplicabili modo oſtendebat Chriſtum innocentem, & juſtum, quem non debere punire Pilatum, ne fieret in poſterum calamitas judicis, damnatio innocentis. Sed quoquo modo per viſum territa paſſaque fuerit, non expedit velut de incertis concertando differere, paſſam certum eſt ex Evaugelio fuiſſe illam uxorem præſidis propter Chriſtum. Proinde territa conabatur à ſententia proferenda revocare Pilatum, non velut Chriſtum diligens, ſed ſibi tremefacta præmetuens. Ex quo duo maxima, ſed contraria innoteſcunt, quòd innocentia Chriſti, licèt non indigenter enituit, & quòd inſatiabilis prædo prædam perdere prænoſcens habitam atque ſperatam, Chriſti mortem impedire tentavit.

Joan. 19. *Erat autem paraſceve hora quaſi ſexta. Et dixit Judæis: Ecce Rex veſter. Illi autem clamabant: Tolle tolle, crucifige eum. Dixit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt pontifices: Non habemus regem,*
Marci. 15. *niſi Cæſarem. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Milites verò exuerunt eum chlamydem coccineam, & induerunt eum veſtimentis ſuis.* Egreſſus eſt foras Pilatus & cultu corporis & exteriori apparatu, quo Romani præſides in reos conſueverant proferre ſententiam, & juſſit poni tribunal in quo ſedit, in loco qui dicitur Lithoſtrotos. Nomen loci apertè convenit actæ rei, ſublimitas enim interpretatur. Ultra intellectum hominum aſcendit in ſublime Pilatus, cùm præſumpſit morti adjudicare JEſum. Et factum eſt ſublime myſterium, ut pro iniquis omnibus judicaretur unus, & judicaretur ignotus, & juſtus injuſtè, in fine Sæculorum omnibus notus judicaturus juſtè. Oriebatur ſublimitas ineffabilis ex paſſivo judicio Salvatoris, ut infirmitas hominis ſublimitatem pertingeret angelorum. Locari nanque in hujuſcemodi loco Pilatus facit tribunal, ſuper quo aſcendit judex abſoluturus aut damnaturus innoxium. Sed primo congreſſu judicii demonſtrans iterum Chriſtum ſic Judæis enuntiat: Ecce rex veſter. Adhuc geſtat Pilatus animum, & libenti animo compatitur ſuper Chriſtum, quem antequam ſententiam proferat, iterum tentat eripere de manibus Judæorum, cùm dicit: Ecce rex veſter, ſuis verbis volens Chriſti prætendere vilitatem, ut tumorem auferat de cordibus Judæorum, & ipſorum mitigetur impietas, ut non ſit in illorum cura, utrum vivat an moriatur tam objecta conditio. Ecce rex veſter, quem ſub hac delatione mihi præſidi tradidiſtis vinctum. Quid adhuc in eum veſter deſævit animus? Inſpicite, flagellatus eſt, alapis cæſus eſt, comſputus eſt, percuſſus eſt, in deriſione aut in ludibrio coram vobis adſtat indutus. Eſt ne iſta regalis, atque imperialis purpura quem timetis? Arundinem manu geſtat. Eſt ne regale ſceptrum quo veſtri reges hactenus vos rexerunt, & qua Cæſar Auguſtus tremere facit populos nationum? Vacua eſt, calamus eſt, infelicitatem magis, quam proſperitatem humanam inſinuat. Quid igitur vobis adhuc impia ſolicitudo perſiſtit, ut velitis tradere morti, qui nulli nocuit? In ſe invalidus eſt, infirmus & impotens eſt, prout volui, caſtigavi, nihil valuit inferre tutamiuis. Eſt ne corona ſpinea regium diadema? Ecce rex veſter quem oditis, quem timetis, odio & timore agitati, mortem inculpabilem veſtris clamoribus irrogatis. Quid vobis intulit mali, quid verò poteſt inferre periculi? Seipſum juvare nequivit, interrogatus tacuit, exprobratus in verbis ſuis Verbum exprobrationis non reſpondit. Ecce rex veſter, quem fruſtra timetis, cui hanc calumniam, quòd regem ſe dixerit, irrogatis, ligatus eſt, compeditus eſt, traditus deſpectui, adſtat mihi & vobis capite inclinato. Si regem ſe dixit, ecce inclinatus. Si rex veſter fuit, ecce in judicio applicatus eſt. Si rex eſſe voluit, ecce qualis rex eſt. Nam talis eſt, qualem in ludibrio pueri conſtituunt. Et tanto iſte in hac parte deterior, quanto pœnas & opprobria patitur. Ille ſaltem typico regno atque conviviis exultat ad tempus, quamvis deponatur. Ecce rex veſter, quid decernitis? Eſtis ne ſatiati opprobriis ejus, contentamini adhuc pœnis ejus, vultis ne à malo propoſito reſilire, ne ſubſequatur juſtiſſimum exitium ejus? Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Ecce Joan. 19.
crudelitas impatientis & cruenta impatientia, quæ non patitur Pilatum complere, aut prolongare ſermonem. Hoc enim impatientia propriè proprium habet annexum, ut, cùm audit loquentem implacita interrumpat, nec incœptum ſinat complere ſermonem, ſed illico impedit aut ex adverſo conſurgit, & quod odioſus furor præcogitavit in animo, eructuat, & quod in re non poteſt, ſatagit clamoribus complere. Hoc ſiquidem oſtendit irremota perfidia Judæorum, qui unanimiter omnes clamare cœperunt, tolle, tolle, crucifige eum. Prorogaſſet fortè ſermonem in hac cauſa Pilatus, niſi funeſtis & importunis

clamo-

clamoribus præventus tam citò fuiſſet. Etenim obſtinata perverſitas iniquorum nollet audire veritatem rectùmque ſermonem, ne forte in bono molleſcat, & in pietatem ipſa convertatur impietas. Unde iſti horrendis clamoribus in quibus crucis ſupplicium reſonabat, Pilati ſermonem omnino præpediunt, & malo præſagio futurorum geminant ſævas voces, & quales tunc erant ſimiliter & futuri, tales geminatio prætendebat. Nam CHRISTUS tollendus erat ab eorum fide, atque dilectione, ſic & tunc penitus ablatus erat. Et quod tunc Judæis affuit in præſenti, ſic & provenit in poſterum. Nec tamen ab illo præſagio ſecluduntur homines cujuſcunque religionis pertinaciter peccatores. Hæc geminatio iniquarum vocum ablationem Chriſti enuntiat à juſtis moribus, & à fide: necnon tolle tolle, crudelem feſtinantiam & feſtinam impotentiam arguit Judæorum, quibus horrori erat aſpicere Jeſum Chriſtum, ſed tolli petebant ab aſpectu corporeo, prout ab animo priſcis demeritis ablatus erat. Sed væ! à quibus Chriſtus tollitur, nunquam enim æquale in recompenſatione percipient. Non tamen invitè à quopiam Chriſtus tollitur, niſi primum ille incautus poſſeſſor admittat, ſive ſuô damno aliis delectatus, ipſum ante à corde rejiciat. Infeſtabatur Pilatus vetativis clamoribus Chriſtum tollere ab aſpectu corporeo, & inferre patibulo. Erat enim ab ipſorum animo jam excluſus. Ira & invidia, furor & odium intus ſpiritum & rationem, & extra ſenſus corporeos ſæpe à condita natura pervertunt, ut recta in ſenſibus etiam non ſit ipſa natura, ubi regnant furor, & odium, ira ſive invidia. Mirum quippe, quòd CHRISTUM Judæis erat pœna videre, proinde vociferant, tolle tolle. Mos enim typicus iniquorum eſt denegare moribus, quem ab animo abegerunt, & morti per crucem adjudicari petebant, de cujus vita cru-
Joan. 19. ciabantur in mente. *Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam?* Nutatio quædam exoritur, an Pilatus ſupra oſtenderit deriſivè Chriſtum, dicens: Ecce rex veſter. Nunc ipſis eum poſtulantibus crucifigi, dicit; Regem veſtrum crucifigam? quaſi crediderit eſſe regem. Sed feſtinata inclamatio Judæorum, ſive deriſivè oſtenſum, aut verè regem creditum, ipſum denegat, omnemqúe conviventem præter Romanum Cæſarem, quem invitè ferebant, ſed comparatione Chriſti tole-
Joan. 19. rabilior Cæſar erat. *Reſponderunt namque pontifices: Non habemus regem niſi Cæſarem.* Omnem regem ſuper eos regnare repugnant in verbis, Cæſare ſolo contenti, ut Pilatum inflectant ad nefanda judicia proferenda. Et ut ad Cæſarem poſſit eſſe appellando recurſus, niſi Chriſtum mortis lata ſententia feriat. Et tantum clamorem in hoc protulere Judæi, quod alium regem niſi Cæſarem non habebant. Nam abſque quod Chriſti mortem in clamore hujuſcemodi prætenderunt, in futuro tempore, ſi exigeret opportunitas, paravere ſuffugium. Cognoſcebant nempe Judæorum pontifices, quod innocens erat, & quod propter invidiam ipſum tradiderant judicandum in manibus præſidis, miſſi Ieroſolymam à Cæſare Romanorum, qui præſes ſæpe liberare fuerat eniſus, aſſerens voce publica innocentiam ejus. Timebant ſibi & cautè loquebantur pontifices Judæorum, ne in poſterum de hac iniqua ſententia fieret inquiſitio à ſuccedente præſide, aut ab alio ſuper hoc à Cæſare delegato. Ad excuſationem ipſorum & ad velamentum malitiæ uſquequaque, ſufficiens videbatur quod ſolùm honorem Auguſti Cæſaris tenuiſſent, damnationem duntaxat petentes, qui Cæſaris derogaſſet honori, aut qui conregnare ſanxiſſet ſive uſurpare dominium ſuper Cæſarem, aut præter Cæſaris voluntatem. Sed malè optionem iſtam in Cæſarem deflexerunt, repudiantes omnium conditorem & principem regum terræ, nam ſub Romanis Cæſaribus Jeruſalem eſt ſubverſa, quæ ſub omnium rege ſacerdotalis atque civitas regalis eſt aucta, & cæſi ſunt à Cæſare, qui deteſtantes Chriſtum Cæſarem elegerunt. Et ferè in omnibus actionibus pravitas Judæorum ſua mala ventura prænuntiat. Tunc omni ſpe liberationis adempta, nec libenti voto valens Pilatus Chriſtum eripere de manibus Judæorum, malè commotus, à veritate auditum avertens, à juſtitia ſancta declinans, uſque ad hanc horam habita pietate relicta, in impietatem verſus, dictavit per crucem mortis ſententiam ſuper Chriſtum, & ſuper latrones, quos meritò iniquitatis ipſorum, geſtorum Chriſti ſcribæ non curarunt, idcirco ſub certa forma non tradimus. Sed nec iſtam incuriam inadvertentiæ imputemus evangeliſtarum ſcribentium, ſed divinæ providentiæ gubernatrici omnium, quæ nihil permiſit in evangelio ſcribere impertinens, nihilqúe dimiſit expediens. Veruntamen illam formam verborum ſententiæ hujuſcemodi fuiſſe credimus, qua præſides, & reges, judices, atque rectores ſolent reos convictos ſive confeſſos, & ſubortis diſcuſſiſque cauſis in ſuis

ſedentes tribunalibus judicare, ſed facto ci edito, indiſcuſſo modo relicto, exclamare peramplius libet. Sed immanitas geſtæ rei, & enormitas facti, impoſſibilitas fandi penitus prohibet. Unde faciemus exordium, quòd homo Deum, injuſtus juſtum, peccator ſanctum, & judicandus judicaturum omnino judicet velut reum? Unde captabimus exclamationis materiam? Nam ubi omnis virtus, & veritas eſt confuſa, ibi nulla iniquitas defuit. Quoniam æqualibus militibus numero, virtus, & vitium ſæpè concertant. Quo jure in hanc miſeriæ vallem Chriſtus deſcendit, aſtans ſuper omnem dignitatem & multitudinem angelorum, ut judicaretur ab homine inter homines more rerorum? Sed hanc Luc. 23. deplorationem alius locus habet. *Tunc ergo adjudicavit Pilatus fieri petitiones ipſorum, & tradidit eis illum, ut crucifigeretur.* Quid eſt ô Pilate! quod te faſcinavit? Quis tui animi pietatem infecit? Quis à veritate te abſtulit, quis te adverſùs innocentem tanquam adverſus æmulum excitavit? Quis te provocavit in partem contrariam? Quis te inimicum fecit JESU, pro quo liberando usque in præſens toties laboraſti? Unde facta eſt iſta mutatio, ut CHRISTUM à mundo crucis morte proſcriberes? An te malè feciſſe cognoſcis, quod pro Chriſto liberando certaveris? An eſt adverſùs CHRISTUM introducta delatio, qua probata examinatione ſolenni, cogaris mortis proferre ſententiam? An minæ terruerunt populi Judæorum? An Cæſarem expaveſcis, ſi innocentiam non confundis? An corrupta eſt pretio, fracta odio, amore ſubverſa, prece perverſa, vulgata juſtitia præſidum Romanorum? Cur nunc perverſis judicium, quod usque in hanc horam illæſum propè tuum modum in CHRISTO ſervaſti? Porro culmini Romano injuriam facis, & notam ponis in Cæſare, maculam in gloria tua, confundis præſidentiæ fidem, ſubvertis ordinem juris, quicquid eſt honoris atque pudoris evacuas, malè agendi tui ſimilibus exempla diſponis, dilanias leges, omnibus ſcientibus te reddis infamem, & eo deterior de te volabit infamia, quo iſtius innocentiam pluries proclamaſti, & te in eo auſam nullam mortis, & pœnæ inveniſſe coram principibus ſacerdotum, & plebe fuiſti conſtanti audacia proteſtatus. Cur nunc facto damnas, quem ante verbo tuebaris? An es tuorum oblitus verborum, ut te tam levi & ſubita mutatione confundas? An juramentum præſtitum de juſtitia Cæſari, & ſenatui Romano immemoriæ tradidiſti? An tuorum Deorum iram incurrere non exhorres, quam incurrere ob injuſtitiam ſæpe metuere Romani, quos & punitos legimus, cùm à juſtitia defecerunt, auctosque, cùm ſervarunt immaculatam? Jure contra te armarentur omnia elementa, quoniam eorum, prout in te agitur, confundis authorem. Merito tibi virtutes omnes, & ſingulæ adverſantur, vitia omnia complectuntur, ordo naturæ morum atque juſtitiæ te repellit, eo, quod innocentiam propter inimicitias laniaſti. Ad quid leges, ad quid jura, ad quid præſidentia præſidum? Ad quid Cæſarum celſitudo Ad quid tribunalatus regum terræ? ſi apud tutores hominum plebejorum & reipublicæ defenſores innocentia & puritas & vita immaculata non poſſunt tutè conſiſtere, quia etiam & ipſi confundunt, qui, ſi non aliter, ſaltem enſibus debuerunt tueri. Adjudicavit ergo fieri petitionem ipſorum. Ecce perverſum judicium, quòd judicatur innocens mori non ſecundùm rei veritatem, ſed inimicorum petitionem. Nulla deteſtabilior, atque imanior perverſitas judicis, quàm non ob cauſam, ſed votum æmulorum condemnare reum, nam illis audacia & nefanda exultatio, & ad pejora prolapſionis materia. Hinc prout pendet in judice deſperationis occaſio præparatur, & juſtis evadendi fiducia tollitur, cùm in ſimilem cauſam advenerint. Væ! regi, væ! præſidi, væ! judici decementi, quorum cor patet petitionibus iniquorum. Væ! auribus, ad quas ingreditur æmula, & iniqua petitio. Quæ autem erat petitio Judæorum? ut CHRISTUS morte tunc turpiſſima puniretur. Ideo malè actus Pilatus tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Tradidit ſcilicet Judæis illum ad voluntatem, militibus verò & miniſtris ad executionem ſententiæ. *Milites autem & miniſtri* Marci. 15. *comprehendentes eum audita ſententia, exuerunt eum chlamydem coccineam, atque purpuream, quam in deriſione circumdederant, & induerunt eum veſtimentis ſuis, & ducunt illum ut crucifigerent.* Sed advertendum in hac parte legentibus, quod ab eo loco, quo CHRISTUS ab Herode redditus eſt Pilato, uſque ad expetitionem latæ ſententiæ, multa eſt verborum varietas & anticipativa locutio, & ejusdem repetitio ſæpe facta. Quamobrem ſolitum narrandi ordinem non uſquequaque ſervavi con-

nectens

nectens veram rei geſtæ ſententiam, ſequentia atque Verborum, prout Evangeliſtæ tradunt, unus addens, quod alter dimiſit, priora dimittens, perſpicacioribus ingeniis ordinavi. Expoliatur deriſiva veſte Chriſtus crucifigendus, ut jam non deriſivè, velut in ludibrio ſimulamium, atque fingentium agitur, ſed in veritate crucis pœnam, & mortem excipiat. Suis verò veſtibus induitur, & cùm his minatur ad mortem, ut etiam, quicquid eſſe poteſt Chriſti, cum ipſo à mundo proſcripto proſcribatur, & cum ipſo damnato damnaretur, nec ſiquidem reliquiæ Chriſti, ut in eis erat, remanerent hominibus ſuper terram. Et magna ſunt quidem obvoluta myſteria in expoliationibus Chriſti, ſimiliter & cum veſtimenta reſumpſit, quæ hic diſuelare prolixitas me non ſinit. Parata enim erat interim pœnalis machina ligni, & omnia inſtrumenta pœnarum, quæ ſubminiſtrantibus Judæis milites acceperunt, & oneraverunt ſanctum dorſum valido ligno crucis. Et deferebat onus grave tanquam ſubjugale animal, ſed neque ad tranſitivam utilitatem, ficut ſubjugalibus ſæpe contingit, quæ de propriis oneribus ſæpe comedunt, imo ut appenſus in pondere ſuo pereat. Unde bajulabat ſibi crucem velut Iſaac ligna, & quibus comburendus erat, niſi deſuper Dominus aliter decreviſſet. Veruntamen iſti non pepercit pater, qui ſub pondere preſſus, in ipſo confixus mortuus eſt. Sed mira JEſu humilitas, quod ſic oneratus incedit, ad ſuam ignominiam ſuper ſe portare jubetur, quem corpore abſentem, Spiritu præſentem ſic allocutus ſum: Domine quo vadis crucis pondere preſſus, aridi ligni pondere prægravatus? Ad quid portas? Quove plantabis illud? Locus quo duceris ſaxoſus eſt. Quomodo plantabis? Quis irrigabit? Aridum eſt, radices non habet, ex quibus à terra ſumptus humor ſumatur in ramos. Terra ſitiens eſt damnatorum & interfectorum locus, nunquam virgulta fuerunt in ea, ligna conſueverunt eſſe confixa in juſtitiam damnatorum. Adulterinæ plantationes ſunt, non dant radices altas, non collocant ſtabile fundamentum, non extendunt ramos ad fructum, ſed ad tormentum, non habent folia pulchritudinis, ſed deſpectionis atque dedecoris, non habent fructus ad eſum utiles, ſed ad veſcendum præ doloribus amaros, non matureſcunt ad uſum, ſed ut vitam extinguant, penitus indureſcunt. Quare igitur defers Domine hanc lignorum ſarcinam? Nonne noſti quod affigeris in eis, ut affligaris in omnibus membris corporis? En cruciaberis in eis, ut fias omni populo in deriſum, demum expirabis in eis. Sed porto lignum propter vetitum lignum, pœnale lignum propter vetitum pomum. Porto lignum, ut vincam in ligno inviſibilem hoſtem, qui vicit in ligno, Porro lignum, ut præter humanas artes ex ipſo faciam gradus aſcenſionis in cœlum. Porto lignum ſuſpendendus in illo, ut omnia traham penitus ad meipſum. Porto lignum experientiæ prædamnatæ. Portabat Salvator aridam ligni machinam, in qua moriendo triumphaturus erat, debellaturus inviſibiles poteſtates. Hæc ſiquidem machina plus in virtute, quàm in figura peractura erat, & inviſibilem inviſibilium bonorum habebat effigiem, & oſtenſura erat vitam toti mundo per unius hominis mortem. Bajulabat ſibi crucem JEſus ad ſuam pœnam, atque tormentum. Et egreſſus à facie Pilati, qui eum ad hanc mortem damnaverat, per medium Jeruſalem agens iter, in qua paucis ante diebus, ſuperſedens ſubjugali, tanto fuerat à turba honore ſuſceptus, & acclamatus à populis, & à pueris Hebræorum, quaſi Salvator eſſet. Nunc velut ſubjugale ſubjectum oneribus cùm opprobriis extraducitur, ſociatus duorum numero damnatorum, ac ſi latronum collega fuiſſet. Et exultabant impii, quòd de judicio victoriam reportaſſent, gaudentes funeſta lætitia, eo quod iniquitas ſuper innocentem in foro atque prætorio terreni præſidis prævaluerat. Sed væ! omni exultationi, quæ ab iniqua radice procedit. JEſus verò ducebatur extra civitatem, velut proſcriptus à mundo, quem nec Ipſe mundus ſibi malefidus agnovit. Fletus erat juſtis, quòd ſic invaluerat ſæva hominum pravitas, & quòd altiſſima innocentia reportabat à judicio ſententiæ falſitatem. Flebant etiam, qui nondum ab humanitate receſſerant, ſaltem tenentes cum Chriſto ipſius naturæ in compaſſione conſortium, ſolùm in illa die lætantibus, quos pravitas, atque crudelitatis iniquitas comprimebat. Milites & miniſtri hujus damnatæ ſententiæ, ſuggerentibus pontificibus ſacerdotum, ne oriretur in civitate ſeditio, neque tumultus in populo, & Chriſtus eorum elaberetur de manibus, propter mutabilem animum turbæ, cogebant ipſum greſſibus feſtinare. Et mos eſt judicum ſic jubere, ſatellitum verò ſic agere, videlicet feſtinare reum, ne aliquò ſuperveniente caſu ſententiam latam effugiat. Et cùm exiiſſet civitatem feſtinatus ipſe feſtinus, quem amor, non violentia ducebat ad mortem, ut homo gradiens

nihil

Joan. 19.

Geneſ. 22.

nihil ſimulatum agens, ex verberibus de-
bilis, & ex premente ſarcina gemens, fortè
non juxta voluntatem impellentium pro-
Matth. 27. perabat acceſſus. Quamobrem civitatis
portam exeuntes, angariaverunt prætereun-
Marci. 15. *tem quempiam Simonem Cyrenæum venientem*
de villa, patrem Alexandri & Rufi, ut tolle-
Luc. 23. *ret crucem ejus.* Non piè ſive humanè,
ſed impiè ac crudeliter factum eſt ad mor-
tis accelerationem, & ad declinamenta con-
trarii. Idcirco Chriſtum exonerant, ut
incedat velocius. Simonem angariant,
ut poſt eum vadat ocius, tanquam robu-
ſtus & fortis noviter oneratus. Multum
refert in hoc tractu adventum hujuſcemo-
di rimari, cùm vigilanti Verbo ab Evan-
geliſtis naſcatur incertum. Et Chriſtus
crucem bajulans egreditur Jeruſalem, ad
quam Simon veniebat de villa, qui non
præmeditatus Chriſtum ſic oneratum ob-
vium habuit. Chriſtus verò cuncta præ-
noſcens, illi præſcius obviavit, quem non
rogavit crucem accipere, ſed ab aliis illam
tollere juſſus, imo angariatus eſt, nec
permiſſus Jeruſalem ingredi, de qua Chri-
ſtus exibat. Profundè penetrare oportet,
quod in his actionibus obvelatur, & quòd
in tanto comitatu Chriſti hominum atque
mulierum diverſimodè comitantium, ſo-
lus nomine proprio Simon hic deſcri-
ptus per Filios nominatur, & crucem por-
tans, Chriſtum ſequitur præeuntem, qua
depoſita, Chriſtus in illa crucifigitur, &
ipſe ab angaria liberatur, ut intuetur ge-
ſta, non patitur, ſed in animo fortè com-
patitur. Simon iſte typus eſt gentilium.
Obediens ſive obedientia Simon interpre-
tatur. Credidit ad prædicationem Chriſti
populus nationum, & qui prædicationem
Apoſtolorum illorum amplius eſt dilata
credulitas primitivè credentium in Chriſto
vivente ac moriente cœperunt, cùm adora-
Matth. 2. verunt Magi, cùm credidit Centurio, cu-
Matth. 8. jus à Chriſto fides laudibus exaltata eſt,
Joan. 12. antequam ejus puerum reſtitueret, ſanita-
Matth. 26. ti. Cùm crediderunt gentiles quidam in
templo conſilio Philippi, quærentes videre
JEſum. Cùm alius Centurio eum cruci-
fixoribus cruci aſſiſtens, viſo terræmotu
& ſignis, exclamavit dicens : Verè Filius
Dei erat iſte. Poſt miſſionem verò Spiri-
tus Sancti plena, quanquam non tota gen-
tium eſt ſecuta poſteritas. Populus nem-
pe in veritate credens, obediens appella-
Pſalm. 17. tur. De quo per Pſalmiſtam multo ante
prophetatum extiterat : Populus, quem
non cognovi, ſervivit mihi, in auditu au-
ris obedivit mihi. Cyrenæus erat iſte ge-
nere, qui interpretatur hæreditas, à qua
Judæi ſuorum merito peccatorum excluſi,
gentibus per fidem, & merita data eſt. De
quibus hæreditariis in hæreditate gentilibus
Romanis ſcribit Apoſtolus, dicens : Ipſe Rom. 8.
Spiritus Sanctus datus atque receptus, te-
ſtimonium reddit Spiritui noſtro, quo-
niam Filii Dei ſumus : Si Filii, & hæredes,
hæredes quidem Dei, cohæredes autem
Chriſti. Ipſe ſiquidem Salvator prædixerat Matth. 21.
de Judæis reprobandis, & gentilibus ad- Num. 33.
mittendis : Auferetur à vobis regnum Dei,
& dabitur genti facienti fructus ejus. In
veteri autem teſtamento, cùm dividenda
eſſet terra promiſſionis, per ſortem man-
davit illam Dominus dividi, dicens : Ut
ſors ceciderit, ita dividetur hæreditas. Su-
pergradientibus intelligentiam literalem,
ſors iſta eſt divina gratia, ſuperveniens
miſericordia mittentis, ad præparationem
per obedientiam recipientis, quam quiſque
ſuper ſe recipiens, habebit hæreditatem
non perfunctoriam, ſed æternam, non ter-
renam, ſed omnino cœleſtem, de qua Pe-
trus in canonica ſua dicit : Benedictus 1. Petri, 1.
Deus & pater Domini noſtri JEſu Chriſti,
qui ſecundùm magnam miſericordiam ſuam
regeneravit nos in ſpem vivam per reſur-
rectionem JEſu Chriſti ex mortuis, in hæ-
reditatem incorruptibilem & incontamina-
tam, & immarceſſibilem conſervatam in
cœlis. Veniebat de villa Simon ad ſacer-
dotalem & regiam civitatem, in illa ſua
negotia peracturus. Multo tempore jam
audierunt populi nationum ſynagogicam
dignitatem, unius Dei cultum tenentem,
& longo ante tempore facta in illa prodi-
gia. Quamobrem plerique ſunt facti pro-
ſelyti. Sed tunc populus gentium Chri-
ſtum obviam habuit, cùm Chriſtus ſyna-
gogam de merito ſuo dimiſit. Nam &
Apoſtoli hanc ſententiam clareſcere tan-
tùm fecerunt, cùm Judæis eos blaſphe- Actum. 13.
mantibus atque perſequentibus intulerunt:
Vobis oportebat primùm loqui Verbum
Dei, ſed quoniam repellitis illud, & in-
dignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce
convertimur ad gentes, ſic enim præcepit
nobis Dominus : Poſui te in lumen gen- Iſaiæ. 49.
tibus, ut ſis in ſalutem uſque ad extremum
terræ. Audientes autem gentes, gaviſæ
ſunt, & glorificabant Verbum Domini,
& crediderunt quotquot erant præordinati
ad vitam æternam. Ac per hoc Salvator
omnium non permiſit in tenebris populos
gentium, ne fierent gehennæ Filii, duplo
quàm Judæi, animo & opere contuma-
ces, ſed eis obviavit per myſterium ſuæ
crucis impoſitæ dorſo ejus. Veniebat de
villa Cyrenæus homo iſte. A vilitate villa
propriè appellatur. Vilia enim ibi pera-
guntur officia, nec urbanitatibus floret.

Porro

Porro in vilibus operibus idolorum cultura gentes occupabantur. Sed veniens ad civitatem, ubi vigebat urbanitas, etiam melius & urbanius impræmeditatus invenit. Urbanior Chriſtus omnibus ceremoniis & moribus Judæorum. Et melior Chriſtus Moyſe, atque prophetis, & Evangelium ejus omni ſcripturæ præeminet, & Moſaicam legem ſupergreditur, & prophetas. Prout autem Simon inopinatè Chriſtum obviam habuit, ſic & gentilis populus eo tempore credidit, quo ſe credere non præſcivit. Divina ſiquidem diſpoſitione, non hominum, omnia fidei & ſupernæ vocationis myſteria peraguntur. Pater autem hic erat Alexandri & Rufi. Mirum admodum, quòd inſolito more pater à Filiis, non à ſuo patre, ut innoteſcat deſcribitur. Sed quoniam Alexander & Rufus in concionem venerant diſcipulorum Chriſti, apoſtolorumque facti diſcipuli atque collegæ, noti erant etiam in eccleſia tunc ex fama virtutum. Idcirco Marcus multò poſt paſſionem Chriſti Evangelium ſcribens, hunc Simonem à Filiis prænotavit. Vivebant enim illo tempore quo Marcus Evangelium Romæ ſcribendo dictabat, documento Apoſtoli Petri. Magis autem horum nomina filiorum, ad myſterium gentilis populi ad Chriſtum converſi deſerviunt. Alexander allevans tenebras, aut auferens anguſtias tenebrarum interpretatur. In tenebris erat gentium populus, & undique anguſtabatur ab eis, veritatem & legem Sanctam non noverat, nec viam perventionis in cœlum. Sed tunc tenebras allevavit, & abſtulit, cùm in Chriſtum prædicantibus Apoſtolis credidit, de quo
Iſaia, 9. longè ante per Iſaiam vaticinatum eſt: Gentium populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam, ſedentibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis. Rufus verò ſanatio aut refectio noſtra dicitur. Infirmabatur imo jacebat infirmus populus gentium, & bonorum inedia expugnabatur, ſed Chriſtum obviam habens, ſanatus atque refectus eſt. Et in typo gentilis populi dictum eſt à Chriſto
Joan, 8. cuidam, quem infirmum ſanaverat: Ecce jam ſanus factus es, jam noli peccare. De refectione verò iſto præſagio dixerat Da-
Pſalm, 22. vid: Super aquam refectionis educavit me, qui non ſolùm pro ſeipſo, ſed pro gentili populo etiam in ænigmate loquebatur, qui ad fidem, & Dei miſericordiam venturus erat. Hæc nempe obviatio, quæ corporibus è regione gradientibus facta eſt, divinarum virtutum & inviſibilium bonorum myſterium arguit, nam fide cæ-

teriſque virtutibus obviatur Chriſto. Quòd verò civitatem ingredi non permittitur, opus eſt divinum, quamvis occultum, ne in id quiſpiam ingrediatur, à quo Chriſtus reprobatus egrediatur. Quod autem ad angariam crucis cogitur, operato eſt dæmonum in altum relata myſterium. Nam eo ipſo, quòd gentium populus Chriſto per fidem obviando credidit, adverſus credentes turba dæmonum inſurrexit, & inciravit, tyrannos mundi principes efferato zelo incendit. Qui ad cruciatus innumeros Dei martyres angariaverunt, qui portaverunt poſt JEſum Dei Filium crucem ejus. Nec omnis anigaria per violentiam & coercionem aliorum addicitur, plerunque accipitur voluntate. Nam violentia quam regnum cœlorum patitur, non ſemper ab extra exiſtentibus infertur, ſed ultro in militia cœleſti agoniſtæ periti ſibiipſis violentiam inferunt, & angariant ſeipſos ad tollendam crucem ſuam, ſequentes JEſum juxta mandatum ſuum, quod ſine exceptione poſuerat: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.
Sed in hoc, quòd iſte crucem JEſu poſt Matth, 16. eum bajulat, merita diſtinguuntur à gratia, & actiones noſtræ ab effectibus Salvatoris. Portat eccleſia collecta de gentibus crucem JEſu poſt eum, quia omnis paſſio, quam propter Chriſtum eccleſia tolerat, Chriſti eſt. Nam omne, quod quis propter alium invitè aut voluntariè patitur, ejus eſſe dicitur, pro quo toleratur. Nec meritum habet in eo, quòd eccleſia multa in martyribus perpeſſa eſt à tyrannis, aut quod ſibi voluntariè in confeſſionibus intulit, ſed pro eo, quòd pro Chriſto ſuſtinuit, & ſibi pro Chriſto ad captandum regnum cœlorum violentiam fecit. Ac per hoc omne bonum, quod pro Chriſto aut patiendo, aut alıter agitur, Chriſti eſt, & agenns à gratia Chriſti, quia ſibi tribuitur, & ut agatur, ipſe gratiam tribuit. Et pretium juſtum in retributione præmiorum per miſericordiam ſuam noſtris actionibus æqua lance juſtitiæ poluit. Nec alicujus æſtimationis eſſet, niſi ſuis actionibus ſociaret, ut communicatio actionum Chriſti cum noſtris, ſalutarem effectum tribuat operibus noſtris. Agentis autem eſt, quia libera voluntate id, quod placitum Dei novit, exequitur. Libera enim voluntas agendi, noſtra facit eſſe, quæ facimus. Sed poſt eum bajulator crucis incedit, quia Chriſtianorum agoniſtica vita eum ſequitur, non præcedit. Paratur nobis alia differendi materia, cùm geſta hujuſcemodi ante con-

conſpicimus. Trinitatem patrem, Filium & Spiritum Sanctum æternam eſſe fide Sancta ſuſcepimus, quæ tunc innotuit juxta acutè capacitatem noſcentium, cùm creaturam rationalem de nihilo in eſſe produxit. Et initiatum eſt tempus poſt omnia, quæ ſunt poſterius ſubſecuta. Æternus eſt cum patre & Spiritu Sancto Filius, nec prius habet neque poſterius, ſed creatura his viciſſitudinibus variatur. Unde poſt creationem ſtatim eſt ſecuta quædam damnata poſteritas, ut angelus irremediabiliter in cœlo, & homo remediabiliter in paradiſo divina mandata contemneret. Præit ergo JEſus æternitate, quia Deus, poſt quem genus humanum à creatione, adjecto modico intervallo cum cruce peccatorum in primis protoplaſtis acceſſit: Nam ſi peccati non fuiſſet actio ſubſecuta, etiam ſi natus, non tamen Chriſtus fuiſſet occiſus. Peccatum ergo radix amariſſima crucis fuit. Portat ergo genus humanum poſt JEſum crucem, quia peccata commiſit, unde crucifixus eſt. Ad quam ferendam dementes angariaverunt, perſuadentes contemnere divinæ placitum voluntatis, in qua crucifixus eſt Deus, & abſolutus eſt homo. Sed quòd Simon non crucifigitur, ad impoſſibilitatem & inſufficientiam redemptionis per purum hominem pertinet: Non enim purus homo potuiſſet aut genus humanum ſemetipſum crucem ſuſtinendo redimere, niſi Deus eſſet, qui pateretur in homine, cùm hoc, quod in Chriſto Deo agitur, genus humanum in piis fidelibus, velut Simon corporeis oculis intuetur, atque compatitur. Ecce occurſus Simeonis in templo. Ecce occurſus Simonis in mortis articulo. Myſtica ſunt, quæ diximus, præter intentionem ſuſcepti operis. Sed ſi hebes legentium intellectus non fuerit, in mores hominum facilè retorquentur, quorum perſpicuitati, quod eſt poſſibile relinquentes, ad rei geſtæ ordinem revertamur. Præeuntem Chriſtum, imò, ut credo à ſatellitibus ligatum, ante deductum, exoneratum à cruce ambulandi velocitate, ſed crucifigendum in illa mortis acerbitate, Simonemque poſt eum juxta, vel deprope crucem bajulantem, duoſque latrones, quibus aſciſcitus erat, turba plurima ſequebatur unius cauſa, non ratione cæterorum. Unde vigilanter Evangeliſta dicit:
Lucæ, 23. *Sequebatur autem eum turba multa populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Converſus autem ad illas JEſus dixit: Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſipſas flete & ſuper Filios veſtros, quoniam venient dies in quibus dicent: Beatæ ſteriles & ventres, quæ non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt.* Tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos, & collibus, operite nos: Quia, ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Sequelas multoties Chriſtus habuit hominum atque mulierum, ſed varia cauſa varioque affectu, ſed nunc altior cauſa tot fecit adeſſe ſequaces. Sed duntaxat deterior phariſæos, atque pontifices ſacerdotum, qui tantùm finem optant exitii, ut infallibiliter aſpicerent, ſequebantur. Aliqui verò tot ſignorum ultra omnem humanam potentiam factorum conſcii exiſtentes, ſi quid in mortis articulo faceret pro ſeipſo viſere quærebant, qui tot ſigna in aliis fecerat, qui etiam tres mortuos revocavit ab inferis, mira conſideratione tenebantur, ſi volebat ipſe ad tartarea loca deſcendere, à quibus alios revocaverat. Aut ſi aliqua inſolita potentia de illorum manibus laberetur, aut ſi aliter per ſigna innoteſceret, aut quali potentia, quali vultu, qua conſiſtentia, ſi moreretur in ipſo actu moriendi perſiſteret, ſi hunc Deus requiret deſuper, ſi ſibi aliquid novi adveniſſet, qui tot nova fecit in Sæculo, qui novam vitam mundo ſic labefacto monſtravit, ſi quiſpiam pro ipſo conſurgeret, ſi nova ſeditio aut tumultus pro ipſius liberatione oriretur. Porro curioſitas multos adduxerat in ſequelam. Quoſdam verò pietas humana movebat ad hujuſcemodi ſpectaculum convenire, maximè mulieres, quarum quodam inſtinctu naturæ magis pius eſt ſenſus, & pronior in lachrymas, cùm aliquorum viderint, aut audierint paſſiones, & ſævas conſpiciunt novitates. Et ſæpe intantùm earum ſenſus humana pietate atque compaſſione molleſcit, ut ſæpe, quos non cognoverint, neque viderint, poſitos in afflictione deplorent. Et neſcio unde plerunque fletus eis efficitur dulcis, & lachrymas quærunt materiam effundendi, necnon Virgo mater incognita, ſed Maria cognita mater multos ad hanc ſequelam moribus, non verbis adduxerat, ut viderent mores ejus in morte Filii ejus. Erat porro mirandum Virginem inſolitam publico, niſi dum erat cum Filio, devitantem aſpectus hominum, & conſortia mulierum. Silentio frænatam, virtutibus fretam, viduatam viro, derelictam virili conſortio, cum ſibi uterinis ſororibus & aliis mulieribus crucifigendum Filium ſequi, cùm mos mulierum non ſit velle videre Filios trucidari, & executionem illius ſententiæ, quæ Filium crudeli pœna ſive morte diverberat. Stupebant autem omnes, qui noverant hujus

hujus hominis ſic afflicti matrem, quòd etiam in tantæ preſſuræ anguſtia ſilentium ſervabat, Chriſtiformis facta, qui cùm malediceretur, non maledicebat: Et cùm pateretur, non comminabatur: Nec aliquid impatientiæ ſive tædii reſonabat. Quæ omnia mater tenebat diſtricta cenſura. Falluntur tamen, qui pietatis cauſa & eliciendi ab oculis audientium lachrymas, aliter concionando declamant. Doluit pia mater, ſed nihil geſſit impertinens. Multæque mulieres pietate atque compaſſione ferebantur in illam, quòd Filio unico privabatur, & quòd horrendius, velut reus turpiſſima morte damnandus, ſequebanturque JEſum pietate matris, atque viderunt Filium crucifigi, & animam exhalare. Imperſcrutabilis objicitur cauſa commovens, quòd multitudo populi, & mulierum Chriſtum ad videndum ejus ſpectaculum ſequeretur, & eo varia quo morti adiciebatur, qui pluries corda multorum prædicando atque mira faciendo commoverat. Et ſicut in delatione dixerunt Judæi, quòd populum commovit docens, ſic commovit & moriens, idem in omnibus Chriſtus docens, & moriens. Necnon & ſecreto tractu Chriſtus poſt ſe multitudinem populi ſexus utriuſque trahebat, ut viderent ſigna magnalia, ut boni confortarentur, & mali confunderentur, ut agnoſceretur charitas, qua dilecti fuimus, pretium, quo redempti ſumus, ut approbaretur innocentia, cognoſceretur injuſta ſententia, ut audiretur ſeptiformis doctrina crucis, comprehenderetur in Chriſto patiens conſtantia mentis, & deitatis profeſſio audiretur, ut videretur quando & cui compatiuntur inſenſibilia elementa, in quem tantùm rationalis creatura deſævit. Sed mulieres plangebant, & lamentabantur. Plangebant compaſſione Filii ſive matris. Et lamentabantur, quoniam in illo die in Jeruſalem contra Chriſtum injuſta fuit lata ſententia. Plangebant ſuper Chriſtum piæ mulieres, qui feſtinè ducebatur ad mortem, vitæ donator & ſanitatis reſtitutor, cui nulla dominabatur iniquitas, unde taliter moreretur. Memores erant bonorum, quæ ipſe ſæpepluribus fecerat, & nullius ejus conſciæ mali. Dulcedo ſermonum ejus non erat abolita, & pietas vultus ejus in memoria ſequentium adhuc erat, impietatem prævaluiſſe in judicio ferebatur, unde hic derelictus ab omnibus, ſic tradebatur in mortem. Et ut conſiderationi hominum plus accreſcat, nemo pro ipſo fertur emiſiſſe ſermonem: Sed prævalente Injuſtitia, virtus in peſſundationem devenit. Talibus mulieres actæ proſpiciis, plangebant humanitus ſuper Chriſtum, & ſævam hominis lamentabantur adeſſe fortunam. Ad quas Salvator converſa mente ſolers, in animo clarus, agoniſta intrepidus, utilia ſemper docens, cautelam adhibens pro futuris, quorum erat omnino præcognitor, dixit: *Filiæ Je-* Lucæ, 23.
ruſalem nolite flere ſuper me. Filias Jeruſalem appellat, tanquam in illa genitas atque natas: Nam ex antiquo more loquendi, genitorum ſuorum atque natorum mater omnis civitas dicitur. Prohibentur flere ſuper Chriſtum, quia nec opus habet compaſſione humana, nec revocatio ſententiæ ſive mortis ex lachrymis omnino proveniet. Sed nec plangendum ſuper eum, qui voluntariè patitur, & qui poſſit elabi de manibus miniſtrorum, nam neque Pilati à Judæis maleſuaſi ſententia Chriſtum cogebat in mortem. Dictabat Chriſtum mori illa ſententia, non cogebat, nec copia militum & miniſtrorum inferre Chriſto violentiam potuiſſet, quos ipſe poterat uno Verbo conterere & terrere. Nulla reſtis ſuffeciſſet ad vinculum, ſi voluiſſet effugere. Voluntarius ſiquidem accedebat ad mortem, quamvis ut trahi ab aſpicientibus crederetur. Quocirca mulieribus dicit: Nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſipſas flete. Nolite flere ſuper me, qui ſponte ſubeo mortem, qui lethi & vitæ imperium habeo, cui nihil deperit moriendo, cujus ſuſcitatio facilis, quem pater æternus non derelinquet, neque permittet ingredi corruptionem, quem poſt triduum tremefacta terra citiſſimè ſuſcitabit. Sed ſuper voſipſas flete. Hoc non ſolùm ad illas mulieres ſequentes refertur, ſed ad totam Jeroſolymam civitatem, in qua Chriſtus mortis proſcriptionem tam injuſtè acceperat, in qua nemo fuit, qui pro Chriſto ſe opponeret, atque clamaret contra perfidiam ſacerdotum, aut allegaret ipſius innocentiam, niſi gentilis judex, qui etiam malè judicando defecit. Sed verba dicebantur ad illas, quæ ſequebantur plangentes, ut earum numero tota civitas futuro periculo includatur. Mos enim eſt ſacræ ſcripturæ numero paucorum ſive unius multitudinem ſæpe concludere, necnon & plerunque uni miſſo nuncio aut aliquid aſſerenti, tanquam multitudini reſpondere. Nec enim intelligamus in illa Chriſti allocutione illas aut duntaxat mulieres intelligi, ſed etiam magis viros, quorum funeſtis clamoribus mors Chriſto irrogata cognoſcitur, & quorum neglectu non fuit injuſtitia propulſata. Super vos flete Jeroſolymitæ. Super ſe fleat civitas Jeroſolyma, quia prout à vobis crudelis injuſti-

injuſtitia eſt egreſſa, ſic in vos, niſi pœnitentiam dignam egeritis, ſæva pœna deſæviet. Nam idcirco ad fletum pœnitentiæ illas invitat, ut futuram præcaveant ultionem. Nec enim tali odio Chriſtus agebatur in eos, ut vellet ferire: Magis autem id agebat, ut tam crimen horrendum pœnitudine cum lachrymis lavaretur, ne inveniret, quos haberet ulciſci. Exiliori enim ſenſu in his verbis agitur, ut magis ſit flendum ſuper præſidentem injuſtum, quam ſuper juſtum occiſum. Et amplius eſt vallanda doloribus iniquitas prævalens, quàm innocentia injuſtè ſuccumbens. Nam bonitatis poſſeſſor tantùm corpore premi poteſt, iniquitatis actor in utroque confunditur. Nihil adimitur juſto, qui etiam per mortem evadit & carcerem, & libertatem citovolam anima ipſa ſortitur. Iniquus verò ſuper ſe iniquitatis miſeriam, & ſi non corrigitur, continua mœſta deploret. Fleant ſuper ſe miſeri peccatores, & eo amarius, quo ſe credant eſſe feliciores. Non plangant ſuper juſtos, qui eo beatiores fiunt, quo amplius in hac vita torquentur. Denegat his verbis Dominus noſter JEſus Chriſtus ſuper virtutis alumnos eſſe plangendum, ſi quomodolibet hujus mundi adverſis agantur, velut ſuper eos, qui arduis agonibus palmiferum culmen attingunt, ſed ſuper his, qui propriis criminibus ad inferos nempe deſcendunt. Super omnia verò plangendum eſſet inexhauſtibilibus fontibus lachrymarum & de ipſa hominum bravitate, qua imo quia omnium creator offenditur. Utique malum eſt, quòd juſtus injuſtè patitur, utique malum eſt, quòd iniquus prævalet adverſus eum, ſuper omnia peius eſt, quòd regi omnium diſplicetur. Sed neque ita ex iſta Salvatoris ſententia cenſendum eſt, quòd omnino fletus compaſſionis
Job. 30. arceatur, cùm & Job dixerit: Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Sed comparatione unius ad alterum horum Dominus loquitur, ut magis flendum ſit ſuper injuſtitiam, quàm ſuper qualemcunque temporalem miſeriam, quia illa Deo æmula, plerunque præſentem & æternam pœnam nanciſcitur. Iſta fulta virtute Deo grata, ex iſta excerpta immarceſcibilem gloriam plenè ſortitur. Sed hanc deplorationem iniquitatis & injuſtitiæ hominum, quæ Deo contumeliam generat, & agenti certum ſupplicium. Jeremias vaticinatus aſſeruit, & petens amaro animo dixit: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi
mei? Quis dabit me in ſolitudine diver- Jerem. 9.
ſorum viatorum? Derelinquam populum meum, & recedam ab eis, quia omnes adulteri ſunt, & cœtus prævaricatorum extenderunt linguam ſuam, quaſi arcus mendacii, & non veritatis. Confortati ſunt in terra, quia de malo ad malum regreſſi ſunt, & me non cognoverunt dicit Dominus. Conſonant iſta verba ſententiæ Salvatoris, qua mulieres ad ſuper ſeipſas, & ſuper earum Filios remittit, ut plorent, quia propter inhærentem malitiam, non propter corporalem miſeriam eſt plangendum. Annectit enim fletus & plorationis cauſam, quia omnes adulteri ſunt, & cœtus prævaricatorum. Adulteri profectò erant Judæi, pro eo, quòd à Dei thoro receſſerant, rigorem veræ fidei non ſervantes. Et quædam congregatio facta erant prævaricationis mandatorum Dei. Et extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacii contra Chriſtum, falſitates, quas ipſe non dixerat imponentes. Et ſuffocaverunt in judicio veritatem, ut una ſubmiſſa, reliqua verò tacita, Chriſtus morte crudeliſſima damnaretur. Qui confortati in terra contra Chriſtum vocibus invaleſcentes, & de malo cordis ad malum operis ſunt egreſſi, ut Chriſtus à mundo hujuſcemodi proſcriberetur, & non cognovere imo cognoſcere noluerunt Chriſtum, qui verus Dei eſt Filius, ſicut prædixit ab æterno, & per ſcripturam omnipotens pater ejus. Luce clarius patet, quòd hic potius Iniquitas, quàm miſeria deploratur. Hæ profectò ſententiæ derivantur ad quoſque alios peccatores Deum quomodolibet offendentes. Qui ſuper ſemetipſos inconſolabilem dolorem deberent inducere, atque maxillas & ora lachrymarum rivulis irrigare, ut nulla eis eſſet conſolatio ſuper terram, donec indulgentiæ atque remiſſionis peccatorum aſtipulatio haberetur. Et quamvis multæ mulieres eſſent, quæ ipſum à Galilæa ſecutæ fuerant, ſolùm ad Jeroſolymitas videtur direxiſſe ſermonem, quarum majur numerus, in quo claudebat ipſe minorem. Quòd autem adjecit, ſuper Filios veſtros, ad pœnam futurorum ferebatur, ad confirmationem illius imprecationis, quam ſibi exquiſierat coram Pilato populus Judæorum, dicens: Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper Filios noſtros. Et rata facta eſt illa ſententia, & juſtis demeritis divina juſtitià decernente. Nunc autem Salvator illam confirmare videtur, cùm mulieribus plangentibus dicit: Sed ſuper voſiplas flete, & ſuper Filios veſtros. Si literam tantùm conſideramus, fortè ideo hoc dicebat, quia

Jeru-

Jeruſalem tradenda erat exitio à principibus Romanorum. Sed neque ipſe Chriſtus, cùm ſuper Jeruſalem flevit, credendus eſt fleviſſe oculis ſuper ædificia ſubvertenda, non enim erat Dei Filii reſolutionem compoſitorum lapiduni deplorare, nec ad hoc venerat, ſed pericula & ingratitudinem animorum, pro quibus etiam pœnam venerat tolerare. Ad quam deplorationem remittit mulieres Jeroſolymitanas, quas velut ſibi compatientes alloquitur. Et fortè uxores erant quam plurimæ illorum virorum, qui de Chriſti morte dolebant, ſed non prævalentes majori nequitiæ tacuere. Alio autem ſenſu Jeruſalem filiæ, animæ ſunt pacis, quæ ſuper nullo affici lamentis, & doloribus debent, præterquam ſuper quod Dei diſplicentiam generat. Nihil enim mœſtitia dignum, niſi peccatum. Rationem autem retorquendo lamentationis & fletus in ſe ipſe Salvator annectit: Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt. Mos eſt hominum ultimè afflictorum, qui tantùm iſtam, non aliam vitam conſiderant, hujuſcemodi verba proferre, utinam nati penitus non eſſemus. Et quia undique aguntur anguſtiis, nec adeſt copia evadendi, beatificant, qui mundi hujus miſerias non viderunt, & illos extollunt laudibus, quibus generandi non affuit virtus, nec officium nutriendi. Ad gurgitem miſeriarum ſpectat, lucem mundi hujus noluiſſe vidiſſe, atque beatificare ſteriles, & non alentes pariter, & non natos. Tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos, & collibus, operite nos. Hæc omnia quocunque modo ab Evangeliſtis proferantur, optativa ſunt, & ad id referuntur, quod in tribulatione maxima poſiti, aut videntes inevitabiliter imminere exitium, vellent invenire latibula, & optant voragines montium colliumque cavernas. Hæc omnia conantur plerique referre ad tempus, quo Jeruſalem à Romanis fuit everſa. Quid intantùm reor, inquantùm ſæva & horrenda punitio immanitatem commiſſi ſceleris pandat, arguat. Aliter verò ad altiora me altior ſenſus vehit, ut potius pro die judicii, quo detrudentur in infernum inevitabiliter peccatores, prædixerit iſta Salvator, quod de Juda in æternum damnato heſternè prædixerat: Melius ſibi fuerat, ſi natus non fuiſſet homo ille. Quod verum eſt per iſtam aſſertionem de cœtu omnium damnatorum, & quòd dictum de Juda, & quod Salvator mulieribus eſt locutus, cognoſcimus in unam convenire ſententiam, ut non naſci ſit melius, quam damnari, & beatam eſſe ſterilem & inaltionem, & velle opprimi montibus & collibus operiri, quàm detrudi æternaliter in infernum. Poſſunt etiam per has mulieres Chriſtum ſequentes, quas piè Salvator alloquitur, ab illo tempore uſque in finem Sæculi futuri prædicatores intelligi, quibus typicè ſuadetur, ut ipſi ſeipſos deplorent, flendo mittentes ſemina regni Dei, & alios fletum doceant & lamentum, ſuper patratis ſceleribus magis, quàm ſuper Domini paſſione. Quam deploraſſe ſceleribus non correctis, & non emiſſis lachrymis, & ſingultibus ſuper eis fletus eſt infantium & muliercularum plangentium ad fabulas poetarum. Aut enim recitari audiunt epitaphia variè ſeu ſtrenuè mortuorum. Magis verò dixerim lamenta ſomniantium, qui cùm vigilaverint, in riſum per ſomnum viſa convertunt. Et mirum me vidiſſe ſæpe recolui audita Chriſti paſſione multos etiam reprobos proruppiſſe in lachrymas, quas, ut elicerem ab oculis audientium concionando ad populum, ſtultè neſcio, an peritè per pia verba ſæpe tentavi. Quod & feci, ſicut ferè ſolitum eſt omnibus, qui declamant, maximè ab illo tempore ſive die, quo eccleſia Chriſtum per ſua officia recolit crucifixum. Cumque ad propria remeaſſe illos aſpicerem, Chriſti paſſionibus & lachrymis & virtutibus valedixiſſe cognovi, & de priſtina converſatione nihil mali fuiſſe ademptum, nec fleviſſe facinora, propter quæ paſſio fuit collata, quam fleverant. Quibus & ſimilibus cæteris gratius eſſet, atque ſalubrius, quàm paſſionem, paſſionis elementa fleviſſe. Ipſa ſiquidem peccata, & quæ præceſſerant & quæ futura Chriſtum pati ſua voluntate fecerunt, ſuper quibus doloribus & mœroribus affici neceſſarium eſt, etiam ſi ſuper paſſionem non tamen impiè, ſed piè hominum anima lætaretur. Quem fletum per prædicatores ſuaderi debere in typo mulierum, Spiritus Sanctus per Jeremiam prophetam aſſerit: Audite ergo mulieres Verbum Domini, & aſſumant aures veſtræ ſermonem oris mei, & docete filias veſtras lamentationem, & unaquæque proximam ſuam planctum, quia aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt Domus noſtras. Mors peccatum intelligitur, quod per feneſtras varias appetitionum, quas aperit perverſa voluntas, & per quinque incautos corporis ſenſus ingreditur. Cujus rei cauſa fletum jubet fieri & lamentum. Quadam etiam comparatione ſui peiora mala ventura prænunciant, cùm dicit: *Quia ſi in viridi ligno hoc faciunt, quid in arido fiet?* Per ſimilitudinem, non per pro- Jerem. 9. Luca. 23.

proprietatem Salvator tunc loquebatur, proprietatem volens mentibus hominum introferre. Viride lignum ad tempus ſuæ converſationis inter homines retulit, aridum verò ſubſequens: Necnon & viride lignum retulit ad ſeipſum, aridum verò retulit ad omnem hominum cœtum peccatorum ſive juſtorum. Senſus quidem hujus eloquii ſic elucet. Si ex tempore quo mundo traditus ſum viſibiliter converſari, tot ſunt exorta pericula, ut iniquitas regnum habeat, innocentia proſtrata ſuccumbat, quid ergo erit in poſterum, cùm ſtrages odio mei nominis crebreſcent, cùm adverſùs Evangelium meum totus armabitur orbis. Si in viridi ligno Chriſto JEſu Dei Filio hoc faciunt, quid fiet in hominibus, qui aridi à radice boni operis, ac etiam bonæ voluntatis ſunt. Si à mundo per injuſtitiam præciditur viride lignum, qua juſtitia remanebit & aridum. Si punitur ut malefactor mediator Dei & hominum homo Chriſtus JEſus, Dei Filius, homo verus, quomodo mundi mala & calamitates evadet juſtus ſive iniquus? Viride lignum Chriſtus etiam ſola virtute radicis, ſuppoſitat enim eum Verbum æternum. Viride lignum Chriſtus ex Spiritu Sancto conceptus eſt. Viride, quia deficere neſcit, qui etiam ſuapte morte multatus potenter ipſe
Pſalm. 1. ſurrexit. Viride lignum Chriſtus, ſub cujus umbra quieſcit malis ardoribus æſtuatus. Viride lignum Chriſtus, cujus folia ſeu verba in Sæculum Sæculi non marceſcunt. Viride lignum Chriſtus, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, folium cujus non defluet, & omnia quæcunque faciet, ſemper proſperabuntur. Aquarum profectò decurſus, eſt profluentia populorum. Unde & in Apocalypſi dicitur: Aquæ multæ populi multi. Juxta quos Chriſtus per carnis aſſumptionem plantatus, quia incarnatus eſt, ut labentes per mortem, quæ intercapedinem neſcit, & per peccata, quæ fragilitas aut malitia humana impræterміſſè committit, habeant, quod capiant, ne labantur. Videant lignum, Chriſtum ſcilicet, quod teneant, ne fluant in mare damnationis æternæ. Folium quidem ejus mirum viride dicitur, ſi nunquam defluet. Folium ejus eſt Evangelium ejus. Nunquam defluet, quia in æternum eſt: Nunquam defluet, quia immarceſſibile penitus eſt. Et omnia proſperabuntur, quæ faciet, quia omnipotens eſt, & voluntati ejus nemo
Joan. 15. reſiſtere poteſt. Se lignum viride paulo ante prædixerat, cum diſcipulis ſuis in monte oliveti piè ſermocinaretur: Ego ſum vitis vera, vos palmites. Sed viride hoc lignum palmites quos emiſerat, ſcilicet Apoſtolos, perdidit, quia omnibus diſcipulis valido moriendi timore perterritis, ac fugatis, inter hoſtium manus ſævas malè tractando ſolus ipſe remanſit. Quid ergo fiet in arido, ſi abſciſi ſunt palmites à viridi ligno? Jam enim ariditas in his, qui boni credebantur, aderat, ſecundùm ſententiam Salvatoris? Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet. Non igitur Apoſtoli manebant in Chriſto, qui jam mente abolita fide negaverant Chriſtum. Petrus autem trino negationis verbo inficiatus erat. Sed non venit in Apoſtolos æqua ſententia, ut in ignem æternum more ligni aridi mitterentur. Subvenit eis occultis modis & meritis gratia Salvatoris. Sed in arido quid fiet? Quod ad præfatam ſententiam ſequitur: Colligent eum & in ignem mittent & ardet, ut ex pœna culpam prænotet, & ex utriſque mala futura pronunciet. Viride lignum Chriſtus ceſſit nemini præ timore aut præ aliquo interminato periculo. In arido quid fiet, cùm ſecundùm propheticum Salvatoris, in fine Sæculorum areſcent homines præ timore & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi? Omnis verò ariditas quam ſic Salvator prænunciat, aut ex inſufficientia hominum eſt, quia ſecundùm Apoſtolum, non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, multo minus & agere, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt, & de jure ſubjectæ materiæ in nihil tendimus, quia ex nihilo creati ſumus, & creatoris autem intuitu ſumus, quod ſumus, & agimus bona, quæ facimus. Aut eſt ariditas ex hominum pertinaci malitia, qui ſeipſos procaci actione humore gratiæ areſaciunt. Aut ex malorum fragoribus & terroribus tyrannorum, quos homines expaveſcunt. Aridi profectò ſunt homines, qui à ſeipſis non habent unde aliquid boni faciant, & habent unde mala committant, atque deficiant. Quoniam autem viride & aridum vera contrarietate ut cætera contraria diſtinguuntur: Sic Chriſtus viride lignum eſt, antichriſtus aridum erit. Proinde ut intentio Chriſti eſt, ſubnectantur & verba. Si in viridi ligno Chriſto hoc faciunt, in arido antichriſto quid fiet? Sed nec referatur quod dicitur ad Chriſti corporis proprii paſſiones, ut ex eis velit tanquam majoribus compari paſſionibus aridi ligni. Non enim magnipendit Salvator niſi ex cauſa juſti ſive iniqui corporis paſſiones. Nec ex hoc quærit corda hominum advertere in dolorem, quòd antichriſtus, aut quilibet iniquus vel juſtus ſit quàm Chriſtus majora paſſurus, ſed conflictationes eccleſiæ in varietatem perſecutionum ſub diverſis temporibus & regibus futuras prænunciat ſæviores. Argumentum magnum eſt futuræ cladis, quòd tam de omnibus

Margin notes (right column): Joan. 15. (beside "Quid ergo fiet"); 2. Cor. 3. (beside "orbi? Omnis verò ariditas")

de omnibus diſcipulis atque apoſtolis, quàm etiam de mulieribus nullus ſibi remanſit fidei veritate cohærens, excepta virgine matre, ac etiam latrone, qui ſecum in cruce pendens credidit. Magna protinus ſtrages, ubi dux ſolus relinquitur, & ipſe tandem addicitur morti. Crudeliorum & inviſibilium futurorum malorum facta proportione credentium, id quod tunc iu Chriſto & ſub Chriſto agebatur, præſagium erat. Verba ſiquidem ſcripturæ divinæ magis ſunt in ſententiam conſonam geſtæ rei, & in intentionem dicentis ab expoſitoribus aut intelligentibus transferenda, quàm diſcutienda per ſingula, pro eo, quòd Sacra Scriptura omne genus loquendi complectitur, ut aut explicitè aut ænigmaticè percipiatur, quòd dicitur. Ad injuriarum redundantiam perficiendam, cùm duceretur ad occidendum, ſocietatem habebat latro-
Luc. 23. num. Unde refertur, *ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.* O! ſæveritas & opprobrioſa conditio, ut ſocios nequam habeat, qui nunquam voluit, quod non poſſet efficere, nunquam fecit, niſi probatum in fornace juſtitiæ.
Matth. 27. *Et venerunt in eum locum, qui dicitur Calvariæ Locus, hebraicè autem Golgatha.* Et
Marci 15. depoſita cruce de dorſo Simonis, ut affigeretur in illa Jeſus, & paſſionis ad irrogandam aſperam mortem, inſtrumentis undique præſto factis antequam ſatellites manus
Matth. 27. ad crucifigendum apponerent, *dederunt ei*
Marci 15. *vinum myrrhatum bibere felle mixtum. Et cùm guſtaſſet noluit bibere.* Vinum myrrhatum cum felle præmittitur antequam fodiatur, ut ſinguli ſenſus ſingulas habeant paſſiones. Et lingua, quæ docuerat dulcia verba vitæ, recompenſationem habeat in vino myrrhato alicujus animalis amariſſimo felle mixto. Implacabili odio Judæi oderant linguam illam, quia talibus ordinaverunt amaricari ſaporibus. Memores enim erant, quoniam damnatos illorum mores arguerat. Citius etiam autumantes eum mori, hujuscemodi liquoribus prævenerunt ex felle adhibito, præoſtendentes quoniam interius repleti odio amaro erant. Amaritudinem continet illa veſicula, & ex ulla parte at que in animali aliquo non dulceſcit. Sed, ſi non me fallit opinio, credo, quòd centauram herbam, quæ fel terræ propter inſertam amaritudinem à pleriſque vocatur, vino amaro ad amaritudinem augendam perverſo ſtudio miſcuêre, quæ ſordidius inventa fuit, quàm fel cujuslibet animalis quomodolibet trucidati. Non autem refert credere, quid horum fuerit, dum multiplicatis habentibus aſperum ſenſum Chriſti paſſio peraugetur, & innoteſcit amplius inſatiabilis perfidia Judæorum. Longè ante David in CHRISTI perſona prædixerat: *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Vinum myrrhatum dicitur, aut Pſalm. 68.
quia myrrham habeat immixtam, aut quia velut myrrha ſapiebat amarum. Admixtio fellis, admixtio amplioris amaritudinis erat. Aut totum hoc quod de amaritudine per myrrham, fel & acetum dicitur, ſit expreſſio amaritudinis ex rebus illam habentibus ex natura, ſive ut ſanius omnina credamus iſta omnia in ſuis proprietatibus aſſuiſſe in deſignationem ejus, quòd electa vinea, ſcilicet ſynagoga Judæorum in omne genus amaritudinis inviſibilis ſit converſa, & propinquaverit CHRISTO corporis mortem, omnemqúe legis & originalis juſtitiæ prævaricationem. Et nihil DEO amarius per diſplicentiam offertur, nihilqúe hominibus ad periculum amarius reſervatur, quàm Dei dereliĉtio ipſiusqùe procax offenſio. Chriſtus autem, cúm guſtaſſet noluit bibere. Guſtavit Chriſtus omnes paſſiones, ſed non abſorbuit, quin reliquerit ſequacibus poſteris, nec abolevit mortem, quæ originaliter provenit ex parentibus primis. Quamquam enim ſua paſſione noſtra peccata deleret, reconciliaret & patri, non tamen mortem abſtulit, nec paſſiones, ut non eſſent, abſorbit. Reliquenda profectò erant divino & infallibili decernente decreto mors hominibus & paſſibiles paſſiones, cùm quibus humana natura certaret ad præmium, evaderetqúe ſupplicium, & angeretur timore, quæ amore primo non ſteterat. Et ſi impaſſibilis ex CHRISTI paſſionibus atque morte humana natura facta fuiſſet, quòd nullo modo pateretur, aut moreretur, ſuperbiſſet amplius, quæ paſſibilis manens tantùm ſuperbivit, ut divina mandata ſuperbiendo contemneret, & nihili penderetur fides, qua ſuperna mercerentur, ſi ex morte CHRISTI hominibus in hac impaſſibilitas adveniſſet. Nam ut non morerentur homines evangelio colla ſubdidiſſent magis, quàm ob fidem beatitudinem bonorum honorabilium ſupernorum. Guſtavit CHRISTUS, & noluit bibere, ne & è converſo ſenſu Chriſtum à paſſionibus intelligamus abſorptum. Nec etiam bibendo videretur approbare maleacta lædentium & ſævientium Judæorum. Nec etiam ſi ad patientiam ipſi cæterique iniqui venire diſponunt, irrogata opprobria & peracta hominum ſcelera

ſcelera trajicit in odium. Proinde Chriſtus guſtat non bibit hujuſcemodi amaritudines. Tu igitur, ſi quippiam moleſtum pateris, velut ſaporem duntaxat appoſitum guſtui ſic cognoſce, non autem in ventrem mentis per memoriam odiendo trajicias. Inſpice qualia pocula apponuntur homini fatigato, homini ab hominibus pro ipſorum ſalute clamanti. Ecce qualis eſt refectio hominis in carne ferè jam lapſi. Vide compaſſiones oſtenſas homini de hoc mundo in proximo migraturo. Cùm autem bibere noluiſſet, poſt guſtum decernente Centurione, ſacerdotum principibus infeſtantibus, proceſſum eſt ad impiiſſimam actionem, videlicet ad crucifigendum omnium redemptorem. Et inter cætera Evangelica ſcripta, quæ admiratione meum animum pulſant, hoc potiſſimum eſt, quod tantum & tanti hominis crucifixionis myſterium duntaxat omni ferie prætermiſſa edicitur factum. Sed non abſque occulto myſterio, ita modus ab omnibus evangeliſtis extitit intermiſſus. De quo tutius quam ipſis nemini crediderimus. An fortè vulgata notitia qua ſic damnati traduntur exitio, temperavit manum, ne infererent in ſcripturis crucifixionis modum. Seu Spiritus Sanctus ſic voluit, ut conſideratio non expreſſa per additamentum pia meditatione ad meritum fidelium remaneret. Inquiunt enim com-
Marci, 17. muniter omnes Evangeliſtæ: *Poſtquam autem crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus.* Ecce quod crucifixione poſita & præhabita, in aliud opprobrium devenitur, modusque additur. Alius au-
Marci 15. tem dixit: *Et crucifigentes eum, diviſerunt veſtimenta ejus, & latrones, unum à dextris, & alium à ſiniſtris.* Alius idem di-
Luc. 23. cit, ubi crucifixerunt eum: *Et cum eo alios duos hinc & hinc medium autem JE-*
Joan. 19. *SUM.* Ecce omnes prætereunt ordinem, aſſerunt affixionem, aut ne videantur verbis narrando ſuccumbere, aut quia ubique terrarum atque regnorum notum eſt qualiter executioni traditur juſtitia præſidum, & qualiter latrones & homicidæ, cæterique nequam decreto legum & regum, aut inferendo mortem, aut mutilatione membrorum, aut erubeſcentiis puniuntur, ut non credamus aliter cruci affixum, quàm conſuetum fuerit affigere corpora damnatorum. Et aliquid, quod expreſſum non fuerit, veridica plerumque relatione innotuit, & eccleſia catholica pia credulitate ſupplevit. Sed quid aliud præſumendum de Chriſti crucifixione, niſi quòd crucem aptaverunt, quo aptius & crudelius poſſent Jeſum in illa configere? Et eum expoliaverunt omnibus veſtimentis ſuis, ut nuditas eſſet ad opprobrium, & faciliorem redderet ad tormentum. Sed quod viderunt tunc, erat, quod nunc noſtris conſiderationibus anſam præbet, quòd ad pœnam ſubeundam expoliatur Jeſus Dei filius, omnia ſuis & conformibus decoribus veſtiens? Sed ut nobis totus oſtendatur nihil operiens, niſi quod creatura ſuo captu non recipit, ut ſicut nudus corpore monſtratur, dum patitur, ſic & ipſum verum Deum omni amoto velamine intuitivè in æterna gloria videamus. Præfert nudum in paſſione corpus, ut ad nudum Verbum in Deitate viſuri veniamus. Idcirco in paſſione fit prærogatio nudi corporis, quoniam ad claram & nudam Dei viſionem aliter non pervenitur, niſi ejus merito paſſionis. Nudatusque furibundè capitur, & applicatur cruci, quamvis in nullo renitens, ad omnia ſe tractabilem præbeat. Diſtenditur in crucem corpore Jeſus, magis in animo ad homines charitate diſtenſus, ut etiam ſui crucifixores non excluderentur à charitate fontali. Etenim oravit pro eis. Diſtenſoque præſto ſunt clavi, & mallei deſuper ferientes in manu valida affigentium. Qui ut atrocius & expeditius hanc impietatem perficerent, ut in alicujus piam meditationem venit, trifarie ſunt diviſi, unus dextram manum, alter ſiniſtram, tertius pedes ſuperpoſitos valde diſtendentes ictibus crebris & validis reſonantibus ſuper clavorum capita configebant, prius unam, deinde aliam, demum pedes credamus eſſe confixos. Penitus hoc tenendum eſt, ſatellites illos gerendæ rei omnem aptitudinem inveniſſe. Accedat igitur ſecurè pia credulitas, & pietas credens, & quod aprius viderit, teneat: dummodo à religione vera non diſcrepet. Premebatur, & configebatur immiſericorditer illa caro, & illud corpus erat in illa hora in ſæva paſſione ab omnibus derelictum. Et etiam ipſe Chriſtus ſemetipſum reliquit in pœnis, ut nec levigarentur virtute deitatis, ſed magnanimè ferrerentur. Sonitus generatus ex colliſione clavi carnem dominicam penetrantis & mallei deſuper ferientis, fortiter reſonabat in auribus aſtantium, magis autem in cordibus diligentium dolorìbus reboabat. Actitabat malleus clavos ad configendum dominicum corpus, corda verò diligentium, maximè Virginis Matris validius feriebat. Sentiebat Chriſtus dolores in carne, ſed nec animo movebatur. Dilecti ſui, potiſſimè unica inexplicabilibus pœnis in anima fodiebatur, & ſingultibus & lachrymis, ejulatibus ireme-

irremediabilibus Chriſto patienti ſic cruciformis aſtabat. Quis & quantus aut qualis planctus eſſet, aut decuiſſet, quàm ſcripto edicere, præterire ſilentio utilius ratus ſum, ne minus, quàm fuerit ſcribens, piis mentibus, quibus pro Chriſto fletus eſt dulcis, flendi & meditandi ampliora præcidam materiam, aut excedens quod fuit, non vera deſcribam. JEſus autem nec charitatis oblitus, nec ad rependendam pro malo gratiam tardus, nec abſorptus doloribus etiam dum crucifigitur, pro ſuis crucifixoribus interpellabat ad patrem, di-
Luc. 23. cens: *Pater dimitte illis, neſciunt enim quid faciunt.* Sciunt quia crucifigunt, ignorant quem crucifigunt. Romani enim erant aut de gentibus incircunciſis, miniſtri & milites Pilati, qui hoc miniſterium exercebant & nutriti ſub cultura perfidiæ, quæ dicebatur ſervitus idolorum, nec aſſueti erant vaticiniis prophetarum, ut conjecturare poſſent aliquando Dei Filium in carne debuiſſe venire, unde omnino neſciebant, quem crucifigebant. Quamobrem miſericorditer ſubvenit eis gratia Salvatoris, & omnis culpa eſt mitior, faciliusque meretur veniam, quæ ab ignorantia, quàm quæ à malitia ſumit exordium. Neſciebant enim quid facerent, quia præſidis mandato parentes, juſtitiæ opera exequi arbitrabantur. Neſciebant quid facerent, cùm fidem credulam adhiberent diffamationibus Judæorum, & eis placere geſtientes animoſius pœnis Chriſtum afficiunt. Magna ignorantia tenebantur, quia credebant debitum, quod erat injuſtum, & innocentem ut ſceleratum hominem paribulo affigebant. Proinde Chriſtus conſtitutus in pœnis, agitatus à malis, repletus doloribus, ſed charitate vigens, pro eis interpellabat ad patrem: Pater ignoſce illis, neſciunt enim quid faciunt. Quia ſi Judæi odio & malitia, iſti verò me officio & obedientia crucifigunt. Judæi quippe propriis manibus non fuerunt hujus atrocitatis miniſtri. Poteſt autem ex Chriſti magna benignitate comprehendi, quod etiam Judæi ad hanc interceſſionem pro conſequenda indulgentia pertinerent, illi duntaxat, qui Chriſtum nullo modo cognoverunt. Si verò ſcientes in iſtam orationem veniſſent, fruſtra remiſſionis ſeu dimiſſionis cauſam invexiſſet Salvator, quia neſciunt quid faciunt. Eſt ſiquidem, quia ſemper redditio cauſæ. Quomodo ergo ſcientes, quæ fiebant & faciebant, aut conſentiebant in nece Filii Dei, ad iſtam orationem potuiſſent pertinere, cùm tantùm de ignorantia ſit redditio cauſæ? Quomodo etiam ignorantes potuiſſent excludi gentiles ſive Judæi, cùm pro peccatoribus oraret, & velit omnes homines ſalvos fieri? Crucifixo Chriſto & crudeliter in cruce pendente ſibi in pœna ſimili, ſed cauſa diſpari, homines aciſcuntur. *Et crucifixerunt cum eo alios duos latrones, unum à dextris, alium à ſiniſtris*, ut Chriſtus perverſa intentione agentium eſſet in medio damnatorum. Magis autem credatur factum divino myſterio. Sed horrendum piaculum, quod cum latronibus tam acriter plectitur, qui nunquam ipſorum laverna portaverat. Veruntamen ad adcervum pœnarum Chriſti augendum etiam injuſtæ leges in omnibus fuerunt. Lex enim juſtitiæ dicitur, ut qui ſimilem cum aliis vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam. Ac per hoc Chriſtus in pœnis nec cum ſceleritas debuit deputari, ne innocens in pœna factus ſimilis impiis, in culpa credatur omnino fuiſſe conſimilis, nec nocentes damnari debuerant cum innocente ſeu juſto, ne conſortio ejus pro eis innocentia crederetur. Sæpe nanque agitur quod Chriſtus ſociatus iniquis, eorum mala obtexit in parte. Reconvertitur autem & ſæpius, quod iniquorum ſocietas juſtis infamiam dedit. Fuit autem prædicta JEſu infauſta ſocietas, & cum ſceleratis deputatus eſt, ut nihil Chriſto credatur ex ipſo aliquid proveniſſe fortuitum. Crucifixio latronum Chriſto ſocialis propter ordinem rei geſtæ ad ſecretiora oſtium pandit. Latro inceſſor eſt viarum, aliena per notam violentiam rapit, & ſæpe hominem interficit, quia invenit renitentem, ſive quia veretur, quem expoliat accuſantem. Angelus cadens unus eſt latro, ſed pœnam portans æternam veniam non meretur. Improperavit enim occultis modis Filio Dei, nec ſe peccaſſe cognovit, ut ad pœnitentiam volueretur. Genus humanum dextralis eſt latro, cui miris & occultis modis Chriſtus miſericordiam fecit. Magis autem in iſtis latronibus duo genera diſtinguuntur hominum peccatorum. Illi per Dei occultam miſericordiam revertuntur ad veniam habita cognitione delicti. Ac etiam illi, qui per irreprehenſibilem juſtitiam Dei, demeritis propriis exigentibus non conſequentes veniam, remanent ſua obſtinatione damnati. Sed utrique latrones, quia ſe latrocinantur invitò à Deo, & ſibi propemodum violentiam faciunt, cum ea, quibus à Deo ſe auferunt ipſo nolente committunt. Sed judex æqualis & medius Chriſtus juſtitia immaculata decernet, quam indulgentiam pœnitentibus conferat, & in qua pœna reprobos etiam tacendo relinquat. At ubi crucifixerunt

innocentem & duos nequam, JEſum Dei Filium non intelligenres altitudinem rei geſtæ, de mandato Pilati per triumphalem titulum à reliquis diſtinxerunt. Juſſerat enim Pilatus, ut ſibi apponeretur cauſa, qua crucifixus erat, quam juſſit ſuccinctè ſcribi elemenris Hebræis, Græcis atque Latinis. Cauſa verò hujuſcemodi erat : JE-
Joan. 19. ſus Nazarenus rex Judæorum. Quæ in quadam aſſula ſcripta erat, & appoſita humano ingenio ſive ſtudio ſuper caput ejus, amotè pauliſper, non quod caput ipſa contingeret. Qui titulus ideo cauſa dicitur, quia ob hoc crucifixus eſt, quia ſic eum Judæi accuſaverant, tanquam ſe facientem regem ipſorum. Quæ cauſa cum perlecta foret à multis, tam hora poſitionis, quàm in modicis ſuccedentibus horis, ponnfices & phariſæi gratulabantur, nec moleſtè ferebant de appoſira cauſa, ſed de ſuccincta ſcriptura, quam non humano ſtudio, ſed divino myſterio ſic juſſerat ſcribi Pilatus, timentes futurum opprobrium, ne mundo inclareſceret, quòd regem proprium crucifixiſſent, ſatagebant addi, ut notior per addinionem fieret cauſa damnati, non quòd deleretur, quæ erat appoſita. Nam ſequi-
Luc. 23. tur : *Scripſit autem titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum : JEſus Nazarenus rex Judæorum. Hunc ergo titulum multi legerunt Judæorum, quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus erat JEſus. Erat autem ſcriptum Hebraicè, Græce & Latinè : JEſus Nazarenus rex Judæorum. Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum : Noli ſcribere rex Judæorum, ſed quia ipſe dixit, rex ſum Judæorum.* Non ſcripſit propria manu Pilatus ritulum, nec appoſuit, ſed uſus eſt loquendi modo, ut quod ſubditi ſive miniſtri procepto majoris faciunt, ipſe, qui præcipit facere videatur. Alius apellavit tantummodo titulum, vigilantiori Verbo Marcus dixit, ſcilicet titulus cauſæ. Titulus à titane nomen accepit, ut luceſcere quod agebatur aut dicebatur, faceret : Cauſa verò erat, ob quam Chriſtus crucifixus erat. Cauſa verò ſuperat, ſed injuſta & omnino ex delatione falſa, non tamen ritulus & cauſa Judæos abſterſit à crimine, aut ab hujuſcemodi morte ipſos reddidit immunes. Sed nec erat cauſa, quam Pilatus inſcripſerat, ſed erat Dei æterna voluntas, ut redimeretur homo, qui ad temporalia converſus, ab æternis erraverat. Exaratus titulus erat : JEſus Nazarenus rex Judæorum. JEſus enim ſic prænunciatus fuit ab angelo : Et vocabis
Luc. 1. nomen ejus JEſum. Et ex effectu competebat eidem, nomen quippe dicitur ſalutare, ipſe duntaxat eſt, qui ſalvandos ſalvat. Nazarenus ex terra, qua nutritus eſt, & interpretatio vocabuli aſſerit, in parte quod eſt. Nam ab omni labe mundus, mundanſque purgandos, Sanctus Sanctorum omnem ſanctificandum ſua virtute ſanctificans, unctus unctione Spiritus Sancti æterna. Et pius factus eſt omnibus piè conſecratus ex toto divinis, imo ipſe divinus, & Deus ex patre, homo ex matre, deitate ex omnibus conſecratus : Ut nihil ad ſe, ſed ad patrem omnia retulit, & pro humano genere ſe conſecravit in ara, in qua per aſperum ſenſum corporis perdidit ſenſum. Virgultarius eſt virgam cædentem populos ſemper habens. Et virga directionis eſt virga re-
gni ejus, ſcindens mare Sæculi labentis *Pſalm. 44.*
hominibus juſtis, & caſtigans Pharaonicos digniſſimis & horribilibus plagis. Floridus eſt vernantiſſimus flos aſcendens de radice Jeſſe in odorem cunctorum viventium, qui viam, quam florens in mundo monſtravit, ſequi, atque diligere non abhorrent. Hæc ſiquidem eructuat interpretatio Nazareni : Rex Judæorum. Hoc ipſe non dixerat, ſed in delatione falſo ſibi fuit objectum. Veruntamen rex veriſſi-
mus erat omnium regum, Dominus do- *Apoc. 19.*
minantium, qui nemini præripuit jura regnandi, ſed ab æterno in forma Dei erat Dominus univerſi, nihilque ſibi ademptum, cùm in forma factus eſt ſervi, ſed amplius actum eſt, ut quod habebat forma dominabilis, nunc etiam habeat muta forma ſervilis, ut nec ſit alius & aliud rex Regum & Dominus dominantium, quàm ab æterno unigenitus Dei Filius in tempore homo factus. Tanquam in humanis prudens Pilatus & præcavens in futuris, linguæ triplicis elemento titulum fecit inſcribi. Quod magis divina inſpiratione factum, velut Caiphæ prophetiam. Nam lingua Hebræa lingua originalis erat, & eo digna quo prima, & in illa locutus eſt Chriſtus, & mundum docuit, quæ neſciebat. Quæ in diviſione gentium per loquelam ſola in populo ad Dei cultum pertinente remanſit. Græca verò propter ſcientiam & ſapientiam Græcorum ſua dignitate pollebat. Nam Græci ſapientiam quærunt. Latina lingua ſuper omnes alias Romanorum imperio & diſſertione ferebatur. Unde ter JEſus Nazarenus ſcriptum erat. Primò elementis Hebraicis, quia ipſe de genere illo erat, Secundò Græcis elementis, propter eos Græcos, qui aderant, ut referrent. Tertiò elementis Latinis, ut excuſaretur apud Cæſarem ſive ſenatum, ſi mors Chriſti ſibi objiceretur ad crimen. Igitur Pilatus ſuper caput Chriſti præmittebat excuſationem. In his tribus linguis Apoſtolus ſuas tantùm ſcripſit epiſtolas, unam ad Hebræos,

bræos, aliam ad Romanos, duodecim ad Græcos. Et magis præſagio factum eſt, quòd in his tribus linguis JEſus appellatus eſt rex, quoniam omnium nationum profectò eſt. Hunc titulum, cùm legiſſent Judæi, tam hora, qua ſuppoſitus erat, quàm deinceps, quoniam propè civitatem erat crucifixionis locus, ad quem facilis erat egreſſus, & regreſſus in civitatem. Et multi exierunt cauſa viſendi pendentia corpora, qui ducta non ſociaverant. Et murmuratione in populo jam devoluta, principes populorum adiere Pilatum ragationibus deprecantes, & argutis ſermunibus ſuadentes, ut aut deleret titulum, aut ſuperadderet, quia ipſe dixit: Rex ſum Judæorum. Sed magna fuit Pilati, non ex ſe, ſed ex Dei virtute conſtantia, ut nec deleret, quod ſcripſerat, nee adderet quod Judæorum pravitas ſubmiſſa falſitate petebat. Injuſta & in falſitate fundata petitio ſecum negationem portat, quanquam ſæpe quod petit, obtineat. Et admiratione magna ſuſpendimur, quòd tandem Pilatus non denegavit Judæis fieri Chriſti mortem, & tamen nunc tituli denegat abolitionem, Joan. 19. ſive additionem, dicens: *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Plus enim erat Chriſtum adjudi- Matth. 2. caſſe morti, quàm tituli addere, aut abolere ſcripturam. Sed nec Aſcolonita potuit delere hunc titulum & titulatum, cùm audiret à magis, ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum? Et fruſtrato labore ſudavit necans pueros, Chriſtum poſſe necare ſe credens. Nec Pilatus Chriſtum delere potuit, quamvis ſententiam mortis expavefactus aut malè perſuaſus emiſerit, quoniam die tertia reſurrexit à mortuis. Sed nec præſumpſit amplius ſuper impoſitum titulum, ſive in parte cognoſcens quod erat, aut neſcius conteſtans præſentia prophetizansque futura. Ecce JEſum ſtatim mundo editum ſequitur titulus, nomen rem, famaque virtutes. Ubi eſt, qui natus eſt rex Judæorum? Ecce miracula facientem, regem vult eum turba præferre. Super ſubjugalia ſedens cum Jeroſolymam ingreditur, rex Iſraël à populo proclamatur. Ecce moriens rex impœnitenter inſcribitur, ut etiam ex eo quod homo unitus Deo, naſcens, vivens & moriens credatur rex omnium Sæculorum, & nihil ſibi ex his, quæ paſſus eſt, fuiſſe de regia majeſtate ſublatum. Et addenda erat in poſterum ſcriptura tituli triumphalis, non eo ſenſu, quo petebant pontifices Judæorum, ut Chriſto in delatione objecta falſitas, nunc literis linguæ triplicis ſcriberetur, ſed veritate rei, ut qui tunc ſcribebatur rex Judæorum, nunc ſit penitus omnium nationum. Quòd Joannes in Apoc. 19. ſuo fœmore ſcriptum alta contemplatione conſpexit. Et habet in veſtimento & in fœmore ſuo ſcriptum, rex regum & Dominus dominantium. Non eo jure, quo magi clamaverunt, ubi eſt, qui natus eſt rex Judæorum? Quo Pilatus inſcripſerat, nec rogatus amovit, ac ſi penitus eſſet, eo jure rex eſt & Dominus univerſi, cùm divina non humana ſint jura dominationis Domini Salvatoris. Ac per hoc neſcius ſive gnarus Pilatus quod ſcripſerat omnino firmavit, Spiritu Sancto deſuper hominum acta librante, qui tam per ignorantes, quàm ſcientes ſua myſteria inter homines, & in hominibus operatur. Et acta minora minus credenda fieri arguunt ſæpe majora. Nam ſi Pilati decretum non potuerunt mutare Judæi, quomodo mutabunt quod JEſus non ſit Filius Dei? Si hominum opera inconcuſſa firmantur, quæ Deus æternus ſtatuit, quomodo mutabuntur? Conati ſunt Judæi, ne Chriſtus eſſet Filius Dei, conati ſunt & titulum, quo rex ipſorum dicebatur, auferre. Sed neutrum potuerunt, quia utrunque fuit æterna ratione firmatum. Magna hominum perverſitas in hoc colligitur, ut nocentes ex omni parte, judicari atque videri velint penitus innocentes. Criminoſius enim eſt velle iniquitatem regulis & floribus ornare juſtitiæ, quàm delinquere impetu voluntatis. Et inſatiabilitas reprobæ mentis aptè colligitur, quæ nomen poſſimum imponit illis etiam, quos peremit. Moriebatur in cruce Chriſtus voluntati traditus Judæorum nec ipſi ſatiebantur, quin diffamare vellent per titulum. Hi verò colliguntur ex his, qui titulum hunc impugnabant & cauſam, qui Chriſto Dei Filio æternam non tribuunt poteſtatem & generationem à patre, aut qui Filium Dei credunt tempore minoratum, aut in humana converſum. Necnon & illi, qui aſſumptum hominem non credunt æterna & divina majeſtate ſeu poteſtate potiri, nec Dei Filium credunt factum hominem ſeu hominem Deum, omnium regum regem, deſignantur & illi, qui omnia non placita dicunt injuſta, etiam ſi juſtitia irreprehenſibilis ex toto reſplendeat. Hujus verò pagani ſeu gentilis hominis firmitas, ſubſequorum Chriſti arguit firmitatem, ut nullis interceſſionibus aut querelis permutetur, quod noſcitur vera ratione ſancitum. Plus enim veritas appendenda, quàm omnis querulatio aut applauſio plebejorum, ſeu terror aut promiſſio regum, & quorumcunque principum terrenorum. Etenim veritas ab his, ſed hi à veritate non

liberant. Replicatio quidem ſimilis Verbi, quam edidit reſpondendo Pilatus, conſiderationibus animum tangit. Nam quid ſonare videtur, quod ſcripſi ſcripſi? Verba deciſa ſunt, ſed ſupplenda pro intentione dicentis: Quod ſcripſi, ſic ſcripſi, ut ſecundùm præſidentiam noſtram mutare non liceat. Decet enim præſidem ita prævidere, quod dictat, ne cogatur ex imperitia retractare quod dixerat. More præſidentis, quia ſic erat, loquebatur Pilatus, & tanquam homo perdoctus & providens in agendis, ut quia præſes, mutare non debebat, ne plebs de ipſo propter inconſtantiam ridiculum faceret. Et præintendebat providentiam ſervando conſtantiam, non permutare titulum, tanquam malè proviſum, ſed velut in aula prudentiæ præornatum. Unde quod ſcripſi in tabula, prius ſcripſi in prudentia. Quod ſcripſi literis, prius ſcripſi in prudentia. Quod ſcripſi literis, prius ſcripſi in judicio rationis. Hæc replicatio affirmationem, & impœnitentiam penitus habet, ut quod ſcripſi, non pœniter me, quia ſcripſi. Nec ſecundùm iſtam evidentiorem Verborum conſantiam atque ſententiam factus eſt, ut diceret: Quod ſcripſi confirmo, ratifico, approbo, aut removere nolo, ſed ait: Quod ſcripſi ſcripſi. Mos antiquus eſt, qui ferè apud omnes inolevit ex uſu, ut cùm aliquid quæritur aliter dici, aut fieri, aut ex toto dirimi quod dictum fuerit ſive præactum, quod ab iratis animis, & ab his, qui ſecundùm juſtitiæ regulas omnia dixiſſe aut feciſſe ſe credunt, ita reſpondetur, quod dixi dixi, feci quod feci, ut ex abundantia irati animi aut rationem ſe habere credentis, ita verba congeminet. Quòd autem horum fuerit in Pilato, non eſt noſtrum diſſerere, ſed tantùm ejus laudare conſtantiam, ut quod ſcripſi, quia verum eſt ideo ſcripſi. Proceſſit fortè geminatum Verbum ex animo indignato adverſùs ſubdolam improbitatem, ut quod ſcripſi ſcridſi. Quid ad vos pertinet ultra quærere? Completa veſtra vota, pendet in cruce veſter exoſus. Si malè peregi, ego judicabor à Cæſare. Si malum eſt, quod ſcripſi, quia ſcripſi ego ſubjacebo, non vos obnoxius ultioni. Quid ad vos, quid præſes Hieroſolymitanus à Cæſare miſſus in hac parte decernat? Veſtrum eſt audire atque videre, meum verò eſt decernere cauſas, & titulos damnatorum. Hoc verò, qui legit, intelligat, quod ſive litera totum proferat ſive indigeat ſupplemento, quod ſenſus magis conſentaneus veritati & divinæ voluntati eliciatur, quanquam in ſacra ſcriptura per hominem dicta vel facta referantur. Nam in his, quæ dicta & facta in ſcripturis ſacris ab hominibus referuntur, in pleriſque maximè reprobatis alia ſæpe fuit intentio agentis ſive dicentis, alia providentia Dei deſuper juſtè omnia decernentis. Declaramus autem quod pro veritate hiſtoriæ tendebant in eum omnes crudeli miniſterio, & vacabant deriſionibus impiè pro pietate pendentis. *A Sexta vero hora factæ ſunt tenebræ, uſque in horam nonam.* Matth. 27. Marci. 15. Lucæ. 23. Ut timentes omnes ferè abſterrerentur, nec lux proſtabat conferens ad lecturam. A nona verò, cùm fugatis tenebris lux adeſſet, hæc concertatio facta eſt. Decoratis autem patibulis corporibus damnatorum, & cauſa poſita ſuper Chriſtum, milites Pilati ad veſtimenta dolentis & pauperis dividenda ſe convertunt. Et primo pallium ſuum ſcindunt in quatuor partes, & accipientes tunicam, qua ſub pallio utebatur, quam omnino inconſutilem & integram in nullo diviſam, & omni diviſioni cognoſcentes ineptam, velut rem pulchram in toto, & competentibus uſibus aptam, turpem verò in partibus ſciſſis aptis uſibus non tendendam, illam penitus dividere ſunt veriti, eam taliter diſponentes, ut ejus eſſet, cui ſors deſuper ab eis miſſa concederet. Quod Evangeliſta ſic refert: *Milites ergo, cum crucifixiſſent eum,* Joan. 19. *acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica in conſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo adinvicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit, ut ſcriptura impleatur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea, & in veſtem meam miſerunt ſortem Et milites quidem hoc fecerunt.* Crucifixis tribus, milites accipiunt veſtimenta. Sed de veſtimentis Chriſti, non de veſtimentis latronum Evangeliſta commemorat, cùm dicit: Acceperunt veſtimenta ejus, ſcilicet̄us Chriſti, cujus erat propoſitum recitare myſterium. Et fecerunt quatuor partes non quod Chriſtus tot tunicas ipſe habuit, ſicut littera ſonare videtur, quod unuſquiſque haberet partem & unicam tunicam. Nam ſequeretur, quòd ſex veſtimenta habuiſſet, ut ſaltem unum fuiſſet diviſum in quatuor partes, & tunica una pro quolibet, & tunica inconſutilis, de qua Evangeliſta expreſſè loquitur, quod nefas eſt referre, nedum pro veritate firmare. Sed ſic habet pius & catholicus intellectus. Acceperunt veſtimenta

ejus,

ejus, & fecerunt quatuor partes, de pallio, ſcilicet quod deſuper phariſaico more ferebat. Et unicuique militi mutuo more dividendi ſe invicem ipſi dederunt partem, ſcilicet quartam diviſionis jure competentem, & tunicam inconſutilem, illi duntaxat cui provenit ex ſorte. Propterea Evangeliſta de illa ſerioſius ait: Erat autem tunica inconſutilis, ſcilicet illa, quæ uni militum ex ſorte provenit. Inconſutilis, quæ non ex panno inciſo aut diviſo in partibus conſuendis integrantibus tunicam facta eſt, ſed indiviſa artificiali opere in ſua integritate ſurrexit, quam fortè pia mater ejus Spiritu Sancto prædocta, in myſteriam fecerat futurorum. Non enim vacabat magno myſterio, cui non legimus in divinis voluminibus ſimile veſtimentum, quæ diviſa omni commoditate carebat, integra verò manens, ad quod erat facta, ſervabat, ſcilicet utile tunicale. Quod autem dicitur, deſuper contexta per totum, aliqua erant ſuperpoſita in decorem veſtis, atque ut eſſet in ſeipſa tenacior, ſuper quam prudenti conſilio atque concordia milites aſſiſtunt ad myſterium eis incognitum præſignatum, dicentes: Si dividitur, nulla utilitas in communi, nam modica manebit in partibus, uno filo continuato & reticulato tota protrahitur. Reſoluta in partes, & partes in particulas reſolventur. More aliarum veſtium videmus non eſſe conſtructam. Et ſubtiliter & circumquaque inſpecta, non invenientes unde diviſionis cultellus apponeretur, dixerunt: Non ſcindamus eam, neque violenta manu aliquis noſtrum illam ſibi vendicare præſumat. Nec contendamus in veſte, qui ſumus in iſtius morte concordes, ſed ſortiamur de illa, cujus ſit: Dividi non poteſt, communis eſſe poteſt, laboribus noſtris & militiæ noſtræ iſta debetur, noſtro Dominio vendicamus illam, ſed commune Dominium redigatur ad proprium, & quod eſt omnium ſit unius, tamen in manu arbitri non tradamus, neque ſuper negotia noſtra conſtituamus quempiam judicem, ſed Dominus veſtis hujus conſtituatur per ſortem. Dixerunt ergo ad invicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamut de illla, cujus ſit. Nam ſententia Salomonis eſt: Contradictionem comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat. Quod & factum eſt, ut ſcriptura impleretur. Nec credamus ſcripturam Davidicam hujus partitionis atque ſectionis cauſam fuiſſe, ut ideo veſtimenta Chriſti dividantur atque diſtribuantur per ſortem, quia ſcriptura prædixit, ſed quia ſic futurum erat, David prophetatum eximius prophetavit. Horum veſtimentorum diſpartitio, magnum flumen eruditionum effundit. Modica veſtimenta Chriſti nobis paupertatem inſinuant, & corporis inculti oſtendit indicium, ut etiam diviſo pallio, tunica diſtributa per ſortem, ut nec aurea ſeu argentea zona, neque crumenæ plenæ pendentes, nec calceamenta in iſta diviſione fuerunt, ut ſciatur Dei Filius non quæſiviſſe talia ſuper terram, exceptis quibus ſe factum hominem oſtendere oportebat, nec condidiſſe more hominum teſtamentum temporalium rerum, ſed virtutum, ſuper quibus non Filios aut fratres carnis, ſive quoſque propinquos, ſed tantùm ſuos ſubſequos mundo mortuos reliquit hæredes. Nec ſibi curæ fuit diffinire de materialibus rebus, ut ſciatur qualiter ex hoc mundo tranſire debeat legitimus. Nihil omnino Chriſtum ſibi appropriaſſe cognovimus ſuper terram. De cœlo enim venerat, & Deus verus erat, & ad cœleſtia & ad ſeipſum hominem aſſumpſit, quem geſtabat. Fuiſſet quippe ad dedecus deitatis atque aſſumpti hominis, ſi Chriſtus temporalia quæque captaſſet. Alpha ejus rediit ad Omega ejus, ut qualiter pauper natus, ſic & mortuus eſt. Nudus rebus & voluntate habendi ingreſſus eſt, ſic ingreſſus & ſic egreſſus eſt. Veſtes Filii Dei aſſumpta humanitas eſt. Quatuor partes factæ ſunt quatuor militibus diſtributæ. Etenim in quatuor mundi partes humanitas Chriſti per fidem diſtributa eſt, & non omnibus ipſa, ſed duntaxat, qui militaverunt in militia novi regis. Tegebant Chriſtum veſtimenta, ſed expoliatus eſt, ut ejus omnino nobis ſint patefacta myſteria, & amor, quo nos ab æterno dilexerat. Diviſa ſunt, ut nunquam in velamentum ultra conveniant. Nam neque ulterius cooperiendus eſt Chriſtus, ſed amplius in gloria revelandus. Novimus ex fide omnia opera & myſteria ejus, mores atque doctrinam. Et totus patefactus in aere expiravit. Veſtimenta Chriſti ſcripturæ ſunt veteris teſtamenti & novi, quæ bis quadrifarie dividuntur, in legem, hiſtoriam, doctrinam ſimpliciter docentem, & prophetiam. Ad legem Moyſi tempus. Ad hiſtoriam Joſue, Judicum, & Regum. Ad doctrinam codices Salomonis. Ad prophetiam omnes prophetæ. In novo autem teſtamento & hujuſcemodi diviſio reperitur. Ad legem Evangelium, ad hiſtoriam Actus apoſtolorum.

Ad doctrinam epiſtolæ Pauli atque canonicæ. Ad prophetiam Apocalypſis Joannis. Harum partium unusquisque pro ſuo captu partem accepit, ut etiam magis in una, quàm in alia quisque reperiatur edoctus. Et etiam pro tempore iſta novimus eſſe diviſa, ſecundúm quod homines ſuis temporibus Domino cœli ſtrenuè aut tepidè militarunt. Aliter autem ſcripturæ utriusque teſtamenti dividuntur, quantum ad ſenſus, quibus ipſæ diſſertæ tractantur, in ſenſum hiſtoricum, allegoricum, anagogicum & moralem. Et velut veſtimenta corpus, ſic iſta obtegunt CHRISTUM. A quibus cum exuitur, typicè diſvelatur. Iterum non obtegitur, cùm ſcinduntur, ut unusquisque pro ſua capacitate intelligat, dividuntur, & juxta illam Chriſtus DEI Filius intelligatur. Quoniam autem in omni opere figuratus eſt Chriſtus, & obvolutus myſteriis, tempus mundi originalis partem veſtimentorum habuit, Tempus indiſtincti mundi ſuam ſibi retinuit. Tempus diſtinctionis tam circumciſionis quàm legis, ſuam fortiter apprehendit. Tempus gratiæ ſuam plenam accipiendo poſſedit. In omnibus his militia quædam peragitur, ut ſuo modo certaverint atque decerent, qui DEO æterno, vivo & vero in ſuis moribus militaverunt, & usque in finem

Job. 7. ſæculi militaturi ſunt. Nam Job dicente: Militia eſt vita hominis ſuper terram. Magis autem dixerim, quòd DEO ſerviens ſemper fortiter militat ſuper terram. Nam ſi milites, qui veſtimenta Chriſti reduxerunt in ſpolia, nondum crediderunt, defertur tamen in his ſignificationibus ordini militiæ, etiam ſi iniquitas repugnet perſonæ, nam aliud eſt perſona hominis, aliud eſt ſtatus vel ordo, qui ad perſonam accedit. Ac bonus ordo bonum ſignificatum inſinuat, etiam ſi perſona ordinem habens criminoſa permaneat, non enim ex iniquitate perſonæ curatur ordo myſterii, quamquam magis ordo refulgeat bonitate perſonæ, nec quicquam pio & ſano ſenſu exiſtimare repugnat, quoniam mundi partes oriens & occidens, auſter & aquilo, à quibus regni filii ſunt venturi ad quas bona Chriſti gratiæ, ſimiliter & gloriæ pervenerunt. Veſtimenta enim Chriſti bona ſunt utriusque vitæ. Tunica verò inconſutilis, quæ dividi non potuit, noſtræ fidei arguit unitatem. Unitas autem omnino indiviſibilis eſt, necnon & ſignificat charitatem, quæ diviſionem omnino non recipit. Unitas ſiquidem noſtræ fidei ſcindi nequit. Poteſt nempe homo à fide reſcindi, ſed fides non poteſt ullo modo perſcindi. Non eſt fides & fides, nec, quamvis ex ipſa multa credamus, ipſa dividitur. Unica eſt in unico Deo, & in unica eccleſia orthodoxa. Una etiam protinus charitas eſt, quamvis multi ab ipſa progrediantur effectus. Nam ſi à fide & à charitate una effectus multi procedunt, neutra tamen dividitur, velut ſolis radii, qui numeroſitate ab ipſo refulgent, ſervant tamen in origine unitatem, non enim ſol dividitur, etiamſi radii. Unum eſt corpus luminis, etiamſi multiplicentur radii lucis. Hæc tunica fides videlicet eſt Chriſti, ſed multis non omnibus provenit in ſorte. Apoſto- 2.Theſſ. 3.
lus namque dicit: Non omnium eſt fides. Similiter & charitas, quæ Chriſti eſt poteſtate donandi multis, non omnibus provenit in ſorte. Utraque tamen deſuper eſt contexta per totum. Hanc contexturam merito appellaverim martyrum & eccleſiæ paſſiones, & cuncta opera, quæ fidei & charitatis conſtituunt pulchritudinem, aſtruunt firmitatem. Auget profectò diſſertionis difficultatem, quod non probitate militis, non judicio arbitrantis, non authoritate deſuper decernentis, non alio fœdere, ſed ſolùm ſorte provenit in ſortem, ignorante autem contigitionem ſortis, utrum deberet accipere qui non accepit. Titubant enim omnes ſortem mittentes, ſi de quo agitur, cui proveniat. Et unusquisque appetit quod ſibi, non ſociis ſors temperata concedat, & amor tunc dirigitur ad ſeipſum, nec refertur ad proximum. Et una accipiente fruſtratur conditio cæterorum, quod de fide, charitate illasqúe nolentibus tam nefas eſt dicere, quàm etiam firmiter cogitare: Sed hæc omnia dubia removentur, ſi Apoſtoli ſententiam huic actioni penitus conjungamus. Porro inquit: Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium. Omnes currunt, unus accipit, fruſtrati ſunt cæteri, quorum unusquisque ea intentione quærebat, ut poſſet accipere. Multi ſuper uno quæſito ſortes mittunt, uni ſors ſignata provenit. Accipit ille gaudens, reliqui à deſiderio defraudantur. Abſonum eſſet à fide catholica, quod gratiam ſive gloriam ſic unus accipiat, & omnis alia concio ſit manis. Sed unitas accipientis, non perſonæ, ſed electorum omnium præſtruit unitatem, ſimiliter & unus, qui accipit ex ſorte. Aliter incaſſum ad gratiam & gloriam niteremur, ſi unus acciperet in privatione cunctorum. Proinde omnium electorum unitas ſignatur in eo, qui accepit ex curſu velociori, & in eo milite, qui tunicam habuit ex ſorte

tangen-

tangente. Nec more humano ſors in gratia ſive gloria eſt penſanda, ſed ſors in his eſt divina diſpoſitio, qua occultis modis novit his, quos ſuos eſſe præſcivit, conferre gratiarum, & præmia meritorum. Quod verò currentes aut ſortem mittentes titubant, affectant, & cui votum ſuccedat, ignorant, ad id refertur, quod in Apocalypſi dicitur: Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit, & nemo ſcit utrum ſit dignus odio, vel amore. Unde quamvis dubitemus, ſperemus vitam æternam. Ignoramus tamen utrum debeamus accipere, cùm ſolum quis accipit, certus erit. Illudebatur ab omnibus Chriſto in cruce pendenti, & verè omnis vilitas ſibi objiciebatur in facie, nam *prætereuntes blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes: Vah! qui deſtruis templum DEI, & in triduo reædificas, ſalva temetipſum, ſi Filius DEI es, deſcende de cruce.* Nec mirum, ſi prætereuntes blaſphemabant, quia non ſubſiſtunt, ut agnoſcant inviſibilem veritatem. Legunt plures diſcurſu cordis, oculorum, & linguæ, ſed non figunt animum, ut quod latet in ſcripturis, intelligant. Prætereuntes oculta bona prætereunt, non aſſiſtunt orationibus & virtutibus coram Deo, ut eis fontem veritatis, & intellectum mentis aperiat. Prætereuntes enim ſunt: Prætereunt Judæi, nec in ſcripturis ſubſtiterunt, ut Chriſtum poſſent invenire, remiſerat enim Chriſtus Judæos ad ſcripturas, ut in ipſis ſubſiſtendo, non prætereundo ſcrutarentur, quoniam ipſæ teſtimonium perhibebant de Chriſto. Sed præteribant. Nunc verò prætereunt illum, quem crucifixerunt, ut nec communicare velint paſſionibus ejus, aut participes fieri redemptionis, ſed movent caput velut paralytici, atque phrenetici, quibus diſſolutio eſt in membris, & obnubilatum eſt judicium rationis. Motus capitis, levitatem animi ſignat in corpore, in infirmis verò noxam paſſionem. Moverunt, atque movebant caput ante pretium pendens omnes, qui in fide nutant, & ſeipſos in ſenſibus amant. Abhorrent horridas & ſalutiferas paſſiones, & amore prætereunt Chriſtum, prætereuntes ad prætereuntia præter Chriſtum. Sed qui prætereunt crucem, & mortem ejus, non præteribunt judicium ejus. Et arguendo improperabant. Vah! qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas. Si hoc poteras, quare teipſum non ſalvas? Filii hominum te poſuerunt in cruce, ſi tu Filius Dei es,

Apocal. 2.

Matth. 27.

Joan. 5.

oſtende te ſuper homines, deſcende de cruce. Non enim dicebant credentes, ſed blaſphemantes, & corde & ſimiliter ſermonibus deridentes. Non curabat Chriſtus improperia, nec movebatur animus ejus, ut per oſtentationem quippiam faceret, ut nec tam validus occultam potentiam vellet demonſtrare deriſus. Nec hominum violentia crucifixus erat, quem ſua peremit omnino voluntas, unde nec ſe ſuggeſtione deridentium hominum defigebat. Non credunt ſenſualitatis propriæ amatores, quod ſponte quis velit ſenſu torqueri, ſed quiſque pro poſſe ſenſui adverſa devitet. Quo decepti Chriſtum purum hominem æſtimantes, etiam tormenta, ſi poſſet, declinare volentem. Quamobrem, qui perſuadent crucis deſcenſum propter aſperum ſenſum, ſimiles ſunt diabolo, quia ſimilia diabolo dicunt, hoc enim diabolus Chriſto dixerat in deſerto: Si Filius DEI es, dic, ut lapides iſti panes fiant. Et de pinnaculo templi, mitte te deorſum. Ubique tentatio, ſed improperium non in prima, ſed hic tentatio, cui omnis aſſociata eſt deriſio. *Similiter & principes ſacerdotum illudentes cum ſcribis & ſenioribus, dixerunt: Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere.* Si rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Illuſi à diabolo, illudere hominibus ſatagunt. Qui juſtis illudit, mente deceptus eſt, & lethargiam patitur. Agitatur à diabolo, aut à dementia, qui conſtituto in pœna illudit. Nedum juſto & injuſtè patienti, ſed etiam, ſi deliquit, ſatis eſt ad omne tormentum, quod juſtè vel injuſtè homo vita privetur. Princeps ſacerdotum magnæ ſe vilitati commiſerant, quod illudebant homini proximè morituro. Abſonat à dignitate fulgentibus, illudere pœna damnatis. Et major ſævitia ulciſcentis inimici eſſe convincitur, cùm improperat, vel illudit proſcripto per judicem, quàm ſævam inferre ſuo æmulo ultionem. Et dicebant: Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere. Poterat ſeipſum ſalvum facere, qui alios fecerat, ſed propterea patiebatur hanc corporis calamitatem, ut nos ſua proſcriptione ſalvaret. Sed non credebant ſalvandi adeſſe virtutem ei, qui ſemetipſum in pœna dereliquerat. Deſcenſum petebant crucis in argumentum potentiæ ſive virtutis; & falſo ſpondebant credulitatem, ſi de cruce proſiliuſſet, nam altioris fuit virtutis atque potentiæ, quòd mortuus & ſepultus reſurrexit à mortuis, & non crediderunt ei. Quòd regem Iſrael nominaverunt, ad exaggerationem eſt injuriæ,

Matth. 4.

Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23.

Matth. 27. Marci 15.

juriæ, pro eo quod turba ſibi Jeruſalem ingredienti rex Iſrael acclamaverat. Sed hæc illuſio iſtam meruit ſuo tempore ultionem, 4. Reg. 2. more puerorum, qui Eliſæo Prophetæ contumaci animo & aſpero illuſerunt, nam illico duo urſi de ſaltu propinquo egreſſi, laceraverunt quadraginta duos ex eis. Quid verò Ieroſolymæ civitati ad ultionem provenerit à Romanis principibus adhuc hiſtoria explicat, & lingua hominum narrat. Matth. 27. Pſalm. 36. Addebant autem: *Confidit in Deo, liberet nunc eum, ſi vult.* Eſt fides Judæorum, quod Deus non derelinquit Pſal. 144. ſanctos ſuos. Quamobrem ipſi dicebant: Si ſanctus eſt, ergo confidit in Domino, non enim eſt ſanctus absque confidentia ejus. Deus verò propitius eſt omnibus, qui invocant illum in veritate. Proinde: Aut iſte ſanctus non eſt, & non confidit in Domino, aut fortè confidit, ſed quia ſanctus non eſt, non liberat eum Deus. A deitate ad regem Iſrael, à dignitate regia in communem & vulgarem hominem deſcenderunt, ut experimento derelinquendæ crucis, ſi quid & quantum apud Deum valeret, cognoſcerent. Prædictum ante fuerat, ſi Filius DEI, ſi rex Iſrael eſt, deſcendat de cruce, nunc verò, ſi in Domino confidit, liberet eum nunc Deus. Si enim ejus eſt ſanctus, & ſi ſuper eum voluntas inclinatur ipſius, ut comprehendere poſſent, quam magna in conſpectu Dei ſuæ virtutis eſſet authoritas. Non reſpondet ex facto adverſis & curioſis hominum votis, qui divina ſectatur & ſatagit adimplere mandata. Et propemodum irremediabiliter depravati Deitati conabantur inferre derſionem, aut non credendo divinæ generationis Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23. myſterium, cùm dicebant: *Dixit enim, quia Filius DEI ſum.* Si dixit, verum dixit, quod omnino ſubterfugit Judæorum mentes, æternam generationem in DEO. Nec potuerunt comprehendere in Deitate diſtinctionem aliquam perſonarum, & timentes pluralitatem deorum, propter unitatem quam veriſſimè aſſerunt, creatoris trinitatem in divinis omnimode negaverunt, illis duntaxat exceptis, qui hoc credere occultis meritis à Domino ſuſceperunt. Nam ſi æternam generationem in divinis altitudine fidei conſpexiſſent, facilè fuiſſet advertere, quod filius hominem induiſſet, & deſcendiſſet in inferiores partes terræ. Sed ad primum clauſus oculus fidei, in ſecundùm penitus non aſpexit. Ac per hoc, quod dicitur: dixit enim, quia Filius DEI ſum, neque principes ſacerdotum, atque Judæi cæteri credebant hoc fieri aliquando poſſibile. Sed neque hunc ex hoc credebant Filium Dei, ut eorum judicio merito hæc & pejora pateretur, velut qui divina præſumpſit, & impoſſibilia fieri poſſibilia ſuo verbo monſtravit, ſi dixit Filius Dei ſum. *Illudebant autem & ei milites, & accedentes acetum illi offerentes dicebant: Si tu es rex Judæorum ſalvum te fac.* Ibidem. Hæc illuſio militum non ex odio, ſed ex uſu malorum ſatellitum procedebat, quorum conſuetudo eſt inſultare damnatis. Verius autem arbitramur illam proceſſiſſe de complacentia Judæorum, ut quoniam illi deridebant, iſti eis malo placito volebant eſſe conſimiles. Multam miniſtravit mundo perniciem, & iniquitatem plurimam germinavit, in malis velle placere malis, ſive latè aut tenuiter habere participium cum iniquis. *Idipſum autem &* Matth. 27. *latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant.* De duobus dicitur quodam more loquendi, quod ſolùm unus effecit, quod alius Evangeliſta clarè diſſeruit, dicens: Lucæ 23. *Unus autem ex his, qui pendebant cum eo latronibus, blaſphemavit eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſalva teipſum & nos.* Vide blaſphemiæ quaſi à multis neglectam ſpeciem, ponere ſub dubio, quod eſt certum. Blaſphemia eſt dicere cuiquam, ſi tu es, quod ille in veritate eſt. In regem certum populi eſſet damnata blaſphemia dicere, ſi tu es rex. Et ſapientem inexpertum vocare cunctanter derogationis eſt actus. Omne dubium de qualitate bona certiſſimè inhærente, blaſphemiam irrogat in habente. Fortè objiceretur: Aderat ignorantia, deficiebat ſana credulitas. Sed hæc amplius blaſphemiam faciunt, cùm ignoratur, quod venire in notitiam debuit, aut cùm non creditur, quod credendum veritas ipſa definivit. Velle inclinare ad indecentia quenpiam, juſtum ad iniquitatem, conſtantem in bonis operibus virum ad fragilitatem velle deflectere, aut poſitum in alta ſede virtutum ad ima ſeu adverſa velle detrahere, blaſphemiæ crimen appoſuit. Sed qui conſtans in animi virtute conſiſtit, nihilipendit verba blaſphemantium, & ſibi cognitus, aliis incognitus fieri parvipendit. Hujuſcemodi blaſphemia jaculabatur in Chriſtum, cùm dubitanter & exprobrativè diceretur: Si tu es Chriſtus, ſalva temetipſum & nos. Quid ſi conditionalis & dubitativa eſt iſta locutio? Sed omni remoto dubio Chriſtus erat, & in ſeipſo ſalvus erat, cui non dominabitur pœna, vel dolor, quos ipſe propria voluntate ſuſceperat. Sed latrones nec mente, nec corpore ſalvi erant. Mente non, erant enim in umbra incredulitatis incluſi. Et ab

ipſo

ipſo Salvatore didicimus : Qui crediderit, ſalvus erit : Qui verò non crediderit, condemnabitur. Nec corpore ſalvi erant, quia propter demerita reipublicæ, decernente juſtitia configebantur in pœnis. Et ſalutem corporis ille miſer volebat, neſciens, quanta poſſet æterna ſalute donari, & ex corporis pœna mereri, innocenti & Dei Filio in patibulo ſociatus, ſi à lumine fidei non fuiſſet averſus. Et cui collega in culpa, in pœna compar, in fidei virtute manſiſſet conſimilis. Quod alter latro dextralis cognovit, & tutor in pœnis factus eſt Chriſti, malæ conſcientiæ reatu compunctus, ſe juſtè mereri clamabat, & noviter renatus in fide, contra collateralem ſocium audaci verbo inſiluit, piè Chriſti Domini partem ratus, ad quod ſe-
Lucæ, 23.
quitur : *Reſpondens autem alter, increpabat illum dicens : Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es. Et nos quidem juſte, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali fecit.* Velit inter duos populos conſtitutus, audit Chriſtus elatum & ſemetipſum eſſe culpabilem ignorantem, & nolentem ex juſtitia pati, quæ meruit, & cupientem libertatem proſperam in terrenis & omnino infidum de divinis, Chriſtumque blaſphemiis laceſſentem, alterum verò humiliatum & ſibi conſcium malæ vitæ, pro qua juſtè ſe plecti publicè fatebatur, & increpabat in culpa & pœna conſimilem, ſed jam factum diſſimilem in virtute. Hic etiam alter nihil jam exigebat amplius ſuper terram, ſed regna ſuperna mente atque voce captabat. Hi profectò ſunt Judæorum populus atque natiunum. Nam Judæorum populus latronis averſi, converſique gentium populus typum tenet. Nam adhuc Judæorum populus Chriſtum laceſſit in vitiis, & blaſchemias irrogat, & ſententialiter verbis latronis utitur exprobrantis. Sed converſus populus nationum, propter idololatriam juſtè ſe damnari cognovit, & infuſa luce aſpexit in Chriſtum, credens ſuper omnes homines innocentem, Deum verum de Deo vero, hominem factum, inter homines converſantem. Sed libet hujus latronis per ſingula ſua dicta diſcurrere, atque quantùm fas eſt, meritum diſſerere, quo præventus, jam in ultimis conſtitutus, increpabat ſanè conſcium in culpa, ſimiliter & in pœna, quo jam fide factus ſuperior, & ſeipſo inviſibiliter major, & ligno corpore pendens, in ligno fidei mente pendebat, & corporalium pœnarum oblitus, divino fervefactus amore, coram judice inter medium dependente, ſodalem arguere, ac etiam inſtruere non veretur, dicens : Neque tu times Deum, qui in eadam damnatione es ? Non times Deum, quem unitum carni Deum eſſe non credis ? Non times Deum, quem hæſitas id eſſe quod eſt ? Non times Deum, qui oppugnas hominem innocentem, qui blaſphemias irrogas ? Non times Deum, jam morti vicinus, cui omnis ſpes eſt adempta vivendi, qui verbis blaſphemis mala perficis, cùm ligno affixus, opere jam non poſſis ? Non times Deum, qui in eadem damnatione mecum, qui timeo, es : Aut in eadem damnatione pœnarum corporalium cum Deo es, qui corpore aſſumpto inter nos pendens propria patitur voluntate. Nos quidem juſtè ſcilicet patimur, quia unde corruimus a juſtitia, inde perſoluimus pœnas. Ad conſiderationem malæ actæ vitæ remittebat iſte conſortium, ut revocaret ad memoriam mala, quæ fecerant, ut dignam malefactis aſſereret pœnam, quàm ligno affixi ferebant. Immemor nanque peccatorum & ſcelerum omnem pœnam aſſerit indecentem, & injuſtè inferri dicit omne tormentum. Proinde latro iſte ſubjecit : Nam digna factis recipimus. Digna ſunt tormenta hominum malefactis, & irreprehenſibiliter malè viventi decens eſt extrema calamitas. Dicam ſæverius, imo verius : Magis dignum profectò dignoſcitur diutinè detineri, aut citò finiri reum ſupplicio, quam vivere in peccato, & pœna multari, quàm in culpa lætari. Nempe in univerſi pulchritudine plus clareſcit. Dictat irrefragabiliter vera juſtitia, ut pœnam culpa inveniat. Sed quia non culpam poſitione carentem, ut omnino torqueat delinquentem, noverat latro iſte ordinem divinæ juſtitiæ, quæ malum aliquud inultum eſſe non patitur, ad quam afficiebatur amore, quamvis corpore torqueretur. Et licèt abhorreret ſenſus exterior, interior verò juſtitiam,. qua conficiebatur, amabat. Et quaſi oblitus pœnarum, verbis punientem juſtitiam extollebat. Proprium enim eſt vera ratione utentium, amplius verò hominum electorum, diligere atque laudare juſtitiam, etiamſi ex illius decreto aſperrimè torqueantur. Nam ipſe naturalis ordo juſtitiæ, interlucens rationibus hominum, dictat crimina ſine pœna non eſſe, quæ inviſibiliter ſemper eſt præſto, quamvis interdum viſibiliter differatur. In magnis cognitionibus hic totus homo ferebatur, qui ſe juſtè digneque pati, profitebatur. Magna pars eſt veniæ apud Deum, hoc agnoſcere ſimiliter & fateri. Attollebatur ſublimius homo ille,. cùm Chriſtum agnovit innocentem, quem Judex

ad mortem publicè condemnaverat. Quoniam difficillimum eſt credere, aut dicere ſine culpa, quem judex ordinarius ad aliquam pœnam damnat ut reum, ſeu cum aſſertione teſtium aut acclamationibus populorum, nam ſi non teſtibus, attamen clamoribus totius populi damnatus eſt Chriſtus. Et quem totus populus poſtulaverat validis vocibus crucifigi, latro iſte dicit ? Hic verò nihil mali fecit. Unde hic latro agnovit, quod nihil mali fecit; cum quo non fuerat converſatus, quem ante fortè non noverat, qoi nec ad doctrinam aut ad ſequelam Chriſti acceſſerat, ſed ſtuducrat operationibus latronum, unde juſtè patiebatur exitium ? Qua ſibi hæc erepſit notitia, quòd Chriſtus nihil mali fecerat ? Quid ? Quia certè nec ſcire poterat, quoniam Deus erat. Unde conſpexit quòd Chriſtus nihil mali fecit ? Inquam piè, ſi fortè dignè Chriſtus Dominus illuxit ei. Non enim aliunde accepit, quàm ab eo, quem aſſerebat moriens innocentem, & perfuſus fidei pietate dice-
Lucæ. 23. bat ad JEſum. ***Memento mei, dum veneris in regnum tuum.*** Vide quàm altè ingreditur latro pendens, ut aliud credat in regnum præterquam mortale caducum, & velit illius eſſe regnicola, qui ab iſto ſerra mortis ſecabatur. Et myſterium profitebatur in Chriſto æternum atque divinum, quanquam ipſe ex carne temporaliter crederet moriturum. Et hoc ſiquidem totum profitebatur ex petitione, quàm faciebat ad regnum, ad quod per pontem mortis Chriſtum tranſire videbat. Totus hic convertitur ad Chriſtum, & ei pro alia vita ſe donat. Hujus mira nimirum fides, qui ſolum Chriſtum deriſum, & derelictum ab hominibus, vicinum morti, & ipſe morti vicinus Deum verum & hominem confitetur, à nemine doctus, à nullo præmonitus. Et ubi fugiendo negant, qui ejus doctrinam audierant, miracula viderant, & in cibum paulo ante ſumpſerant corpus ejus de manibus ſanctiſſimis ejus, iſte ſolus cum tacente Virgine confitetur, ut in his mœroribus tam horrendis ſocios fuit Virginis in fide atque dolore, Chriſto in pœna conſimilis, à collatrone virtute diſſimilis, Chriſti confeſſor, atque ſuæ innocentiæ factus tutor. Sed hi latrones ſuis diſparibus meritis admiratione mentes hominum pulſant, ſi quo merito unus converſus, aut quo demerito alter averſus, unus in facto approbatus, & voce à Chriſto, alter verò Chriſto tacente reprobatus extiterit. Nam Chriſtus æqualiter reſpiciebat compœnales ſuos, medius inter eos pendebat affixus patibulo, nec præaccipiebat perſonam alterius. Quid eſt quod unus irrogavit Chriſto verbis blaſphemiam, alter ſuſcepit pro illo moriendo tutelam. Unus cognovit juſtitiam, ipſorumque punientem nequitiam laudavit, alter impunè vivere prætentavit ? Eratne fortè ad iſtos in Chriſto aliqua inæqualitas ? Hoc credere dico nefas. Quid ergo ? Dicam audacter quod ſentio, quod nec converſo ſuffecit meritum ſuum, ſed averſum demeritum ſuum juſtè dejecit. Nullus convertitur, niſi ex gratia, nullus damnatur, niſi ex demeritis divina dictante juſtitia. Quod ergo demeritum illius, qui non credidit ? Quod verò meritum, atque unde illi, qui credidit ? Meritum converſi non legimus, quid in occulto habuerit ipſe neſcimus : Demeritum utriuſque conſpicimus, quia latrones erant, homines utique malæ vitæ. An verificatur illa ſententia, quem Deus vult indurat, & cui vult miſeretur ? Sed in tortuoſiorem incidimus quæſtionem, cùm Deus acceptor perſonarum non ſit, & cùm eſſent ambo homines peccatores, Chriſtum æquè corporeo viſu aſpicientes, juxta eum æquè pendentes, quorum unus in converſatione Chriſti alterum non prævenerat, quia neu- Rom. 9.
ter vivens habuerat, unde unus illorum meruit converti, alter verò meruit in- Actum. 10.
durari. Quo merito unus miſericordiam accepit, alter in juſta damnatione remanſit ? Sed aliter hæc aut ſimilis quæſtio nodoſa non ſolvitur, niſi Dei miſericordiam & juſtitiam aſpiciamus, & liberas hominum voluntates. Nam Deus ex miſericordia donat peccata converſis, & ex juſtitia tribuit præmia ſive ſupplicia meritorum. Non ergo iſtorum eſt converſio aut averſio celebrata ex Chriſti præſentia corporali, quam habebant æqualiter, non ex viſu, quo ipſum intuebantur, non ex verbis ejus amplius directis in alterum, ſed ex libera voluntate, qua ille credere voluit, ille verò incredulus manſit, quem ſicut illum Dei miſericordia expectabat, ſed non credentem reliquit divina juſtitia reprobatum. Ad converſum autem latronem Chriſtus alta promiſſione reſpondit:
Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in Lucæ. 23.
paradiſo. Amen Verbum eſt veritatis. Unde infallibili pollicitatione latroni pendenti, atque converſo paradiſum Chriſtus moriens repromiſit. Proinde cognoſce quid conferre poſſit reſurgens & regnans, qui moriens talia donat. Quanta eſt largitura libertas, ſi tanta confert extrema captivitas. Non autem in hac promiſſione paradiſum, ſcilicet locum ad orientem, à quo exulavit Adam, intelligamus repromiſſum,

miſſum, quoniam illo hodie latro poſt Chriſtum deſcendit. Ad limbum præceſſit Chriſtus hora nona moriendo latronem. Secutus eſt latro quaſi veſpere crurifragio celebrato. Cùm ergo utriuſque anima, quamvis non eadem hora, Chriſti ſcilicet & latronis ad limbum deſcenderit, à quo Chriſti anima non egreſſa quouſque plenè à mortuis reſurrexerit, protinus credendum eſt, quod in illo paradiſo terreſtri die illo neutrius anima fuit, nec Chriſtus in anima ſolùm & deitate deſcendens ad limbum, latronis animam tranſtulit in paradiſum, ſed ad eum in limbo fecit illum deſcendere, ut cum animabus cæteris extrahendis fieret in ſequela. Piè autem & non incongruè credi poterat, quòd, cùm illam animarum multitudinem de limbo Chriſtus volens reſurgere à mortuis eduxiſſet, in terreſtrem paradiſum induxerit, ut Adam cum miſera ſobole ſua revocaretur in ſignum æterni fœderis atque pacis, à quo per inobedientiam exulaverat. Et tandiu anima Adæ ibidem cum cæteris ſervaretur, quouſque Chriſtus corporaliter cœlorum alta conſcenderet, poſt ſe illam turmam lætantium animarum ſubvecturus. Etenim illo de loco aſſumendum erat ad ſuperna cœleſtia humanum genus ſucceſſione felici, niſi Adam ſuperbia propria exulaſſet, & perpetua propagine culpa illa derivaretur ad poſteros. Nec abſonat à pia credulitate, culpa deleta per Chriſtum, quod inde animæ aſſumantur in cœlum, unde aſſumendæ fuerant ante peccatum. Non ſolum illæ, quæ illo in tempore aſcenderunt Chriſto aſcendente, ſed quæ quotidie per miſericordiam aſſumuntur, vitæ peracto fine ab ipſo regnante. Congruum porro eſt, ut animæ videant locum, à quo in Adam humana natura per tam longa & aſpera exilia exulavit, ut pariter miſericordia & juſtitia Dei amplius cognoſcantur. Sed quoquo modo ſe habet ordo rei, aut hoc, quod dicitur hodie, ad tempus refertur, quo Chriſtus iſta complevit, & animam ejus paradiſum omnium delectabilium oportet intelligi, ut plenè ſolvatur, quod dicitur: Hodie mecum eris in paradiſo. Quoniam autem Lucas, qui ſolùm hoc recitavit, in Græco Evangelium ſcripſit, expedit ab illa lingua hujus vocabuli ſumere interpretationem. Paradiſum ſiquidem Hebræi, hortum verò Græci dicunt. Paradiſus etiam ad Eden ſitus refertur, quod deliciæ interpretatur, ut non incongruè dicatur latroni: Hodie mecum eris in horto deliciarum, ſcilicet quod in omnibus deliciis eris mecum exiſtens, aut in terreſtrem paradiſum te deferam hodie carpens iter. Nec non & limbum, ad quem Chriſti & latronis animæ deſcenderunt, deliciarum hortum poſſumus appellare, non enim pœna ſenſus tenebantur incluſi, quamvis à vera patria eſſent excluſi. Servabatur in eis divina juſtitia, ut qui actu non deliquerat, nec ſenſibiliter puniretur. Nec credamus illorum patrum exemptas animas à corpore delectationibus fuiſſe privatas, quas in carne vivendo ſæpe ſuſceperant. Nec mortis neceſſitate factum eſt, ut moriendo & ad limbum deſcendendo eſſent culpabiliores, ut his privarentur internis gaudiis, quibus in carne gaudebant. Quomodo Noë potuit alloquia divina ſuſcipere, quin mente jubilaret? Quomodo Abraham in divinis affationibus non exultavit in anima? Quanta lætitia ipſum credimus circumfuſum, cùm angelos ſuſcepit hoſpitio, cùm Deus illum ipſum probavit in Filio, cùm vidit arietem inter vepres, in quo cognovit ad ſuam redemptionem Chriſti futuram omnimodam paſſionem? Quanto Jacob exultavit tripudio, cùm videns Dominum dixit: Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea, cùm luctans orationibus cum angelo, non dimiſit eum, quouſque accepiſſet benedictionem, cùm inviſibilem ſcalam aſpexit à terra uſque ad cœlos, & angelos ſurſum atque deorſum aſcendere per illam. Delectationibus inenarrabilibus repletus eſt Moyſes, cùm ſibi Deus amicabiliter loquebatur. Nec omnes prophetæ illa magna myſteria viderunt, atque cognoverunt ſine internis deliciis, quas humana lingua explicare non poſſet. Quomodo Joannes delectationibus divinis privatus fuiſſet in limbo, qui nondum natus exultavit in utero? Ac per hoc neque venire debet in dubium, quòd in illo ſinu auſſerrentur internæ deliciæ, quibus in Sæculo poſiti fruebantur, cùm nec peccare aut demereri poſt mortem potuiſſent, unde tollerentur. Nec poſtquam illos divinos affatus ſuſceperant, taliter ante mortem vixerunt, ut poſt mortem merito privarentur. De illis duntaxat dicimus, qui ad patrum ſinum in anima deſcendêre. Deinde locum hunc merito quendam dicimus paradiſum, & hortum deliciarum, ut petitioni conpendentis ſit taliter facta reſponſio, quod in ſinu patrum cum anima Chriſti ſe redigens, velut in quodam cum Chriſto fuerit paradiſo. Sed ut ne fallamur varia variè opinantes, paradiſi nomine oportet intelligi omnem inviſibilem conſolationem, ſcilicet illam, quàm animæ à corporibus abſolutæ aut intercluſæ corpori-

Geneſ. 18.
Geneſ. 32.
Lucæ. 1.

corporibus ſubmiſſis corporeis ſenſibus, ſeu extra corpus exeuntes, ante illam plenitudinem beatitudinis ineffabilem ſupernæ *Geneſ. 2.* patriæ poſſent uſque dignè ſuſcipere. Quoniam igitur neceſſario ſit tranſitus à corporalibus ad ſpiritualia, ut veritas divinarum ſcripturarum eluceat, literali ſcripturarum ſenſu, paradiſi nuncupatione illum locum, quem Deus a principio plantaverat in oriente ad Eden intelligimus, translatione verò facta intelligenter à ſenſu ad intellectum inviſibilium delectationum meritò dicimus, nam ſicut in illo quicquid eſſe potuit corporalis amœnitatis atque ſuavitatis, præter glorificationem corporis fuit, ſic per typicum ſenſum quicquid eſſe poteſt ſub cœlo deliciarum, ex illo ſentimus, aut ex parte ſic eſſe cognoſcimus. Nulla verò conſolationum inviſibilium ve*Philip. 1.* rior, quàm eſſe cum Chriſto. Et Paulus cupiebat ſolui, & eſſe cum Chriſto. Eximebantur porro à corporibus illæ animæ, ſcilicet anima Chriſti unita deitati, & anima latronis eidem adhærens per fidem, & charitatem. Et qui adhæret Deo, unus *1. Cor. 6.* Spiritus eſt cum eo. Et mutuo ſe viſuras omnimode parabant, ut Chriſti dictum meritò verum eſſet, hodie mecum eris in paradiſo. Atque pro eo quod paradiſus ille terreſtris locus dictus eſt deliciarum, locutione converſa quaslibet delicias ſcriptura paradiſum appellat, juxta il*Ezech. 28.* lud quod de rege Tyri per Ezechielem dicitur: Tu ſignaculum ſimilitudinis ejus plenus ſapientia, perfectus decore, in deliciis paradiſi fuiſti. Nunquam verò rex Tyri ſuper quem lamentum mandato Domini factum eſt, fuerat in paradiſo terreſtri, ſed alias habuerat ipſe delicias appellatas nomine paradiſi, aut illis conſimiles, ut ipſe rex fuerit velut in deliciis paradiſi, & quodammodo propheta enumerat illas delicias, ſicut legenti ſubſequens litera manifeſtat. Igitur ſi dicuntur aliæ deliciæ paradiſus, etiam ſæpe uſitato vocabulo moreque loquendi, quanto magis cum Chriſti anima inveniri atque intueri eſt deliciarum paradiſus uberior. *Joan. 19.* *Stabant juxta crucem JEſu mater ejus & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.* Subticuit iſte matrem Mariam ſcilicet Salome, ne videretur amore humano vel laudis affici ad parentes, quam adeſſe non dubitamus, & multas alias mulieres Chriſti diſcipulas, quas Evangeliſtæ interſerere non curarunt. Sed ecce amicæ crucis, pro eo quod amicæ JEſu, ſed nec amicæ crucis, quia in illa torquebatur, & moriebatur JEſus, ſed velut comparticipes aut communicare volentes paſſionibus ejus. Stabant prope arborem propter pomum, & juxta patibulum propter juſtum. Sed mater ejus mente plus quàm oculis ferebatur in illam. Et quanquam preſſa doloribus perſpicaci cordis aſpectu contemplabatur illam, atque præſentia & futura myſteria Sancta ejus, cùm illuminandus eſſet mundus in ſplendoribus ejus. Sed nos poſteri cum illis prioribus contemplativo amore videamus, quid donat intelligere ſectatoribus poſteris, ut ſit communicata cognitio cum ſequentibus primis. Si crucis illius intuemur materiam, lignum aridum eſt, ut omnes reſurgant per lignum, ſicut omnes in ligno corruerunt. Et faciliter erant donanda peccata, nec durabiles in hac vita hominum paſſiones, veluti, cùm ab igne cito conſumitur lignum. Hujuſcemodi lignum geminam ſcimus habuiſſe radicem, unam occaſionis, quæ fuit primorum parentum propria & deteſtanda voluntas, qua non Domino juſtè præcipienti, ſed malè ſuggerenti reptili conſenſerunt, aliam naturæ quoniam in creatis arboribus ſicut in hominibus eſt ſervata propago. Perpetuata eſt propago humani generis virtute traducis, & cum illa originale delictum. Perpetuata eſt propago lignorum, ut in ligno appenderetur remedium. Sed quid homo ad lignum? Quæ communicatio unius ad alterum? Utique magna nimis. Nam inſenſibile porro eſt lignum, & omnis homo dum peccat, inſenſibilis eſt ad Deum, quoniam ſi ſupra ſeipſum in veritate ſentiret, penitus non peccaret. In ligno inſenſibili Chriſtus patitur pro inſenſibili delinquente. Non ſentit lignum divinum pondus quod habet, nec homo, dum peccat, ſentit munera creatoris. Caret vita ſenſibili atque rationali omne lignum, necnon & vegetabili, ſi præcidatur à radice: Sic & homo ab omni vera vita moritur malè peccans, ac per hoc reſpondit in ratione inſtrumentum paſſionis homini peccatori. Si figuram aſpiciamus arte hominum introductam, triangulata eſt in tribus brachiis ſanè porrecta. Quoniam tribus modis peragitur omne malum, ab eo videlicet quod opportunè vel importunè in mentem hominum venit. Opportunè ſiquidem dixerim, cùm cogitatione voluntaria præanticipatur malum. Importunè verò, cùm anima ſæpe reluctat, quanquam in fine ſuccumbat. Ab eo etiam, quod affectio jam ſeipſam delectabiliter ſcalpens in his, quæ cogitando ſuſcepit à tertio, cùm cæcata lumine rationis obruta tenebris præſtat aſſenſum, qui juxta id, quod malè agere cupit, etiam ſi non ſequatur effectus, dignus eſt pœna plecti.

Simi-

Similiter fragilitas & ignorantia, & malitia prædominans triangulum facit. Et in his poteſt eſſe remiſſio per triangulum crucis, ſi ultra non procedat peccatorum ho-
Amos, 2. minum pravitas. Sic enim per Amos legimus dictum, quòd ſuper tria ſcelera daturus eſſet Dominus omnibus veniam, ſuper quartum verò quempiam non convertere, fieret nempe, quartum, ſi impœnitentia ſequeretur. Trinitas increata in illa cruce ſua virtute, & in unione trinæ perſonæ aſtabat, & creata trinitas hominis in illa redimebatur, & damnabatur triangulum peccatorum. Quod verò in poſterum inolevit quaſi quadrangula forma crucis, de tituli appoſitione provenit, & de myſterii ratione, nam ſuppoſitus titulus quartum brachium fecit, qui ſuper caput poſitus protendebatur in altum. Et divinè factum eſt, ut brachium in ſublime porrectum, eſſet titulus veritatis, quia in altiſſimis ſpeculationibus, non in imis; & in patria, non in via verè cognoſcitur Deus. Erat velut index brachium cum titulo, quod ferebatur in altum, acſi vellet indicere, de ſupernis eſt, qui patitur, de ſupernis eſt Dominus & rex omnium regum, & in ſuperis eſt, non in infimis cognoſcendus. Ratio etiam myſterii aſtruebat, ut à præfato triangulo in quadrangulum veniretur propter hominum mores, qui quatuor virtutibus diſponuntur. Et quadra figura omnibus eſt ſolidior, ut perfecta & ſolida hominum vita conſtitueretur ex cruce. Et prætenſiones interioris hominis in illa præfixæ ſunt, quoniam oportet animam deſcendere ad loca tetralia in directione timoris, & pavidam fieri, ne ad illa deſcendat meritis dignis pœnarum, & pavido atque inevulſibili contemplari mentis intuitu per æternum irremedicabilem damnatorum pœnam. Et ab hoc abyſſali & interminabili malo ad contrarium ſuperius fiat aſcenſus in vitam & gloriam infinibilem beatorum. Protenſio crucis ad ima, protenſionem animæ facit per aſpectum mentis ad loca tartarea. Protenſio ſuperior contemplationem provehit in ſuperna. Ibi juſtitia, hic miſericordia plenè fulget. Binæ protenſiones in latera quaſi alæ gallinæ omnes pullos filiorum hominum, ne à volitante diabolo rapiamur, provocant ad tutelam. Et ſub umbra iſtarum alarum oportet confugere, donec à nobis tranſeat omnis iniquitas, ut ſub dextera perfecti, ſub ſiniſtra imperfecti divino auxilio, protegantur. Cùm illis aſtantibus iterum contemplemur in tam horrida cathedra voluntariè quieſcentem, Deum verum & hominem verum. In illa nanciſcentem nobis, atque pro nobis delectationem ex pœna, gloriam ex ignominia, honorem ex opprobrio, victoriam ex ſuſceptis vulneribus, ex calamitate plenitudinem, libertatem ex vinculis, ex temporali morte vitam ſempiternam. Quem non clavi, ſed unus ejus in homines diffuſus amor ſic tenebat affixum. Et nimirum, quòd carne moriens Spiritu viventes dæmones debellavit, & jure, non potentia cùm inviſibilibus hoſtibus decertavit. Et peccato veterato natura renovatur in ligno. Et unus pro toto orbe concertat, necnon & in carne devicto pax oritur terreſtrium, oritur atque cœleſtium. Multa internæ contuitionis materia miniſtrabitur, ſi ſtabimus juxta crucem amore cordis, & cùm proponitur aut expedit corpore circumſerentes, ut velut in ipſa in homine utroque redempti, ſic in utroque homine bajulemus. Erat mater juxta crucem contemplativis doloribus, & amore, tacenſque tacebat nun hæſitans in his, quæ per Filium agebantur. Erat ſui Filii per omnia & ſuper omnes conſocia paſſioni, ut pro corpore torto etiam ipſa in anima & corpore torqueretur. Et in directione Spiritus Sancti, & angelorum cuſtodia flebat, ejulabat, dabatque ſingultus amaros, & pœnam hujus affixi deplurabat & cauſam. Et videbat, quòd non ex transfuſo ſemine, quod non erat, non ex Deo, quia impaſſibilis erat, ſed ex carne duntaxat, quam ex ipſa ſuſceperat, patiebatur natus, & cruci per hominum injuſtitiam applicatus, & tantò dolebat profundius, quantò perſpicatius noverat cruciatum, & quod noſtrum extat cauſa peccatum. Et ipſa ipſius nati ſui ſe noverat cauſam pœnæ. Pro eo quod ad tanta tormenta carnem præſtiterat ipſa paſſibilem, quamvis tutius peccati expertem. Stat juxta crucem opprobrii atque pœnarum, quia Eva ſtetit juxta ſuave lignum. Vidit illa prima omnium mulier quod bonum eſſet, vidit Virgo Virginum quod crux utique melior futura futuris credentibus eſſet, quia illud damnationem, iſta germen edidit in ſalutem. Et illud lignum bonum ex natura, lignum verò crucis potius ex gratia, ſupergreditur omnino gratia Chriſtiana naturam. Vidit illa quod eſſet bonum corpori ad veſcendum, ſed non illico aſpexit quod eſſet corpori & animæ in poſterum ad turmentum. Vidit Virgo regia, cognovit mater eccleſia, quòd lignum crucis ſalutem animæ, pœnam verò corpori pro tempore irrogaret, tandem verò gloriam. Stetit illa juxta lignum quod pulchrum oculis videbatur, ſtat alma, ſtat concio Chriſtiana juxta crucem deformem

oculis, turpemque conſiderationi carnalium. Videbatur illud lignum aſpectu delectabile, ſed tactu letiferum erat. Apparet crux aſperrima omni aſpectui, ſed cùm tactu mortem irrogat, effectu gloriæ vitam donat. Aſſiſtebat Virgo cruci, & ſuo configebatur cum nato. Steterat cruda Eva juxta vetitum lignum, & delectabatur vetita guſtando cum viro. Genes. 3. Stetit illa prope arborem interdictam, non ex aliqua mala indita qualitate, ſed obedientiam aut veram inobedientiam deſignantem, ut cognoſceretur in arbore fructifera Dominus, qui ad æternam fruitionem electis inaudita & inviſa ſeu incognita paraverat. Stabat Virgo mater, ſtabat eccleſia Sancta prope arborem benedictam, per quam benedicitur pius amator ejus, & ſuſtinens illam in corpore, cùm offertur, per quam impletur vera juſtitia, per quam perfecta obedientia exhibetur, per quam reprobatur, ſi quis ejus eſt inimicus, ſicut ait Apoſtolus: Phil. 3. Nunc autem flens dico inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus. Poſuerat Deus juſtum edictum in ligno, nec velut de re mala parentes primos ab eſu ejus voluit abſtinere, ſed Dominus in illa cognoſci, & meritum obedientiæ in re modica fieri, ut æterna præmia ſequerentur. Quæ contempta tanto fuit majoris demeriti, quanto potuit facilius cuſtodiri. Ad quod lignum appropinquaverunt, & malè ſuaſi guſtaverunt, credentes ut dii fieri ſapientes, ſcientes bonum & malum, de cujus fructu hauſto per modicum aperti ſunt oculi deguſtantium, non quod prius apertos oculos non haberent, ſed quia cognoverunt bonorum honorabilium nuditatem, quamvis ante in corpore inerubeſcibiliter nudi eſſent. Et ſecuta eſt damnata poſteritas, pro eo quod fuit inobediens noſtra prioritas. Multis millibus elapſis annis plantatum eſt præordinatione divina horridum lignum ad cruciatum Chriſti capitis noſtri & myſtici corporis ejus, ex quo omnis pœnalitas Chriſtiana ſumpſit exordium, atque conſecratur in illo. Et ipſe factus eſt fructus ejus, qui fructum arboris ſcientiæ boni & mali primis parentibus interdixit. Et è regione novum poſitum eſt edictum, ut de fructu ejus omnes ſanæ mentis exiſtentes omnino contingant. Sed necdum fructum ejus, ſed pœnam ejus excipiant, ut prætendit ſententia Salvatoris: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Bona fuit arbor illa, & in malum, & in ſcandalum facta eſt. Mala eſt de ſuo genere omnis pœna, & in bonum & defenſionem pro pietate patientibus verſa eſt. Stabat enim juxta crucem Virgo. Stetit & ſtat orthodoxa eccleſia juxta pœnam aſſumptam voluntariè vel illatam, quanquam de ſe malam, ſi verò pro juſtitia toleratam, bonum gloriæ parituram. Et in hac peregrinatione eccleſiæ ſcilicet palmariæ in virtutibus ſplendet. Cùm verò pervenerit, ſummè fulget, quòd ex horrendis, & malis cruciatibus à tyrannis tot martyres habuit, atque præmiſit, & in voluntariè aſſumptis confeſſorum atque Sanctorum turmam innumerabilem fecit. Ex arbore illa bonorum nuditas eſt ſecuta, ex iſta gloriæ decora veſtitio. Ex illa pudor ſeu erubeſcentia, ex iſta honor & gloria. Ex illa in membris provenit deteſtanda libido, ex tactu verò hujus plenitudo capitur caſtitatis. Ex illa oculi ad confuſionem ſe mutuò intuentium ſunt aperti, ex iſta oculorum ad aſpectum gloriæ palpebræ ſublevantur. Ex illius guſtu credentes fieri ut dii, infra homines ſunt redacti, quod Davidica confirmat authoritas: Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: Ex iſtius pro juſtitiæ guſtu, per adoptionem & gratiam fiunt homines Filii Dei, atque tranſitur in conſortium angelorum. Ex illa credentes fieri ſapientes ſtulti facti ſunt, ex ſtultitia verò crucis omnes æterna ſapientia inclareſcunt. Per illam mors incurritur, per iſtam in peccatis mortuus reviviſcit. Ac per hoc ſtandum meritò juxta crucem. Sed exagitatur animus plura conquirere, atque differere circa crucis myſterium. Attendamus quid poſt plantationem illius ligni, quid dictum ſit primis parentibus creatis, quid verò poſt inſtitutam crucem dicatur naſcentibus atque Intelligentibus cæteris. Dictum eſt de arbore bona, ſi de illa comedetis, rei conſtituemini, de cruce verò dicitur: Niſi crucem & pœnam, quæ mala eſt, dilexeritis, prævaricatores efficiemini. Non quod de illa tanquam de re bona ſecutum eſt malum, perverſa intentione utentis. Sic reconvertente vera juſtitia redemptoris, de pœna mala exortum eſt bonum, juſta intentione patientis. Dictum eſt illis, ſi hanc orbem guſtaveritis, morte multabimini: Dicitur de iſta, ſi crucem & pœnam propoſitam pro juſtitia negaveritis, in æternum damnabimini. Ex illius tactu, ex iſtius verò intactu mors horrenda ſubſequitur. Qui ex illa guſtaverunt, mortui ſunt, & totam poſteram ſobolem mortis articulo adſcripſerunt. Qui verò iſtam ſuſcipiunt, poſt pœnam & mortem ad gloriam reviviſcunt. Mortui ſunt illi, quia, quod erat ſuave corpori guſtaverunt, reſurgunt glorioſè, qui ſe aſperitatibus corporis crucifigunt.

Exules

Exules illi facti ſunt à paradiſo per lignum, per crucem, omnes exules revocantur in regnum. Facta eſt arbor illa ſcala deſcenſionis in barathrum, crux facta eſt ſcala aſcenſionis in cœlum. Sed nec crucem intelligamus duntaxat illam lignorum machinam, ſed omnem pœnam proprietate ac juſtitia toleratam. Similiter & conſtantem juxta crucem matrem, eccleſiam catholicam & animam quampiam fideliſſimam agnoſcamus. Idcirco Maria Cleophæ, & Magdalena & diſcipulus, matri virgini aſciſcuntur. Aſpexit autem pendens librator amoris atque dolorum, & meritorum omnium ponderator aſſiſtentem Virginem, quam nunquam appellavit ex vocibus matrem, & diſcipulum plus dilectum, quam diligentem, & ipſos ſolummodo affatus eſt. Unde ſequitur: Joan. 19. *Cùm vidiſſet ergo JESUS, matrem: & diſcipulum ſtantem, quem diligebat.* Omnes aſtantes videbat Jeſus, nec aliquis ab eo erat inviſus, ſed hos tantùm dicitur aſpexiſſe, propter ſermonem, qui ad eos factus eſt. Ibidem. *Dixit JESUS matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua.* Pulſantur admiratione omnium legentium, ſive audientium mentes, ſi quo motu, quo ſenſu, qua ratione, qua poſſibilitate, qua verò authoritate iſta dicuntur, quod diſcipulus tranſeat in Filium Virginis, & Virgo habeat purum Hominem Filium, quæ non genuit niſi Hominem Deum, & ſint duæ matres unius hominis, quod unquam natura humana non habuit, & ſit Filius ex Virgine, qui de corruptis parentibus natus erat ex ſemine. Et quid eſt, quòd tantùm hos duos affatus eſt? Impoſſibilia quidem ſunt hæc, ſed nihil impoſſibile DEO. Verum eſt, quòd Chriſtus ſic dixerit: quòd verum eſt, dilectus Chriſti diſcipulus ſcripſit, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus. Pietate ſimiliter & oratione opus eſt ad ingrediendum tale ſecretum altumque myſterium. Mulier, & non mulier, pro eo quòd non mulier, ſed ſuper angelos & homines & mulieres ſuperexcedens, mulier accepit à Filio, quem cum æterno Patre unicum poſſidebat, præter ventrem, quem ante in carne habebat ipſa nepotem. Sed in quo filiationis genere Joannes Virginis factus eſt Filius, aut ejus mater facta eſt Virgo? Non hîc natura favet, non conceptio partus obſequitur, non ingreſſus in uterum, ut denuò renaſceretur, non adoptio pro hæreditate in temporalibus poſt ſequenda, nec mutatione aut explorata doctrina, nec iſta differenda fuerant verba Chriſti. Nec facta eſt locutio ut ſit quaſi, ſed remota omni fucatione verborum, ſic à Chriſto legimus dictum: Mulier ecce filius tuus, ut omni excluſa ſuperfluitate verborum, ſecretum myſterii penetremus. Eccleſiam orthodoxam cruci aſſiſtentem omnino revelato myſterio intelligimus in Maria. Omnem ſingularem animam novimus in Joanne. Filius in græco nomen eſt amoris. Omnis igitur chriſtiferæ crucis amator, in amorem tranſit eccleſiæ, ut meritò filius, id eſt, amor eccleſiæ nuncupetur, & ipſa CHRISTI adorans & venerans paſſiones, matrem ſe conſtituat ſimiliter & venerantis, & crucis amator matrem eccleſiam habeat, quæ ipſum in Chriſto genuit, magis quàm illa, quæ illum ex peccato damnatum mundo ſuſcepto ſemine generavit. Mutatur hic maternitas & filiatio ex verbis Chriſti ſub arbore ſanctæ crucis, quoniam natura tranſit in gratiam, & gratia nobilitat profectò naturam, non quòd una commutetur in alteram. Mala mater Eva corruptæ naturæ, bona eccleſia almificæ mater gratiæ. Datur mater gratiæ pro matre naturæ. Manet mater naturæ, manet mater ex gratia. Erat enim Joanni mater Maria Salome in ordine ſuccedentis naturæ, eſt mater ſibi Virgo in ordine veræ gratiæ. Eſt mater Eva cunctorum per traducem naturæ, eſt eccleſia mater omnium fidelium per infuſionem inviſibilis gratiæ. Non deſinit eſſe Joannes filius corruptæ matris, quia imperio Chriſti factus eſt filius virginis, nec poteſt non eſſe filius virginis, quia fuit ante filius corruptæ matris, quoniam prius eſt, quod carnale, deinde quod ſpirituale eſt, aut eſſe poteſt. Protinus non deſperemus, quia unus idem homo eſt per naturam, Chriſtianus per gratiam, & per unam hominis filius, per alteram DEI Filius appellatur. Voluit etiam Chriſtus in cruce pendens antequam moriens, per omnia ſuam præoſtendere charitatem, & quantùm dignitatis humanæ naturæ contulerat, ut firma ſpes eſſet remeationis ad patrem. Unde ſi dedit poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus, quod non per naturam, ſed penitus eſt per gratiam, cur non dediſſet nobis, quòd eſſemus filii matris ejus, quod fit per gratiam non per naturam? Plus enim eſt quod ſumus fratres ejus ex patre, quàm quod ſumus ex matre. Joan. 1. Plus ex æterno Deo, quàm ex temporali parente. Non dedignatur Chriſtus humanum genus propter naturam conditam

ditam

ditam, quæ bona fuit, non propter corruptam, quæ in vitio torpuit, non ex criminibus, quibus involvimur, quoniam, ſi velimus, ipſe velit nos ex utroque parente, tam ex æterno, quàm ea, quæ fuit ex tempore ſuos per gratiam eſſe germanos, ut una cum ipſo æterna ſit nobis hæreditas. Mira naturæ mutatio, non tamen transmutatio. Mira inductio filiorum, ſed in mirabilibus hoc mirabilius inclareſcit, quòd gratia non extinguit naturam, & natura non confundit inſitam gratiam. Utriusque jura ſervantur in homine, naturæ ſcilicet, in qua natus eſt, & gratiæ in qua renatus eſt. Et ex hominibus corruptibiliter natis filios fieri poſſe incorruptionis nullatenus dubitemus. Et de in libidine conceptis, in filiationem poſſe ingredi honeſtatis. Ac per hoc immutabili edicto innuitur, quòd plus quàm translatio facta eſt de natura in gratiam, & addita eſt gratiæ maternitas ad filium naturalem, quod ſub fomentis & erudimentis vivatur ſecundæ matris, prima non abolita, ſed ſubmiſſa: quia nemo cùm venit in gratiam, deſinit eſſe homo, ſed retinens quod per naturam accepit, qualitate mentis & moribus corporis ſuper hominem per gratiam vivit, nam plus quàm homo quis eſt per gratiam, qui tantùm homo fuerat per naturam. Divino igitur jure plus debemus gratiæ quàm naturæ, & plus illam venerari atque diligere in nobis, quàm id, quod natura fecit in nobis. Nam illum verum finem boni, quem omnis anima rationis capax, quodam inſtinctu naturali plus cupit, quamvis quodam errore obice ab illo illum fugiant appetentes, non prima natura mater, ſed gratia mater ſecunda conſequitur. Et hoc eſt, quòd ex natura mater, cùm dextram regni atque ſiniſtram petiiſſet pro filiis, non accepit: quia non naturæ, ſed gratiæ ſuperna debetur hæreditas. Quamobrem *ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſuam.* (Joan. 19.) Ex illâ hora, ſcilicet qua CHRISTUS pro matre reddidit matrem, aut mater naturæ addidit matrem gratiæ. Diſcipulus matrem Virginem in ſuam animo reverenti, capite inclinato ſuſcepit. Nec quisquam humanæ pietatis amore pro compaſſione Virginis exiſtimet, quòd pro Filio DEI acciperet filium Zebedæi, & quòd pro moriente CHRISTO pro ſucceſſore tenendus eſſet Joannes. Quoniam Chriſtus nec ſe Virginis filium denegavit, & indubitatam reſurrectionis proximè fidem alma Virgo tenebat. Proinde talis filii non erat opportuna ſucceſſio, nec ita Virgo doloribus auferebatur, ut talia, quæ agebantur myſteria, ignoraret. Chriſtus verò non pro eo, quòd moriebatur hoc agebat ſenſualiter vel humanè, ſed in eo quod Deus verus in æternum vivens, divinè pro magno myſterio decernebat, ut naturæ virtus & gratia, demum æterna felicitas adderetur. Hæc ſub cruce per pendentem in cruce decreta ſunt atque firmata, ut crucis myſterium fulgeat. Nec tantùm intueamur ligni figuram, ſed quaſi ineffabile atque inviſibile ſacramentum à ſæculis abſconditum, nunc in tali tempore revelatum. Cælebrata ſunt hæc in Virgine matre, Virgine filio, in una fœmina, unoqúe viro. Quòd ambo ſunt virgines, non excluditur, quin in hanc filiationem poſſint venire corrupti, quoniam virgo eſt eccleſia in electis. Quod verò duo, unus maſculini ſexus, altera fœmini, diſtinctum in his ſexibus humanum genus pro his, qui ſalvandi ſunt, aſtruunt, ut nec nefas ſit credere, quod æqualitate ſalvetur. Proinde amanda eſt crux, amandæ ſunt Chriſtiferæ paſſiones. Cum Chriſto cruci ſimus affixi, ut divina in nobis, & honoranda myſteria celebrentur, & in nobis gratiam, plus quàm naturam omnino veneremur, & vivamus, non ut naturaliter, ſed velut à gratia generati, ut plus in mente prævaleat quod præſtitit gratia, quàm natura, & in moribus magis fulgeat vita gratiæ, quàm naturæ. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, usque ad horam nonam.* (Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23.) Ecce quod aer obducitur tenebris, obſcuritate veſtitur, in teſtimonium ſceleris, quod innocens moritur. Eclipſatur contra naturam ſol, quia contra juſtitiam patitur verus ſol, & authori vitæ morienti nobilis lux condoluit. Et quodam jure vindictæ datæ ſunt tenebræ mundo ignoranti: Quoniam mundus DEI Filium non cognovit. Et horridas tenebras Judæi patiuntur, qui obtenebrati mente Dei Filium damnaverunt. Olim Ægyptiis obtenebratis, filiis Iſrael lux fulgebat, nunc verò verſa vice peragitur, ut ipſis obſcuratis in fide, lux fidei Chriſti gentes infulſerit. Hæ tenebræ præter id, quod viſibiliter in exterioribus geſtum eſt, in altiora mentes hominum tollunt. Nam miro modo voluit tunc Deus circumcidere oculos hominum, cùm tenebris denſis, ne viſus in objecta forinſeca vagaretur, ſed ut ingrederentur ad cor, ad conſiderationem eorum, quæ agebantur de filio & in ipſo agebantur. Et diem verterunt in noctem,

ctem, ut intenſior fieret contemplatio arcanorum. Impeditur ſæpe interior oculus à perſpicuitatibus ſuis, cùm exterior vagatur luce corporea. Et cùm remittitur exterius viſus, intenditur interius oculus. Noverunt hæc alta & ſubtilia meditantes, qui ut rei veritatem, quæ tantùm animo interlucet, acutius videant, palpebrant ſuper oculos corporis, ne aliqua exteriora conſpiciant. Et natura videntes, induſtria cæci fiunt. Diffinierunt nempe ſancti & natura periti, noctem quàm diem eſſe ſpeculationibus aptiorem. Et quendem ſanctorum legi de ortu ſolis aliquando fuiſſe conqueſtum, pro eo, quod contemplationem ſolis inviſibilis & intelligibilis impediret. Induxit igitur Dominus tenebras ſuper orbem, ut nec aliquid intuerentur oculi, ne moverentur & pedes, ut in quiete corporis & privatione forinſeci luminis ſedulò meditarentur hi, qui propè, ſimiliter & qui longè Dei filii paſſionem, ſimiliter & omnem myſterii actionem. Sed multi propinqui atque remoti, qui tunc nec contuiti ſunt, aut contemplantes potuerunt in notitiam devenire, devenerunt in poſterum. Et ex illis tenebris annotato tempore, quo factæ ſunt, magna lux fidei in cordibus hominum interluxit, quia ſicut tenebræ ejus, ita & lumen
Pſal. 138. ejus. Hujus veritas patuit, cùm curioſitas Athenienſium tenebrarum horas fecerit annotari, ex eo quod ſtupor obrepſerat, ſolem contra naturæ ordinem eclipſari, ut non pars ſolis ex interpoſitione lunæ, quæ totum tota etiam obex facta eclipſare non poſſet, ſed totus divina potentia ſit converſus in tenebras. Qui tunc ultra capere non valentes, pro ignoto Deo fieri decreverunt, ſic quod futuræ memoriæ characteribus mandave-
Actor. 17. runt. Ad quam civitatem prædicator gentium veniens cum Areopagitis facto congreſſu, Dionyſium convertit ad fidem, cauſam palmarem differens, cur per omnem terrarum orbem illo die tenebræ ſunt diffuſæ, necnon quem illi Deum ignotum dicebant, notum eis diſcrevit, ut ſemper illarum tenebrarum memoria, cùm advenerit, ad conſiderationem internam mentes hominum referat, ut contemplentur myſteria dominicæ paſſionis, cùm in tenebris perſpicacius videantur lumina, & opera veritatis, quàm in ſplendore lucis cujuslibet corporalis. Multam novimus in corporeis vilitatem, in ſpiritualibus autem nullam. In illis multi evigilaverunt ad Chriſtum, & multa in virtutibus & divinis theoriis, & pro moribus agendæ devitandæque vitæ comprehenderunt, in iſtis multi reprobi facti ſunt. Lux verò ſectatoribus veritatis in tenebris lucet, ſed illæ tenebræ corporales, atque in quibus vita carnalium agitur, eam comprehendere non potuerunt. In creationis exordio diviſit Deus lucem à tenebris. Lucem ſiquidem appellavit diem, tenebras verò noctem. Porrò nox nomen eſt gentilium poetarum, ut derivatione aut ſignificatione proveniat à nocendo. Quod verò nocet, eſt malum, nihil enim niſi malum nocet. Sed abſit à cultoribus veritatis, quod DEUS aliquid mali creaverit, aut ordinaverit in pulchritudine univerſi. Quanquam enim tenebræ præcedant lucem, nox diem, non tamen ex hoc malum ſunt judicandæ, alioqui judicaretur ipſe creator, & univerſi ordo cauſaretur, qui tali alternatione peragitur, ut nuuc dies fugatis tenebris, nunc nox abſconſis radiis lucis adveniat. Et Deus vidit cun- Geneſ. 1.
cta, quæ fecerat, & erant valde bona. Expedit quandoque noctem adeſſe ſive tenebras, & aboleri diem, & lucem aliquando ſuper terram, & ſic continuè alternari. Habet ſuas utilitates corporea lux, ut cognitionem in actionibus & rerum viſibilium præſtet. Et diſcreta, ut ſunt, omnia facit ipſa videri. Tenebræ autem ſimiliter ſuis commodis decorantur, nam in rebus imaginalibus, intelligibilibus, inviſibilibus, ad quas motu corporis aut actione corporea non eſt opus, ad indagationem ipſarum aptitudinem operantur, & à laboribus diurnis, ſeu ab his, quæ aguntur in luce, quieſcere corpora hominum faciunt. Et dulcis ſomnus ad commodum corporis capitur, cùm hemiſphærium ſuperius tenebris obvelatur. Quamobrem præter id, quod omnia condoluerunt authori vitæ in carne morienti, & teſtificata ſunt non hominem purum, ſed etiam DEUM verum, magna utilitate illo in tempore induxit Dominus tenebras ſuper terram, ut obtenebrato corpore plus mente videatur. Quæ ex ſexta diei hora excluſivè usque ad horam nonam incluſivè manſiſſe feruntur, ſcilicet trium horarum ſpatio ſolem tuliſſe indecentem eclipſim ex ordine curſus ſolis & lunæ, decentem verò, quia ſic creator omnium voluit. Trium autem horarum ſpatium trinitatem increatam innuit, quæ taliter tota erat in homine, qui patiebatur, quamvis ſolius filii carnis eſſet aſſumptio, à Judæis velut lux à tene-

à tenebris ignorata. Et in his tribus horis tres ſunt propulſatæ virtutes, ſeu potius in hominibus eclipſatæ, in quibus ad DEUM anima peccatis mortua reviviſcit, ut eſt fides, ſpes & charitas fructuoſa. Et tres in anima hominum ſunt hebetatæ potentiæ, ut propter hominum ſcelus hujuscemodi committeretur ſcelus, ut in carne moreretur altiſſimi Filius. Quod autem de tenebris dicitur, quòd factæ ſunt, ſcilicet à duobus evangeliſtis, ab alio, quòd tenebræ factæ, & ſol obſcuratus, unum provenit ex altero, ut ex obſcuritate ſolis, quæ cœpit hora ſexta tenebræ ſequerentur usque in horam nonam, in qua Chriſtus voluit expirare antequam tenebræ pellerentur, poſt expirationem illico [Marci 15. Matth. 27.] ſigna cæteræ ſunt ſecuta. *Circa verò horam nonam*, incœptam nondumque completam *exclamvit JESUS voce magna, dicens: Eli, Eli lamaſabatani. Hoc eſt: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti?* Exclamat JESUS ad Patrem, non in forma DEI, ſed in forma ſervili, ut homo in doloribus poſitus mortique vicinus. Et pro ſe dolens loquitur, quaſi cauſam exigens, cur innocens ſit derelictus in pœnis. Eli & lamaſabatani linguæ Hebraicæ ſunt vocabula, quæ omittentes, interpretationem, quam Evangeliſta uterque addidit, proſequamur. Homo Chriſtus eſt, qui loquitur, Deus meus, creatione DEUS, meus unione, ut quid dereliquiſti me? An fortè ſibimet compatitur, & flebili voce ſe derelictum exclamat? An cauſam inquirit, cùm ipſe cauſam, qua derelinqueretur non dederit? An admirativè loquitur, ut quid, id eſt, propter quid tam vile dereliquiſti me? Magis autem dixerim, ut velit notum fieri quare fuerit derelictus, quia non ſuo, ſed humani generis meritò fuerit derelictus. Voce magna exclamat, qui magna tormenta patitur. Voce magna, quia injuſtitia, quam patitur magna. Voce magna corporis, ſed plus in virtute. Voce magna, cui pœnæ non prævalebant, niſi quantùm ipſe volebat. Non enim adhuc erat virilitate corporali effectus. Voce magna, ut eum audiant, atque ſciant in cruce pendentem, & de proximo morientem, quem ſuaviter ubique docentem pertinaci animo contempſerunt. Vult audiri per altitudinem vocis ab his, qui obtecti tenebris ferè aut non fortè videbant. Sed hoc quod voce magna intonat, attendamus. Congeminat Deus meus, Deus meus, velut corporis & animæ creator, cui utriusque debuit eſſe cura, cui in animo & corpore obedivit. Cur dereliquiſti me? Signanter de ſe loquitur, cùm DEUS neminem in ſe ſperantem dereliquerit. Hinc eſt, quod de ipſo propheticè prædixerat ante David, primò ſe derelictum, deinde alios non derelictos exclamitans. Ioquit enim in pſalmo, cujus [Pſal. 21.] titulus eſt, pro ſuſceptione matutina quæ CHRISTUM inſinuat: Deus, Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti, longè à ſalute mea verba delictorum meorum. Statuamus in altitudine mentis noſtræ Chriſtum, quid habet ex eo, quod DEUS, quid ex eo, quòd homo verus eſt, quid ex eo, quòd corpus myſticum, ſcilicet eccleſiam coaptatam habet, & ſcintillabit non per modicum, non ad plenum, quid in iſtis ſermonibus latet. Ex eo, quòd DEUS eſt, omnia ſummè tenente, æqualis eſt per omnia patri, nihil pati adverſi poteſt. Paſſiones illæ divinam naturam in Chriſto non attingebant, neque derelinqui poteſt, aut ſibi auxilio opus eſt. Prædixerat, quod eſt, cùm Judæis diſceptando loqueretur: Et qui miſit me, [Joan. 8.] mecum eſt, & non reliquit me ſolùm, quia ego, quæ placita ſunt illi, facio ſemper. Similiter & diſcipulis, proximè autequam caperetur, dixit: Ecce [Joan. 16.] veniet hora, & jam venit, ut diſpergamini unusquisque in propria, & me ſolòm relinquatis, ſed non ſum ſolus, quia pater mecum eſt. Ex eo verò, quod homo eſt, & myſticum corpus habet, inclamitat. Petit CHRISTUS ut homo, DEUM in ſe reſpicere, ut innocentiam ejus aſpiciat &æquitatem, & quod omnes cur patitur, intelligant veritatem. Non petitur à Chriſto divinus in eum reſpectus, ut liberetur à pœnis, ſed ut injuſtitia pœnæ ipſius capitis in juſtitiam myſtici corporis convertatur. Quod & factum eſt. Nam injuſtitia, qua Chriſtus non dignus pati patitur, facta eſt juſtitia myſtici corporis indigni ſalvari, qua ſalvatur. Clamat igitur Salvator omnium CHRISTUS intenſum affectum mentis gemina voce manifeſtans: DEUS meus, DEUS meus reſpice in in me, pro corpore meo futuro, ut injuſtitia quæ in me agitur, ad juſtitiam pro ſalute meorum fidelium, ſcilicet mei corporis derivetur. Quod autem adjecit, quare me dereliquiſti, ſicut ex propria voce in cruce clamavit. Non ex ignorannia proceſſit. Noverat enim ſanè, quare derelinqueretúr in pœnis, ſed ut in-

noteſceret

noteſceret cæteris pro quibus talibus ſupplicíis torqueatur, ut etiam moreretur. Nam ideo CHRISTUS eſt derelictus in pœnis, ne nos derelinqueremur in peccatis, ut ipſius derelictio ſit noſtra liberatio peccatorum. Ideo derelictus in pœnis ſuis, ne nos dereliqueremur, cùm pateremur in noſtris. Ideo derelictus in pœnis temporaliter, ne nos æternè in inferno damnaremur. Temporalis enim illa Chriſti derelictio ſuos fideles exemit ab æternitate pœnarum. Derelictus eſt corporaliter per modicum ad tempus, iſta tamen ex fide reſartura ſperamus. Derelictus eſt in pœnis, ut ex ipſis delectatio noſtra naſcatur. Derelictus in morte, ut ex illa nobis æterna vita proveniat. Derelictus ipſe innocens cauſam agens in cruce ſalutis noſtræ, ne nos peccatores & miſeri turbaremur, aut miraremur, ſi aliquando pro ſpe ſupernorum in agonibus martyres audiverimus derelictos, aut ſi quiſpiam perſecutionibus exactus pro Chriſto, propoſita ſpe relinquatur ad tempus. Quoniam hoc habet ordo divinæ juſtitiæ in veris fidelibus, ut derelicto corpore roboretur ſpiritus interior, & gratia data in paſſionibus inclareſcat, virtus in ſuis actibus fulgeat, & cùm non ceſſerit minis ac tormentis, cùm non abſterretur à morte velut per quandam agonis juſtitiam, DEI etiam miſericordia hoc agente, vitam conſequatur æternam. Ac per hoc nullus quærelæ ſumat audaciam, ſi ſibi ob quippiam derelinqui videretur, cùm noſcimus in pœnis quouſque moreretur Chriſtum DEI Filium derelictum. Quis non toleret patienter injurias, & quaslibet perſecutiones, cùm Chriſtum audimus in cruce derelictum? Quis non pro ſeipſo libenti animo patiatur, cùm ipſe pro nobis derelictus ſic patitur? Quis quærulabitur per modicum aut amplius nocens, ſi pœnis exagitur, cùm Chriſtus Dei Filius omnino innocens, derelictus in pœnis talia patiatur? Quis tenellæ conditionis & carnis immurmuret, cùm affligitur, cùm Chriſtus de Spiritu Sancto conceptus, derelictus in cruce configitur? Quis mente non quieſcat, ne exclamitet ore forinſecus, cùm audit exclamari, quod derelictus eſt Chriſtus? Quietem menti, ſilentium ori appoſuit omnibus quomodolibet patientibus, cùm exclamavit: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Quòd verò pro ſuo corpore myſtico aut pro toto humano genere loquatur ſcriptura in pſalmo ſubſequens manifeſtat, longè à ſalute mea vurba delictorum meorum. Non habebat Chriſtus delictum neque peccatum, ſed delicta humani generis ſua fecit, pro quibus ita paſſus eſt, velut ſi fuiſſet obnoxius. Unde iſta veritas ex his verbis elicitur. Verba mea cauſa delictorum meorum longè ſunt à ſalute corporis mei, ut delicta hominum, quæ mea feci, pro quibus velut pro meis patior in hac hora ſic derelictum corpus longè faciunt à ſalute, ut omnino aculeo mortis diverberer. Aliter enim non minus utilis ſenſus in his verbis includitur, quare me dereliquiſti? Quia verba delictorum meorum, verba ſcilicet derelictorum hominum meorum, de quorum numero per carnis aſſumptionem factus ſum, longè ſunt à ſalute. Non enim habent, unde ſalventur, carent, unde ſaluti appropinquent, non exaudiuntur, cùm inclamitant, aut quomodo clament, ignorant, quia derelicti primorum peccato parentum. Multa etiam ex propriis adjecerunt, non formant, unde ſalventur, ideo pro derelictis meis, ne in ſempiternum derelinquantur, in hac hora in ſævis pœnis tu pater dereliquiſti me. Igitur derelictus eſt pro delictis, quorum verba longè erant à ſalute ſua. Veruntamen ſive intelligatur hæc ſcriptura pro delictis & peccatis, ſive pro hominibus derelictis, in hanc ſententiam cadit, ut verba delictorum Chriſti, non quòd ipſe commiſerit, ſed quòd ad purgandum aſſumpſerit, longè ſunt à CHRISTI ſalute. Præter hæc aliter tractantes, dicimus in intentione prius titulum includentes, pro aſſumptione matutini, ſeu pro cerua matutina. Orabat multa patiens pro aſſumptione matutina, ut ſcilicet Deus Pater eum reſpiceret ad reſuſcitandum jam mortuum in hora matutinali, quem in meridie, ut omnino moreretur, reliquerat. Pro cerva verò, quæ citò tranſilit, idem Chriſtus, qui citò ſurrexit, aut quia ipſa renovatur comeſtione ſerpentum: ſic Chriſtus renovatus eſt, cùm dæmones moriendo devicit, momorditque infernum, ut ſtatim reſurgeret à mortuis, immortalitatis ſtola renovatus. Quòd autem in pſalmo ſequitur, quietat fidelium mentes: DEUS meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi. *Pſalm. 2.* Clamavit orans carnis petitiones per diem veritatis, & nocte alienæ infidelitatis, ſcilicet hominum perſecutorum, nec exauditus eſt, quod ſibi ad inſipienriam factum non eſt, ſciebat enim quare ſic derelinquebatur à Patre. Nihil à DEO aut ab hominibus Chriſto

CHRISTO ignorante fuit in ipſo peractum. Nec etiam cauſam & rationem eorum, quæ agebantur ignorabat. Quòd verò modica interpoſitione Verborum facta ſubintulit, in te ſperaverunt, & non ſunt confuſi. Patres antiquos David commemorat in perſona Chriſti præloquens, quos Deus pater de preſſuris nimiis liberavit. Nam liberavit Noë de altitudine inundantium aquarum, Abraham ab omni malo uſquequaque protexit. Non dereliquit Iſaac, adiuvit in variis agonibus ipſe Jacob, ſervavit in Ægypto Joſeph, tutor ejus fuit in carcere. Moyſes & Aaron à duritia eripuit duriſſima Pharaonis, & longum eſſet enarrare omnes

Eccles. 6. per ſingula. Hoc idem filius Sirach ad argumentum eruditionis commemorat: Reſpicite filii nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſperavit in Domino & confuſus eſt. Quis permanſit in mandatis ejus, & derelictus eſt? Aut quis invocavit illum, & deſpexit eum? Hæc quidem omnia Chriſto conveniunt, & nihilominus derelictus. Proinde de ſeipſo quaſi gemens exclamitat, eo quod eſſet à Deo

Pſalm. 21. præ cæteris patribus derelictus. Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Non veſtitur corpus vermibus à natura, ut aves plumis, animalia pilis, piſces ſquamis, & corticibus arbores, non ab arte, ut homines pannis. Sed quid? Ex omni parte derelictum eſt vermibus. Juvant ſe mutuò ipſa volatilia pennata, & pulli à genitoribus aluntur temporibus diffinitis, & plerunque à contrariis gregatim ſe tuentur, & alternatim ſe invitant ad eſcas. Hoc idem animalia & marina & natantia faciunt. Vermis autem plus eſt in ſuo genere derelictus. Et nec eſſe poteſt ſimilitudo infimior, quàm comparari vermi. Proinde dicit: Ego autem ſum vermis, videlicet velut vermis, non velut homo reputatus, aut in preſſuris adiutus. Homo enim erat, & non hominem ſe propter nimiam abjectionem dicebat. Quamobrem adjecit, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Sed hæc derelictio, hæc infimitas, hæc abjectio non ad inſipientiem fiat nobis, ut altè penſemus, quis eſt iſte, qui derelictus eſt, ob quam cauſam ſic abjectus eſt, quid nobis iſta derelictio præſtiterit, quid à nobis exigat in pœnis derelictus à patre. In his multa vigilia opus eſt, multa conſideratione agendum, ne minus debito inveniamur in reprehenſionibus hujuſcemodi efficaces. Sed quod deinde

Iſaiæ 54. per Iſaiam prophetam ad Jeruſalem, hoc dicitur Chriſto pro eccleſia ſua, hoc eſt, eccleſiæ merito Chriſti ſui ſic à patre perſecutionibus derelicti. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Hæc Chriſto derelicto conveniunt. Hæc eccleſiæ collectæ de gentibus, hæc ſynagogæ converſæ in fine Sæculorum, hæc quibuſcuque converſis peccatoribus, hæc omnibus pro Chriſto in hoc tempore umbroſo patientibus mala duntaxat, non alio merito, niſi quia derelictus eſt Chriſtus, ut cùm ad punctum ſit à creatore ſua diſpenſatione derelicto, & in magnis miſerationibus ad ipſum congregatio fiat, cùm faciem abſcondere videtur pati mala permittens, cum indignari videtur, miſericorditer ſæviens, peractis agonibus ſempiternè dans ſupernam gloriam miſeretur. Id autem, quòd dictum eſt: Eliam vocat iſte. Et videamus an veniat Elias liberans eum, de ignorantia cruci aſſiſtentium, & non intelligentium linguam Chriſti provenit, qui nomine Eli Deum patrem invocabat. Et ſæpe fit, ut defectu malè intelligentium unum interpretur pro altero, proinde plerunque defectu intelligendi error peſſimus ſequitur, & obvenit morum deteſtanda perverſitas. Poſtea ſciens JEſus, quia jam omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur ſcriptura dicit: *Sitio*. Ferè jam in Chriſto omnia completa erant tormenta, & myſteria paſſionis, hoc reſtabat prædicente ſcriptura, quod ante mortem proximè venturam ſciens potaretur aceto. Nec ſcriptura, ut ſæpe diximus, cauſa erat, ut taliter potaretur aceto, ſed ut ſcriptura ideo conſummaretur, quia Filius per prophetam hoc prædicere fecerat, quod ipſe ſicut ab æterno præviſum erat, in ſuſcepta carne pro nobis fuerat impleturus. Inquit porro ſcriptura, quæ paſſionis tempore in Chriſto ſitiente conſummanda erat: Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto. Pſalm. 68. Sitis Chriſti compaſſione animos audientium movet, ſi ſitivit in corpore, pro ipſoque clamavit. Sed nec videtur, quod clamaverit pro auferenda ſiti corporea, qui omnem compaſſionem ad ſuum corpus diruperat, & ſibi erat omnino incompaſſibilis factus, ut etiam ad mortem voluntariè feſtinaret. Non eſt fas credere corporis quæſiviſſe fomenta, qui ipſum tam promptè tradebat in mortem. Sed nec à veritate abſonat, ſi ſitivit, eùm multis agitatus moleſtiis, etiam ſitis paſſibilitatem aſſumpſit in carne cum cæteris ad cumulum paſſionis, & in teſtimonium

(Margin references in the second column: Matth. 27. beside "Eliam vocat iſte. Et videamus an veniat"; Joan. 19. beside "dicit: *Sitio*.")

nium aſſumptæ carnis. Sed hoc à veritate omnino diſcrepare videtur, quod ad refocillandam ſitim ipſe ſitio dixerit, ſed fortè vox illa enunciavit, quod patiebatur, non quæſivit remedium. Admiratione magis attollimur, & introvehimur in majora ſecreta, quòd Verbum corpori competens animæ commodavit, & expreſſit per corporis vocem vehementem animæ ſuæ noſtræ ſalutis affectum. Sciebat enim ſalutem omnium animarum. Ab æterno enim Deus creare homines & ſalvare diſpoſuit. Et non ex accidenti, quia Deus erat, ei ſitis affuit animarum, non enim accidunt accidentia creatori, ſed quod erat æternum, atque ſecretum, humanitus Filius modo ſitivit in carne tempore paſſionis, videlicet quando celebrata ſunt myſteria noſtræ ſalutis. Nec decebat tale deſiderium alio in tempore aperiri, niſi eo tempore, quo redemptionis noſtræ pretium per mortem & ſanguinem ſolvebatur, quanquam figuris & ænigmatibus ſæpe in teſtamento veteri ſit oſtenſum, propheticque revelatum. Mirum ergo, quòd fons ſitit, omnium aquarum redundantia, ſitit, qui omnium ſitim venerat tollere,
Joan. 4. patitur, quod ab aliis volebat auferre. Invitaverat ipſe mulierem de Samaria, ut ab ipſo expeteret aquæ ſcyphum, ne ſitiret in æternum, & nunc patitur ſitim, non niſi quia caput noſtrum pro nobis ad patrem, ſitio altè clamat. Pro nobis omnibus loquitur, ſe ſitire conteſtans velut caput pro membris. Et deſiderium, quod humanum genus habet, aut habere debet, ſalutis propriæ ipſe Chriſtus expreſſit in cruce. Et ſitim exprimens, ſitim à nobis expoſcit, ut ſi nos ſitit, & nos ſitiamus ad eum. Hoc
Pſalm. 41. enim Pſalmiſta prædocuit: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini. Necnon Chriſti ſitis aſpiciebat in mortem, ut etiam mori pro humano genere vehementiſſimè affectaret. Et illius ineffabilis deſiderii vox illa, ſitio, erat indicium, quo voluntatem paternam citò perficere nitebatur, quæ in id ex ſua paſſione tendebat, ut confunderetur inviſibilis Pharaonis imperium, ut expoliaretur ex præda, quam non ſua probitate, ſed aſtutia & humana fragilitate tenebat. Non enim hominem ſeu humanum genus congreſſu belli ſeu probitate devicit, non juſta lege certandi. Porro improbus prædo expoliandus erat, quod deſiderabat expolians. Ac etiam in reformationem deformatarum imaginum illud deſiderium ferebatur, ut reformaretur, ad quod formatæ tempore creationis extiterant. Proprium eſt bene inſtituentis magiſtri ad bona inſtaurantis non quieſcere, niſi reſtauret, ſi deperit aliquid ex eventu. Et ſolicitorum nunciorum eſt deſiderium, quouſque in mente perficiant. Acceperat in mandatis à patre Filius æternus in tempore nuncius, ut revocaret errata, reſtauraret deperdita, & altæ manſiones replerentur in ſuperis, ex imis atque depreſſis, & convenirent in unum beatificum finem multitudo civium ſupernorum, & laborioſè peregrinantium hominum. Hæc ſiquidem Chriſtus jam moriens ſitiebat. *Vas ergo poſitum erat aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.* Matth. 27. Marci 15. Lucæ. 23. Joan. 19.
Vas paratum erat plenum aceto, & fortè propriè acetabulum erat ad paſſionis augmentum, ex certa malitia magis, quàm caſu fortuito. Illi verò ſpongiam impleverunt aceto. Hanc enim ipſi detulerant ſerioſa impietate, quam ſic paratam habebant, ut nec ad civitatem recurrere foret opus, quæ ſua proprietate oſtendit quales erant, qui in ejus paſſione convenerant. Cavernoſa enim eſt, & ex omni ſe, cùm immittitur, imbibit illa liquores, ut intus & extra appoſitis madefiat ipſa liquoribus. Sic enim erat Judæorum damnata conditio, ut intus & extra contra Chriſtum amaritudinis pleni eſſent & cavernoſi ad ſuſcipiendum inviſibilem regulum, & adverſus Chriſtum malignitatis omne commentum. Herba verò appoſita, ſcilicet hyſſopus, amariorem potum effecit. Quàmvis enim medicinalis ſit, amaritudinem habet in guſtu, maximè aceto permixta. Et aſperſorium aquæ fieri ſolebat ex hyſſopo, ut ex ſpongia ori apponeretur potus, & ex hyſſopo aſpergeretur per deriſionem aceto etiam Chriſti vultus, quaſi hominis ex labore ſudantis. Quod autem Matthæus Evangeliſta expreſſit: Et continuò currens unus ex eis, acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere. Similiter & Marcus in hora cum Joanne, & actione concordat, dicens: Currens autem unus, & implens ſpongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei. Veritatem hujus ſævæ potationis inſinuat. Attollebatur Chriſtus à terra per crucem, ut etiam opportuna eſſet arundo ſeu calamus, ad offerendum potum ori ejus. Cùm arundine percuſſum eſt Chriſti caput, & cum arundine offertur ſibi potus amarus, ut in omnibus oſtendatur Judæorum & torquentium Chriſtum omnium, bonorum omnium tota vacuitas, & eorum ariditas à virtute, necnon ex ultione citò futura. Nam ab ariditate nomen ſumpſit arundo, ut inſtrumentum

hoc paſſionis mala ſignificatione atque præſagio, malè agentibus omnino conveniat. Calamus calamitatem inſinuat, qua nulla major, quàm non impleri de Chriſto, aut de ipſo per delictum vacuum fieri. Vacui enim in interioribus eſt arundo, & præciſa citò areſcit. Sed intenta contemplatione legentibus in dubium vertitur, an ſemel tantùm ſeu bis Chriſtus fuerit amarè potatus, nam ex Matthæo & Marco bis Chriſtum potatum legimus, ſemel antequàm configeretur in cruce non petentem, & iterum circa horam nonam, cùm ſecundùm Joannem clamaret ſe ſitientem. In prima, cùm guſtaſſet, noluit bibere, in ſecunda verò dicitur: Cùm accepiſſet JEſus acetum, &c. In prima vinum myrrhatum cum ſelle, in ſecunda verò tantùm acetum exprimitur. Proinde Mathæus de prima potatione dicit: *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgatha, quod eſt calvariæ locus, & dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cùm guſtaſſet noluit bibere.* Et ſtatim ſequitur: Poſtquàm autem crucifixerunt eum, &c. De ſecunda verò poſt quatuor voces à Chriſto emiſſas, cùm in quinta voce ſecundùm Joannem dixiſſet: Sitio, idem Mathæus intulit: *Et continuo currens unus ex eis, acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere.* Similiter & Marcus, ut dictum eſt. Cur ergo iſti duo Evangeliſtæ bis potum commemorant, niſi quia bis aſſerunt Chriſtum potatum? Nec obſtat anticipativa locutio, ſicut Evangeliſtæ ſæpe faciunt, ut prius aliquid enuncient, poſt modicum ſerius cum interpoſitione etiam geſta declarent. Non enim expediebat, ut de una modica & brevi actione fuiſſet locutio bipertita, niſi bis fuiſſet actio ipſa repetita, maximè de myſterio paſſionis, ubi velociter omnium evangeliſtarum ſermo percurrit, ut nullius actionis repetant ſemel dictum, niſi actio ab authoribus repetatur. Nam ſi tantùm circa horam nonam potatum aceto credimus, quæ fuit iſta neceſſitas, ut illico cum Chriſtus pervenerit in locum crucifixionis, ante omnia potatum ſelle, myrrhatoque vino Evangeliſta commemoraret? Marci, 15. Quod & Marcus idem dicit: *Et perducunt illum in Golgatha locum, quod eſt interpretatum calvariæ locus, & dabant ei vinum myrrhatum bibere, & non accepit.* Et ſtatim ſequitur: Et crucifigentes eum, &c. Et crucifixione, veſtimentorum diviſione, deriſionibus & deluſionibus principum, & ſacerdotum, militum atque latronum, tenebris interpoſitis, iterum circa horam nonam clamantem atque ſitientem, alius Evangeliſta non aſſerat aceto potatum eſſe. Sed non immeritò de hoc creditur ſicut de geſtis & dictis aliis Salvatoris, aut quod unus omiſit, alter dixit, & unus dixit quod alter omiſit. Et ex hoc textus Evangelii veritate inſpecta colligitur, quod de prima potatione ubi vinum myrrhatum commemoratur & fel, Matthæus & Marcus dixerunt. De ſecunda, in qua tantum acetum offertur, etiam Mathæus & Marcus, Lucas & Joannes explicitè diſſerverunt. Et ſic illa ſcriptura conſummata credatur: Dederunt in eſcam meam fel. In prima Pſalm. 68. videlicet, quando ipſi non expetiti, nec Chriſtus ſe adhuc ſitire clamaverat: Et in ſiti mea, ſcilicet, cùm ſitio dixit, potaverunt me aceto. Acetum fuit natura vinum, ſed alteratione aceſcit, & amarum efficitur guſtui, cui dulcia ſæpe placent. Sic enim homines natura boni ſunt, ſed fiunt ex horrendis affectibus & corruptis moribus peccatores, & aceſcunt, ut etiam divino palato ſint amari. Veruntamen, ſi bis hoc factum, & ſemel dictum, aut bis dictum & ſemel factum legamus, atque credamus, à me hoc in loco bis diſſertum eſt, ad oſtendendam acerbitatem dominicæ paſſionis, & crudelitatem humanæ iniquitatis. Quid autem de hac re tenendum, me atque cæteros tenori Sanctæ matris eccleſiæ recommitto, quæſtiones & pugnas, & dubia in meis operibus omnino devitans. *Cùm ergo accepiſſet JEſus acetum, dixit: Conſummatum eſt.* Joan. 19. Prædixerat Apoſtolis ante Salvator: Et con- Lucæ. 18. ſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt de Filio hominis. Conſummata ſunt omnia, quæ prædixerunt eum, quæ nuciaverunt Chriſtum venturum, naſciturum pro nobis, converſaturum nobiſcum, & pacturum, dicturum, paſſurumque tanta etiam pro nobis, & mors ſtatim ſubſequitur, in qua cauſæ redemptionis noſtræ myſterium conſummatur. Conſummatum eſt vita Chriſti ſecundùm placitum ſui patris. Im- Geneſ. 1. pletum eſt paternum imperium, perfectum eſt filiale obſequium. Adimpletum eſt deſiderium patrum, deſtructum eſt dæmonum Dominium viulentum. Conſummavit, ut primus recitat prophetarum, creator omnium Deus omnia opera ſua die ſexto, & die ſeptimo requievit. Sic Chriſtus in cruce ſexto die omnia opera recreationis perfecit, & requievit ſabbato in ſepulchro. Perfecit Noë arcam in cen- Geneſ. 6. tum annis, quam uno conſummavit in cubito, ut in eo genus humanum ſalvaretur, ibi duntaxat octo animabus reſervatis. Conſummavit Chriſtus in cruce ſalutem totius humani generis, ſi merito juſto

fuiſſet

fuiſſet accepta in præcedentibus cunctis, ſimiliter & ſuſcepta in ſequentibus ſingulis. Quàm ſalutem in cruce, velut Noë in arca, & crucem & paſſionem aſperam in unitate fidei conſummavit. Et conſummatio conſummationi appoſita eſt in cru-
Pſalm. 7. ce. Prædixerat autem David: Conſummetur nequitia peccatorum, nunc verò conſummata eſt, quoniam nulla major nequitia, quàm Dei Filium interficere, & zelum legis inflectere ſuper quempiam innocentem. Sed quod crediderunt, penitus nequiverunt, nam ſi mortuus ſemel ex carne, vivit in æternum ex virtute Dei. Sed nihilo minus conſummata eſt nequitia peccatorum. Non enim humana ſeu malorum nequitia poſſet in pejora prohiberi, necnon in omni peccandi genere hominum malitia patefecit, & nihil eſt mali, quod prætereient delinquendo, ut præter omnia illa ſenſibilia & ſpiritualia mala, quæ in miris modis aguntur, etiam uſque ad negationem Dei, colendo idola & ſimulacra cœleſti militiæ utque ſidereæ cultum Deo debitum exhibuerit, prout Dei bonitate perfecta, ubi nequitiæ conſummatio facta eſt, ibi facta fuerit & juſtitiæ, ut Chriſto patiente atque moriente ſit conſummata nequitia, non per terminum peccatorum, ſed per exceſſum malorum ope-
Jacob. 1. rum. Ita per Chriſtum eſt conſummata juſtitia in opere redemptionis humanæ per paſſionem mortis atque pœnarum. Nam ſicut peccatum, cùm conſummatum fuerit, generat mortem, ſic mors Chriſti, cùm conſummata fuit, deſtruxit ipſa peccata æternam generans vitam. Unde Chriſtus cum ſcripturis conſona voce clamat: Conſummatum eſt, ut eodem tempore atque myſterio ſit nequitia per exceſſum, & juſtitia per Dei Filium conſum-
Pſalm. 118. mata. Quòd ipſe David Spiritu prophetico longè ante ſe vidiſſe proteſtatur, dicens: Omnis conſummationis vidi finem. Multas novimus conſummationes, ſed tantùm illas, quas orthodoxa intendit eccleſia intendamus. Conſiderat alma mater eccleſia conſummationem nequitiæ, quam abhorret, à qua omnibus filiis ſuis dat cautelam, & interminatur jugiter, ne committant. Conſiderat conſummationem juſtitiæ, per quam ſalvari ſe gaudet, & omnibus ſuadet, ut diligant. Conſiderat pœnarum æternarum conſummationem, quam metuit, quam filiis ſuis ſub terrore, ut devitent mala, proponit. Conſiderat conſummationem æternæ beatitudinis, cui peregrinando ſuſpirat, quam ſuis alumnis, ut bona perficiant, ſub fideli pollicitatione oſtendit. Et conſummationem hujus Sæculi conſiderando expectat, uſque ad quam militando inviſibilibus, & viſibilibus bellis, & velut in marinis fluctibus agens, Dei Filium ducem & defenſorem, gubernatorem & bonorum omnium largitorem ſe habere gratulatur. Horum omnium conſummationum finis eſt Chriſtus, conſummationem quamlibet diverſimodè à ſe agens. In ipſo conſummata eſt nequitia per exceſſum, cùm occiditur. Ipſe ſemetipſum fecit noſtram juſtitiam, cùm injuſtè damnatur. Ipſe pœnarum æternum habet judicium, quoniam pater omne judicium dedit filio. Ipſe quæſivit pro omnibus gloriam ſempiternam, ut nullus damnetur, niſi quem ipſe deſpexerit, nullusque ſalvetur, niſi quem ipſe reſpexerit. Ipſe conſummationem faciet Sæculi, qui fuit judicatus in Sæculo. Hæc ſiquidem ſunt merita paſſione ejus, in qua exiſtens in cruce, corpure velut in alto loco ſuperlato hominibus exclamat, dicens: Conſummatum eſt. Apoſtolus etiam ad Hebræos pro parte in hanc coincidentiam venit, cùm ad Hebræos ait: Hebr. 2.
Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, actorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare. Ut autem hæc conſummatio, de qua Chriſtus in cruce loquitur, mentibus fidelibus inclareſcat, altius intendamus ad prophetas veteres recurrentes. Ad quos, cùm ſcriberet Hebræis, recurrit Apoſtolus, quanquam Hebr. 8.
permodicum aliter in propheia & in Apoſtolo, aliter litera ſonare videatur, ſed ſenſus potius quàm litera capiendus eſt. Inquit enim Apoſtulus dictum recitans Jere- Jerem. 31.
miæ: Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabu ſuper domum Iſrael & ſuper domum Juda teſtamentum novum. Novum teſtamentum diſtinctum eſt à veteri in multa diſtinctione atque differentia, datione, loco, tempore, cauſa, ſacrificiis, ceremoniis, ſacramentis, obſervationibus, traditionibus, promiſſionibus, ordine, opere, dignitate, intelligentia, virtute, myſterio, executione atque fine. Quòd incœptum Chriſti vera incarnatione peractum Chriſti nativitate, vita, doctrina, promiſſione, teſtimoniis & miraculis, ſacramentis & paſſione pœnarum & mortis conſummatum. Nam ipſe ibidem idem Apoſtolus ait: Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioqui nondum valet, dum vivit, qui teſtatur. Quamobrem Chriſtus clamat moriens, quòd teſtamentum novum conſummatum ſeu confirmatum eſt ſua morte inter-

intcrcedente. Nam in veteri lege diſpoſirio & confirmatio teſtamenıi erat in ſanguine, & indulgentia & remiſſio peccatorum, ut Levitici ſcriptura manifeſtat, & Apoſtolus aſſerit ad Hebræos. Sic & novi reſtamenti confirmatio ſeu conſummario à Chnſto facta eſt in ſanguine ſancto ſuo, melius clamante pro nobis, quàm ſanguis Abel, aut vitulorum, aut hircorum, & quorumcunque animalium veteris teſtamenti. Proinde, quoniam non in pluribus oblationibus placitum erat Deo, nec expediebantur à veritate peccata, ut purgatio digna eſſet ad regnum, una oblatione ſuiipſius ipſe Chnſtus omnia conſummavit, ut idem Apoſtolus loquitur: Una enim oblatione conſummavit ın ſempiternum ſanctificatos. Conſuetudo regum & procerum mundi eſt, impreſſione ſigni ſive ſigilli in fine appoſiti facere fidem ſcriptis, in quibus ſuis executoribus atque commilitonibus dona ſeu præmia largiuntur, & ex appoſitione illa conſummata fertur merita ſeu grata largitio. Ita & Chriſtus teſtamentum novum agendæ vitæ ſupernæque hæreditatis, crucis paſſione ſignavit, & confirmavit in illo contenta appoſitione ſigni aſperrimæ crucis, in qua voluntanè ab apparitoribus mortis ſe per-

Lucæ, 23. miſit affigi. *Et iterum clamans voce magna JEſus ait: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. Et hæc dicens, inclinato capite tradidit Spiritum.* Vox eſt morientis hominis & tranſmigrantis de mundo, qui derelictum in eorpore ad horam ſe à Deo eognoſcens. Dixerat enim: Ut quid dereliquiſti me? Ad ſuam animam ſe convertit, piè orans, ne derelinquatur in anima, in corpore derelictus, exemplum remittens ad poſteros, ut pro interiori homine deprecatio fiat, ſi exterior omnino

Job. 33. pari cogatur. Quod de jure juſtitiæ neceſſarium eſt eorrumpi, fruſtra ſit inter-

Hebr. 9. ceſſio ad ſervamen, & incorruptelam expetere protinus juſtitiæ derogaret. Job ſententiam oportet præhabere memoriæ, qua dicebat: Scio, quòd morti trades me, ubı domus conſtituta eſt omni viventi. Ac per hoc, ſi omnibus ſtatutum eſt ſemel mori, quid refert, quo jure, quo actu mors ipſa proveniat, cùm, quomodolibet homo moriatur, Debitum mortis, quo euncti tenentur aſtricti, exoluitur. Et pro re inevitabili ponere, ſi quas preces, eſt velle immutabile permutare. Videns igitur Chriſtns, quòd paterno decreto atque ſuapte ipſum decebat debitum mortis exolvere, ſciens, quòd cùm oraverit, ut obtineret carnis peritiones, & ut calix amariſſimus transferretur, & ſe pauloante clamaverat derelictum, ſe ad congruum & poſſibile cum precibus transſert. Scilicet ut Spiritus reſervetur à pœna, poſtquam corpus divino decreto in illa relinqueretur. Igitur more Chriſti non ex peccato paterno vel proprio, ſed voluntate morientis pro nobiſipſis interpellemus ad omnium Deum patrem, non ut nos eximat ab inevitabilibus malis, non à decreto neceſſariæ mortis, ſed ut præſervet à delictis atque peecatis, & ab æternis pœnis. Facilius enim eſt immunem fieri à peccatis, & æternè in inſeris non detrudi, quàm à temporali & inſtantanea morte ſervari. Sæpe nanque illa devitant juſti atque perfecti. Mori autem inevitabiliter omnibus eſt ſtatutum, ut etiam vıtæ author, mortisque deſtructor ab illa non eſſet exemptus, humana carne veſtitus & ſeneſcendo illam guſtaſſet, ſi per crucem non fuiſſet extinctus. Relinquatur ergo exterior cura corporis, nec præſumptio tendat in libertatem ab his, quæ utilia pro fine perfecto cognoſcimus, ſive ab his, de quibus immutabilem Dei omnipotentis juſtitiam autumamus. Præfixus eſt à Chriſto omnibus poſitis in agone modus orandi, ut non petamus, quod non eſſet daturus, aut velimus averti à nobis quanquam ſit aſperum, quod ad gloriam præparat, nec effugere, quod univerſali lege juſtitiæ omnem hominem multat. Eſſe viderentur omnino extra legem naturæ, qui ab ejus univerſali gaudio vel tormento invenirentur exortes. Intervehamur à nobis in nobis, & abjecta corruptibili carne, pœniſque deſpectis, noſtra intima altiſſimo commendemus. Et facti per omnia Chriſtiformes, mundo mortui propria voluntate, mundo quotidie aut in puncto morientes neceſſitate naturæ punitæ, animam attollamus ad Deum, offerentes illam ſibi cum precibus, ut præſervet à malis. Ignoramus animarum noſtrarum vehicula, & quas ingredientur vias omnino neſcimus, nec aſpeximus aliquando receptacula, in quibus recipientur terminata vita proclivi, hoc ſolùm penitus reſtat, ut ipſas viventes & in extremis poſiti, factori earum in ſimilitudine ſua humili ſupplicatione tradamus. Nam corpus non habet vivere propter ipſam, quod cùm ipſa ſenſibilem vitam accepit, habet autem anima vivere propter eorpus, quamvis in illo, cùm infunderetur, proprium eſſe ſuſciperet. Quid ergo curæ nobis quomodo jaceat, aut ubi relinquatur corpus exanime omni deperdito ſenſu? Ad quid ſolicitudo ſuperflua quid toleret, ut moriatur, cùm omnino inevitabiliter mori cogatur? Sed ad Spiritum præintendere

tendere neceſſarium ſit, qui ſempiterna vita perfruitur, & nulla extinctione finitur. Atque non credamus Chriſtum pavefactum ex pœna pro culpa patri ſuo animam commendare, nam immunis à culpa non abſterrebatur à pœna, ſed per omnia ſe proteſtatus eſt hominem recognoſcere Deum patrem, etiam in extremis ſive ultimis conſtitutum, ut in mortali corpore non amplius loqueretur, quia inclinato capite patri tradidit Spiritum, quem commendaverat. Et omnibus fieret luce clarius, quod verus homo eſſet, qui ſic fuit occiſus. Similiter & moriendi exemplum cæteris dereliquit. Nam in illo congreſſu, ubi dolor tam acerrimè cum natura divellit, quod mors ſenſum penitus adimit, nil aliud potioris aut talis habemus refugii, niſi ut animam tanta dignitate creatam, tam altè, pieque redemptam, inhæſitanter Domino commendemus, qui ſolus potens eſt hoc depoſitum incolume conſervare. In altiora vehitur animus, cùm legimus Chriſtum patri Spiritum ſeu animam commendaſſe, quia nulla dominabatur adverſitas, quem nulla gravabat iniquitas. Et quod agebat aut dicebat ad ſeipſum & pro ſeipſo non erat neceſſitas, ſed voluntas. Ac per hoc magnum latet in hac commendatione ſecretum. Erant nempe in anima Chriſti unita per omnia deitati, ſcriptæ tota notitia omnes animæ de ſuo ſanguine redimendæ, quas, ut animam ſuam ad gloriam diligebat, pro quibus in lachrymis & clamore valido exauditus eſt pro ſua reverentia. Quas ſuam animam patri commendans, in ipſa omnes patri altiſſimo commendavit. Et omnes ſalvandas animas velut ſuam unam animam fecit, de qua patri dixit, commendo Spiritum meum. Facit enim veriſſima charitas, quod alterius eſt eſſe ſuum. Proinde ſupereminens charitas Chriſti omnem ſalvandam animam, ſuam animam faciebat. Sed nec obſtat, quod animam protulit nomine Spiritus, quoniam utroque nomine anima in ſcriptura ſortitur. Nec credamus Spiritum Sanctum in hoc nomine Spiritum, ſed Spiritum, qui eſt anima, Domino commendaſſe. Reor autem pia fide caput hic oraſſe pro corpore, caput verò & corpus perſonam faciunt unam, cujus eſt anima una. Senſu igitur hujuſcemodi Chriſtus orat, velut corporis eccleſiæ cum ipſo capite Chriſto eſſet anima una ſeu Spiritus unus, ut amoris ejus vehementia, unione charitatis & fidei, ſacramento myſterii dicat Chriſtus patri de ſpiritibus omnibus ſibi adhærentibus in veritate, quaſi de Spiritu uno, commendo Spiritum meum, quoniam dicente Apoſtolo: Qui adhæret Deo unus Spiritus eſt cum eo. 1. Cor. 6. Velut ſcedula quædam rationalis & viva omnes prædeſtinatos ſcriptos habens, anima Chriſti fuit commendata patri, ut non pro continente fuerit emiſſa oratio, quia jam ſalvus erat, comprehenſor autem fuerat à conceptionis inſtanti, ſed pro contentis emittebatur, ut paſſionis ſuæ & mortis meritum hoc haberet, ut quos anima Chriſti præteritos, præſentes in tunc atque futuros dilexerat, ſalvarentur. Nemo autem ſuſpicione aliqua moveatur, ſi prædeſtinatio ab æterno immutabilis eſt, ad quid Chriſtus ſuſtinet paſſionem, ad quid pro his prædeſtinatis orationem duntaxat effundit, cùm reprobati neque paſſionis neque orationis poſſint pro æterna vita eſſe participes, quoniam prædeſtinatio ſic extitit ab æterno proviſa, ut Chriſti Dei Filii humanatione, vita, paſſione, oratione, morte, non aliter compleretur. Hac voce altè, lateque diffuſa, emiſit Spiritum ſeu expiravit, aut inclinato capite tradidit Spiritum. Quoquo modo dicatur, poteſtatem inſinuat morientis, quoniam non neceſſitate aut violentia mortuus eſt, ſed voluntate propria & poteſtate animam emiſit à corpore, ipſamque licentiavit ad tempus, & corpus remanſit exanime, exiſtente tamen deitate per veritatem unionis in utroque diſtincto, ut nequaquam credatur deitas cum anima deſeruiſſe corpus, aut quod ſolùm eſſet in corpore anima derelicta, ſed cùm anima fuit in limbo, cum corpore in patibulo atque ſepulchro, ſolum animæ à corpore, à neutro autem fuit in illa morte celebrata diviſio deitatis, ſiquidem infinitas hoc agebat, ut duobus diſtinctis, unitis ſive diviſis inſeparabiliter uniretur. Sed moriens clamat valide, potentiam ſuæ virtutis oſtendens. Et quanto dolore, quantoque amore de nequam Sæculo recedebat, quem mundus nullo pacto cognovit, oſtendit. Clamor ille doloris magni fuit indicium. Etenim ſive confixus fuit in corpore, in mente autem confodiebatur ſævius ab ingratis. Et anima illa pro omnibus dignis primis, & omnibus dignis cæteris doloribus agebatur duntaxat pro omnibus ſatisfactura patri, ex doloris vehementia, qua æquabat, imo excedebat digna & exceſſiva compenſatione patefacta cunctorum. Impellunt ſæpe homines altiſonè clamare dolores. Amor idipſum agit, ut prorumpat in vocem, & eo clamitoſam, quo interius angit. Ineffabili amore perfundebatur anima Chriſti, quia juſſa paterna compleverat, uſque ad mortem factus obediens,

quia liberabat una morte ſua innumeras animas mortuas in peccatis de illa poteſtate tartarea, ſub qua tenebantur invitè, cæteriſque claudebatur aditus, ne iterum introirent, ſi ex fide venirent in meritum paſſionis. Quanto perfundebatur amore, quantoque gaudio in pœnis etiam moriens exultabat anima Salvatoris, quod tot ſibi per mortem adſciverat animas, quas Deus creaverat in ſimilitudine ſua, in plenitudine temporis factus in ſimilitudine noſtra, quas etiam diligebat ſicut ſeipſum majore virtute præcepti, quo dictum eſt proximum velut ſeipſum à proximo debere ddigi. Nempe Chriſtus animabus omnibus proximus factus eſt curans vulnera noſtra, & infundens deſuper miſericordiæ oleum & juſtitiæ vinum, ac etiam ſuo ſanguine Sancto ſanans, & omnem fidelem animam ſibi proximam fecit, non noſtro merito, ſed ſuo dono. Proinde amans exultat, & exultans ardenter amat, quod tot proximis moriendo ſubvenit. Et mirum auditu, ineffabile dictu, incomprehenſibile cogitatu, quod unus homo eodem tempore ſimul & ſemel ſit beatus & miſer, triſtis & gaudens, amans & dolens, ut ex eo, quod dolebat amabat, ex eo amabat, unde dolebat. Dolens mori amabat, amans moriebatur, moriens exultabat. Inclinabat caput, magnum myſterium innuens in rebus præteritis & futuris. Erecta cervice cummiſſum eſt, unde multatus eſt. Et ſublevata ſuperba mente agitur, unde contemptus eſt. Proinde moritur vice verſa inclinato capite. Qui caput inclinat, ſubjecta oculis reſpicit. Et Chriſtus vultum declinavit ad terram, ex qua ſecundùm carnem ſumptus erat. Et erat in illa condendus, quanquam non reſolvendus in pulverem. Sed non credamus terram iſtam, quæ pedibus ſubjecta calcatur, Chriſtum Dominum aſpexiſſe, ſed defixit vultum ad ima ſicut maleſciens mundo ſeu turpiter licentiatus ab impiis, & aptitudinem faciens hominis ſic morientis. Et caput inclinavit in morte, in expiationem erectionis ad vetita. Et ſuaſit obedientiam, reverentiam docuit, humilitatem in operibus uſquequaque monſtravit, cùm omni peracto myſterio, inclinato capite expiravit. Sed quomodo expiraverit non aliter credimus, niſi ut voluit, & potuit. Et potuit, quod voluit, & voluit ſanè, quod potuit, quod vera perſeveratione perfecit. Cui autem tradidit Spiritum capite inclinato? Æterno patri, cui commendaverat, ut non ſolùm in corpore, ſed à corpore ſeparatus ejus Spiritus eſſet obediens, Etenim decreto paterno deſcendit ad limbum, & reverſus ad tumulum reanimavit exanimatum. Ecce novum factum eſt bellum in orbe terrarum, inſolituſque triumphus, inuſitata victoria, in multorum præſagium ſimilium futurorum, magis autem in noſtræ redemptionis effectum. Factus eſt inter cœleſtem ducem, Dei ſcilicet Filium in carne natum, & illum primo inobedientem cœtum inviſibilis, ſævuſque congreſſus, ubi omnino diſpariter atque difformiter certatum eſt. Et ictus bellorum incomparabili diſſimilitudine ſunt infixi, cùm prælium committeretur in cœlo ſuperno inter creatorem & intelligentias ſeparatas à ſe creatas. Quarum altera pars in Deum, altera duntaxat in ſeipſam aſpexit, in ſeipſa, & à ſeipſa, & per ſeipſam ſuo arbitratu divino remoto vivere volens, rebellavit actori in ſeipſa malè intruſa, & à deliciis æternis meritò ſuæ iniquitatis excluſa, juſtè conflicta, miſerabile irrevocabiliter tulit exilium, altera parte cum victore Deo beatè imprædabiliter remanente. Ibi nihil corporaliter, & ſenſu forinſeco geſtum eſt, incorporeus enim Deus de incorporeis ſubſtantiis, quas creaverat, in corpore triumphavit. Sed ſuperbia odientium Deum ſemper aſcendens, tetros exagitavit conflictus, ut quia Deum exiſtentem æternè non vicerant, cum homine jam creato, in illa ſuperiora unde ruerant tendente, ne contingeret omnino inirent congreſſum. Invidia verò ubique comes ſuperbiæ, igne impellente de ſub cœlo in paradiſi loco, ſubdolum atque breve commiſſum eſt bellum, ubi exhibita eſt deceptio in figura, cùm non illa inviſibilis, quæ decepit, ſed ſerpentina, in qua decepit oſtenſa eſt. Et quanquam nihil per violentiam ageretur, tamen per deceptionem, & fucationem Verborum conflictus à Deo juſtè homini dedit injuſtè in paradiſo conflictum, infligens omnis generis mortem, ubi purè ſpiritualis in aſſumpta forma corporea cum mixta creatura certavit. Ex quo per Verba malè ſuadentis, per tactum malè ſuaſi jam inobedientis, in anima & corpore juſta eſt ſecuta damnatio. In plenitudine verò temporis creator certantium, certaminumque judex carne veſtitus, cum Spiritu creato rationabili, à carnis velamine non oppreſſo, venit habere congreſſum. Et mirum in modum moriens triumphavit, percuſſus corpore vulneravit in Spiritu, plagatus ab hominibus plagavit dæmones, dolens vincebat, patiens ſuperabat, derelictus debellabat. Inviſibile bellum erat ex parte certan-

certantium, ſenſibilia & viſibilia erant vulnera ex parte miniſtrorum, & deifici corporis talia patientis. Proinde corpus exanıme reliquit in cruce velut ſcutum in alto poſitum, ut viderentur ſtigmata in utriſque bellorum. Inclinato verò capite liberum & victorioſum cum ovatu æterno patri tradidit Spiritum, non ut in illo inſtanti aſſumeret in ſuperna, ſed ut ad ejus placitum ad illa inferiora deſcenderet, ubi pia illa & antiqua familia tenebatur incluſa, ut tolleret illam pro ſpoliis & manubiis pro victoria, quam fecit per articulum mortis. Ac per hoc quid hoc bello mirabilibus, in quo triumphavit mortuus, ſpolia reportat occiſus, confligitur vivus, fugit, qui mortis exhibuit ictus? Quis unquam ad primum exiſtimare poſſit, ut dux quia mortuus daret victoriam, etiam exercitui non certanti? Aut quid à carne pertuſa & occiſa Spiritus illi damna paterentur virtute corporis vulnerati? Quis unquam audivit, quòd Spiritus non à ſibi unita carne atque mortua vinceretur? Non enim potentia deitatis in hoc certatum eſt: Nam ſi ſic, ſuperflua fuiſſet carnis aſſumptio. Non attigerunt in illo bello deitatem inflictæ paſſiones, quamvis anima voluerit pro nobis portare dolores. Non enim potuerunt illi hoſtes invidi Chriſti animæ inferre triſtitiam, quamvis ab eis malè ſuggeſtis miniſtris permiſſum fuerit, in corpore poſſe facere jacturam. Nec redemptum eſt genus humanum ex morte animæ Chriſti, quæ non fuit, nec ex paſſione deitatis, quæ eſſe non potuit, ſed ex morte corporis, quod ſuggerente diabolo manus ſæva confixit. Sanguis ſervatus, non fuſus conſuevit hominibus dare victoriam, hic verſa vice peragitur, ut ſanguis effuſus innoxius in duce victoriam pigris etiam commilitonibus præſtet. Quid enim, quòd infirmitas Dei virtutem atque firmitatem diaboli uſquequaque ſubvertit? Sed auſus fuit Apoſtolus dicere: Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.
1. Cor. 1. Audacter protinus addam: Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt dæmonibus. Libet igitur exclamare: O! animata infirmitas, quæ moriendo ſupra naturæ potentiam reanimavit mortuos. O! beata imbecillitas, quæ præter uſum beatificavit & miſeros. O! carentia humanæ potentiæ, quæ omnibus ſupernaturalis potentiæ atque virtutis copiam fecit. O! debilitas derelicta, quæ per diſpendium mortis omnibus æternæ vitæ directicium dereliquit. O! effectio egens, quæ cunctis abſtulit egeſtatem. O! fatiſci formationum, quod fatiſcentibus attulit firmitatem. O! gangrena gemens, quæ gemitum mortis venit auferre. O! hebetudo hærens, quæ ſupernam hæreditatem venit omnibus hebeſcendo conferre. O! jactura gravis, quæ ſic ſubvenit omnibus jacturam paſſis. O! labeſcens lux ex pallore, ſedentibus in tenebris interlucens. O! mors mortem vincens, facta omnibus vita vivens. O! natura naturans, omnia jure perfecto ſemel introfacta pro redemptorum vita perpetua. O! obeſans obes obici nobis morti, ne maneret æterna. O! palmaris pallor, per quem palmes pallens æterno vigore viget. O! qualitas inviſa, o! quantitas infinita, per quam qualificatur inæqualis, & parvus ſumma quantitate refulget. O! Oratio ſic rauca, quæ peccato raucis tribuit jura loquendi. O! ſapientia ſtulta, quæ per ſtultitiam crucis credentes voluit ſalvos fieri. O! tabeſcens tabes, per quam color gratiæ redditur pro natura. O! tapinoſis oſtenſa per mortem, per quam exaltatur oppreſſus, & actio ſuperba confunditur. O! Thaumatus moriens, per quem mira facta ſunt omnium excedentia ſenſum. O! Theos, occumbendo theoſians homines. O! titan æterne, patiens eclipſim ad horam, à te creatam titanem in tui quadam ſimilitudine formans, ut credentibus piè titan eſſes æternè. O! Vappa, o vapidus ſic reputatus ad horam, ut invenires deperdita, maloſque à malitia propria liberares. O! veſanus ad horam, veſpera veſperaſcens in hora, morte ſanans, quod infirmitas antiqua premebat, & feciſti tuis occaſu ſævæ mortis veſpere cum mane diem æternum unum. O! vox alta moriens, quæ omnem ſponte revocavit errantem, inſtruxit ignarum, & prærogavit omnibus viam morum. O! xenodochius homo, qui peregrinos homines per mortem diſponebas in ſupernam colligere civitatem. O! hygia, quæ ut omnibus dares quod es, in ligno infirmare voluiſti. O! zelus, tam zelans honorem paternum, zelans juſtitiam veram, zelans qui propter complendam redemptis domum Dei æternam, à morte te comedi permiſiſti. O! coa, quæ in altitudine multiplicis vocis deſiviſti in mortem capite inclinato. In cujus lamentatione vel ſigno *velum ſciſſum* Matth. 27.
eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum, & Marc. 15.
terra mota eſt & petræ ſciſſæ ſunt, & *mo-* Lucæ. 23.
numenta aperta ſunt. Jam ſole obſcurato manente, ſtatim CHRISTO mortuo,

tuo, ſigna plurima ſunt ſecuta, ut cogerentur homines perfidi credere ſignorum atteſtatione pro CHRISTO, qui ex ſua prædicatione credere noluerunt. Nam primum poſt CHRISTI mortem Evangeliſtæ ſignum aſſerunt templaris veli per medium ſciſſionem. Duo nanque vela in templo Salomonis ex hiſtoriis legimus, unum infra ambitum templi, quod protendebatur ab uno pariete uſque ad alium, quod velabat Sancta Sanctorum, & aliud quod in facie templi erat, quod ejus velabat januas. Quod alterum iſtorum aut utrunque ſcriptura dicente credimus eſſe ſciſſum, ad rependendam vicem, quòd CHRISTI faciem templi pontifices velaverunt, ut revelatis myſteriis umbriſque fugatis prioris teſtamenti, aperta luce fidei credatur in Chriſtum. Etenim omnium patrum ænigmata & oracula prophetarum revelantur, cùm morte CHRISTUS conſummatus eſt. Ex hoc protinus revelatæ ſunt ſcripturæ, quoniam

Lucæ. 24. oportuit pati CHRISTUM, non pro

2. Cor. 3. ſeipſo, ſed pro nobis, & intrare gloriam ſuam. Hinc & Apoſtolus in poſterum dixit: Cùm tranſieris ad CHRISTUM auferetur velamen. Sed ſciſſum velum in duas partes aperturam mediam fecit. Ubi pars, ibi etiam & velum, & ubi altera, ibi velum, pars & pars, velum & velum. Sciſſura ſiquidem media eſt, ſi in duas partes ſciſſum eſt. Pars una Judæorum eſt, quoniam adhuc eſt velamen in cordibus ipſorum Judæorum & ſuper faciem Moyſi, illorum ſcilicet, qui non tranſierunt ad CHRISTUM. Altera infidelium, qui non velamen Moſaicæ legis, ſed idololatriæ & infidelitatis ſuper ſe habent, & obſcuratum manet inſipiens cor eorum. Sciſſura duntaxat Chriſtianorum eſt, non mihi pars & pars, ſed ſciſſura neceſſaria eſt, per quam oculo fidei intueamur de CHRISTO revelata myſteria. Et nec ſciſſum dicitur ab imo uſque ſurſum, ſed à ſummo uſque deorſum, ut divina virtute deſuper dominante, non humana de imis agente, templi obvelatio, id eſt, ſecretorum myſteriorum revelatio ageretur. Ac per hoc non credamus inſciſſi veli partem & partem, ſed per ſciſſuram ingrediamur interiora velaminis, & luce clarius patebit, quòd quicquid actum noſcitur ab Adam uſque ad Chriſtum in perſecutionibus & peregrinationibus & laboribus juſtorum, hanc mortem unici Filii Dei pro nobis mortui oſtendebat. Et oſtenſiones factæ Moyſi cæteriſque prophetis, in hac morte ſciſſo velo revelantur. Remoto igitur velo ingrediamur Dei templum, & videbimus ſapientiam Salomonis in ædificatione templi militantis eccleſiæ, in ædificatione cœleſtis patriæ, ubi non auditur malleus tribulationis percutiens, non ſecuris mortis ulterius incidens, non aliquod ferramentum, quod poſſit inferre tormentum. Videamus intus & extra templum poſtquam remotum eſt velum, & intelligamus convenientiam cherubicam, ſcilicet duorum teſtamentorum per alas contemplationis mutuo ſe tangentium, & per alas protectionis parietes templi eos, qui ſaluati atque ſalvandi ſunt, & ædificandi tanquam lapides vivi ad compactionem parietum duorum, ſcilicet eorum, qui ex circunciſione venerunt, & eorum, qui ex præputio crediderunt in CHRISTUM. Prolixitas nimia nos teneret, ſi omnia myſteria templi vellem ſciſſo velo diſſerere. Sed ingrediatur in templum Marci. 27.

diſvelatum per CHRISTI mortem, ſi quis Sanctum otium novit. Terræ autem motus non immerito factus eſt, cùm terræ factor in carne moreretur, & examinaretur terra nobilior. Tremuit terra in datione legis, ad terrorem eorum, qui prævaricaturi erant. Tremuit moriente Chriſto, ut ſentiretur in univerſo terrarum orbe injuſtitia mortis ejus. Et eo corda hominum tremere debuiſſent, quo pro vita hominum author vitæ morte crudeliſſima plectebatur. Tremuit terra, ferre non valens, quod plebs Judaica ſuſtinebat. Tremuit velut pavens ad inſolitas actiones, in hoc transformans ſuo tremore omnium fidelium mentes, ut credant, & contremiſcant, quoniam pro injuſtis juſtus, pro impiis pius, pro peccatoribus Sanctus, pro hominibus in carne paſſus eſt Deus. Petrarum ſive Ibidem.

ſaxorum ſciſſio, acclamatio eſt rerum inviſibilium, quòd author vitæ injuſtè damnatur. Acclamaverunt Judæi altiſonantibus vocibus CHRISTI mortem, nunc verò petræ per ſciſſuras quaſi per aperta labia contra illos inclamitant. Et ubi homines in hac injuſtitia pro veritate tacent, ſaxa ſciſſa loquuntur, & ſuo modo provocant dura corda hominum, ut ſcindantur, & recogitent eum, qui talem pro omnibus ſuſtinuit paſſionem. Monu- Ibidem.

menta ſiquidem multorum ſunt aperta longè à remotis, & de proximo defunctorum, & apparebant illa jam reſoluta cadavera, conſumpta in pulpis, diſcompaginata in oſſibus, & fortè plura ſcatentia vermibus, & patebant omnium oculis intuentium,

tium, omni remoto deſuper poſito lapide ſepulchris, illis duntaxat exceptis, quorum cadavera erant integra, atque anima cum Domino ſurrectura. Sicque ſteterunt ab illa mortis hora, qua tremefaciens terræmotus intonuit, uſque in horam, qua Dominus ab inferis rediens, reaſſumpto corpore in corpore reſurrexit. Quæ quidem cùm Domino ſurrexerunt, & quæ Evangeliſta hic recitat, tunc fecerunt. Non autem credendum eſt, tunc Chriſto mortuo illico ſurrexiſſe, & poſt reſurrectionem intraſſe Jeruſalem, ut apparerent multis, ſed continuò Chriſto mortuo, motu terræmotus ſciſſa ſunt ſaxa, & aperta ſunt monumenta Chriſto reſurgente. Sic illa ſunt ſuſcitata, & poſt reſurrectionem jam uſquequo vulgatam civitatem intraverunt, & multis apparuerunt.
Ibidem. *Centurio autem & qui cum eo erant cuſtodientes JEſum, viſo terræmotu & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Verè Fi-*
Marci, 15. *lius DEI erat iſte.* Alius autem aliunde Centurionem exprimit admirari, dicens: *Videns autem Centurio, qui ex adverſo ſtabat, quòd ſic clamans expiraſſet, ait: Verè*
Lucæ, 23. *hic homo Filius DEI erat.* Alius etiam ſic aſſerit: *Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit DEUM dicens: Verè hic homo juſtus erat.* Centurio, qui centum præerat militibus, hic pavefactus intrinſecus, & jam ordinatus ad fidem, ex his, quæ agebantur exterius in religionem converſus ait: Verè hic homo Filius DEI erat. Arctabatur ex multis Centurio, ut diceret DEI Filium, quem ut hominem cuſtodiebat affixum. Nam ſolem contra naturam viderat obſcuratum, ut nulla ſolita ex lunæ interpoſitione judicaretur eclipſis, quoniam ſol in noſtro hemiſphærio in majori altitudine ſuæ ſphæræ degebat. Luna verò jam diem quartum decimum ſuæ revolutionis totum egerat, & è regione ſphærarum erat oppoſita ſoli, ut magis terra interponeretur inter ſolem & lunam, quàm luna inter ſolem & terram. Audivit ipſum Chriſtum vocibus altiſſimis exclamaſſe, cùm Spiritum tradidit patri, quod nunquam natura contulit homini continuo morienti. Senſit pertremuiſſe terram inſolito motu, quaſi non eſſet hominibus potentia in rectitudine ſubſiſtendi, ut etiam ipſorum, & equorum, quibus inſidebant, viderentur in diſſolutionem redire compages. Sed amplius concuſſa terra fuiſſet, amplius patientia mortis & ſeveritate, intolerantia ſævæ mortis, & conſtantia & firmitas memoriæ in his, quæ loquebatur, cùm indulgentiam expoſtulavit pro his, qui eum torquebant, & latroni paradiſum promiſit, & matrem non morte perterritus diſcipulo commendavit. Senſit terram non ſolùm trementem, ſed dehiſcentem in ſaxis, & antiqua & nova patefieri monumenta. His & aliis mente actus & valide tremefactus, dixit: Verè Filius DEI erat iſte. Aliquid fidei expreſſit, ſed in majori parte defecit, cùm ſub præterito tempore dixit, erat, quaſi crediſſet ſolutam eſſe per mortem DEI filiationem. Perfectum quid expreſſiſſet in fide, ſi dixiſſet: Verè Filius DEI eſt iſte. Non divina filiatio ſolvebatur per illam aſſumpti corporis mortem. Glorificavit etiam DEUM, qui ſic ſuum Filium in mortem tradiderat. Glorificavit Deum credens Deum, pœnitentia ductus quòd præſidi malè paruerat. Et dixit ore publico juſtum, quem tanquam injuſtum mortisque reum Judæorum ſæva turba damnaverat. Sic verò prolata connectenda ſunt Verba: Verè hic homo juſtus Filius DEI erat. Similiter & complices Centurionis tremefacti & admirantes dixerunt, & meruerunt indulgentiam, venientes in notitiam fidei merito illius orationis Chriſti, qua in principio crucifixionis dixit ad patrem: Pater ignoſce illis, non enim ſciunt
quid faciunt. Ecce magnum myſte- Lucæ, 23.
rium, quòd in nativitate Chriſti & in morte Judæos gentiles credendo præcedunt. Nam in nativitate prævenerunt magi, qui eum adorare ab oriente venerunt: In morte, Romani, qui ab occidente primitus crediderunt. Erat enim Centurio cum Centuria de militia Romanorum. Utrique tamen per ſigna moti ſunt, illi per lucem fulgentem, iſti per vocem altè in morte clamantem. Illi per radiantem ſtellam, iſti per tremulam terram. Illi per novum ſydus noviter illuminatum, iſti per antiquum ſolem mirabiliter obſcuratum. Talibus naſcendo talibusque moriendo ſignis decebat Dei Filium declarari, & infideles ad fidem veritatis adduci. Illi adoraverunt matre tenente puerum, iſti cum matre confeſſi ſunt Dei Filium: Illi dè proximo natum, iſti jam illico mortuum, ut orientales & occidentales & intermedii conveniant credendo in nativitate morteque Chriſti, ut credentes ſalvi fiant miſericordia ſumma DEI. Sed Judæi non dederunt confeſſionis vocem, quamvis mente tremerent, imo reliquerunt in cruce crucifixum, quem damnaverunt tanquam reum, & pertinaces nolebant ori confiteri, unde animo pungebantur. Unde ſequi-
tur: *Et omnis turba Judæorum, qui ſimul* Ibidem.
aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur.

A ſæculo, & usque in ſæculum non fuit tale ſpectaculum magnum, quòd tantus taliter moreretur. Spectaculum magnum, in quod deſuper Pater, de terris mater, angeli, dæmones, homines mortui & vivi, patriarchæ atque prophetæ, amici & æmuli varia intentione ſpectabant. Et percutiebant Judæi ſua pectora tremefacti, majora verentes pericula, non Chriſto fide uniti, ut poſtulantes indulgentiam devitarent. Percuſſio illa pectorum non erat emendatio, ſed ſolidatio ſcelerum, ubi per fidem non convertebantur ad Chriſtum. Et revertebantur ad domos, non autem ad ſeipſos. Revertebantur ad domicilium proprium, ſed non revertebantur ad Dominum. Percuſſi admiratione, perculſi ſtupore, admoniti ſignis, excitati prodigiis, nec provocabantur, ut converterentur ad Deum: nam ſi converſi, non reliquiſſent tale corpus crucifixum & facti fuiſſent animo conformes, cujus animo extiterunt exortes. Devota verò familia Chriſti, quamquam fragilis ſexu, amore crucifixo aſſiſtebat, excepta virgine, fide carens, & in animo timore perculſa dividebatur in ſitu, ut aliqua pars de prope, quæ adhærebat ardentius, aliqua de longè perſpectans aſtaret. Unde
Ibidem. ſequitur: *Stabant autem noti ejus à longè*, corpore ſcilicet, magis verò mente deficiente fide, in Deitate manente, quia de carne ſpiritus abceſſerat, ut non crederetur idem vivens & moriens Chriſtus, qui quamvis in anima & corpore divideretur ad tempus, Deitate ſemper idem exiſtens in nullo manebat diviſus. Longè à Chriſto fieri non ſpatiis, ſed infidelitate atque affectibus aut
Matth. 27. moribus contrariis efficitur. *Erant ibi mulieres multæ, quæ ſecutæ erant Jeſum à Galilæa miniſtrantes ei. Inter quas erat Maria Magdalena & Maria Jacobi minoris & Joſeph mater Salome & mater filiorum Zebedæi, & aliæ multæ, quæ ſimul cum eo aſcenderant Jeroſolymam.* Mulieres erant ſequentes magiſtrum, cui tanquam pauperi vitæ neceſſaria quibus egere voluit miniſtrabant de propriis facultatibus, ſperantes bonorum Chriſti & collegii ejus eſſe participes, & liberari à malis. Audierant non magnam eleemoſynam fore virtutem, & ipſam deberi pauperibus, non divitibus, ejus ratio juſtitiæ ſuadebat. Et etiam ſenſerant doctrina captata per aures, & omni experimento probabili ſummam in CHRISTO noverant paupertatem, cui nulla poſſeſſio, non aliqua domus, non cenſus ex lucro, non firmata vita ex ſtudio nobilium ſeu divitum amicorum. Et ipſe pauper magis ſumebat à pauperibus opem, quamvis, ſi divitem aut nobilem aliquem adiit, non ſtipem aut opem, ſed fidem auctionabatur. Necnon & hæ mulieres archimatrem Virginem verebantur, quam videbant ſuper omnes fœminas virtutum omnium claritate pollentem. Meritò hæc Virgo mater, quia mulier, ſequendi filium aliis mulieribus præſtabat audaciam. Sorores verò virginis ipſam ſequebantur poſt filium, congratulantes ei, quia tanta prole videbant ipſam ditatam nunc verò condolentes eidem, quia unico filio privabatur. Et etiam filios ſequebantur cum Chriſto, quos omnes videbant omnia reliquiſſe, atque Chriſtum carne propinquum vita & moribus ſequentes, quorum amor etiam alliciebat & matres, quousque per Spiritum Sanctum in ſpiritualem affectum purgatus tranſivit omnis humanus amor. Mixta erat cauſa ſequelæ in ſororibus Virginis, quousque deſuper Spiritus Sanctus earum animabus illuxit, & retraxit humana omnia ſiquidem ad divina. Diſcipula etiam Magdalena, quæ Chriſtum ardentius amabat poſt matrem, non deerat paſſioni, quæ tam altas à Chriſto affectiones in mente ſuſceperat. Sequebatur ipſa magiſtrum, Dominum, atque dilectum & ſuam matrem, quam poſt filium in dominam & magiſtram animo & rei veritate ſuſceperat. Vide proceres & magnates Dominum mundi tam turpiter mortuum lamentantes. Vide principes convenientes ad funus. Vide aſſiſtentes reges tanto Domino expiranti. Stant à longè non & mulieres Dominum mortuum funeraliter plorant. Veruntamen quod ſævi homines non agunt, inſenſibilia cuncta perficiunt. Chriſto mortuo ſuperveniebant latrones, aut non talibus exacti pœnis, ut citius cum Chriſto morerentur, aut quia ſic ſæviter, ut Chriſtus affixi non fuerant. Magis autem exiſtimandum, quoniam Chriſtus voluntariè, non pœna moriens, non parvo myſterio eos moriens voluit prævenire. *Judæi ergo quoniam paraſceve erat, ut non* Joan. 19.
remanerent in cruce corpora ſabbato, erat enim magna dies illa ſabbati, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur crura & tollerentur. Peſſima ſuperſtitio Judæorum, qui opinabantur contaminari diem ſabbatum, ſi ſtarent in patibulis corpora damnatorum, ſed contaminationem mentis ipſorum non videbant, qui CHRISTUM injuſtè damnaverant. Sed hoc ipſi allegabant præſidi, ſcilicet reverentiam ſabbari, corde verò magna malitia tenebantur, ne propter ſigna facta Chriſto moriente, in ſabbati quiete tumultus in populo naſceretur, & ex viſo in cruce corpore turba facilè mobilis moveretur, & præcavebant ad illud corpus

corpus reverentiam fieri propter ſigna terrentia. Proinde decernebant ſibi cautiſſimè conſulentes, ut crucifixorum corpora tollerentur. Mos enim eſt reipublicæ proviſorum, eum vivum vel mortuum auferri de medio, pro quo timetur futura commotio. Jam enim videbant in religionem converſos Chriſti crucifixores, & intuebantur vultus hominum, & mulierum ſignorum novitate mutatos, & in vulgo verba trementia reſonabant, velut majorum malorum præſagia futurorum, ex quo malè pavefacti Judæi magis quàm reverentia ſabbati, volebant, quòd frangerentur crura latronum, ut tali mortui acerbitate pœnarum, ſimul cum Chriſtò jam mortuo tollerentur, videlicet ab aſpectibus hominum, ne alii corpori reverentia fieret pietate turbarum. Et verebantur, ne ipſo pendente ampliora ſigna profluerent. Quod Pilatus fieri placita Judæis aſſertione conceſſit. Interim verò antequam Pilati aſſertio & Judæorum petitio executioni crudeli militum miniſterio mandarentur, *Joſeph ab Arimathia acceſſit* (perſonaliter) *ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu. Miratus autem Pilatus, quòd jam mortuus eſſet, nec petenti, nec referenti commodans dignam fidem, verum eſſe didicit ab accerſito Centurione. Et exinde Joſeph Pilatus conceſſit corpus Jeſu*, ut ipſe illum tolleret, & qua vellet honorificentia ſepelliret. *Venerunt ergo milites à Judæis petiti, à præſide verò miſſi, & primi quidem fregerunt crura, ſcilicet ad quem primò venerunt, ſimiliter & alterius, qui cum eo crucifixus erat. Ad Jeſum verò, cùm veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum non fregerunt ejus crura, ſed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua.* Crurifragio facto illico mortui ſunt latrones, & juxta Judæorum petitionem de patibulo ablata ſunt corpora, & incurioſè humata. Secundùm abjectionem pro criminibus morientium, fuiſſet absque dubio ablatum corpus Chriſti, & viliter abjectum, niſi Joſeph ſua petitione præveniſſet, quam fide allegans, & teſtimonio firmans, Chriſti corpus à militibus remanſit intactum, ad ſepeliendum ſuæ diligentiæ reſervatum, quanqum illud corpus divina providentia in omnibus ſervaretur, & fortè non permiſiſſet divina providentia, quod humana præſumpſiſſet audacia. Quando verò facta fuerit à Joſeph petitio corporis ad Pilatum, aliquale dubium generatur, ſed reor illam factam antequam crura frangerentur: nam eùm tollenda eſſent corpora, ablatum fuiſſet Chriſti corpus juxta ipſorum edictum, niſi Joſeph à Pilato de corpore illo diſponendo accepiſſet licentiam. Quod verò evangeliſta dicit, quòd ſerò factum eſt, de ſepultura, non de petitione tenendum, niſi de corpore Chriſti à Pilato ſpeciale fuiſſet mandatum, quod nec credendum, cùm crura frangentes latronum fregiſſent & CHRISTI, niſi jam mortuum reperiſſent. Poſſumus & aliter noſtrum & legentium animum quietare, quod quamvis de crurifragio evangeliſta loquendo præveniat, & ſero facto Joſeph interſerat petitionem, ut non eadem hora qua crura ſunt fracta, ſit etiam depoſitio celebrata, ſed prorogata ſero, quo magis decen[illegible]damnatorum corpora ſepelire, & tunc acceſſiſſe Joſeph ad Pilatum, ut obtenta licentia ſepeliret corpus JESU. Sed quoquo modo hujuſcemodi res ſe habeat, ſententiæ non obviat prætactorum, quorum eſt ordo texendus declarandaqúe cauſa. Non ſolùm ex alio, ſed ex lege Moſaica non debebant ultra diem in patibulis ſuſpenſa corpora remanere, nam in Deuteronomio ſciptum eſt, quoniam peccaverit homo, quod ſit morte plectendus, adjudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebir cadaver ejus in ligno, ſed eadem die ſepelietur, quia maledictus à Deo omnis, qui pendet in ligno. Non tamen iſta lex præjudicabat in facto ad Romaoos plectendi poteſtate translata, idcirco Judæi venturi ſabbati reverentiam ſubmittebant. Quare Chriſto crura fracta non ſunt, divina providentia factum eſt, cujus rei figura in agno præceſſit, de quo ſic dictum eſt, Os non comminuetis ex eo, non quod figura illa ſic fieri coegerit, ſed quia ſic futurum erat in figura præceſſit. Ad magnum etiam corporis myſtici Salvatoris præſagium, cujus oſſa, id eſt, viri perfecti nullis tribulationibus atque adverſitatibus in animo aut moribus fracti ſunt, ſed ſemper ad omnia parati, usque ad mortem invincibiles & inſuperabiles permanſerunt: nam quanquam corpore victi, tamen in anima & moribus nunquam fracti. Apertio autem lateris facta lancea militis rememorat præteritum, quod dum factum fuit, & fluxit, hoc inſinuavit futurum, & futurum devenit in præſens, & factum eſt præteritum, & velut iti fieri expectatur indubitatè futurum. De latere ſiquidem Adæ formata eſt Eva, & hoc in apertione lateris Chriſti rememoratur præteritum, præfigurans hoc, quod erat futurum, & futurum ante tunc aſſeruit præſens factum, quoniam ex ſanguine atque aqua redempta eſt, formata eſt, & lavatur eccleſia, quia ſanguis exivit & aqua, ſanguis in redemptionem,

ſed

Matth. 27. Marc. 15. Lucæ 23. Joan. 19.

Deut. 21.

Exod. 12.

ſed in ablutionem aqua defluxit. Unde formatur eccleſia ex latere Chriſti, ut æternè unicam atque dilectam à Chriſto ſe dicat, & formatam in moribus, non ab alio quam ab æterno Dei Filio redemptam ſe ſuo ſanguine recognoſcat. Et quanti pretii apud Deum conſtiterit, appendat in trutina ſuæ mentis, & ſedulò advertens quanta dilectione ſtabat incognoſcibiliter in conſpectu altiſſimi redimentis, qui ſanguine voluit illam redimere ab eo, quo ligata vinculo, & captiva humana natura tenebatur. Et quantùm diſplicuit culpa, qua ſanguis divinus ex homine Deo vivo & mortuo ita defluxit. Non enim parva quantitate conſiſtimus, ſi pro nobis divinus ſanguis effunditur. Aqua verò non cum ſanguine mixta indiſtincta profluit. Neque ſiquidem potuiſſet ab aſpicientibus comprehendi, ſi mixta cùm ſanguine defluxiſſet. Sed illico aperto latere exivit ſanguis in menſura determinata ſoli Deo cognita, ſed non nobis. An fortè totus ſanguis effluxit ex illo divino corpore, in ſignum totius amoris effuſi, poſt quem humor aqueus eſt egreſſus. Sed ſi quo modo fuerit, aqua cum ſanguine non defluxit mixta, nec diſpertita vena, ut diviſa vena ſanguinis ab aquæ vena eadem hora ſimul ex eodem foramine defluxiſſet. Sed prius ſanguis, deinde aqua diſtinctè ſtillavit. Quod alto miroque myſterio factum eſt, ut prius egrederetur ex eodem corpore redimens pretium, deinde aqua, in qua redempta ſignaretur multitudo populorum. Sunt enim aquæ multæ populi multi. Sed una eſt aqua, quæ defluxit ex latere, non multæ aquæ, quia tantum unus eſt populus ſanguine Chriſti redemptus, ille duntaxat, qui credidit, qui ex fide de latere Chriſti proceſſit, qui ſolùm dicitur populus Chriſtianus. Non alii multi populi, à quibus Chriſti fides etiam prædicata recepta non fuit, quibus inanis divinis factus eſt ſanguis. Quod & eccleſia orthodoxa digna obſervatione ſervavit, ut ſacramento conficiendo corporis & ſanguinis aquam miſceat, fidelem populum in aqua ſignatum, ſanguine Sancto redemptum, unum cum Chriſto fieri alta fide denuncians. Et ſi omnes mundi populi devenirent in Chriſtiferam fidem, quia omnibus ſemper præſto eſt poſſibilitas veniendi, ſi volendi atque credendi veritas non deeſſet, ſolùm unus populus diceretur: Quia unitas populi ex eo tantùm, quòd unico ſacrificio & cultu divinorum diſtinguitur. Et qui ad fidem Chriſtianam pertinent, unus populus fidelis ſunt, ut non ſint aquæ, ſed aqua, quæ manavit ex latere: Aquæ priusquam, aqua verò poſtquam. Et hoc Apoſtolus ait: Unus (1. Cor. 10.) panis & unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane & uno calice participamus. Et alibi: Etenim in uno Spiritu o- (1. Cor. 12.) mnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive gentiles, ſive ſervi, ſive liberi. Et ad Epheſios: Ipſe ſci- (Epheſ. 2.) licet Chriſtus eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum. Et ibidem: Unum corpus & unus Spiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ, unus Deus, una fides, unum baptiſma, unus Deus pater omnium, qui ſuper omnes & per omnia eſt in omnibus nobis. Ex quibus omnibus unus tantùm dicitur populus jure populorum diſtinctus, qui ſignatus eſt in aqua, quæ profluxit ex latere, non in aquis, quæ multæ feruntur numeroſitate populorum. Decebat protinus ad futurum myſterium ex aperto latere ſanguinem & aquam fluere poſt veram Chriſti mortem in corpore, quoniam ratione mortis ejus in martyribus ſuis eccleſia crevit in ſanguine, in aqua verò poſt mortem ejus plena eſt ſecuta mundatio. Necnon in eccleſia palmaris victoria in ſanguine facta eſt in morte, cùm uſque ad illam incluſam pro Chriſto voluntariè mortuo, in ſanguinis effuſione novimus eſſe certatum. Apertum dicitur latus, non vulneratum: Quoniam vulnus præterquam in vivo corpore fieri nequit. Non enim vulneratio, prout rerum experientia ſonat, & mos uſitatus alloquitur, ſuper inſenſibilia cadit, percuſſionem, ſciſſionem ſeu apertionem & his ſimilia, ipſa ſunt apta recipere. Magis autem novimus moderamen Spiritus Sancti in prolatione hujus Evangeliſtæ, ut ſic proferret: Unus militum lancea latus ejus aperuit, ut aperto latere cognoſcamus dilectionem cordis uſque ad mortem, & ad illum ineffabilem amorem ejus ingrediamur, quo ille proceſſit ad nos. Et accedamus ad cor ejus, cor altum, cor ſecretum, cor omnia cogitans, cor omnia ſciens, cor diligens, & per apertam portam ſiamus ſaltem in amoris vehementia cordiformes, & mente intremus ad ſecretum ab æterno abſconditum, nunc in morte quaſi aperto latere revelatum, & apertio lateris apertionem præoſtentat templi æterni, ubi omnium exiſtentium erit plena felicitas. Proinde ſibi ad negligentiam imputet, qui non ingreditur, ſi apertum novit introitum. Cùm autem ſerò factum eſſet, Joſeph Pilati obtenta licentia de ſepultura Domini diſponere ſatagebat. Hic non con-

conſenſerat Verbo nec animo conſilio Judæorum, quanquam non reſtitiſſet in facie mente territus, & velut torrentem magnum irremediabili impetu defluentem cognoſcens animum Judæorum, cui decrevit cedere magis, quam Verbis ſteriliter repugnare. Non enim adhuc feruor amoris & fidei Chriſti JEſu ejus interna perfuderat. Timebat enim extra ſynagogam fieri, magis verò mortem. Sed euge ſibi, ſi propter ipſum Chriſtum, ipſum crudeli morte præiiſſet ut innocentia tacens, & Joannes Baptiſta proloquens. Sed hunc in aliquo juſtè reprehendere non poſſumus, quem tanta ſerie Lucas Evangeliſta commemorat, dicens: *Ecce vir nomine Joſeph, qui erat decurio, vir bonus & juſtus, hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum, ab Arimathia civitate Judææ, qui expectabat & ipſe regnum Dei.* Officium ſuum rectè conveniebat myſterio ſuper homines decem curam habens in ſervitio reipublicæ, ut quaſi decem præcepta ſervans, juſtus & bonus eſſet, fide converſus ad Chriſtum, expectaret regnum Dei, quod verè credentibus Chriſtus ipſe promiſerat. Huic aſſociatus eſt Nicodemus, qui etiam occultus erat diſcipulus JEſu, qui in principio prædicationis Chriſti ad ipſum nocte venerat. Mirum de iſtorum diſcipulatu occulto, cùm confeſſionem coram hominibus Chriſtus exegerit. Unde ſi veri diſcipuli, quomodo occulti? Si occulti, quomodo veri? Cur hanc infirmitatem ſecretiorem fecit in his, cùm alios ante ſe binos & binos præmiſerit? Cur ſuos diſcipulos inocultos & manifeſtos dimiſerit? An ſi eis Salvator occultè loquebatur, non reſerabat myſteria veritatis? An dixit aliud in occulto, quod in manifeſto ipſe non dixerit, cùm ſuam doctrinam mandaverit ſuper tecta & per orbem univerſum publicè prædicari? An erit aliqua ſimulatio in moribus Chriſti, quod error eſt credere? An erant iſti perſpectiores aliis, cùm quibus Chriſtus more dominorum haberet aliqua ſecreta tractare? Sed fateor Chriſtum non indigere conſiliis, nihil ſecretum habuiſſe cum hominibus eſſe tractandum, præter ſecretum ab æterno abſconditum, myſterium fidelium fidelibus oculis ſuo tempora revelandum. Proinde quod revelandum divino & æterno conſilio fuerat, humano non indigebat, nec pro aliquo eventu rei occultatio hujuſcemodi opus erat. Veruntamen reor in his divinam providentiam ad futura, & patientiam ſuper his, qui adhuc Chriſtifero amore non feruent. Futurum enim erat, ut aliqui tempore ſævæ perſecutionis ad horam ſe occultarent eſſe fideles in ſubſidium plurimorum, opportunitate præſtante in ſanguine atque morte pati, publicè teſtificari pro Chriſto. Quòd, qui percurrit geſta martyrum, hoc quod dicimus, non ignorat. Et charitas vera ſufficit ad ſalutem, etiamſi non ſit ita fervens atque perfecta, quòd excludat penitus omnem timorem. Timor nanque perſecutionis & mortis etiam Sanctos viros plerunque deterruit. Sed nec per hoc reprobari meruerunt, ſi dolorum metu ſæpe abſterrebantur, & ſi non quæſiti devitabant agones, fugiebant facies tyrannorum & principum, & perſecutorum gladium abhorrebant, & ſi ſpecus & antra petebant, & ſi occultas habitabant ſæpe cavernas, dum à perſecutoribus inventi aut traditi & pœnis exacti tenuiſſent in animo fidem, & confiterentur Verbis intrepidis Chriſtiferam veritatem. Multos enim legimus ſe occultaſſe ad tempus, aliorum utilitatibus ſe ſervantes, opportunitate verò ſuperſtite tormenta ſubiiſſe pro Chriſto, & multos corde pavido fugientes, inventos tamen lætiſſimè pro Chriſto mortis excepiſſe ſententiam. Hæc quidem in his duobus occultis diſcipulis autumamus, qui ad Chriſti ſepulturam convenientes. *Joſeph mercatus eſt ſindonem, ad involvendum Chriſti corpus, & libras ferè centum myrrhæ & aloes ad unguendum detulit Nicodemus.* Cùm vero debitis inſtrumentis ad defigendum corpus veniſſent ad crucem, ipſum defixerunt, & depoſuerunt illa reverentia, qua valebant. Quæ hic obſervatio clavorum intrantium & exeuntium per dominicam carnem? Quis qualisve planctus, videre Sæculorum omnium regum regem, velut malefactorem de cruce deponi, revolui manibus modicæ familiæ aſſiſtentis, tractari manibus matris, corde cum ipſo crucifixæ atque defixæ, nunc artè dolore intrinſecæ mentis, cùm propius ipſa vulnera proſpiceret? Cui erat etiam & tangendi atque oſculandi libertas, cui piè credo, aderat & voluntas. Quæ plangendi cauſa, quæ hic jure copia lachrymarum, quòd unica unici mater in hanc calamitatem devenerat, ut cogeretur illum tam turpiter mortuum tangere, ſic aſpicere ſine crimine vulneratum, plagatum undique lividum utique atque perfoſſum valde? Cui dum crucifigeretur aſtitit, & percepit auribus blaſphemias æmulnrum. Dum altè clamaret audivit, dum ſitivit non valuit ut mater patienti filio porrigere dulcem potum. Dum etiam moreretur, caput inclinatum aſpexit, & corde doloris tranſverberato

Luc. 23. Joan. 3. Marci, 15.

aculeo fere perſenſit, quem in aliquo juvare nequit. Nunc verò doloris augmentum ſemet ipſum in ſuo materno & virginali gremio reclinatum, & officioſè pro funere cogitur involuere mortuum, ex aliena ope ſibi præſtitis lineis, quem natum infantem involuit vilibus pannis. Et ad amaritudinis cumulum contra morem matrum, ipſum cogitur ponere in alieno ſepulchro, quem puerum vagientem in paupere præſepio reclinavit. Et ubique diſertæ loquelæ ſilentium. Ibi vagiens infans fandi impotens, hie morte factus exanimis, omnino non loquens. Ad anguſtiarum faſciculum ipſa contra omnem uſum arctatur etiam propriis manibus deferre atque tradere ſepulturæ, non tamen aliud, ſed amor, quo filio ligabatur, arctabat. Quis hic planctus? Quæ cauſa plangendi? Quæ abjectio regis mundi? Quæ derelictio amicorum? Quis modicus comitatus? Liber potius ad conſiderationem devotis relinquere, quàm exinanire inexinabile Verbis. Unctum, & cum linteis de ſindone munda circumligatum: *JEſu corpus per manus horum traditur ſepulturæ, in ſepulchro ſcilicet Joſeph quod pro ſe fecit excidi in petra*, ut petra in petra ſepeliretur, adumbrato myſterio, ſed convenientia magna. *In quo nondum quiſquam poſitus fuerat*, ne reſurgens alter ab ipſo crederetur, ut poſſit inferri calumnia ex perfidia Judæorum. Hortus enim, ſed non ille, in quo oraverat, fueratque captus, & in horto monumentum novum, pro homine novo, ut ſepultura incarnationi conveniat. Nam dum incarnaretur, poſitus eſt in utero virginali, ubi nondum quiſquam poſitus fuerat, neque ponendus erat. Sic & in ſepulchro novo poſitus fuit, ante quem & poſt quem nullus divino myſterio poſitus extitit. Sepultus igitur eſt Dominus JEſus petra in petra, novus in novo, univerſorum Dominus in alieno ſepulchro, *ſicut mors erat Judæis*, ſuos mortuos *ſepelire*. Petra autem Chriſtus, ſuper quam fundatur noſtræ fidei ſtabile fundamentum. Et ſepeliebatur in petra, ſcilicet in cordibus hominum, ut petra duris per fidem ſepeliendus hoc fidei pacto, ut homines malitia inſenſibiles velut petra, recipientes vivam petram ad vitam reviviſcerent, & fieret petrarum per inſtrumenta fidei & virtutum quadratarum ædificatio ſuper Chriſtum, qui ſe fidei eccleſiæ ſuæ ſubjecit ſolidum fundamentum, ſicut Petro pollicitus eſt veriſſimus ſermo
Matth. 16. ejus: Et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Et inter inſenſibilia tale celebratur myſterium, ut meritò unius voluntate propria inſenſibilis facti, alterum verò inſenſibile redderetur. Erat nempe inſenſibile corpus Chriſti exanimatum, & velut alia corpora exanimata ſenſitiva virtute carebat. Veruntamen ad hoc, ut ſæpe dictum eſt, voluntate ſe conduxerat. Nec ipſum unita deitas animabat. Indecens eſt deitati de ſeipſa corpora organizare aut ſentire per corpus. Sepultura lapidea, ex natura deficiebat ſentiendi virtute. Mittitur igitur inſenſibile Chriſti corpus in tumulum inſenſibilem, & mutuo ſe non ſentiunt, ſed ad poſitum corpus anima redit & agnoſcit & ſentit verè ſepulchrum, quod nec ipſum in ſui natura mutatur, ante ſimiliter & poſt eodem modo ſe habens. Impoſſibile niſi ſoli Deo, rerum mutare naturam. Sed quod celebratum non fuit in illa theca petrina, porro ad futuros fideles, cùm Chriſtus mundo innotuit, ſervabatur. Sumus enim omnes filii iræ atque omnes, duntaxat in utero ſanctificatis exceptis, naſcimur natura peccatores & inſenſibiles ſumus ad divina chariſmata, non enim corrupta natura per naturam gratiam ſentit, neque ſentire gloriam ſperat. Quamobrem Chriſtus ad tempus factus eſt in corpore inſenſibilis, conjunctus inſenſibili ſepulturæ ſignificatione typica, ut inſenſibili homini per peccatricem naturam ſenſibilitas verorum bonorum temporalium & æternorum, illius inſenſibilitatis merito redderetur per gratiam. Et ecce petrina Num. 20.
theca. Ecce petra exciſa, de qua populo Judic. 20.
Dei plenitudo & aquarum copia magna defluxit. Ecce petra Remmon, ad quam, ut evaderent ſe Benjamin Filii contulerunt. Ecce petra, quæ Job rivos olei refundebat. Ecce petra Sancta, refugium peccatoribus erinaciis. Ecce petra, in qua Job. 29.
dum anxiatur cor hominum, ſi ad illam Pſalm. 103.
per fidem refugit, exaltatur. Ecce petra, Pſalm. 60.
ad quam malæ noſtræ peccatorum ſoboles Pſalm. 136.
alliduntur. Coloſſ. 3. Sepultus eſt novus homo in monumento novo, ut exuamus veterem hominem, & induamus hunc novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt. Incedamus viam novam, quam ipſe initiavit, in novitate vitæ ambulantes, quouſque novitatem cœleſtem beati capiamus. Sepultus eſt in alieno ſepulchro, quia proprio carere voluit, & carebat. Nec ſibi in humanis aliquid proprium fecit, qui ſemetipſum venerat hominibus donaturus. Nec ſibi providit aliquid pro futuro, ut etiam cura ſui corporis derelicta, de ſepultura decederet non proviſus. Impertinens enim erat, ut proprietatem quæreret in terrenis, qui venerat de ſupernis, & pro

nobis

nobis factus egenus, ab ineunte infantia pauperem & liberam vitam à mundanis rebus tenuit, quàm etiam moriendo & in ſepultura monſtravit, ut nec ſuis linteaminibus involueretur, nec ungeretur unguento de propriis confecto theſauris. Nec curam vivens habuit, quo mortuus humaretur, nec cuiquam mortalium dixit pendens, vivens & moriens vitæ inopiam, & in omnibus paupertatem extremam. *Advolutus lapis ad oſtium monumenti*, præſignat adhuc perfidiam Judæorum, & duritiam eorum, qui non crediderunt, qui nec à malis operibus ceſſaverunt, & in cordis duritia perſtiterunt. Hic lapis appoſitus eſt per homines, remotus per angelos. Unuſquiſque ſibi profecto perfidiam & duritiam facit, ſed nec amovetur niſi ſuperna virtute. Orans & mortuus Chriſtus conſiſtit in horto, ut ex oratione ſua & morte nobis inviſibilis horti virtutum plantaria oriantur, & ingredi mereamur hortum ſupernarum deliciarum meliorem, quàm qui conſtitutus à Deo primis parentibus fuit in Eden. Mulieres verò Chriſtum devotæ in vita ſequentes, conſiderare ſepulchrum aſſiſtebant è regione ad ipſum ſedentes, præfigebant enim in animo, ſi permitterentur pernoctare cum mortuo, quod & fortè feciſſent, niſi militum cuſtodia fuiſſet appoſita, honeſtatis cura has excubias temperavit. Aut ſi remotæ, ut evenit, inde quacunque cauſa fuiſſet, diſponebat diligenti conſideratione præhabita ſepulchrum iterum viſitare. *Et revertentes paraverunt aromata, & unguenta, & ſabbato ſilverunt ſecundùm mandatum.* Paraverunt, ut amoris fervor docebat. Ex his rebus affectum animi oſtendebant, & magna myſteria ex ipſis derivabant ad poſteros. Sed ſabbata ſiluerunt ſecundùm mandatum legis, ut etiam in bonis operibus non procedatur ad libitum ſive votum, legis regula prætermiſſa, ſed omnia ordinatè ſecundùm Dei legem fiant ex nobis. Sepulto Domino ſequitur ad connexionem geſtorum, quòd Judæorum tanta ſolicitudo, ſed ceſſanter provida ſemper addidit, quod efficere nequivit. Commovit igitur principes ſacerdotum accedere ad Pilatum Unde *altera die, quæ*
Matth. 27. *poſt paraſceven eſt, convenerunt principes ſacerdotum & phariſæi ad Pilatum, dicentes: Domine: Recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens: Poſt tres dies reſurgam. Jube ergo cuſtodire ſepulchrum uſque in diem tertium, ne fortè veniant diſcipuli ejus nocte, & furentur eum, & dicant, quia reſurrexit a mortuis, & erit error noviſſimus pejor priore. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam, ite & cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus.* Si horam & tempus hujus conventionis inſpicimus & acceſſionis ad Pilatum, prout eccleſia commemorat, repugnant ceremoniæ Judæorum, videlicet quod in tam magno die ſabbati poſt paraſceven ad Pilatum acceſſiſſent, & cum militibus gentilibus tractaviſſent de cuſtodia ſepulchri. Nec eorum infeſta ſolicitudo incuſtoditum corpus dimiſiſſet per noctem. Sed hoc, quòd dicit altera die, de die mortis intelligitur, in illa ſcilicet hora, qua ſciverunt eſſe ſepultum. Quæ de jure alterius futuræ diei ex feſti reverentia & computatione antiqua jam erat. Sed ſi alteram diem in re, ut ſonat in voce, volumus intelligere, mirandum cur tantùm diem ſabbati nominaliter non expreſſit. Et fortè fecerunt per nuntios quod ipſi perſonaliter contradicentibus ceremoniis facere nequiverunt. Sed ordinem rei geſtæ non amplius perſequentes, cujus ignorantia periculum noſtræ fidei non imponat, quod factum eſt duntaxat ſuccincta diſſertione tractemus. Magna iniquitas hominum, magna vilitas Judæorum, quòd etiam mortuum criminare non ceſſant, ſeductorem Chriſtum coram præſide appellantes. Satis enim egerant, quòd ab ipſo falſis accuſationibus, impetuoſis clamoribus, mortis ſententia fecerant condemnari. Sed qui odit ex animo, etiam inimicum, quem interfecit, aut læſit, ſemper opprobrioſè commemorat, ut quia injuſtum perſecutus eſt, ipſe juſtus appareat. Et hæc eſt irremediabiliter odioſa conditio, cùm inimicum perſequitur vel defunctum, & colorat odium cordis ſui ex injuſta macula, quam impoſuit innocenti. Sed ſemper malorum conſcientia, quia nequiter egit, trepidat, & ne pateat malum, quod injuſtè commiſit, inimicum etiam mortuum quotidie novis accuſationibus premit. Et falſi criminatores delationes falſas, quibus prævaluerunt in hoſtem, quem ad judicium convenerunt, ſemper repetunt, ne ſilendo confuſi viderentur. Appellaverunt hunc vivum & mortuum ſeductorem. Sed nec eos ſeduxit, quod ſi, ipſorum bono ab ipſo ſeducti fuiſſent, nam in æternam ſortem eorum fuiſſet acta ſeductio Sed manſerunt mundo tenaces, ut nec avellerentur ex Verbis. Veruntamen autumo, quòd ſic locuti fuerint magno præſagio futurorum. Nam vivens ſeduxit ad doctrinæ veritatem, ſed utique paucos, poſt mortem verò innumerabilem hominum plebem, ut etiam mundi hujus imperatores & reges in illam

ſeductionem veniſſe, crediderint ſe fore beatos. O! beata ſeductio, in qua, qui ſeducitur, gaudet ſe fuiſſe ſeductum, dolet tandiu ab hujuſcemodi ſeductione dilatum. O! vera ſeductio, quæ omnes convicit errores, & illico mente cognovit infallibilem veritatem. O! ſecura ſeductio, quæ ſeductum abduxit à ſatana, & regi omnium aſciſcivit, quæ clauſit barathrum, patefecit & cœlum. O! utinam omnes ab hoc ſeductore inſeducibiliter ſeducerentur. Allegant Judæi ſeductoris Verba, quòd tertia die reſurrexiſſe prædixerat. Sed ſi ſeductoris fuerunt, cur opere completa non noſcuntur? Surrexit enim juxta Verbum ſuum. Pro omnibus eorum nequitiis recurrunt ad præſidem, ut facilior ſit iniquitas, ubi adeſt authoritas. Et vocant Dominum, cui voluntate non ſubduntur. Proprium eſt perverſorum etiam laudare, quem odiunt, ut perficiant ipſi, quod nequiter cupiunt. Inquiunt etiam: Jube ergo cuſtodire ſepulchrum. Quid facient reſurgenti, cùm timent in ſepulchro latentem? Sed vana ſulicitudo caſſaque cuſtodia, ut cuſtodiatur à furto diſcipulorum reſurrectio mortuorum. Sed hoc commentum in eorum relatum eſt triſtitiam, quoniam cuſtodes ipſis reſurrectionis lætitiam nunciaverunt. Veruntamen de Pilati licentia ſignatum eſt monumentum, ut fertur, ſigillo ipſius & principis ſacerdotum, adhibita diligenti cuſtodia militum, ne intercluſum corpus diſcipuli furarentur. Sed hæc omnia erant futuræ reſurrectionis teſtimonium maximum probitura. Interim parant aromata mulieres, ut venientes hora poſſibili ungant Jeſum. Non enim eſſe poteſt in abſentia dilecti otioſus legitimus amor, & poſt mortem exhibet dilectis obſequia ſervitutis. Et amoris vehementia, qui ſeparari non vult, æſtimat difficile mortuum, quem ex omni ſe dilexerat vivum. Et veneratur ſæpe reliquias ejus, quæ diſcerpſit amatus. Et jam mortuus vivit dilectus in anima diligentis, & amans ardenter quærit omne quod dilecti poteſt renovare memoriam. Sed quis qualiſque dies, qualeve tempus, quid agebatur cùm Chriſtus corpore in ſepulchro jacebat abſconditus, & anima in limbo ſtabat cum patribus? Gaudium omnibus angelis erat in cœlo, quoniam Chriſtus pro omnibus peccatoribus pœnitentiam dignam fecerat, fructumque pœnitentiæ dignum. Gemebat in infernu illa turba larvalis, quoniam videbat ex latere diu detentam prædam, quam volebant antiquitate temporis eſſe proſcriptam, in prædam victoris cœlici retorqueri. Et dolebant quod caſſo labore peregerant, ut tam velociter morti traderetur, quia per eum expoliati ſunt, quem cruci nudum affigi ſuaſerunt. Et augebatur deperditâ prædâ triſtitia. Exultabat antiqua turba illa parentum, per quus Chriſtus traduce carnis deſcenderat, qui videbant impleta promiſſa, & præſagia futurorum, & oracula prophetarum. Et intuebantur gaudio inenarrabili illam ſacroſanctam animam deitati unitam, pro illo tunc ſimilem eis, ab ergaſtulo carnis exemptam, in medio ipſorum alludentem eis, pandentem ex intuitu, quòd eos deſcenderat liberare & extrahere de illo lacu miſeriæ, atque de cuſtodia tartarorum. Aſpiciebant illam ineffabilem lucem, quæ orta erat eis ſedentibus in regione umbræ mortis, quæ denuo & longè aliter præter illam intelligentiam & fidei claritatem, quam à Deo viventes acceperant, interluxit, ſecuritate omnino concepta, quod eſſent una cum ipſo de illo receptaculo progreſſuri.

LIBER XIV.

De
Reſurrectione Domini Salvatoris.

PEracta in limbo debita mora, & mortis veritas per ſeparationem animæ à corpore per ſpatium tot horarum jure patebat, aderat tempus, ut expletis laboribus mortis peracto myſterio, poſt ligni pœnalem victoriam, qua victus carne virtute factus eſt victor, ut novitas cœleſtis per reſurrectionem in Chriſto capite inchoaretur. Proinde Chriſti anima ſacroſancta, deſtructa lege tartarea, inferni vectibus reſolutis, relictis cum dæmonibus peccatoribus dignis, detentam diu poteſtatem ſub tenebroſo imperio, merito protoplaſtinæ prævaricationis, lucida poteſtate, jure ſoluti ſanguinis pretii triumphans eduxit, & corpus repetit voluntariè, quod ſponte reliquerat, non vehementia paſſionis, quanquam in corporalibus pœnis ad tempus ipſe ſeceſſerat, & reanimat inanimatum, recaleſcit frigida caro, venarum humor ebullit, vitalis Spiritus in omni ſua parte inſeritur, & anima tota in toto, & tota in omnem corporis partem revertitur, ea celeritate, qua in conceptione deitas, anima, caro inſimul per unionem ad conſtitutionem hujus hominis convenerunt, præda inviſibilium animarum in loco, aut vage, ut anima Chriſti decreverat, conſtituta. Et eadem celeritate proſilivit de clauſa atque ſignato ſepulchro in magnifico terræmotu, ad terrorem omnium, & memoriam cæterorum atque ad excitationem cuſtodum, ut ipſi omnino fierent reſurrectionis teſtes, qui ne tolleretur fuerant facti cuſtodes. Sed recitem *angelus Domini deſcendit de cœlo, cujus aſpectus erat ſicut fulgur, & veſtimenta ſicut nix. Præ cujus etiam timore ſicut & terræmotus exteriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui.* Quòd pro timore reſurgentis, aut angeli apparentis, ſive terræmotus concutientis exterriti ſunt cuſtodes, factique velut mortui, timorem infidelium arguit, pro ſubitatione potentis virtutis, cùm ſentiunt inſolita fieri ſuper id, quod à natura, & ratione poteſt apprehendi, & deficit, quod tantùm humanum eſt, cùm in actum divina proveniunt. Etſi fiat adhæſio fidei & amoris, in ſecuritatem vertitur timor, Nullos enim vult Deus à timore terrente diutinè detineri, niſi quos invenit eſſe rebelles, nec tranſeunt motu cordis in id, ad quod piè à ſuperna virtute vocantur. Etenim ſæpe Deus terroribus vocat, & hujuſmodi actiones, ac adhæſiones à nobis requirunt, ut in finem poſitum ab æterno credatur ſic eſſe, quod agitur. Nihil ad calumniam Deus agit, nec expulſionem noſtram ab eo facit, cùm operatur, quæ ſenſus noſter horreſcit, magis autem accedendi ad eum in his invitatorium prorogat. Cùm verò ſic invitati non tranſeunt, timor ſuperbus amplius invaleſcit, & velut mortui pavefacti redduntur. Sed ſolers eſt Verbum, & ſolertes inquirit ad ejus intellectum, cùm non mortui cuſtodes extenti referuntur. Nam qui velut mortuus dicitur, nondum mortuus eſt, ſed ſimilitudinem mortis habet, & mortuorum videtur geſtare figuram, non tamen mucrone mortis exciſus, & conſuetudo loquendi plus quàm veritas hoc induxit. Sed in eo modo quo dicitur noſtra inſtruentia capiamus. Omnis infidelis atque ſævus peccator in anima mortuus eſt, niſi reſipiſcat æternam mortem protinus recepturus. Non tamen mortuus dicitur ex more, quo quis uſum perdiderit ſenſuum, quamvis in pectore Spiritus palpitet, hunc velut mortuum appellamus. Dormientem etiam dicimus imaginem mortis habere, cùm vivat, & calor vitalis in toto corpore ferueat. Sed quoniam tunc rationis ſopitus eſt uſus, & ſenſuum ſiſtit actio cæterorum, velut mortuum appellamus. Cùm verò talis hebetudo ceſſaverit, nullam mortis ſimilitudinem ineſſe ſanciamus. Sic infidelis peccator uſque ad exitium charitatis eſt velut mortuus, non tamen irrevocata ſententia æterna morte damnatus. Quod ſi perſeverat ille inviſibilis languor, non in ſimilitudine, ſed in veritate mortuus erit. Si autem abſceſſerit argumentum Spiritualis curationis, non ulterius geſtabit mortis imaginem. *Et accedens*

Matth. 28.

dens revolvit lapidem, & ſedit ſuper eum.
Deſcendit ad reſurrectionis locum, ſicut &
incarnationis habitaculum à Deo miſſus ipſe
deſcenderat. Deſcendit utique terribilem
habens aſpectum, velut impetuoſum ful-
gur, ad inſinuandam ſubitam illuminatio-
nem credentium, & illam inviſibilem lu-
cem, quæ in ſplendoribus ſuis varias in-
tercapedines habet. Venit ad ſepulchrum
pridie mortis, nunc reſurrectionis immor-
talis illa creata natura empyrei cœli civis,
hic nunquam peregrina, pro meritis de-
nuntiare reſurrectionem voluntariè mo-
rientis, & propriè reſurgentis in æternum
non moriturì, ut ejus, quod poſſident,
atque denuntiant, nos oſtenderet eſſe
conſortes, ſi volumus eſſe credentes. Ter-
ret ſæpe fulgur præ ſubita actione ipſius
etiam coruſcantis: Eodemque typo ange-
lus terruit, ut noviter credentes quodam
oſtentu terribili admirentur, atque rever-
berentur interius præ amplitudine tantæ
lucis. Necnon & velut fulgur repente fi-
des reſurrectionis irradiat. Qui aſpectus
clarus eſt credentibus atque ſuavis, in
quem mentis aciem non defigunt infide-
les, ſed terrentur apparitionis ſubita no-
vitate, & terrebuntur inevitabiliter acrius,
cùm in fine ſe noverint eſſe deluſos & ex-
cluſos à veris gaudiis, reſurrectionem al-
tiſſimam non credentes. Et animalia E-
Ezech. 1. zechiel vidit incedere in ſimilitudinem ful-
guris coruſcantis. Sunt animalia terrena,
ſcilicet homo, leo, vitulus, aquila. Sunt
& ſubcœleſtia, quæ & deferendo regni
Evangelium coruſcando, & mundum ſu-
bitò illuminando diſcurrunt in ſimilitudi-
nem fulguris coruſcantis. Sed nec ipſo-
rum merito tantus ſplendor, ſed virtute
delatus. Nunc iterum ex cœlo venit cœ-
leſte animal, fulguream habens faciem,
ut terreni & cœleſtes in una reſurrectione
conveniant, ex qua naſcitur reſurrectio
beatorum, & oſtendatur in terra natis eſſe
poſſe participum cum cœleſtibus. Et
quod Ezechiel vidit in quatuor, nunc in
unitatem unius fidei, unius Evangelii,
unius beatitudinis conveniſſe credatur. Et
Matth. 24. Chriſti adventum extremum fulguris aſpe-
ctus denuntiat, qui erit ipſo dicente, ſu-
bitus velut fulgur. Nivalis albedo ve-
ſtium, gloriam candidam reſurrectionis
oſtendit. Nihil nive candidius, nihil illa
clarius. Revolvit angelus lapidem, ut fi-
dem faciat cuſtodibus, quòd Chriſtus ve-
raciter reſurrexit, nec corpus ejus diſcipuli
ejus ſunt furati, qui ſtantibus cuſtodibus
non veniſſent, pavidi enim homines ad-
huc erant. Sed deſcendit cœlica virtus
ab humano abſoluta timore, nec ſepulchri
verita cuſtodes, quæ nec furatura corpus
advenerat, ſed ut reſuſcitati hominis re-
movendo lapidem oſtenderet veritatem.
Cœlica virtus cuſtodit ipſa ſepulchrum,
donec inimicis cuſtodibus fidem faciat.
Similiter & devotis mulieribus, quæ ſe-
pulchrum ad unguendum importunè cor-
pus venerant viſitare. Nam ſuppoſitus la-
pis duritiam incredulitatis oſtendit, quæ
niſi ab inviſibili & ſuperna virtute non re-
movetur, ut reſurrectionis novitas incla-
reſcat. Sedet in dextera, ut in reſurrectio-
ne Chriſti membra cum capite dextera pa-
terna ejus merito amplexetur, & abſolva-
mur à leva, ſuper quam dormivit uſque
in hanc horam cum perpetuata damnata
propagine miſer Adam. Aſſerit autem ali-
ter & aliter Evangeliſta, duas cœlicas af-
fuiſſe virtutes, una caput, altera pedes ſe-
pulchri cuſtodiens, ut ore duarum ſeu
duplici teſtimonio fulti Chriſtum reſur-
rexiſſe credamus, ut unus etiam angelo-
rum caput cuſtodiens, naturam divinita-
tis: Alter pedes obſervans, veritatem aſ-
ſumptæ atque ſuſcitatæ carnis inſinuet.
Qui venientibus ſummo diluculo mulie-
ribus reſponderunt Chriſtum reſurrexiſſe,
novitate cœleſti vivere aſſerentes. Et con-
fortant ipſas expaveſcentes, præ timore
vultum defigentes in terram, velut inſolitè
videre angelicam creaturam, quam non
expaviſſet reſuſcitati mater, ſi non fatigata
doloribus, debilitata membris, cum aliis
ad ſepulchrum ipſa veniſſet. An fortè
ideo ſtetit non veniens, quia jam filius re-
ſurgens mortuus ipſam præhonoraverat
velut præ cæteris in ſui morte dolore per-
fuſam, & diligentem ardentius, & expe-
ctantem anxius reſurgentem. Et præho-
noranda erat in reſurrectione virginitas,
quæ in incarnatione ipſum ad hoc ſuſce-
perat, ut pro nobis moreretur, atque re-
ſurgeret. Et dignum erat, ut quæ natum
prius ipſa prior adoravit, atque ſola ſuſce-
pit de terris, quòd prius aſpiceret regreſ-
ſum ab inferis. Ipſa ſiquidem angelorum
& hominum jam facta regina, & ſuper
omnes virtute præfulgens, meruit in no-
vitate cœleſti altius honorari. Id dixerim,
ante omnes aſpicere Filium reſurgentem,
non quia mater, ſed quia charitate pol-
lentior. Et quia omnia ordinatè diſponit,
jure ſervandi ordinis, hanc ſingularem
in virtutibus fœminam, reſurgens à mor-
tuis primitus ſuam exhibendo corporalem
præſentiam honoravit, terminum dando
ſingultibus, cujus cor doloris machæra
perfoderat. *Sed tres mulieres venientes un-
guenta deferentes aromatum*, pluris in de-
votione, quàm pondere, ſummo diluculo,
memo-

memores magni appoſiti lapidis, non immerito hæſitabant adinvicem conferentes: *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Hora qua motæ ad veniendum tenebroſa erat, nam dum adhuc tenebræ eſſent, veniunt, ſed orto jam ſole ad monumentum perveniunt. Nam incipere omnes animæ tenebras non repellit, profeciſſe ſpectat ad lucem. Confabulatio prætendit amorem, cùm videre quærunt ſepultum. Præoſtendit infirmitatem, cùm de lapide removendo queruntur, ſed innuit inagnitam ſingularitatem, cùm reſonat inter Verba: *Quis revolvet nobis?* Ac ſi ſolæ quærerent, & ſi eis duntaxat, non aliis eſſet Chriſti reſurrectio à mortuis opportuna. Sed pervenientes introeuntesque in monumentum, *vident revolutum lapidem*, quia ubi humana virtus diffidit, virtus ſuperna perficit, de cœlo præſtat auxilium his, qui piè de humanis atque terrenis diffidunt. *Et obſtupuerunt*, non tantùm ob remotionem lapidis, quantum pro vacuitate ſepulchri. Semper obſtupuit humana conditio, cùm aliqua conſpexit fieri ſupra ſenſum. Et velut neſcientes quid de corpore factum eſſet ſtupor oppreſſerat, quibus ſuperni cives blanda voce loquuntur, velut adhuc peregrinis in terris, quas expectant habere concives
Luc. 24. in ſuperis. Conſternatæ protinus erant, & vultum præ triſtitia in terram defixerant. Quam vultus proclivitatem moles infidelitatis impreſſerat. Fides reſurrectionis primum hominum mentes erigit ad ſuper-
Job. 29. na. Solùm adhuc terrena ſapiebant, quæ vultum in ima dejecerant, vultus quippe hominum cognitionem importat. Sed melius Job longè ante prænoverat cum di-
Matth. 28. cebat: Lux vultus mei non cadebat in terram. Primam ſiquidem angeli vocem ſecuritatis emittunt, dicentes: *Nolite timere.* Proprium eſt angelorum conſortare nutantes, & præſtare ſecuritates, cùm divina providentia in terris ſæpe facit eos advenire legatos. Sed omnino eſt dæmonum adverſa conditio, etiam cùm ſe permittente Deo, in lucis angelos transfigurant, ut non ſecuritatem, ſed inferant ſæpe pavorem, & in dubiis implicent, non abſolvant. Ac per hoc multi crediderunt arcana ſuſcepiſſe de ſuperis, qui per eos qui ſe transfigurant in angelos lucis, illuſiones ab inferis ſuſceperunt. Primum eſt civium ſupernorum removere timores, & abigere tenebras ignorantiæ. Proinde reſurrexiſſe denuntiant JEſum, quem velut mortuum carentes lumine fidei require-
Luc. 24. bant. *Et dicunt: Non eſt hic.* Quia impoſſibile fuit à ſepulchri anguſtiis detineri, nec petrina theca retinere potuiſſet corpus deitate unitum, quod etiam anima ſimiliter unita ab inferis rediens animaverat. Non eſt hic, non corporis ſubſtantia, ſed qualitate mutata. Et ipſum notum fieri in Galilæa denuntiant, ſicut ante mortem ſæpe fuerat pollicitus. Perficiunt legati ſepulchri omnem legationem in intelligibili ſenſu eis à reſurgente impoſitam, & in memoriam revocant Verba Domini Salvatoris, quæ fideliter mente retenta tenebroſitatem incredulitatis avertunt, cùm verò labuntur, infidelem relictum efficiunt: *Re-* Luc. 24.
cordamini porro inquiunt, qualiter locutus eſt vobiſcum adhuc in Galilæa cùm eſſet, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum & crucifigi, & tertia die reſurgere. Et recordatæ ſunt Verborum ejus. Et de nutantibus diſcipulis, ne amplius hæſitando contriſtentur, & de Petro vertice Apoſtolici chori, ne trinæ negationis ſit memor, præcipuam curam gerunt, cùm ipſum ſingulariter nominant, dicentes: *Ecce locus ubi poſuerunt eum. Sed* Matth. 28.
ite, dicite diſcipulus ejus, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis ſicut dixit vobis. Ecce legati cœleſtes reſurrectionis per omnia virtutem oſtendendo locum, rememorando quod per JEſum fuerat ante prædictum, monent, ut pergant ad Apoſtolicum chorum, cujus clamoſo concentu ipſa reſurrectio per univerſum orbem reboatura erat. *At illæ citò* Ibidem.
exierunt de monumento cum timore & gaudio magno nuntiare diſcipulis ſuis. Et nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus. Erant enim diſcipuli cum Apoſtolis, quamvis Apoſtoli prærogativa per Chriſtum conceſſa fulgerent. Et ſæpe Apoſtolos diſcipulorum legimus nomine appellatos, diſcipulos verò Apoſtolico nomine nunquam functos. Sed par cura erat angelis de Apoſtolis atque diſcipulis, quos omnes ſub diſcipulorum nomine nuncupavit, quod & mulieres prout acceperunt ab angelis edixerunt. Quod autem in Marco legitur, *invaſerat eas pavor* Marci. 16.
& tremor, & nemini quicquam dixerunt, timebant enim. Intelligendum protinus, quod nemini quicquam dixerunt, præterquam Apoſtolis & diſcipulis, de quibus tantùm acceperant ab angelis in præcepto. Nondum erant aliis quàm dilectis tam alta pandenda myſteria. Eſt nempe cœleſtis providentiæ atque peritiæ Chriſtianæ, nova rudibus non revelare myſteria, & carnalia ſapientibus ſpiritualia occultare quouſque formam diſcipulorum accipiant in ſcholis gratiæ, prætermiſſa prudentia carnis, jugiter excubantes. Erant autem

hæ mulieres, Maria Magdalena & Salome & Cleophe, & Joanna, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ viſa in ſepulchro, auditaque ab angelis Apoſtolis nuntiaverunt, quæ viſa ſunt apud illos quaſi deliramentum, ſcilicet Verba iſta, & non credebant illis. Tenti Apoſtoli adhuc infra carcerem puræ humanitatis & ſenſualitatis incluſi, & Chriſti Verborum immemores, aut circa illa penitus infideles, veſana credunt, quæ ſupra naturam facta referuntur, & angelorum inſolitam viſionem atque loquelam autumant eſſe ſtultitiam. Nec duntaxat ipſorum fuit taliter hæſitare, ſicut ante ambulantem ſupra mare crediderunt eſſe phantaſma, verum eſt etiam omnium, qui non ſunt alta fide protecti, in ſimilibus vacillare, potiuſque delirare dicentes credere, quam quod verum dicunt ſana mente referre. Magdalena verò, quæ amabat ardentius, ardentioribus amatoribus ex diſcipulis eſt locuta, Petro videlicet & Joanni, velut mente capta doloribus & deſideriis videndi, dicens: *Tulerunt Dominum meum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum.* Anxietate atque rapacitate loquendi ejus quod dicit actores non exprimit, quos Judæos, magis verò ipſos angelos referentes, atque ſepulchrum obſervantes, in ſua mente intelligamus eſſe ſublatos. Quæ Petrus & Joannes mente ſtupida & cum ſemigaudio audientes ad ſepulchrum unanimes cucurrerunt, quamvis in currendo corporum non fuit æqua facilitas, cùm ad ſepulchrum citius junior corpore diſcipulus advenîſſet, ſed in monumentum prior non introivit, ſed qui poſterior non tam concito gradu venit. Ubi prætermiſſo allegorico ſenſu magnam in moribus novimus rationem. Sæpe novitia virtus cum profeſſa contendit, & quanquam videatur novitate ferventior, profeſſa verò experientia ſolet eſſe perfectior. Probata ex priſtinis moribus virtus, ex conſuetudine vileſcendi, citius ad humilia inclinatur, & mori noſcitur eſſe paratior, quod Petrus antiquior in monumentum humilitatis & mortis ſecurius ingrediens figuravit. Fervet ſæpe muſtum, cùm ex torcularibus exhauritur, ſed in quam qualitatem deſinat ignoratur, quod autem diu quievit in vegete, oſtendit in quam firmaverit qualitatem. Fumat noviter accenſus ignis, & flammam exhalant paleæ, ſimiliter & malleoli, ſed ſtatim apparet, quæ materia fovet ignem. Multi noviter militantes magno voluntatis impetu cucurrerunt in bellum, quaſi ludos putantes ictus telorum, cùm autem ſenſerunt impetum equorum & equitantium duros lacertos, & acumina metalli ſplendentis, horridè timuerunt, & aut terga vertentes, aut occumbentes gladiis certatorum, adverſariis dederunt victoriam. Jure autem militari ſæpe probati, aut devitant ſapienter impetum æmulorum, aut reportant certandi probitate victoriam. Eſt & in uno agonizato pro Chriſto reperire virtutem novitiam atque probatam, eſt & in diverſis certatoribus conſiderare ſimilia. Nulla major in moribus virtus, quàm ingredi monumentum abjectionis, diſpectionis atque dedecoris, humilitatis & mortis, quod novit agere virtus, non inhærens noviter, ſed probata, licèt Spiritus Sancti gratia ſubitò poſſit inferre virtutem, etiam his, qui noviter, aut improviſè in fidei bella deveniunt, aut ſubitos agones ſuſcipiunt pro ſalute, quod in pluribus martyribus nempe legimus factum. Veruntamen, qui audaciæ Sanctæ atque potioris virtutis exiſtit, plerunque animavit infirmum, & erexit animam titubantem, & habuit in virtute conſortem, quem ante paventem aſpexerat. Proinde apud agonizatores debet eſſe præcipuum, non pavidos, ſed audaces velle habere collegas. Nam Petrus introivit in monumentum prior quàm Joannes, cujus animatus exemplo, ingreſſus eſt & ipſe poſterior. Bonum Petro, quia prior introivit, bonum Joanni, quod ſocium impavidum habuit. Bonum eſt certatori pro Chriſto talem habere ſocium à quo ſolicitudinis non pigritiæ ſumat exempla. *Intantes hi duo monumentum vacuum invenerunt.* Profectò ſurrexerat mirificè, qui humanè fuerat tumulatus. Sed tantùm linteamina cum ſeorſum ab eis poſito involuto ſudario invenerunt. Explicita linteamina liberam reſurrectionem, & explicationem à vinculis mortis inſinuant, involutum verò ſudarium, hujus reſurrectionis ineffabile, atque ab humano ſenſu incomprehenſibile ſignificat ſacramentum. *Et cùm nil aliud inveniſſent, crediderunt videntes. Nondum enim ſciebant ſcripturas* ſcilicet teſtificantes. *Quia oportebat eum à mortuis reſurgere.* Scriptura verò Chriſti reſurrectionem in multis denuntiabat. Ipſius quippe ſcientia & firma credulitas, fidem inſtruit omnium à Chriſto geſtorum, ſed cùm ipſius memoria non tenetur, ſibi non adhibetur credulitas. Ex quo in hunc defectum vergitur, ut quod eſt futurum, quouſque factum fuerit, non credatur, aut ſæpe non poſſe fieri plus credatur. Sed cùm hi duo Apoſtoli hæc vidiſſent, nec viſionem angelorum viderint, & locutionem audierint ut mulieres, ad ſemetipſos continuo ſunt

ſunt reverſi, hoc eſt, ſecum interna meditatione vacantes, vel ad domum unde curſum incœperant. Sæpe quippe compungitur mens humana, cùm quæſita non invenit, aut inventa comprehendere nequit. Ad contexendum autem ordinem rei geſtæ, quando hi duo ad ſepulchrum currere incœperunt, mulieres cum eis iterum ſunt reverſæ, credentes potius cum Apoſtolis aliquid certius invenire, viſendi nimio amore flagrantes. Et cúm nihil præter id, quod viderent revidentes, his duobus recedentibus & ipſæ pariter receſſerunt. Lento pede præ mœſtitia gradientes, præterquam Maria Magdalena, quæ amoris catena ligabatur, ne abſcederet à ſepulchro.

Ibidem. *Et ſtabat ad monumentum foris plorans.* Stabat foris velut à fide reſurrectionis excluſa, quouſque in illam tranſierit bonitas Salvatoris. Stabat foris à divinis excluſa. Nil tam forinſecum, quàm à fide ſecludi. Stabat foris à monumento novitatis cœleſtis. Stabat foris à monumento, ubi Chriſti eſt reſurrectio celebrata, in quo incunctanter viderat exanime corpus includi. Et certa de morte, de reſurrectione nutabat. Mirum profectò, certa de morte, dubitabat de vita, cùm unus & idem ſit, qui moritur, & reſurgit, ut ſicut non potuit ſibi mors, niſi ſuapte dominari, ſic nec potuit ab inferis anima, corpus reanimatum à tumulo detineri. Si humilia & infirma Chriſti credimus, credamus & fortia. Si divina credimus, credamus ſimiliter & humana. Formam Dei & formam ſervi, & ex utraque Chriſti geſta, pari fide in ipſo credamus. Stabat Maria immobilis amore nutabunda fide. Foris ſtabat, & ſi ex parte aliqua eum noſceret adventantem, memor dilectionis oſtenſæ ſibi per Chriſtum, quod ſibi non deficeret in hac hora, qua vera erat reſurrectio celebrata. Penitus dubitabat de reſurrectione, validius de amore ſecura. Concertabant in anima mulieris hujus amor & fides. Amor protinus erat in pondere, ſuccumbebat penitus fides. Amor ejus de amore Chriſti non hæſitabat, ſed reſurrectionis manebat tremula fides, idcirco amarè plorabat amoris ſtimulo agitata, & ipſum accenſa viſendi reſurgentem ab inferis prorumpebat in lachrymas. Quæ Verba inter lachrymas reſonabant? Quæ cogitationum certamina voluebantur in corde? Quis novit edicere? Quis modos explicare potuit impatientis amoris? Quis illam ardentem litem, cùm dilectus cum dilecta in corde concertat, cùm quærit, cùm quæritur, cùm dolet abſentiam, cùm præſentiam exigit, cùm cauſatur tarda mo- limina, cùm, ſi expectaretur, non ipſe tardaret, cùm appendat in trutina omne quod dedit, cùm nihil ſe dicat ſibi retinuiſſe, ſed omnia & ſeipſam in poteſtate tradidiſſe dilecti, quis unquam potuit talia palam facere? Solùm hæc verus novit amator, & qui omnia dilectionis jura conſpexit. Proinde iſta diſcutienda veris amatoribus relinquamus. Plorans Jeruſalem Thren. 1. ploravit in nocte ſuæ tribulationis, plorat Magdalena in die reſurrectionis, ut major ſit cauſa ploratus in die feſti debitam non ſuſcepiſſe lætitiam, quàm tempore tribulationis ſuſcepiſſe jacturam. Plorans foris ploravit, & lachrymæ illius in maxillis ejus, non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus. Rigabat ora Magdalena lachrymis, ſimiliter & maxillas, nec conſolationem ab angelis, neque à complicibus Apoſtolis, nec à matre dilecti penitus capiebat. Et hi omnes ſibi utique chari erant, Habet hoc proprium ex toto inhærens amor, ut ab alio præterquam ab eo, cui inhæſit, ſolamen omnino non capiat, niſi ſolveretur vinculum quo ligatur, & dehærens noviter inhæreret, ut ex novitate dilecti forſitam exultaret. Sed animæ, quæ Chriſto inhæſit ex amore veraciter, præter eum, & ſine ipſo non ad lætitiam, ſed cuncta vertuntur pariter in tormentum. *Et dum fleret,* Joan. 20. *inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum.* Inclinat amor ſæpe altitudinem cordis humani, etiam ad ima ſectanda, & ſuperbum humilem facit, nec eſt tam vilis aut abjectus mos, quem inhærens dedignatur amor. Convertit amor corpus & membra in artem & aptitudinem inquirendi, eum ſcilicet, quem ſibi ſua catena conſtrinxit. Inclinat ſe amor & proſpicit, ſperans ſemper videre, quod cupit, nec uno reſpectu contentus, viſendi actus ingeminat. Aſpexerat ante Magdalena ſepulchrum, & iterum intuetur more drachmam perdentis, quæ ſæpe repetit inquiſitionibus locum, in quo perdidiſſe ſe credit. Amoris impatientia novos geſtus multiplicat, & nihil dicit abjectum, quod ſibi æquavit in voto. Sed nec omnino fraudata quæſitis duos aſpexit angelos ad ſolamen, magis verò ad teſtimonium inquiſiti. Supra nempe prætulimus, quid dualitas iſta ſignificet. Sed interrogant opportunè importunam, ſedulam & ſolicitam rigantem maxillas ſuas lachrymis Magdalenam. *Et dicunt ei: Mulier quid ploras?* Quid eſt quod interrogant penitus ipſi quod noverant? Nec eos latebat dulcis cauſa ploratus. Sed interrogant, ut ignem accendant ardentius, quo ardebat. *Reſpondit*

eis : Velut familiaribus ſuæ mentis, ac ſcientibus vota planctus. *Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio, ubi poſuerunt eum.* Neſcit in quos referat ablationis crimen, ſed ex certo dolore determinatoque quæſtu dubia Verba profert. Similiaque Verba, cùm nuntiaret Apoſtolis dixit. Eodem modo eodemque affectu ſemper loquitur de re, cui factus eſt unus amor. Qui cùm factus eſt rei ſubjectus illam ſupra ſeipſam vocat Dominum ſuum ex amore. Illa Chriſtum Dominum conſtituerat, quo ſenſu loquitur : Quia tulerunt Dominum meum. Lachrymoſis vocibus dabat interroganti reſponſa, & frangens ſingultibus vocem, rei quanquam non eſſent, Non determinabat actores, neque angelis, neque Judæis, neque cuſtodibus, neque diſcipulis, neque aliquibus nominatis faciebat ipſa furti hujuſcemodi impoſturam. Sufficiebat enim ſibi manifeſtaſſe dolorem, innotuiſſe quæſitum votum, indicaſſe quærentibus cauſam, expoſuiſſe ploratus abſque quòd in multa Verba modum, quem ignorabat, aſſerendo deflueret. Reſtringit dolor Verba, & cùm loquitur, ſæpe confuſam emittit vocem. Sed acriori acerbatur dolore, quod quaſi ablationis certa, poſitionis in alia parte Domini ſui neſcia videbatur. Unde dicebat : Et neſcio, ubi poſuerunt eum. Adhuc in ſenſu humano, non in altitudine fidei mulier iſta perſiſtit. Et verè neſcia, veram neſcientiam ſuo Verbo pronuntiat. Verius nil neſcitur, quàm non cognoſcitur factum. Et quod non eſt neſcia certa neſcitur, loquitur ipſa neſcia veritatem. Quoniam nec ubi poſitus eſt, qui ſua poteſtate reſurgens à mortuis, ubi vult eſſe poteſt, ſua virtute vadens, non aliena poteſtate delatus. Porro impatientia mentis impatientiam corpori facit, nec ſinit amor impatiens corpus quieſcere, ſi per eum aliquid in corpore quæritur. Quærebat Magdalena corpus Domini Salvatoris, non contenta quæſitionibus mentis, corporeis quæſtionibus ſatagebat. Affectio enim ſua in animo & in ſenſibus uti ipſo volentibus erat. Idcirco agitabat & corpus circunquaque ſe vertens, ſi poſſet videre quæſitum. *Unde, cùm hæc dixiſſet converſa eſt retrorſum.* Qua validitate amoris defuncti corporis agebatur hæc mulier, quòd oculos, ut videat, à civibus patriæ cœleſtis avertit ? Quid in corpore delectabilius ad videndum, quàm angelicos & beatos Spiritus cum formam
Geneſ. 18. objicibilem ſenſibus ſumunt ? Nam ad hanc viſionem quaſi in extaſi factus eſt Abraham, & veneratus naturam, cùm tres vidiſſet, unum adoravit pronus in terram. Delectatus tali viſione Jacob, Geneſ. 32.
apparentem ſibi angelum cum eo orationibus, ne diſcederet, luctabatur. Multos legimus in veteri teſtamento hujuſcemodi viſione lætatos, nec aliud tunc quærentes, dum viſio illa perſiſteret. Hæc mulier ab angelis avertit vultum. ut poſſit caſu credens videre, quem credit, ſe convertit ipſa retrorſum. Dulciſſimum eſt confabulari cum angelis, altitudinem atque ſuavitatem humanæ linguæ omnino præcellunt. Et ipſi hanc mulierem ad loquendum invitant, blandis & compaſſivis ſermonibus blandiuntur, & exquirunt cauſam, volentes inferre ſolamen. Ipſi cum ea loqui delectari videntur, ſed aliud ſibi præ amore jucundius, eis vertit ſcapulas vultumque vertit inquieta retrorſum, & à Verbis eorum avertit inſaniens, & amore amens auditum. Sequitur amoris ipſa naturam, qui ſe non in naturam rerum, ſed in placitum trajicit. Quamvis Chriſtus omni angelo ſit ipſe nobilior, cujus nobilitatis quia Deus oblita Maria, viventem ut Deum & hominem verè reſuſcitatum, non ut erat, ſed hominem mortuum inter mortuos requirebat. Quo ſic mortuo aptiores atque validiores erant angeli ad ſolamen, & ad ejus uſum dilectionis, quæ ſenſu auditus atque viſus percipi poteſt. Et gratior menti rationabiliter eſſe debet vivorum maximè angelorum, quàm mortui affabilitas. Sed quod gratius eſt in natura, ſæpe minus capitur ab amore, qui fertur in placitum, non naturæ, ſed ſæpius accidentis, apud quem ſæpius agitur judicio utilitatis & delectationis plus, quàm judicio rationis. Sed ne diuſculè talibus delectationibus morer, utilior intellectus offertur. Statuit ab æterno divina juſtitia, ut anima, quæ nullis creaturis citra Deum conſenſerit delectari, quod ipſe ſe ad fruitionem impendat. Ac per hoc Magdalena avertens vultum ab angelis : *Converſa retrorſum, viditque JEſum ſtantem, & non ſciebat, quod JEſus eſſet.* Scitura tamen in proximo bonitate quæſiti, porro verſabatur adhuc in tenebris ignorantiæ. Sed mira & laudanda divinæ recompenſatio bonitatis, ut quia quærebat ſedula, quia nullis ſe conſolabatur oſtenſis, viſis non lætabatur, parvipendebat audita, Chriſtus ad votum ſe obtulit inquiſitus, ut lætaretur, quæ in pluribus lætandi copiam refugiebat. Et in plus Chriſtus huic mulieri retributæ lætitiæ fecit auxeſim, ut quæſitus ut homo, conſolaretur ut Deus. Et tamen quæſitus auferendæ triſtitiæ facit exordium, di-

cens :

Luc. 7. cens : *Mulier quid ploras ?* Quærit ut homo, qui omnia ſciebat ut DEUS. Noverat cur plorabat, ſed interrogatio ampliores provocabat ad lachrymas. Tu quidem Chriſte hanc mulierem ſecretò tractu mentis magnetino more traxeras ad amorem, tu inviſa catena ſuavis dilectionis ligaveras, tu imbueras amore cor ejus. Tu ſignis, tu Verbis commovens, tu peccatorum remiſſione purgaveras. Tu ipſam tibi tactus permiſſione ligaſti, tu amoris tui aſcia omnis rei concupiſcibilis delectationem ab ejus animo
Joan. 12. abjeciſti. Tu te ſibi ſolùm dediſti ad gaudium fœdere ſempiterno, tu ſuſcepiſti lachrymas ejus, nec abhorruiſti oſcula labiorum ejus, tu illam dimiſiſti, ut à te per omnia iret in pace. Tu interpellatus judex ejus advocatus eſſe potius voluiſti, ne impediretur contemplatio dulcis ejus, cùm illam ſedere cognoſceres ad tuos divinos pedes, pro te ſe fatigante ſorore. Tu lachrymas ipſa vidente fudiſti ad germanicum funus, tu eam ſignis atque ſignatis tibi Sancto amore per omnia colligaſti. Nunc privatam ſolitis tu inquiris, mulier quid ploras ? Non ex toto inſenſibilis aut immemor facta eſt mulier, ut quid amiſerit, non cognoſcat, & niſi reinveniat, quanto ſit dolore donanda. Tu in iſta plantaſti fidem, qua affecta in parte te quærit, tu ſpem ejus ad ſuperna vexiſti, tu radicaſti protinus in ejus animo charitatem. Tu rigas illam, ut incrementum ſuſcipiat in inviſibilibus aquis. Charitas à te in ipſa diffuſa, in te ab ipſa refuſa, hic ad monumentum tuum ligatam tenet, illam plorare facit. Quid ergo eſt quod interrogas, quid ploras ? Tu cauſa queſtus, tu cauſa ploratus. Tu inquietas illam, tu ab angelis illam avertis, tu vivere in pace non ſinis. Tu illam delectari rebus à te creatis non permittis. Tu ad amoris tui impatientiam adduxiſti, ut nec conſoletur in his, quæ videt, niſi te, quem non cognoſcit, cognoſcendo videat, videndo cognoſcat. Quid ergo bone JEſu interrogas diligen-
Luc. 10. tem atque dilectam quid ploras ? Sed ad hoc interrogas, ut erudias, ut finem imponas lachrymis ejus, quam ad te converiſti per poenitentiæ lachrymas & oſcula pia ejus, ut reſtaures in illa deperditam fidem, in qua ipſam ſalvam eſſe ſanxiſti. Et plus addit ad amoris & pii doloris argumentum : *Quem quæris ?* Ipſe quæſitus erat, qui quærit, qui quæritur & ipſe ſe volebat offerre per veræ fidei notitiam inquirenti. *At illa exiſtimans, quod hortulanus eſſet, dicit ei : Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* Exiſtimatio hujuſcemodi fortè ab oſtenſa effigie cauſabatur. Illam ſiquidem credimus oſtendiſſe JEſum, aut quia in horto erat monumentum, aut quod Magdalena plorabat, ut alterius non crederetur adventus, niſi ejus ad quem articulariter ſpectaret, pia tamen exiſtimatio fuit nec ab eo abſona, quòd in ipſa vitia eradicando, virtutes inſerendo peregerat, & repullulantem infidelitatem nunc venerat ablaturus. Tenebantur tamen oculi fortè commento diaboli, aut pia diſpenſatione JESU, ne ſubitò injecti agnoſcerent, quem anima ejus amore magis, quàm vera fide quærebat, pro eo, quòd viventem inter mortuos requirebat. Et non præſtans teſtificationibus angeli fidem, merebatur non aſpicere veritatem. Unde in objectam oculis formam, anima decepta non vera exiſtimatione ſe tradidit, ſed meretur error facilior veniam, qui à ſenſibus exterioribus, non interioribus incipit. Et ſenſualis quàm intellectualis eſt ad curam facilior, culpæque minoris, qui verò ex intellectu ſeu in Spiritu exoritur, difficilem & temporaneam curam habet, culpæque majoris. Humiliter tamen, ſed inconſideratè iſta mulier hunc, quem exiſtimat hortulanum alloquitur, ſubjicit ſe in Verbis credito, ut hortulano ex amore quæſiti dicens : Domine ſi tu ſuſtuliſti eum. Dominum vocat plebejum abjectique miniſterii virum, ad hanc humiliationem quæſiti dilectione cogente, inconſideratam lucutionem emittit : Si tu ſuſtuliſti eum. Quæ cauſa eſſe potuiſſet, ut quod quærebat corpus, quod tuliſſet hortulanus ? Non ſuberat cauſa, ſed amore inſaniens loquebatur improvidè Magdalena. Quod ſi cauſa ſubeſſet etiam iſta ſuis ſtimulis agitata minus ſapiens loquebatur, cùm petit edici. Non huic quærenti reſerandum erat, ſi ablationis cauſa ſubeſſet. Et mirum, quòd hunc, quem hortulanum credit, alloquitur velut certiſſimum ſui deſiderii cognitorem. Habet in moribus ſuis amor impatiens, ut ſæpe credat omnem hominem aſtantem ſua vota cognoſcere, & in doloribus verſatus ab omnibus cum cauſa ſe cognitum credit. Idcirco velut ſcientibus factum & cauſam omnibus loquitur, prout nunc feciſſe novimus Magdalenam, cui corpore abſentes, Spiritu præſentes, Verborum bellum indicimus. Si hortulanus tuus eſt notus, ſi tua vota novit, cur eum aſſertione determinata non alloqueris ? Si autem ignotus, cur ei non edixeris, quem inquiris, ſed in-

quis?

quis : Si tu ſuſtuliſti eum ? Quem eum? Si hortulanus ignotus tibi eſt, tua vota non novit, neſcit quiſnam ſit, quem tam diligenter inquiris. Quem eum interrogas, ac ſi præſente ipſo illum in monumento clauſiſſes ? Quem eum ? Quid iſte ſi hortulanus eſt, de quo quæris agnovit. Sed optimè neſcia loqueris, quia non patrem, non fratrem, non filium, non amicum terrenum inquiris, ſed eum, qui eſt, & qui venturus eſt, & dum ſic profertur, ſine agnominatione fuiſſe ſciatur. Sed credis ne tu mulier omnibus ſicut tibi tuum familiarem eſſe amorem ? Credis quod omnibus ſicut tibi tuum eſſe dolorem, ut dicas : Si tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum ? Quis intelliget eum, quem frangendo ſingultibus vocem impetu deplorandi, ora rigando lachrymis expreſſè non nominas ? Sed fruſtratius iſta mulier Verbis & locutionibus vagabatur, quanquam duntaxat corpus terrenum inquireret, cùm impotens viribus tollendi fingebat audaciam, quia nec illa mulier corpus illud, ut quærebat, exanimatum grave per molem portare ſola potuiſſet, cujus ipſa fuit de portatoribus ad ſepulchrum. Nec corpus Chriſti modica ſeu imperfecta, ſed communi & completa & decente quantitate conſtabat. Sed amor impoſſibile ad poſſibile ſua opinione reducit, & quod nequit, efficere poſſe credit. Cæca & improvida protinus amoris audacia, quàm poſſit efficere, plus promittit. Quo autem iſta mulier detuliſſet ſi abſtuliſſet & corpus, penitus ignoramus. Magis autem ipſam locum quo delatura eſſet, prævidiſſe non credimus, zelus omnino ſine ſcientia in ejus anima bulliebat. Sed qui hortulanus exiſtimabatur, erat qui quærebatur. Sed nec fixum ad hortulanum creditum Maria tenebat aſpectum, & incertis & undique viſibus vagabatur, moerens & ejulans, quia nec protendebat reſuſcitatum, nec reperiebat defunctum. Incerta mente & variis corporis motibus effluebat, excepto quod à ſepulchro recedentibus omnibus, ipſa ſola non recedebat. JEſus autem qui eam conſolaturus advenerat ſimiliter reſtituturus ad fidem, ipſam nominativo Verbo alloquitur, dicens : *Maria.* Hæc ſiquidem vox exprimens nomen ejus penetravit animam ejus, plus in virtute ad ipſam exiſtens, quàm in ſono editæ vocis. Sola ſolita ſolum ſolitè audivit loquentem, ac per hoc cognoſcens ſolitam vocem, recepit & fidem. *Unde converſa illa, dicit ei : Rabboni, quod dicitur magiſter.* Quo converſa ? Ad loquentem, Quia cùm primo converſa retrorſum videns hortulanum, ſua interrogatione completa reconvertit oculos ad ſepulchrum, aut undique gyrabat aſpectum, ſperans ex aliqua parte ſibi apparere quæſitum. Nunc ſiquidem, audita voce quæſiti, ad eum ſe iterum convertit motu corporis, amplius autem motu mentis in fide veritatis. Et vocat magiſtrum qui diſcipulæ nomen expreſſerat. Non invenimus JESUM aliquam mulierem, ſed neque matrem, niſi hanc & ſororem ejus propriis nominibus appellaſſe. Quæ, ut ex adjectione Verborum JEſu comprehendere poſſumus, non contenta Verbis, ſed aptitudinem corporis, ut ſolita erat, ad pedes oſtendit, ut tangeret. *Cui JEſus ait : Noli me tangere nondum enim aſcendi ad patrem meum.* Volebat enim tangere Maria Magdalena ſolitis appetens gaudere contactibus, adhuc reſurrectionis, ut erat, non tantipendens æternè reſurgentem corpore glorificatum, volens ut tacta eſt mortalem & paſſionibus ſubditum. Et quanquam ad vocem ejus fide converteretur in eum, non illico ipſum per reſurrectionem altioris conſiſtentiæ cogitabat. Proinde JESUS cauſam intactus adjecit : *Nondum enim aſcendi ad patrem meum.* Verba ſunt iſta implicantia rudem intellectum, ſed explicantia fidelibus veritatem. Tangi nolebat ad ſenſuum conſolationem, quamquam ſe tangi permiſerit ad reſurrectionis oſtendendam omnimodam veritatem, ne corpus impalpabile non quod in ſepulchro jacuerat, crederetur : Quia nondum ad patrem aſcendi. Ex quo erat omnibus prædeſtinatis utriuſque hominis donanda pacatio, nec quærenda ſeu donanda erat amplius per eum hujuſcemodi conſolatio ſuper terram, ut de ipſius mutuis corporis veſtibus à quoquam poſſit eſſe gaviſum, ſed in ſupernis apud patrem ſuum, ſi qua ſunt, aut eſſe poſſunt in utroque homine ſolamina reſervantur, ubi hominum tactus tanquam in Spirituali corpore optime per omnia ſulcietur merito reſurgentis, qui pendens in cruce, in tactu habuit aſperum ſenſum, ut ſequeretur pœna pleniſſima morientis. Non quæras in me mulier ſolita tui animi aut corporis fulcimenta, in meliora tibi & cæteris ſunt commutanda fidelibus, ut non in terra quærantur ulterius, ſed cum ad patrem meus fuerit celebratus aſcenſus, non Dei Filii, qui ex deitate non moritur, nec reſurgit, nec ad patrem velut ab eo deſciſſus, nunc reaſcendere velit, ſed Chriſti hominis, qui mortuus fuit in carne, nunc ab inferis & à tumulo exaltatus, & in ea-

dem carne ad æternum patrem in modico aſcenſurus. Sed nondum aſcendi trabea carnis indutus, quam accepi ex virginali utero, cum qua converſatus in mundo, cum qua affixus in ligno, cum qua jacui in ſepulchro, cum qua glorificata reſurgens aſpectibus tuis appareo, cum qua ſunt tibi & electis meis præmia beatitudinis alta donanda. Sed cùm aſcendero ad patrem, ubi erat glorificatorum corporum verus tactus, ſed hic pro beatitudine nullo pacto me tangas. Non ſunt ſub cœlo adhuc præſtandæ beatitudines, ſed donandæ virtutes. Nemo hic beatificandus, niſi ad patrem cum aſſumpta carne qui deſcendi, ut aſſumerem, prior ipſe revertar. Expediebat omnino ad patrem regredi cum carne, à quo per deitatem nunquam diſceſſerat, & parare locum, ſicut ipſe prædixerat. Et manſionum diverſitate tributa tactus beatificæ gloriæ verus erit. Alta ratione Maria tangere ſatagebat, & alia ratione Chriſtus illam abigebat à tactu. Illa motu ſenſus adhuc in ſenſibus degens, portans mortale, non ſpirituale corpus. Sed ad deſignandum beatitudinem non eſſe infimis, ſed in ſuperis ad patrem, illam à tactu prohibebat JEſus, ut in hac ſola muliere, quæ peccatrix extiterat, inſtrueretur eccleſia militans colligenda de gentibus, & peccatoribus juſtificandis per gratiam, ne in hac vita in Chriſto præmia beatitudinis quærat, neque conſolari, ſed tribulari, affligi, crucifigi & privari amœnitatibus ſenſualibus, decorari virtutibus appetat ſuper terram, beatificari verò cum Chriſto in cœleſtibus apud patrem. Non eſt in carne mortali competens beatitudinis tactus, & ordinata poſſeſſio. Proinde à tactu glorificari corporis prohibetur mortalis adhuc & ſubjecta miſeriis. Magdalena in documentum & præſagium cæterorum, ut non in via etiam in Chriſto beatitudinis præmia, ſed ex ipſo & in ipſo & cum ipſo & per ipſum & propter ipſum virtutes & virtutum exercitia inquiramus. In patria verò ſuperna præmia infinitæ gloriæ, cùm erimus apud patrem, ad quem, ut manſiones debitas præparet, & competentia loca credentibus, protinus & poſt paululum aſcenſurus erat & Chriſtus. Qui Magdalenam pro tunc & pro illa intentione à tactu remotam, illam transmittit ad fratres ſuos Apoſtolos, quos ex charitate fratres poſt reſurrectionem appellat, oſtendens, quòd propter reſurrectionis claritatem ad eos & ad fideles cæteros non perdidit pietatem. *Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum.* Aſcendo ad patrem meum per naturam, veſtrum per adoptionem & gratiam. Patrem meum, cum quo mihi eſt in deitate vera æqualitas: Patrem veſtrum, ſub quo vobiſcum eſt mihi vera fraternitas. Patrem meum & veſtrum. Homo ſum, & vos homines eſtis. In hoc unum atque communem poſſidemus patrem. Patrem videlicet creatione, amore, beneficio, dono. Sed quoniam Deus ſum, meus æternè, quoniam homines puri eſtis, veſter ex tempore. DEUM meum & Deum veſtrum, ut una ſit capitis & corporis in Deo & per Deum æterna beatitudo. Deum meum, cum quo mihi par eſt una deitas: Deum veſtrum, ſub quo vobiſcum eſt mihi eadem non diverſa humanitas. Magnam indidit Chriſtus nobis ad ipſum fiduciæ veritatem, magnam protinus æternorum communionem, imo ineffabilem atque interminabilem unitatem, cùm patrem Deum una cum ipſo dixit eſſe communem. Necdum in his Verbis omnem fidem & ſpem reſurrectionis perficit, ut ſicut Deus ſuus eum cuſtodivit in pœnis, animam evulſit ab inferis, à tumulo corpus, ita & nos reſuſcitabit, quia etiam noſter eſt Deus. Prærogavit verè credentibus ſperandæ gloriæ infallibilem veritatem, & pacem habere conſtituit in adverſis, ut ſicut eum ſuus pater in omnibus glorificavit, ita vos quibus Deus pater & Deus eſſe ab æterno prævidit. Ecce conſtituitur Magdalena inter homines prima nuntia Sanctæ reſurrectionis, & ipſa prior inter mortales atque corruptibiles efficitur præconiſſa, ut nuntiet his, qui hanc reſurrectionem per univerſum orbem proclamaturi erant. Et CHRISUS ore ſuo ipſam primam ſuæ reſurrectionis Evangeliſtam facit, de qua ſeptem dæmonia inviſibiliter & pontenter expulerat, ut pro peccatoribus mors ejus credatur, & celebrata ſurrectio, ut nec infidelibus ad fidem converſis, nec peccatoribus ad gratiam verè reverſis credatur adimi gratia Verbi. Nec à divinis myſteriis putetur excludi etiam ſexus fœmineus, & infirmior natura non deprimit eum, cui arridet virtus, & gratia fulcit. Conſolatur Deus pater & reſurrectio filii mulierem, quæ hactenus fuit in civitate peccatrix, & nunc quamquam illis non infecta contagiis, erat enim nihilominus infidelis. Et in illa dat reſurrectionis præconium, ut confortet tunc infidelem Apoſtolicum chorum, ut pro

peccatoribus credamus CHRISTI JESU tam alta myſteria celebrata, juxta quod Petrus in epiſtola ſua inquit: Benedictus Deus & pater Domini noſtri JEſu Chriſti, qui ſecundùm magnam miſericordiam ſuam regeneravit nos in ſpem vivam per reſurrectionem JEſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarceſſibilem conſervatam in cœlis, vobis qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem paratam revelari in tempore noviſſimo. Hæc ſiquidem firmant cum ſe reſuſcitatum oſtendit, & ad patrem & communem nobiſcum Deum in brevi aſcenſurum ſe aſſerit. Hæc dicens JEſus, ab oculis Magdalenæ diſparuit. Illa in baſe repoſita fidei, à qua dimota extiterat, egreditur hortum illico, reliquit ipſa ſepulchrum, nec ultra ſe inclinavit, ut aſpiceret, nec amplius ſi adhuc eſſent, vel receſſiſſent requiſivit angelicos teſtes, de reſurrectione credula, de quæſito incunda, & ut juſſa Domini & magiſtri perficeret, animo & corpore feſtinavit. Et cùm reverteretur, ſuas conſocias in itinere infra ſepulchrum & Jeruſalem conſternatas animo, lento gradientes veſtigio adinvenit. Quas etiam ſociali diſcretione retento pede, atque interpoſita ſeſſione, dum iſta cum Maria fiebant, neſcientes credimus expectaſſe. Sic inſimul verſus Jeruſalem venientibus, illi jucundanti, illis triſtibus præ dolore. *JEſus occurrit, dicens: Avete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Occurrit JEſus eum ſedulo amore quærentibus, & ſolicitam curam gerit, ne animæ dilarione frangantur, feſtino remedio fragilibus opus eſſe cognoſcit, ne ſpes dilata in deſperationem tota mutetur, & ne pius animus habitum impietatis aſſumat. Cura eſt Chriſto de infidelibus, ut adducat ad fidem, licèt omnes non veniant, cadentibus ab habita virtute, ut reſurgant, quamvis non omnes pariter releventur, de his, quæ aguntur virtutibus, ne labantur, quanquam inveniantur non omnes in his æquè ſtabiles, & in operibus efficaces, de his, qui à virtutibus non deficiunt, in ampliora proficiant, ſed tamen omnes eodem Spiritu non feruent. Et ut proficientes perveniant, ſuis miris modis in ſecreto & inviſibili ſenſu occurrit, & ſua pietate ſuſfulcit, in occurſu hujuſcemodi, dicit: Avete. Plenitudinem pacis & abdicationem perturbationis inſinuans, & plus menti quàm ſenſibus corporis ipſe Salvator occurrit, ut corpore oculis, Verbo menti, voce in auribus transfuſa loqueretur, ut corporea & mutua viſione anima inviſibiliter inviſibili fide de reſurrectione firmaretur. Occurrit Salvator viam hujus mundi pavidè gradientibus, quia ipſe in via qua melior eſt ducatus, ut relicta Sæculi via, illam, quæ in patriam provehit, gradiamur. Et pacem loquitur, cùm obviatoris more ſalutat, Avete. Quod Hebraica lingua Verbum eſt pacis. At illæ tenuerunt pedes ejus. Quomodo tenuerunt? Geniculando ante eum, ob reverentiam & amorem. Et ſe tangi nunc JEſus permittit, ad oſtenſionem & certitudinem reſuſcitati corporis, quod Mariæ denegaverat in horto, in abdicationem ſenſualis delectationis. Geſta enim Chriſti nunc denegata, nunc conceſſa, nunc prohibita, nunc promiſſa, magnam nobis aſtruunt myſterii rationabilem varietatem, ut unum & idem, quod uno tempore denegatur, alio conceditur atque permittitur, defectum in quæſito, indignitatem in quærente, ineptitudinem in modo, importunitatem in tempore, indecentiam in re dum negatur, importare credamus, cùm verò conceditur, his caruiſſe atque ornari contrariis firmiter autumemus, nec pro tanto divinum mutatur conſilium, ſi opera varientur. Novit enim divina providentia ſine dolo noſtris utilitatibus conſulens, qualiter & quando & quid nobiſcum diverſimodè ſit agendum. Et nunc proclivæ mulieres tangunt, & oſculantur dominicos pedes, & ad ſolita revertitur Magdalena. Et recognoſcunt reſuſcitatum, quem viderant cruci affixum, & in theca petrina recluſum. Et reſuſcitatus in corpore, in illarum animabus fidem reſuſcitat, ut proclivè corpore, in anima profundius inclinentur. Cùm enim adorant in valida fide mentis, proteſtantes illam geſtibus corporis, magno ſacramento ad poſteros tranſductum eſt, ut in CHRISTO reſurrectionis gloriam veneremur, ejus merito noſtram beatè fieri, ſi fideliter vixerimus, expectantes. *Tunc ait illis JESUS, Nolite timere.* Ab angelis & CHRISTO à mentibus harum timor excluditur, ille videlicet, qui titubare in fide aut illam tremulam facit. Nullus noxior timor quàm hæſitare de CHRISTO, atque de geſtis ejus in noſtram ſalutem dubio commoveri. Radix bonorum fides, ſine qua impoſſibile ſit Deo poſſe placere. Cæteræ virtutes ex ipſa velut rami ex radice conſurgunt. Hujus radicis commotio periculoſior eſt quàm ramorum. Proinde timorem,

1. Petri. 1.

Matth. 28.

morem, qui eam concutit, Salvator reſuſcitatus excludit, dicens: Nolite timere. Quod etiam ſui legati ad ſepulchrum angelici teſtes eisdem mulieribus cum viſitarent ſepulchrum, ſimiliter prædixerunt. Sed reſuſcitatus Chriſtus ſuorum commilitonum non obliviſcitur, quamvis ſecum in tam alta pugna non utique decertarent, eum ſolum præ timore in bello ſæviſſimo relinquentes, ſed curam continuam gerit, quibus jubet mulieribus talia nuntiare. *Ite nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Hoc idem angeli paulò ante prædixerant. Magna hujus almi regis bènignitas, qui relictus in bello, ſuos pavidos & formidoloſos, fugitivosquè ſocios fratres nominat, cùm evaſit, & novitatem cœleſtem eis in ſuo corpore oſtendere repromittit. Ducis excelſi ſuavitas, qui eum negantes ingruente bello, tempore tenebrarum fraternum ſe dicit ad eos tenuiſſe amorem. Inſolita clementia principis, qui poſt preſſuram bellorum, poſt victoriam de lingno, de tumulo, de lege tartarea reportatam, ſub æterno patre continuò fratres appellat. Primogenitus enim factus eſt in multis fratribus, & ſuſceptam ex tempore carnis traduce, in parentem, in ſuorum fidelium numero voluit eſſe matrem, cui nominat eos fratres. Excluſit profectò tyrannidem, regnandi ſuperſtitioſum faſtigium, dominandi faſtum depreſſit. Et cúm illos, quos in æternum ſecum præviderat regnaturos, in fraterna æqualitate diſtinxit in ſuperno regno atque cœleſtibus moribus abſtulit, ſub & ſupra omnem alium, non tamen ſuum evacuans principatum, ſub quo velut cum primogenito æquo fraterno jure vivere poſſe poſt natos, non in natura, qua DEUS, non in carne, in quam ſingulariter natus, ſed in gratia & gloria per viventem ſpiritum, quem in filios adoptionis effudit. Nempè ab earum oculis diſparente Jeſu, quod eis prædixerat, feſtinant mulieres perficere, ſcilicet nuntiare apoſtolis viſionem, quam habuerant Domini reſurgentis, & lætitiam eis in Galilæa futuræ apparitionis. *Et venientes invenerunt undecim congregatos.* Quos primò velut audacior atque ferventior alloquitur Magdalena meritò ſibi deferentibus cæteris, unde ei maximè ab evangeliſtis contribuitur, quod reſurrectionis nuntiaverit veritatem, quanquam & aliæ mulieres in via eum viderint occurrentem, audierint & loquentem, & tenuerint ejus pedes, & perfecta inclinatione corporis in fide veritatis adoraverint ſuper terram. Sed neſcio qua pia permiſſione Mariæ duntaxat permiſſa ſit autoritas nuntiandi, & viſa, & impoſita differendi, quæ ſpeciali alloquio ſuadet vera eſſe, quæ viderat, duobus apoſtolis, qui cum ea fuerant ad ſepulchrum, cùm ipſa prima eis ediceret viſionem vidiſſe civium ſupernorum. Lugebant tamen ſingulariter & amaro animo Petrus & Joannes, quia iverant ad ſepulchrum, nec Jeſum aut angelos, ſed tantùm monumentum vacuum cum linteaminibus videre meruerunt. Et illi audientes, quia viveret & viſus eſſet ab ea, non crediderunt, quia & ipſi acceſſerant & nihil viderant. Regebantur more illorum, qui cum anxietate alloqui cupiunt, qui, quamvis quod dicitur verum ſit, quousque videant, fidem præſtare recuſant. Sed mirum, quòd iſta mulier ad iſtos maximè ſe trahebat, aliam non novimus cauſam, niſi quia ipſa noverat eos magis amore ferventes aut affectos acriore dolore, quod his, quibus hæ mulieres gaudebant, ipſi quaſi neſcii privabantur. Et mos eſt, cùm plures amatores in uno dilecto præ cæteris amando conveniunt, quod ad ſeinvicem plus requirunt. Et ſi veriſimile animal ad ſuum ſimile jungit, amoris natura in amore magis ſimiles plus aſtringit. Quibus auditis ab aliquibus ſtatur, ab aliquibus diſcurritur in incertum, ſed certis itineribus ad quærendum. Interea, dum iſta, quæ ſupradicta ſunt, agebantur, ſcilicet à prima locutionè facta mulieribus angelorum, usque dum eſt Chriſti apparitio tertia ſubſecuta, falſum exortum eſt de veritate commentum, ſed ſemper veritas ex ſibi oppoſitis plus refulget. *Nam ecce quidam de cuſtodibus*, qui de ordinatione pontificum & ſacerdotum & decreto Pilati, ut cuſtodirent à furto corpus, poſiti fuerant ad ſepulchrum, *venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus ſacerdotum omnia, quæ facta fuerant*, & illi congregati conſilio cum ſenioribus accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus. Et ſi hoc auditum fuerit à præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt ſicut erant edocti. Et divulgatum eſt verbum iſtud apud Judæos usque in hodiernum diem. Cuſtodes erant ſepulchi, non corporis, quanquam pro cuſtodiendo corpore poſiti eſſent. Sepulchrum manſit omnino inablatum, corpus ſiquidem non potuit cuſtodiri, quin ex indita virtute cuſtodum abjecta perpenſione reſurgeret. Neque cuſtodes humana induſtria præjudicare divinæ potentiæ potuerunt. Et quamvis poſiti eſſent de providentia Judæorum pontificum, ne diſcipulorum furto paterentur ipſi calumniam, proviſione poſtera

Matth. 28.

ſtera excellentius prævidit altiſſimus, ut ipſi eſſent primò Judæis teſtes veriſſimæ reſurrectionis, qui fuerant adhibiti ad excubandum contra opinatum furtum corporis, ſed ſemper ſibiipſi mentitur iniquitas, & commentum maligni ſuum retorquetur in caput & ſæpe iniquis in contrariam reflectitur partem, quod ad vota componunt. Plerunque in aſtutia ſua mundi ſapientes Dominus comprehendit, ut unde credunt elabi, inde capiantur, & unde lætari, ex eo triſtentur. O! quanta Judæorum pontificum debuit eſſe confuſio, quantusque dolor, ut illos audirent reſurrectionis illius teſtes, quos contra furtum ſtatuerant eſſe cuſtodes, & ſcirent illum vivere, quem tanto ſtudio morti tradiderant. Exitiale malum illorum vexabat animos, cùm timerent illum in vita nova ſuperiorem, & fruſtratam eſſe omnem induſtriam, quam in ſuam necem ediderant. Et nulla peſtis animos hominum tam ſævè depaſcit, quàm cùm ſciunt proſperari per omnia inimicum, quem nullo pacto volunt amicum, maximè, cùm redditur ex perſecutione ſublimior. Maluiſſent Judæi non intuliſſe necem, quàm ipſum ex morte reſurgere. Protinus enim æmulus læditur, ſi adverſarius ex illatis malis amplius inclareſcit. Pontifices & cæteri hæc audientes, ad Chriſtum pœnitentiam agentes, tota intentione debentes converti, potius ad falſa commenta more ſolito ſunt converſi. Nam proprium eſt depravatorum hominum, ut ex bonis ad mala, ex melioribus ad pejora, ex optimis ad peſſima convertantur, & relicta veritate ſe pallio virtutis obnuant. Unde audientes hæc congregati ſunt, non in charitate, ſed in iniquitate iterum contra Chriſtum falſitatibus pugnare tentantes, & ſumpto damnato conſilio, teſtes pecunia corruperunt in mendaciis inſtruentes, quòd ſopore depreſſis corpus à diſcipulis eſt ſublatum. Et ſecuritatem promittunt à præſide ipſi penitus pavefacti & territi animo falſam fingebant audaciam, ſed meritò deluduntur, cùm mendacium aliquo veriſimili neſciant colorare: nam omne mendacium, quod creditur, coloratur ſimilitudine veri. Proh! Si dormiebant, quomodu viderunt, quod teſtificati ſunt? Quæ leges dormientes admittunt in teſtes? Quis teſtificabitur, quod non videt? Et ſi fortè crederetur, quòd ſomniando vidiſſent, in ſomniantibus continuò eſt deluſio. Et ſi dormiendo in ſomnis viderunt, cur ergo ad rem tam eis contrariam excitati non ſunt? Solent prorſus in ſomnis adverſa videntes ſubitò excitari. Et ſi excitati, cur fures non fuerunt illico perſecuti? Si vigiles pernoctabant, cur inermibus non reſtituerunt armati? Nempe per omnia ſunt aperta mendacia, nil ſimile veri habentia, ut in eos in vita præſenti ad confuſionem, in alia verò ad condemnationem omnia reducantur. Sed attrita frons perfidorum non confunditur, niſi cùm nolens ſibi adverſantia patitur. Geminata malitia naſcitur renovatè, cùm nolunt audire veritatem cœleſtem initiatam in Chriſto. Et cùm ex pecunia conantur infringere veritatem, argumentum exitiale omnino colligitur, cùm cœleſtis & æternæ vitæ initium velut non exiſtens obruitur. Inſatiabilis vorago malitiæ, cúi malè agendi argumenta non deſunt. Et ponderoſior in animo, quàm in trutina fuit ipſa pecunia, quæ teſtium animos ad falſa flectenda commovit. Peſſima cupiditate illorum animus agebatur, ut accepta pecunia reſurrectioni Chriſti ipſis audientibus approbatæ per angelos, maleſuaſi turpius inclinati, conarentur inferre calumniam, & convertere in mendacium veritatem. Juxta præmoniti per univerſam civitatem tale commentum publicè divulgaverunt, & prædicatum eſt tam crudele mendacium, & veritas turpiter corruit in plateis, de quibus uſura & dolus in malis conatibus non defecit. Et divulgatum eſt apud Judæos tenaciter, ut usque in hodiernum diem credant corpus fuiſſe ſublatum, aut ex pejoribus præſumant in Chriſtum. Quid igitur nequius eo, quod nunquam quieſcit à malis, ut cum una via malè agendi præcluditur, velut aquarum impetus etiam in partem aliam derivetur: hoc ſiquidem depravatorum eſt proprium. Quid criminoſius, quàm quòd diffuſa pecunia temporalis fecerit diffundi mendacia ſuper orbem, & ipſa corruptibilis corruperit hominum rationem, & mortalis exiſtens ad uſum data mortalibus, vitam denegari fecit immortalem, videlicet, quòd Chriſtus omnium vita & beatitudo bonorum non ſurrexit à mortuis? Sed velut res inanimata & inſenſibilis fuit furto portabilis damnoſo futurorum in præſagio factum eſt cum rememoratione priſcorum, quòd incumbente avaritia confundatur vita mortalis, ipſa regnante tyrannizet & omnino peccatum, ipſa ſuperſtite obruatur & virtus, & ſerpente ut putrida tabe mendacium pro veritate clareſcat. Veruntaman ſicut non deerat impiis ſolicitudo perverſa, quomodo confundere poſſent novitatem cœleſtem, ſic & piis non deerat ſolicitudo quærendi, ſi reperire poſſent ullatenus reſurgentem, ut Petro & cæteris ſegregato, in neſcio quo loco, quem ſcriptura ſilet, Dominus apparuerit, & confortaverit in fide cor ejus, & finem dederit infidelitati & lachrymis ejus. Qui regreſſus ad cæteros cum gaudio apparuiſſe Dominum nuntiavit. Quod ubi auditum eſt, aliquibus diffidentia facta eſt,

aliqui-

aliquibus ſpes, aliquibus conturbatio, quaſi ſingularitatem apparendi cauſantibus, aliquibus proficiſcendi peregre, ſi obvium habere potuiſſent. Quia quo magis reſurrexiſſe ferebatur, viſendi creſcebat aviditas. Proinde *duo ex diſcipulis* corpore diſciſſi à cæteris, relinquentes Jeruſalem reſurrectionis die *in Emaus* cum triſtitia cordis, inceſſu corporis ferebantur, conferentes ad invicem lamentativis ſermonibus, quæ in Chriſto tyrannicè geſta cognoverant, quibus ſe Salvator more peregrini viatoris adjunxit, dans ſe triſtibus ſocium pia curioſitate, prolatis Verbis aures accommodans, quaſi neſcius relatorum, & tenens effigiem alienam à cognitione loquentium, eo merito quo ipſi de ipſo hæſitabant, ipſos de ſermonibus, ut removeret errorem, percunctatus eſt dicens. *Qui ſunt hi ſermones quos confertis adinvicem ambulantes, & eſtis triſtes?* Expertus in ſemetipſo erat de quibus interrogat, & non ſolùm altè noverat, ſed didicerat experimentali ſcientia de quibus inquirit. Sed velut magiſter interrogat, quæ ipſe cognovit, ut diſcipulos non tam in ſcibili, ſed inſtruat in ratione ſciendi. Magna dignatio Salvatoris, qui de ſe loquentibus aſtitit, ut nos ampliora poſſe recipere, ſi actus fecerimus meliores, argumentum indubitate conſurgat. Nam ſi loquentibus præſtitit præſentiam corporis, activis amatoribus præſtabit protinus præſentiam deitatis. Et in effigie peregrina ſe porrigit peregrinis, ut non perfecta ejus in hac vita poſſit eſſe cognitio, innuens ſiquidem, ut & vita noſtra ſit quædam peregrinatio ſuper terram, ubi tantùm ſit neceſſaria uſucapio, non delectatio, & connexus amor in perfunctoriis granis orbis. Ecce vadens iri peregre parum duntaxat appoſitorum capit in ſtabulo incuriè, cætera prætermittens, nec eum ſolicitudo moroſa. ſed itineraria plus moleſtat. Magnum ſacramentum in moribus ſumpſimus, cùm poſt reſurrectionem Chriſtus velut peregrinus apparuit, ut oſtenſa novitate cœleſti, peregrinatio pro ipſa vita hominum reputetur. Et tota verorum fidelium deſtinatio in hoc fiat, ut quod ſemel oſtenſum noſcitur intentione, atque in moribus, id agatur. Sed vera ſiquidem illa eſt, quæ in adinventa ſemper, nunquam in relicta retrovertit aſpectum, & nihil de vita præſenti ſibi proprium fecit, excepto, quo regulata natura fulcitur. Hoc enim ſolùm omnibus eſt in jure, quod verò excedit in voluntate, non neceſſitate, nec jure naturali peragitur. Et illo non voluptuoſè vel maculoſè, ſed more mendicario ſic vadens in peregre uſus eſt, nec vexillum cujuſpiam gloriæ fixit in terra, in qua peregre movebatur, ſed illa quæ poſſunt notum facere, plus obtexit. De ſe diffidens nec habens brachium in corruptis, diſciſſus à cæteris ex omni ſe totus in vitam incommutabilem introverſè progreditur, pallio vetuſtatis exutus, quo mundi civis indutus agnoſcitur, illa vilitatis & novitatis veſte ſe obnuens, qua præditi non hujus Sæculi cives, ſed eſſe cœleſtes deſpectis à mundo fulgoribus inclareſcunt. Præter aſſiſtentiam in effigie peregrina, interrogatio de collatis ſermonibus animos ad aliud trahit. Sed qui ſunt ſermones in via cum triſtitia ſic prolari, non ut ignarus interrogat, ſed ut potius reprehendendo inſtruat. Nam quanquam in via ſumus, dubii de Chriſto non debent eſſe ſermones, quoniam hæſitare de Chriſto non dubia, ſed certiſſima conſtat eſſe damnatio. Et quamvis vera ratio, uſus, mos ſolitus Chriſti myſteriis conſentiant, fides vera ſupergreditur omnium iſtorum judicium, cui firmiter aut tremulè adhæſimus. Proinde ſi firmiter, cur dubii aut queruli, aut pleni amaritudine ſunt ſermones? Cur cor in penetralibus fluctuat? Cur animus anxiè querulatur? Si autem tremulè fidei argumenta ſuſcepimus, cur Chriſto facimus impoſturam, quaſi agenti infirmiter, nec valenti perficere quod ſpopondit? Juſtè igitur arguendi erant, & ut increparet addendo doctrinam Dominus inquiſivit. Amplius ſiquidem arguendi ſunt, qui poſt tanta fidei monumenta, corde in fide nutantes in Verba dubia ſæpe prorumpunt, & plus exaggeratur ipſa conditio, quòd dubius ſocius dubium quærit, cùm mutua ſit locutio inter duos, ut nec alter alterum reprimat, aut ſolidet, ſi vacillet, ſed invicem ambulant, invicem diſſentiendo à fide loquuntur, invicem triſtantur. Nam triſtitia dubietatis eſt germen, & ab illo velut à propria radice conſurgit. Sed illi adhuc nube infidelitatis & dubietatis obtecti, quorum oculi etiam machinamento malo, ſed diſpenſatione divina tenebantur arguti, arguunt quem reputant peregrinum, dicentes: *Tu ſolus peregrinus es in Jeruſalem, & non cognoviſti, quæ facta ſunt in Jeruſalem his diebus?* Increpant interrogati tertium ſocium, quem non ex propoſito, ſed ex eventu ſuſceperunt, ejus protinus cognitione carentes. Nempe atque omnivarie verum eſt, quòd, qui Chriſtum non quærit ex voto ſeu determinato propoſito, ſemper ſit in anima, motibus & cogitationibus ipſi alienus,

Lucæ. 24.
Marci, 16.

nus. Et in his plus quam corpore peregrinus apparet. Effigies ſiquidem cognita eſt, ſed effigiatus ignotus aut modus, quo alia effigie protinus effigiatus eſt. Nemo ignorat peregrini effigiem, ſed vera facies ignota conſiſtit, quod ſi cognita, illico ceſſiabit conditio peregrina, & erit quaſi colonia aut civilis cognitio, ſic in Chriſto omnium factorum verè cognoſcimus vera, ſimiliter improcata per nomina, ipſum verò & actorum modum penitus ignoramus. Quia verò videbatur eis, quòd nullius effugeret ſcientiam, quod geſtum erat in Chriſto, ideo inquiſiti de ſingularitate ignorantiæ, quam ipſum tantùm habere mirantur, ut ſolus non referatur ad id, quòd in civitatem ſolus advenerit, ſolusque in his diebus affuerit, ſed ad id, quòd rem tam omnibus notam ipſe ſolus ignoraverit, aut poſt omnia facta nunc deremotis partibus in Jeruſalem ſolus appulerit. Sed bene in hoc arguunt, quòd res tam nota nullius debebat vitare notitiam, alterius autem ab ipſorum intelligentia quaſi arguendo dicunt: Tu ſolus es peregrinus in Jeruſalem. Veritatem altiſſimam ignorando dicunt. Quoniam ipſe ſolus in patre Verbum, ſolus duarum filius naturarum, ſolus eodem tempore in cœlo & in terra, ſolus eodem inſtanti beatus & miſer, eodem momento in ſuperno throno & crudeli patibulo, ſolus ſimul viator & comprehenſor, ſolus Deus & homo ſimul, ſolus ſingulares gradiens vias. A cœlo curſor ad uterum, ab alvo virginali ad ſpeculabile ſæculum, ſponte ſubiens crucis opprobrium. Inſenſibili corpore introvectus in tumulum exuta carne, in anima petens limbum, inde ad corpus, inde ad ſenſum. Inviſe incognita nota cum viſa obſtantia penetrans, demum ſcandens in cœlum. Solus in diſtinctis duobus locisque diverſis exiſtens unus. Solus in monte altæ contemplationis, ſolus æquori peragrans ſemitas, ſolus transfiguratus potenter. Solus ab inferis revocans jam aſtantes, ſolus donans libertatem necis, & omnis pœnalitatis naturam præpedientis, ſolus amator hominum. Solus ſimul diverſorum hoſpitiorum hoſpes, ſolus immortalis natura, mortalis carne aſſumpta. Solus immortalis potentia, duntaxat voluntate mortalis. Solus in bello, ſolus in victoria, ſolus in triumpho. Solus in morte mortem vincens. Solus in ſpolio. Solus in trinitate filius. Solus in humanitate perficiens, quæ non capit ſenſus humanus. Solus in omnibus mirefactis, ut verè de ipſo prophetatum extiterit: Singulariter ſum ego donec tranſeam. Multa de his (Pſalm. 140.) ſimilia comprehendit hujuſcemodi ſolitudinis Verbum, quòd diſcipuli Chriſto velut peregrino incognito protulerunt, ut etiam ipſi diffidentes, quem peregrinum exiſtimabant, dixerint ignoranter. Interrogat iterum Chriſtus dicens. *Quæ?* Porro in ſcipſo expertus erat, quæ ſcire tentabat, ſed quærit confeſſionem Verbo, ut docendo abſcindat errorem, damnet dubiam fidem. *At illi ſubinferentes dixerunt: De JEſu Nazareno, qui fuit vir propheta potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo. Et quomodo eum tradiderunt ſummi ſacerdotes & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſraël. Et nunc ſuper hæc omnia tertia dies eſt hodie, quòd hæc facta ſunt. Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non invento corpore ejus, venerunt dicentes ſe etiam viſionem angelorum vidiſſe, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum, & ita invenerunt ſicut mulieres dixerunt. Ipſum verò non invenerunt.* Quanquam geſtorum referant veritatem in magna parte diffidunt, & minus debitè credunt, eum prophetam duntaxat appellant, quamvis addiderunt potentiam operis & ſermonis coram Deo, cùm ipſe penitus Deus eſſet carne aſſumpta in ſimilitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo. Aut fortè iſti nunquam crediderunt verum eſſe humanatum Deum, aut de reſurrectione diſſiſi, ſi crediderant, abjecerunt. Idcirco de ipſo, ut de communi propheta invicem colloquuntur. Potentiam tamen operis in miraculis, ſermonis verò in doctrinæ altitudine poſuerunt. Coram Deo, velut ejus amicus ab ipſo accipiens gratiam, & omni populo, propter famam atque ſequelam. Et traditionem ſubjiciunt, crucem & mortem peractam damnata potentia ſacerdotum. Adjiciunt ſpem, quam in Chriſto poſuerunt, ut ipſe redimeret, pro ut ſæpe ante prædixerat, Iſraeliticam gentem, ſed nimis ipſum ad ſeipſos ſecreverant, quoniam redempturos omnes venerat nationes, & appropriabant illi populo, quod erat omnium populorum. Quod Simeon in templo ipſum tenens in ulnis prophetaverat, dicens ſe vidiſſe ſalutare, quod Deus paraverat ante faciem omnium populorum. (Luc. 2.) Fit tamen vehementior eorum dubitatio, & anxior cùm peregrino querela, cùm tertia die ipſum reſurrexiſſe non viderint, hujuſcemodi ante mortem promiſſa facta per Chri-

ſtum

ſtum ad animum revocantes. Et mos puſillanimum eſt, ut quæ non viderint, facta non credant, & quæ non intelligunt, fieri poſſe non credant, & quæ ipſi nequeunt, in eſſe proveniſſe cauſantur. Fit in nonnullis imo plurimis rebus, velut in carentibus luce corporea, ut quod non vident, eſſe non putant. Quo ſenſu hi recitant dubia iſta de Chriſtu. Acceſſum mulierum referunt ad monumentum, dicentes ex noſtris, ut plena notetur communitas, & æqua participano utriuſque ſexus ſub redemptore omnium Chriſto, in quo non eſt maſculus neque fœmina. Et de duobus Petro & Joanne dicunt, ex noſtris, ut etiam charitate atque communitate Chriſti credatur congregatum fuiſſe collegium, ut non ſolùm res, ſed perſonas conſtet fuiſſe communes. Terror quem aſſerunt, provenerat tantùm ex novitate relatæ rei & corporis non inventi, aut adhuc reſurgentis hominis ignorari. Semper enim homines ſubita novitate terrentur, quouſque, quòd dicitur inoleſcat, maximè, ſi ſupra ſenſum eſt novitas. Et ignorantia turbarionem, timorem & admirationem inducere conſuevit. Patet etiam iſtos non receſſiſſe in peregre profecturos, quouſque Petri & Joannis de non invento corpore innotuiſſet relatio, & poſt apparitionem Petri divertentis in locum ſecretum, ubi ſibi Chriſtus apparuit. Narratione per Verba completa geſtorum, Chriſtus etiam adhuc ab eis non agnitus, illorum arguit ſtultitiam & animi tarditatem dicens : *O! ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam ?* Stultitia inertia cordis, magis verò dicitur animi hebetudo, ne intelligat, cùm aderit, quod eſt intelligendum, nec aliunde animus perpenditur, qua remota intellectus fulget luminibus veritatis. Hanc mentibus illorum Chriſtus ineſſe cognoſcebat, quam merito reprehendit. Nunquam enim reprehendiſſet, niſi ſciviſſet eos ab ea detineri, quæ tunc maximè fit in vitio, cùm animus poteſt fieri prudens. Protinus oppoſitum ſtultitiæ prudentia vera eſt. Ac per hoc innuitur Chriſtum ſuos ſequaces velle vacare prophetis, & divinis theoriis intendere. Et Sapientia dicit: Sapientiam omnium antiquorum exquirit ſapiens, & in prophetis vacabit. Proinde ab hebetudine ſtultitiæ detineri, inter vitabilia computatur. Nam ſcriptura dicit: Cum ſtulto ne multum loquaris. Jure in locutione vitatur, in corde factus hebetior. Arguit etiam illorum cordium tarditatem in prophetis credendo veracibus. Jure culpatur tarditas in credendo, ſi, qui loquuntur, noſcuntur eſſe veraces, & ſi quæ ratione non capiuntur, trajiciuntur in fidem. Credere, quàm intelligere uſquequaque noſcitur eſſe facilius. Non enim adhibetur tempus ad ſtudium, nec interpres requiritur in docendis, & ſulcatos literarum characteres ante oculos non expedit exhiberi. Citò enim credulitate capitur, quod non intelligendum & ratione diſcutiendum, ſed duntaxat credendum aſſeritur. Inde quippe fit, quòd eo jure reprehenditur tarditas, quo culpatur, & maximè reprehenſionibus ſubjacet, cùm ex ipſa nulla bona, ſed plurima damna proveniant. De illa profecto dixerim, qua duce fide vel ſtudio veritas in intellectum trajicienda tardatur, aut non apprehenditur virtus expediens. In aliquibus etiam tarditas commendatur, ſecundùm Apoſtoli Jacobi ſententiam : Sit omnis homo tardus ad loquendum, & tardus ad iram. Sed hic à Chriſto illa reprehenditur tarditas, quæ ſub umbraculis fidei non quieſcit, nec feſtinat ſe in ſcripturarum & prophetarum fidem trajicere, ſine qua nulla verè percipitur veritas, nec eis fide non adhibita poteſt fieri pietas. Porro ex hoc colligitur prophetas Domini fuiſſe veraces, veraque protuliſſe de Chriſto oracula, & ſi qua Chriſtus in hoc mundo viſibiliter geſſit in carne ab eis ante prædicta, cùm Chriſtus reſurgens à mortuis, etiam increpaverit diſcipulos tardè credentes. Abjicienda eſt tarditas, quæ vitium non feſtinat expellere, nec nititur adhibere virtutem. Vituperanda tarditas ad expediens, ubi mors nec ſua molimina tardat, & natura tempore & vita propriè procedit in finem, & nihil ſiſtit in rebus, quod ſuis legibus à Deo poſitis velocitate non peragat Sola tarditas hominum eſt in culpa, cùm mente auriga virtute ac moderatis moribus non proficiunt. Sed quod Chriſtus adjecit de opportunitate patiendi, poſſet animos dubiis quæſtionibus conturbare, ſi ſibi aliqua fuit dominata neceſſitas, & quòd aliter non potuiſſet intrare in gloriam, niſi ante talia pateretur. Proinde omne dubium auferatur de cordibus hominum, Chriſtum non ita paſſum fuiſſe, quin aliter potuiſſet redimere redimendum, aut in ſuam gloriam convolare : Sed quod fuit decentius redemptori, aptius ſane redemptis, hoc opportunius fuiſſe credamus, ut opportunitas non ſit neceſſitas, quin aliter : Sed decentiam proviſam potius taliter aſſeramus incognitam nobis, niſi ex fide,

Marginal notes: Luc. c. 24. — Eccleſ. 39. — Eccleſ. 22. — Jacob. 1.

quouſque gloriam pro nobis emptam ſanguine capiamus. Ut autem Chriſtus aſſeret prophetas fuiſſe veraces, & facta clarior eſſet argutio, cœpit eis ſcripturas interpretari. *Incipiens à Moyſe & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant.* Tradunt Hebræi primum omnium prophetarum fuiſſe Moyſen, & ante illum nullum præceſſiſſe prophetam, prophetavit enim de præteritis & futuris. Sed nec intelligendum, cùm Chriſtus clarè de ſcripturis præteritorum geſta & oracula claudentibus loqueretur, quòd tantùm à tempore, quo Moyſes mnndo claruit, ordiretur, ſed ab eo tempore urſus eſt, quo geſta hominum Chriſtum in ſuis paſſionibus figurantia incœperunt, ut quamquam illas ſcripturarum interpretationes, quas pergendo Chriſtus diſſeruit, Evangeliſta non ſcripſerit, ita tamen dixiſſe meis offertur obtutibus, unde formam illius Sanctæ argutivæ interpretationis ſumentes dicimus: O! ſtulti & tardi corde. Nonne cum Deus Geneſ. 2. Adæ dormientis formaret Evam ex latere, hanc præſignavit in Chriſto quam recolitis paſſionem, cùm ſomno mortis dormiret in cruce, quòd in illo ſanguine defluente de Chriſti latere mater omnium fidelium formabatur eccleſia, velut in illo & ex illo à Deo mater omnium viventium formata eſt Eva, ut ſequeretur gloria redempti corporis, virtute atque merito capitis mo- Geneſ. 4. rientis? Nonne cùm Abel juſtus in agro à fraterna cum fuſte ligni fuit interfectus invidia, figuravit Chriſtum, quem triſtes vertitis inter Verba, qui ab invidia Judæorum, quorum frater per carnem effectus erat, interſectus eſt ligno crucis in agro mundi, ubi ſalutem omnium peracturus Geneſ. 9. advenerat? Nonne Noë ab undis validis agitatus in ligno, Chriſti paſſionem per quandam umbram aſſeruit? Nonne nuda- Geneſ. 12. tio Noë facta in tabernaculo ſuo præ calore vini accepti ex vinea quam plantaverat, illam crucis Chriſti nuditatem oſtendit, quæ facta eſt protinus ex amore, quem gerebat ad, quam creaverat, creaturam? Peregrinatio Abrahæ Chriſti peregrinationem monſtravit, ſpectat ad paſſio- Geneſ. 22. nem mundo fieri peregrinum? Nonne immolatio, quam Abraham libens faciebat de filio, traditionem æterni filii ab æterno Geneſ. 33. patre in mortem expreſſit? Nonne aries inter vepres cornibus hærens, Chriſtum inter ſpinas crucis pendentem præmonuit? Nonne idem aries immolatus, & Iſaac liberatus panduit in cruce paſſam carnem, & liberam ab omnibus paſſionibus deitatem? Nonne perſequens Eſau Jacob, unde paſſus factus eſt glorioſior, Chriſti paſſionem Judæis aſtruxit, unde glorioſior viſus eſt per gloriam reſurrectionis? Nonne venditus Joſeph invidia germanorum, Geneſ. 38. Chriſti venditionem adumbrata figura prædocuit? Nonne idem Joſeph, cùm appe- Geneſ. 39. teretur ad nefas, reliquit pallium in manu Ægyptiacæ meretricis, relictam Chriſti carnem in cruce atque ſepulchro præſignavit cum conſentire nollet damnatæ concupiſcentiæ jam adulteræ ſynagogæ, idemque poſitus in carcere innocentia ſuccumbente, pro tempore injuſtitia prævalente. Demum eductus factus eſt Dominus in tota terra Ægypti, & Ægyptiaca lingua mundi Salvator appellatus eſt, ea quæ facta ſunt in Chriſto per mortem & reſurrectionem in umbra prænotavit? Nonne plurima Moyſi geſta in propria perſona Chriſti paſſionem & gloriam reſurrectionis inſinuant? Nonne agnus occiſus ad expedi- Exod. 12. tionem filiorum Iſrael de Ægypto, ſicque aſſus, ſicque comeſtus, ſicque ejus ſanguis per poſtes & liminaria poſitus, mortem Chriſti, cujus ſanguine liberamur, per figuram inclamitat? Nonne ſanguis omnium animalium oblatorum, in quo fiebat expiatio populi & cujuſſibet delinquentis, Chriſti ſanguinem quo redempti ſumus, mundati atque purgati, per quandam futurorum imaginem longè ante monſtravit? Nonne ſuſpenſus ſerpens æneus Num. 21. in eremo, ad cujus aſpectum morſi à ſerpentibus levabantur ſonorum mundo nunciavit Chriſtum in eremo mundi pendentem, ad cujus fidelem aſpectum morbidi facti à peccatis & dæmonibus liberantur? Nonne mors Aaron ſummi ſacerdotis in Num. 20. monte Hor Chriſti mortem ſacerdotis æterni in calvario monte futuram in umbra præceſſit? Nonne Raab meretrix per Joſue 6. coccum in ſigno poſitum ſemetipſam ſuoſque liberans, adumbrato myſterio eccleſiam collectam de gentibus, cum idolis meretricantem, liberatam in Chriſti ſanguine, quem in ſigno ſibi poſuit, præviabat? Nonne Samſonis paſſio à Dalila, & Judic. 16. mors, quam Spiritu inſpirante ſponte ſibi obtulit, plures moriens, quàm vivens de inimicis interimens, paſſionem Chriſti à ſynagoga, & mortem quam ſuapte ſuſcepit, qua factus victor inferni, deſtructor mortis antiquæ, ſecreto myſterio in ſe portavit? Nonne perſecutio, quam paſſus David à Saule atque Abſolon ſæpe fuit, qua factus excelſior, paſſionem Chriſti, quam ſic pati voluit ſuis proceſſibus indicavit? Nonne perſecutio quam paſſi ſunt Elias, Eliſæus cæterique prophetæ? Nonne interfectio Zachariæ inter templum & altare,

tare, ſectio Iſaiæ, paſſionem & mortem Domini multa ante tempora nunciarunt? Sed præter ea, quæ umbraticis figuris geſta narrantur, quæ in propheticis ſermonibus proclamata, ſi non omnia, ſaltem nonnulla protinus adordiamur? Nonne Moyſes prophetice de Chriſti morte locutus eſt Iſraeli, dicens: Et erit vita tua quaſi pendens ante oculos tuos? Timebis nocte & die, non credens vitæ tuæ. Vita factus erat Chriſtus populi Iſraeli ac omni nationi, quæ ſub cœlo eſt, ſi voluiſſent in illam per fidem & amorem intendere, ipſo dicente: Ego ſum via, veritas & vita. Nonne iſta vita pependit in cruce ad tempus moriens ante oculos Judæorum, ſed timentes noctem adverſitatis incurrere, & diem proſperitatis perdere, quam habebant, huic vitæ nullatenus crediderunt? Nonne nunc impleta eſt prophetia David, quam in ſecundo pſalmo poſuit? Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus, ita, ut eum morti traderent per crucem, quod genus moriendi tunc erat horrendius. Nonne impleta eſt ejuſdem prophetia, quam de morte ſimiliter & ſepultura paulo poſt in pſalmo tertio ipſe ſubjecit: Ego dormivi & ſomnum cæpi, & reſurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me? Nonne quia non poterat ab inferis detineri, neque carne in ſepulchro corrumpi, ſed reſurgere per viam vitæ, pſalmus quintuſdecimus enarrat: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis Sanctum tuum videre corruptionem? Nonne derelictionem, foſſionem pedum & manuum, veſtimentorum diviſionem atque ſortem ipſius pſalmus viceſimus inclamitat: Deus, Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? ut una claritate cum Evangelio in geſtis & dictis ad crucem refulgeat. Nonne reſurrectionem ab inferis, & triſtitiam veſpertinam pro morte, matutinam lætitiam pro reſurrectione pſalmus viceſimuſnonus enunciat? Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſalvaſti me à deſcendentibus in lacum. Et poſt: Ad veſperam demorabitur fletus, Chriſto ſcilicet moriente, & ad matutinam lætitia, ipſo reſurgente. Longum eſſet ad multa condenda volumina, omnes pſalmos evoluere, in quibus David varie veraciter & myſtice Chriſti perſecutionem, paſſionem & mortem & reſurrectionem vaticinatus eſt. Nonne Salomon variis ænigmaticis Verbis, dum in perſona ſponſæ loqueretur de dilecto, atque ad ipſum Verba depromeret, myſterium crucis, paſſionis & mortis & gloriam reſurrectionis aperuit? Nam pro tota paſſione quam in corde volebat infigere ait: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Ex multis connexis lignis faſciculum facimus, ex multis toleratis in ligno crucis factus eſt in corde memorabilis faſciculus amariſſimæ paſſionis. Et pro dulcedine pro nobis effuſi ſanguinis dictum eſt: Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Pro ſingularitate autem vitæ Chriſti, & pro umbra crucis, ſub qua poſſit requieſcere malis caloribus æſtuatus, & pro dulcedine, quæ de amaritudine illius patibuli carpitur, etiam ſcriptum eſt: Sicut malus inter ligna ſylvarum, ſic dilectus meus inter filios hominum. Sub umbra illius, quem deſideraveram ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Nonne cùm invitatur ſponſa in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ſignificabatur eccleſia invitanda, ut converſaretur per fidem & dilectionem in vulneribus paſſi Chriſti? Quomodo ergo invitaretur, niſi Chriſtus paſſus in veritate crederetur? Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Petra protinus Chriſtus eſt. Foramina ſiquidem ſunt vulnera manuum & pedum. Maceria corpus eſt Chriſti, quod ſolubile ab anima factum eſt. Caverna ejus apertio eſt lateris, quam unus militum lancea fecit, ex qua nobis ſanguis & aqua profluxit. Nonne cùm eadem ſponſa dilectum nominat rubicundum, Chriſtum denunciat ſanguine cruentatum? Nonne cùm ſe dicebat aſcenſuram ad palmam, ejusque apprehenſuram fructus, eccleſiam omnino deſcripſit, quæ aſcendit ad palmiferam victoriam crucis, cujus edit fructus omnibus dulciores? Sed unde victoria, niſi de cruce, & de morte? Unde fructus, niſi de reſurrectione? Quid clarius quàm quod de cruce ultra ſcriptum eſt: Sub arbore malo ſuſcitavi te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genetrix tua. Sub arbore malo ſuſcitata eſt eccleſia, poſtquam in cruce Chriſtus fuit morte peremptus, in qua ſæviter & ſic paſſus eſt, ſub qua corrupta & violata eſt ſynagoga, quæ mater eſt ex antiquo eccleſiæ noviter militantis. O! ſtulti & tardi corde. Nonne ſine fucatione Verborum in libro Sapientiæ ſcriptum eſt, quod in Chriſto pleniſſime geſtum eſt? Circumveniamus juſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris. Improperat nobis peccata legis, & infamat in nobis peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat.

Deut. 28. Cant. 8. Sapient. 2.

Factus

Factus eſt autem nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Gravis eſt etiam nobis ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius. Tanquam nugaces æſtimari ſumus ab illo, abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis. Præfert noviſſima juſtorum, & gloriatur patrem ſe habere Deum. Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus, quæ ventura ſunt illi, & ſciemus, quæ erunt noviſſima illius. Si enim eſt verus Dei filius, ſuſcipiet illum, & liberabit de manu contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus illum, & ſciamus reverentiam ipſius. Probemus patientiam ejus, morte turpiſſima condemnemus il-

Iſaiæ 53. lum. Nonne quippe Iſaias aptiſſimis oraculis Chriſti paſſionem & mortem, ſepulturam & reſurrectionem Spiritu Sancto afflatus aſſerit, ut velut, ſi evangelium legerimus, cùm illius ſcripturam le-

Iſaiæ 22. gimus, clarè conſpicimus? Nam pro cruce dictum eſt: Dabo clavem domus David ſuper humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat: claudet, & non erit, qui aperiet. Clavis ſuper humerum crux eſt appoſita dorſo ejus; cui verſa facie ad homines crudeliter fuit affixus. Et ſtatim ſequitur utilitas paſſionis, apertio cœli electis nunquam claudenda, reprobis verò nunquam aperienda: & reſeratio inferni ad eductionem ſanctorum, à nemine tunc firmanda, & ipſius clauſura damnatis in æternum nunquam removenda. Nonne pro libera expoſitione totius corporis ad vulnera, & faciei ad alapas, depilationes & increpationes & ſpu-

Iſaiæ 50. ta, de ipſo ſcriptum eſt: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas dedi vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me. Nonne immediate pro victoria mortis, & gloria reſurrectionis adjunctum eſt: Dominus Deus auxiliator meus, ideo non ſum confuſus? Ideo poſui faciem meam duriſſimam, & ſcio, quoniam non confundar? Nonne pro vilitate, abjectione, & deſpectione ipſius dictum eſt: Vidimus

Iſaiæ 53. eum, & non erat aſpectus ejus. Et deſideravimus eum deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem, abſconditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum? Nonne pro ſublevatione noſtrorum facinorum dictum eſt: Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit? Nonne pro apertis percuſſionibus ejus dictum eſt: Et nos putavimus eum quaſi leproſum, percuſſum à DEO & humilitatum? Nonne, quia iniquitates & ſcelera noſtra, non ſua hæc fecerunt, aditum eſt: Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra? Et fructus ſanitatis nobis ex ejus infirmitate proveniens ſtatim adjunctus eſt. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, cujus livore ſanati ſumus. Nonne quia humana natura, unde pro iniquitatibus ſatisfaceret, non habebat, & Chriſto impoſita fuit ſaliva facinoris, ſcriptum eſt: Et dominus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum? Nonne pro ejus voluntate ſpontanea patiendi dictum eſt: Oblatus eſt quia ipſe voluit, ut non credatur invitè ſeu violentatus ab impiis hanc ſævam ſuſtinuiſſe ab æmulis paſſionem. Nonne ad exprimendum magnitudinem humilitatis & manſuetudinis ejus ovis & agni ſimilitudo appoſita eſt: Sicut ovis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum? Nonne ibidem proinde & paternum decretum in morte ejus ſcriptum eſt: Propter ſcelus populi mei percuſſi eum, ut agnoſcat humana natura tam magnum amorem circa ſe in æterno patre ab æterno fuiſſe, ut redimeret ab æterna morte ſervum, temporali percuteret ſine peccato filium? Nonne ſtulti & tardi corde recolitis ibidem ſcriptam liberationem Iſrael, quam nondum factam deploratis, & non ſolúm Judæorum, ſed cæterarum penitus nationum, ut pro ſepultura ipſius & morte horum ſit libera-

tio ſubſecuta? Et dabit impios Deo patri Iſaiæ 53.

in libertatem pro ſepultura, & divitem pro morte ſua, ut impii ſint populi nationum, quia cultu veræ pietatis carebant. Dives fuit populus Judæorum, qui legalibus ſacrificiis & cultibus divinis & ceremoniis plurimis ſe divitem aſſerebat. Itemque ut pro ſuppliciis toleratis, ut plurimorum credatur redemptio, & libertas etiam transgreſſorum perſtrictè adjectum eſt. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis deputatus eſt. Et ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit, ut non perirent. Nonne pro omni bello peracto, & pro ipſius ſolius ſola victoria, pro omni effuſione ſanguinis & pro admiratione angelorum, omniumque alma fide videntium ſcriptum eſt: Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Ego qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Tortular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.

Calcavi

Calculavi eos in furore meo, & concalcula-
vi eos in ira mea. Et aſperſus eſt ſanguis
eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia in-
dumenta mea inquinavi. Dies enim ultio-
nis in corde meo, annus redemptionis meæ
venit. Nonne Jeremias more manſueti agni
Chriſtum victimatum expreſſit? Ego, quaſi
agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.
Victima fuit Chriſtus, cujus interpellatione
vel ope, victoria bellatoribus datur. Non-
Jerem. 11. ne ſine umbra loquendi, idem Jeremias lig-
num crucis in corpus Chriſti mittendum
apertè prophetavit: Venite mittamus lig-
num in panem ejus, & eradamus eum de
terra viventium, & nomen ejus non memo-
retur amplius? Et pro libera reſurrectione
dictum eſt: Tu autem Domine Sabaoth,
qui judicas juſte, & probas renes & corda,
videam ultionem tuam ex eis, tibi enim re-
Jerem. 12. velavi cauſam meam. Nonne in perſona
Chriſti etiam loquitur, ac ſi cœleſtia reliquiſ-
ſet, & ſe ſponte tradiderit in manibus æmu-
lorum? Reliqui domum meam, dimiſi hæ-
reditatem meam. Dedi dilectam animam
meam in manibus inimicorum meorum.
Et pro ſævitia ſynagogæ quæ morti poſtula-
vit ipſum magnis vocibus judicari, ſine in-
Ibidem. terpolatione ſubſequitur: Facta eſt mihi hæ-
reditas mea, quaſi leo in ſylva, & dedit con-
tra me vocem. Nonne prophetando Salva-
torem cecinit affuturum ſalvaturum Iſrael,
de quo diffiditus jam feciſſe, huncqúe va-
gum inceſſiſſe per mundum, quouſque ſub-
iret patibulum Salvator noſter in tempore
tribulationis? Unde Salvator, niſi ſuſcepta
morte reſurgeret, & peregrinationem ejus
ſine propriis laribus immediatè ſubjecit:
Quare quaſi colonus futurus es in terra, &
Jerem. 14. quaſi viator declinans ad manendum? Quare
futurus es velut vir vagus, & fortis, qui non
poteſt ſalvare? Et quanquam ut diffidens
ſcriptura loqueretur, tamen ſtatim de vera
liberatione ſecuritatem poteſtatis adjecit:
Tu autem in nobis es Domine, & nomen
tuum invocatum eſt ſuper nos, ne derelin-
Ibidem. quas nos. Nonne idem Jeremias perſona-
liter figuram tenuit, ac ſi Chriſtus pro preſ-
ſuris tolerandis loqueretur ad patrem, à quo
Jerem. 15. ſuæ liberationis accepit oraculum? Tu ſcis
Domine, recordare mei, & viſita me, & tuere
me, noli in patientia tua ſuſcipere me. Scito,
quoniam ſuſtinui pro te opprobrium. In-
venti ſunt ſermones tui, & comedi eos.
Et pro ſpe reſurrectionis, paſſionis verbum
in gaudium vertebatur. Et factum eſt mihi
verbum tuum in gaudium & in lætitiam
cordis mei, quoniam invocatum eſt no-
men tuum ſuper me Domine Deus exer-
cituum. Et quod penitus in protectio-
nem populi dandus eſſet deſuper libera-
tione promiſſa paterna, poſt ſequitur: Et *Ibidem.*
dabo te populo huic in murum æreum, &
fortem, & eruam te dicit Dominus, & libe-
rabo te de manu peſſimorum, & redimam
te de manu fortium, ubi apertè colligi-
tur liberatio capitis & membrorum. O!
ſtulti & tardi corde. Nonne Deus oſten-
dit Jeremiæ in opere figurali, qualiter Chri-
ſtus cum corpore ſuo reſurrectioni ex morte
donandus erat, cùm ipſum in domum fi-
guli juſſit deſcendere ad ocularem viſio-
nem operis ejus, ut ibi cognoſceret mor-
tem & reſurrectionem capitis & membro-
rum. Verbum quod factum eſt ad Jere-
miam à Domino, dicens: Surge, deſcen- *Jerem. 18.*
de in domum figuli, & ecce ipſe opus
ſuper rotam faciebat, & diſſipatum eſt
vas, quod ipſe faciebat manibus ſuis, con-
verſusqúe fecit illud vas alterum, ſicut
placuerat oculis ejus ut faceret. Hæc ſi-
quidem ſimilitudo indagatoribus animis
mortem & reſurrectionem pronam pandit.
Nonne Judæorum cogitationes atque con-
ſilia de Chriſti morte complenda, & Chri-
ſti piam quærelam in ſua perſona, ut fa-
ctum in Chriſto cognovimus idem Jere-
mias aperuit? Et dixerunt: Venite cogi-
temus contra Jeremiam cogitationes. Non
enim peribit lex à ſacerdote, neque con-
ſilium à ſapiente, neque ſermo à propheta.
Venite percutiamus eum in lingua, & non
attendamus ad univerſos ſermones ejus.
Ubi ſtatim pia ejus & juſta quærela ſubſe-
quitur, & velut homo exquirit conſilium.
Attende Domine ad me, & audi voces
adverſariorum meorum. Numquid red- *Ibidem.*
ditur pro bono malum, quia foderunt
foveam animæ meæ? Recordare quod ſte-
terim in conſpectu tuo, ut loquerer pro
eis bonum, & averterem indignationem
tuam ab eis. Et quod paſſurus eſt ab Phaſ-
ſuir principe ſacerdotum in domo Domini,
perſecutionem quam Chriſtus habuit à
principe ſacerdotum, propter verbum ve-
ritatis luce clarius monſtrat. Et lamen- *Jerem. 20.*
tatio, quam Jeremias protulit de ſeipſo,
adumbrato myſterio de Chriſto præfere-
batur. Ac ſi Chriſtus de ſe loqueretur ad
patrem: Seduxiſti me Domine, & ſeductus
ſum, fortior me fuiſti, & invaluiſti, factus
ſum in deriſum tota die. Omnes ſubſan-
nant me, quia jam olim vociferans iniqui-
tatem & vaſtitatem clamito. Et factus eſt
mihi ſermo Domini in opprobrium & in
deriſum tota die. Statim pro liberatione
per reſurrectionis gloriam apertè ſubjecit
Cantate Domino, laudate Dominum, quia
liberavit animam pauperis de manu malo-
rum. Quoniam autem prophetavit adver-
ſus civitatem in nomine Domini, omnia
mala,

mala, quæ ventura erant ſuper eum propter peccata malorum, & multitudinem iniquitarum, per principes & populum adjudicatus eſt morti, quanquam mors non illico ſequeretur. Sic nempe in Chriſto novimus actum, cùm juſta & vera & futura de Jeruſalem & ſynagoga decerneret. Nonne Jeremias in medio civitatis lamentabiliter deplorans excidium civitatis, de ſeipſo lamentationem compilans, paſſionem, mortem, ſepulturam, deſcenſum ad inferna, clamorem Chriſti pro ſua & omnium liberatione, verbis variis & ænigmaticis atque myſticis, lamen-
Thren. 3. tabili deploratione monſtravit? Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus, me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem tantùm in me vertit,& circumvertit manum ſuam tota die. Vetuſtam fecit pellem meam & carnem meam, contrivit oſſa mea. Ædificavit in gyro meo, & circumdedit me felle & dolore. In tenebris collocavit me,quaſi mortuos ſempiternos. Tetendit arcum ſuum, poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam. Hoc etiam Simeon juſtus propheraverat, cùm ipſum adhuc parvulum teneret in manibus:
Luce 2. Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in ſignum, cui contradicetur. Subdit etiam: Factus ſum in deriſum omni populo meo, canti-
Thren. 3. cum eorum tota die. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſynthio. Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis. Venatione ceperunt me, quaſi avem inimici mei gratis, lapſa eſt in lacu vita mea. Poſuerunt lapidem ſuper me,inundaverunt, aquæ ſuper caput meum. Dixi perii. Et immediatè pro reſurrectione adjunctum eſt, quòd ad petitionem & invocationem ejus, qui ad inferna deſcenderat, fuerit celebrata. Invocavi nomen tuum Domine de lacu noviſſimo,vocem meam audiſti. Ne avertas aurem tuam à ſingultu meo & clamoribus. Appropinquaſti in die, quando invocavi te, & dixiſti,ne timeas. Judicaſti cauſam animæ meæ,redemptor vitæ meæ. Quàm igitur lucidè verba iſta de his, quæ Chriſtus paſſus eſt, ſonuerunt? Et quàm clarè,quàm ope invocata paterna, deſtructa lege tartarea,lapide ſuperato ſepulchri,mortis devicto imperio reſurrexit. O! ſtulti & tardi corde, quid pro paſſione & reſurrectione dici clarius potuit, quàm quòd Jeremias prope
Thren. 4. finem ſuæ lamentationis expreſſit? Spiritus oris ejus Chriſtus Dominus captus in peccatis noſtris,cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus. Quid nudatius iſtis verbis dici potuit, quæ diligenter diſcuſſa, paſſionem & mortem, ſepulturam, deſcenſum ad inferos,reſurrectionem ab eis, libertatem in gentibus myſticis & variis vocibus cantant? Nonne prophetavit Ezechiel,quòd Ezech. 34.
per ſeipſum Dominus liberaturus oves,quas mali paſtores malè tractaverunt, omnino venturus erat? qui fecit ut verus paſtor, animam pro ovibus ponens. Nonne miſſio Danielis in lacum leonum propter legem Daniel. 14.
Dei, quàm intemeratè ſervavit, eius fuit prænuncia paſſionis & mortis? Nonne ipſius liberatio, reſurrectionis indicium fuit? Nonne quia quidem Daniel Bel deſtruxerat, draconem interfecerat, ad clamorem populi vice alia in leonum lacum extitit intromiſſus? Et cùm manſiſſet intactus dierum hebdomada liberatusque, proclamatum eſt magnum eſſe Deum Danielis, qui ſic illum ſervavit illæſum. Chriſtum contingentia clareſecit. O! ſtulti & tardi corde ad credendum, quæ prophetæ prædixerunt. Nonne liberationem, quam adhuc factam non creditis, & reſurrectionis vitam in tertio die, unde omnibus verè fidelibus reſurrectio vera tribuitur, Oſee Oſee 6.
propheta lætanter futuram aſſeruit? Venite & revertamur ad Dominum, quia ipſe cœpit, & ſalvabit nos, percutiet, & curabit nos, vivificabit nos poſt duos dies. In die tertia ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus. Nonne de deſtructione mortalis imperii, & de his, quos eduxit ab inferis, non adumbrato, ſed aperto verbo clamavit: Ero mors tua, o! mors,ero mor- Oſee 13.
ſus tuus inferne? Quia mortem morte ſuperavit, nec omnes detruſos extraxit ab infens, ſed quos ab æterno Deus Pater præordinavit, & qui momordit, non totum,ſed partem abſcidit. Nonne ſalutationem, quam omnes appetunt, Joel per Chri- Joel. 2.
ſtum ante dixit in monte Sion & Jeruſalem eſſe futuram? In monte Sion & Jeruſalem erit ſalvatio, ſicut dixit dominus, & in reſiduis quos dominus vocaverit. Unde igitur ſalvatio, niſi per mortem Chriſti, qua liberaremur ab omni morte, quæ omnem ſalvationem ademerat? Nonne comminatio facta per Amos populo Iſrael Amos 2.
obumbraticè ſuppoſitam cauſam habuit, quam vere habitura erat quod Chriſtum argento vendidit? Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quartum non convertam eum, eo quod vendiderit argento juſtum, & pauperem pro calceamentis. Illa enim comminatio venditionem & mortem juſti & pauperis habebat in cauſa. Nonne idem Amos odium Judæorum & abomi- Amos 5.
nationem in Chriſtum, quia eorum arguebat delicta, & loquebatur perfecta, unde Chriſtus extitit interemptus, edocuit? Odio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfectè abominati ſunt. Perſonatio

ſonatio Abdiæ contra Edom, qui ſangui-
neus dicitur propter infectionem & ini-
quitatem in fratrem, mortem Chriſti um-
Jonas 2. bratice præoſtendebat. Nonne Jonas aptiſ-
ſimè in fugitivo naufragio, & in abſorbi-
tione atque tridua detentione in utero, &
vomitu ipſius à piſce, Chriſti paſſionem
& mortem, triduanam ſepulturam, & re-
ſurrectionem glorioſam longè ante in ſe-
3. Reg. 22. ipſo præſagiavit? Nonne quia ſic oportuit
pati Chriſtum, percuſſionem maxillæ ipſius
Micheas ad confuſionem filiæ latronis im-
Nahum 1. properat? Nonne Nahum patientiam in
paſſione, fortitudinem in reſurrectione
Chriſti, dum juſſu Domini civitatem in-
Habac. 3. crepat, apertè commemorat? Nonne Ha-
bacuc ſuper cuſtodiam ſpeculationis ſuæ
Chriſtum contemplabatur in cruce, in cu-
jus cornibus virtutem eſſe prædixit? Non-
Sophon. 3. ne Sophonias per præparationem hoſtiæ,
qua ſanctificandi erant electi & vocati, ho-
ſtiam ſalutarem corporis Chriſti oblatam
in cruce pro his, quos ab æterno pater
prædeſtinavit, expoſuit? Nonne ipſe idem
cùm ſævitiam civitatis Jeruſalem, princi-
pum & ſacerdotum atque plebejorum ex-
primeret, Chriſti reprobationem, & paſſio-
nem, & mortem incluſit? Væ! provocatrix,
& redempta civitas, columba non audivit
vocem, & non ſuſcepit diſciplinam in Domi-
no non eſt confiſa, ad Deum ſuum non ap-
propinquavit. Principes ejus in medio ejus,
quaſi leones rugientes. Judices ejus quaſi
lupi veſpere, non relinquebant in mane.
Prophetæ ejus veſani, viri infideles. Sa-
cerdotes ejus polluerunt injuſte, egerunt
contra legem. Dominus juſtus in medio
ejus non faciet iniquitatem. Hæc ſiqui-
dem verba perſpicacibus malitiam & pro-
prietatem illorum, qui contra Chriſtum
convenerunt, ſine nube declarant, & eve-
niſſe ab his infallibilem Chriſti paſſionem,
& mortem, liberationem verò gentium
Haggai 2. & omnium credentium poſt reſurrectio-
nem, ſi quis legerit ſubſequenter, inveniet.
Nonne Haggæus propheta de templi re-
novatione in melius & de commotione
cœli & terræ, atque de adventu deſide-
rati à cunctis gentibus, per figuram &
quoddam ænigma, Chriſti nativitatem,
paſſionem, & mortem, ſimiliter & reſur-
Zacha. 3. rectionem prætexuit? O! ſtulti & tardi
corde ad credendum apertiſſima dicta pro-
phetarum Nonne omnia, quæ videbat Za-
charias de Jeſu ſacerdote magno certo
myſterio per omnia Chriſto conveniunt,
qui verè Jeſus omnium Salvator ſacerdos
magnus factus in æternum, ſemetipſum
obtulit Deo patri? Nonne humilitatem,
quam in delatura ſui corporis à ſubjugali-
bus oſtendit, prout acta eſt, ante prædi-

xit? Exulta ſatis filia Sion, jubila Jeruſa- Zacha. 9.
lem. Ecce rex tuus veniet tibi juſtus &
Salvator. Ipſe pauper & mitis, & aſcen-
dens ſuper aſinam & ſuper pullum filium
aſinæ. Etiam argentorum triginta Chri-
ſti venditionem non tacuit: Et appende-
runt mercedem meam triginta argenteis,
magnum planctum mortis ejus aperuit. Zacha. 11.
Nonne idem Zacharias plagas manuum,
percuſſionem ipſius velut paſtoris, diſper-
ſionem gregis, apertis vocibus cecinit?
Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum
tuarum? Et dicet: His plagatus ſum in
domo eorum, qui diligebant me. Fra-
mea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, &
ſuper virum cohærentem mihi, dicit do-
minus exercituum. Percute paſtorem, & Malach. 3.
diſpergentur oves gregis. Nonne Mala-
chias per toleratum domini laborem, no-
tam fecit propheticè toleratam domini paſ-
ſionem? Quis vehementior labor, quam
in paſſionibus mori? Nonne ſub nomine
angeli Chriſtum venturum ad templum,
& purgationem completurum filiorum
Levi, verbis multis & myſticis prætexuit?
Sed unde purgatio filiorum hominum,
niſi per mortem illius, qui hominum non
potuit habere peccatum? Ecce quam ma-
gnam nubem teſtimoniorum habemus ap-
poſitam ſuper myſterio paſſionis & mor-
tis, & ſuper gloriam ſanctæ reſurrectionis
in noſtræ beneficium libertatis, quæ teſti-
monia, ſi ab eorum umbra diſſerendo ſin-
gula, veniſſent in lucem atque coapta-
tionem geſtorum domini Salvatoris, abs-
que dubio non parva, ſed ampla fuiſſent
congeſta volumina. Nec ſcriptura ſacra
evacuanda credatur diſſertione verborum,
altiora enim continet, quam ſpeculetur in-
tellectus humanus, quæ ab ipſo non con-
ſpecta creduntur. Nec in hac parte præſu-
mimus ſic & eo ordine, quo Chriſtus duo-
bus diſcipulis diſeruit, diſſeruiſſe, ſed teſti-
monia poſuimus, non per ſingula monenta
ivimus diſſerendo, ne improprietatem ali-
quam necteremus, non affirmantes eum
tenuiſſe ordinem, quem Salvator interpre-
tando tenuit, maximé, cùm Evangelica
pagina illum ſilendo prætereat, ſed tenuiſ-
ſe odninem ſcripturarum, & prout eccleſia
ſubordinat numerum prophetarum. Non
etiam omnia teſtimonia poſuiſſe gratula-
mur, quoniam multa ſub velamine ma-
nent, & comprehendere illa nequimus
tamen ex his paucis materia paratur ad
plura diligenter quærenda per codices ſcri-
pturarum ſanctarum. Et in his duntaxat
poteſt clareſieri per fidem piè quærentium
intellectus. Quid igitur reprehendi de
tarditate credendi non timeant? Quis cun-
ctetur in paſſionis & mortis & reſurre-

ctionis Chriſti credulitatem venire, cùm tam numeroſum & pium concentum in his geſtis aſpexerit ſcripturarum, quem concentum nemo dormire fecit. Adhuc enim ſcripturarum voces geſta, & gerenda concorditer enarrando clamant. Sed cùm Chriſtus ſcripturas, quæ de eo erant, interpretando loqueretur, non retardabat inceſſum, ut loquendo incederet, & incedendo doceret. Etenim clauſa noſtra via quandiu durabit, eccleſiaſtica ſcriptura menſuratur, & eccleſia intelligendo pergit, ut non pro manſione, ſed pro eruditione viæ, ut deveniamus in patriam, factam penitus ſcripturam credamus. *Et* Luc. 24. *ille differens, illi audientes appropinquaverunt caſtello quo ibant*, diſcipuli ſcilicet intentione, Chriſtus verò, ut innoteſceret, ſe ſocium itineris fecit. Nihil ſibi de caſtello penitus erat. Quamobrem *finxit ſe longius ire*, & iviſſet omnino longius ab eis per fidem, & corpore declinaſſet in quam voluiſſet viam, niſi ab eorum fuiſſet pia charitate detentus. Nec hujuſcemodi fictio notam habet peccati atque delicti, nec reprehenſionibus quorumcunque hominum ſubjacet, ſi Chriſtus, qui omnia novit, antequam fiant, his diſcipulis ſe tali pacto tacito ſociavit, ut ſi exardeſcerent amore in eum, auditis tam altis declarationibus ſcripturarum, ſi eſſent hoſpitalitatis fervidi amatores, ſi hominem notitia peregrinum, ex charitate, ut notum fratrem ſuſciperent, cum eis in hoſpitium divertiſſet (alias graderetur.) Nec perperam fingit, qui vult hominem in virtute aut ſcientia experiri, ſi experiendi aptitudinem captat, dum non quærit aut tentat decipere, ſed incognitorum dare ſcientiam. Pingit ſæpe paterfamilias, ut ſubjectorum percipiat bonitatem. Fingit diſcipulo ſæpe magiſter, ut noſcat quid ſentiat, & ut erudiat amplius. Fingit ſæpe mater parvulum ad terram dejicere filium, quem portat in ulnis, ut ipſe tenacius hæreat. Non ſunt maculoſa figmenta morum honeſtate ſervata, & dum poſtmodum irrogant additamenta ſcientiæ ſive virtutum, ſeu quæcunque incrementa bonorum. Proinde Chriſtus non fingebat in fraudem, cùm proceſſiſſet ulterius, prout geſtu corporis oſtendebat, niſi illum illi pia rogatione coegiſſent. Unde *coe-* Geneſ. 32. *gerunt eum dicentes: Mane nobiſcum Domine, quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies.* Sed quomodo cogitur Chriſtus, qui nullis poteſtatibus ſubjacet? Penitus piis precibus & orationibus humili- Exod. 32. bus detinebant. Hoc quippe modo Jacob angelum detinebat, cùm angelus diceret: Dimitte me, aurora eſt. Cui Jacob econtrario reſpondebat: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Non manu aut alia corporali potentia Jacob detinebat angelum, niſi funibus orationum, atque precum. Similibus reſticulis Moyſes Dominum ligaverat, cùm ipſe Dominus Moyſi loquebatur, dicens: Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, faciamque te in gentem magnam. Peccaverat Domino populus, in vitulo aureo, cui Dominus juſtè volebat iraſci, ſed ut in Exodo ſcriptura commemorat: Moyſes Dominum precibus & piis orationibus & humilibus aſſertionibus detinebat. Non ergo violentia, ſed charitate atque pia oratione Chriſtus cogitur & tenetur. Orabant iſtum velut ſocium peregrinum, cujus allecti eloquendi dulcedine, ſecum manere volebant, & perorabant ad manendum, ſubinferentes temporis legitimas rationes, quia hora eſt veſpera, & dies inclinatur ad noctem, quæ commoditatem ſemper abſtulit plus pergendi. Sed hæc Verba proferebant ad profectum hominis peregrini, quem ſi cognoviſſent, verſa intentione dixiſſent: Sed nos qui fide novimus, quem illi fracto pane cognoverunt, orationem noſtram iſtis ſubmiſſis cauſis rectâ intentione faciamus. Dulcis eſt violentia, quam infert ſincerus amor, & humilis ſupplicatio ſæpe fecit aſſentire rogatum, Et ultra pergentes precativa lachryma fecit redire retrorſum. Et grata eſt coactio, quam purè virtus appoſuit. Agit nobiſcum Salvator omnium Chriſtus, ut his artibus atque violentiis cogi velit. Sed qui novit preces effundere, cauſam ſubmittere non ignoret. Fitque nobis neceſ- Geneſ. 1. ſaria manſio Chriſti, quoniam dies noſtra tendit ad veſperum, & mane & veſpere factus eſt dies unus, & tota hominum vita mane fit & veſpere. Mane ſiquidem in luce virtutum, oriente fidei, ſole juſtitiæ conſurgente, veſpere, cùm tentationum tenebris propinquamus. Nec credimus fuiſſe aliquam vitam juſtorum, quæ tentationum & pugnarum ſaltem inviſibilium veſperam non haberet. Proinde cùm adveſperaſcit, his argumentis cogendus eſt Dominus, ut nobiſcum maneat, ne cadamus. Sæpe nanque mane ſicut viridis herba tranſimus, cùm aliquid boni debiliter facimus. Et mane ſæpe floremus in apparentibus bonis, & tranſitus motibus noſtris, ſed veſpere decidimus in peccata, induramur conſuetudine, areſcimus penitus à virtute. Idcirco peroret, qui novit, ut nobiſcum Chriſtus maneat, quoniam adveſperaſcit. Et nos malè apti hujuſcemodi

juſcemodi veſperam ſuſtinere, niſi nos rogati atque coacti manſio tueatur. Mane tempus eſt juventutis, veſpere ſenectutis. Mane tempus eſt gratiæ, veſpere eſt pugnæ. Mane converſionis, veſpere probationis. Mane aſcenſionis, veſpere tempus deſcenſionis: Mane clara cognitio, veſpere umbratica. Mane cognitio per fidem, veſpere cognitio per naturam. Mane cognitio in Deo, veſpere in ſeipſo. Quam ob cauſam, cùm ſic adveſperaſcit dies vitæ præſentis, eſt maximè Chriſti manſio nobiſcum fieri opportuna. Egrediuntur ſæpe lupi ad veſperam, ut invadant greges ovium, redeuntes ad caulas, & quærunt ſi aliquam invenerint ſeparatam à grege, ſubterfugientem paſtoris oculos, canumque latratus, quam cùm invenerint, in corpus vorando trajiciunt. Et
Habac. 1. hi veloces ſunt, ut etiam ſub figura Chaldæorum dæmones lupis veſpertinis velociores eſſe dicantur. Et eos, qui jugum Sanctum juſtè impoſitum rumpunt, & vincula juſtitiæ, ut in nefanda labantur, lupus ad veſperam ſæpe vaſtat, ac per hoc, cùm taliter veſpere fit, ſatagamus lucem Chriſti manere nobiſcum, quia ſine ipſo nihil facere novimus nec valemus. Ecce tenetur Dominus precibus piis, ut benedicat ad gratiam, ut luctator obtinuit. Tenetur, ne iraſcatur ad pœnam, ut dux populi fecit. Tenetur, ne illudamur, aut damna patiamur ad veſperam, ut hi diſcipuli ſatagerunt. Congeminant in ore cauſam hi pulcherrima oratione, quanquam ignorent eum, quem oppido deprecantur, & inclinatam diem eſſe ſubinferunt. Et verè totius mundi diem novimus inclinatam, & ad occaſum omnia vergunt, & unjuſcujuſque hominis dies aſcenſum habet atque declivum. Sed de inclinatione, quàm de aſcenſione unuſquiſque redditur certior, quoniam eoipſo, quo naſcimur, vergimur ad occaſum. Atqui more diei, qui ſole oriente in noſtro hemiſphærio agitur, inviſibilis ſeu intellectualis conſtitutus eſt dies. Nam ab oriente ſole, ſurgente umbra objecti & recti corporis protenditur in occaſum. Sed quo amplius ſol aſcendit, ipſa umbra breviatur, & ſi ſol tam aſcenderit ut feratur à radiis diametraliter ſuper corpus, omnino umbra deperit, ne extra corpus in partem protendatur, ſed tantùm ſit reflexa ſuper ſubjectam ipſi corpori terram. Cùm verò ſol à medio hemiſphærii progrediens, inclinaverit in occaſum, dies hemiſpherialis incipit inclinari, & umbra corporis in orientem protendi. Quo ſol magis acceſſerit ad occaſum, eo magis in oriente umbra protenditur, donec ſub undis heſperiis ſol occiderit, tunc non umbra corporis, ſed plena nox ubique in ſuperiori noſtro hemiſphærio erit. Sunt igitur umbræ mane, ſunt & umbræ veſpere. Umbræ matutinæ in ipſo ſolis ortu ſunt penitus longiores, in aſcenſu breviantur, donec ultra corporis terminum non protendatur. Umbræ veſperi in ipſo deſcenſu ſolis ſunt breviores, ſed quo magis deſcenderit, longiores fiunt, donec nox undique ſubſequatur. Ad noctem appropinquantem ex inclinatione diei per inclinationem ſolis, ipſe ſol prius à vallibus & locis concavis abeſt, deinde à collibus per lumen ſuum deſcendendo recedit, cùm autem à cacuminibus montium ſolis deſcendentis, radii abſconduntur, noctem plenam dicimus imminere. Sicque ſtatum militantis eccleſiæ uſque in præſentiarum poſſumus deplorare, & ſtatum quam plurium animarum, quæ diem fidei aſpexerunt. Oritur quippe ſol juſtitiæ, ſine qua ſalvi eſſe non poſſumus, ab oriente fidei, ſed in ortu ipſo longa videtur umbra malefactorum, quæ in occidentem protenditur, quoniam ad æternam mortem & ſempiternum occaſum malefacta deducunt. Sed quantò amplius ſol juſtitiæ aſcenderit per amorem animi, & actionem corporis in hemiſphærio noſtræ vitæ, ipſa malorum umbra breviatur, ut etiam, cùm deſuper nos ipſe ſol fulſerit, nulla umbra in partem aliquam protenſa videatur, excepto, quòd adhuc vivimus vita corporis ſuper terram. Cùm verò ſol juſtitiæ non ſuo curſu, ſed noſtro demerito vergerit in occaſum, noſter virtutum dies inclinatur, reconſtituuntur umbræ in orientem verſum, & eo longiores quu ſol deſcenderit amplius. Eo pejores veſpertinæ, quàm matutinæ, quia contra cognitam agitur veritatem. Illæ decreſcebant ſolis aſcenſu, iſtæ verò ſolis deſcenſu incrementa ſuſcipiunt. Quid enim nefandius, cùm in mente hominis ſol occidit juſtitiæ, atque inclinatur in anima veritas rationis, ſeu tendit in occaſum ratio veritatis? Periculoſa eſt inclinatio diei, peſſimæ ſunt umbræ veſperi hujuſcemodi. Proinde Jeremias dicebat: Jerem. 6.
Væ! nobis, quia declinavit dies, longiores factæ ſunt umbræ veſperi. Propterea piis precibus, fuſis lachrymis Dominum exoremus, his armis ſibi violentiam faciamus, & profunda oratione cogamus manere nobiſcum dicentes, mane nobiſcum Domine, quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies. *Et intravit cum illis in caſtellum, atque neſcio in cujus paratum hoſpitium.* Intrat invitatus, rogatus, & à

pia eorum charitate coactus, & perficitur propter quod ſe ſocium dederat. Ante completur, quod longè poſt Joannes in
Apoc. 3. Apocalypſi deſcripſit: Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audieret vocem meam & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Setit JEſus ad oſtium cordis ipſorum, & per altiſſimos Verborum ictus ſcripturas interpretando pulſavit. Audierunt illi ardenti animo vocem ejus, non quia ejus, qui erat, ſed quaſi vocem ejus, qui de ipſo Verbo promebat. Et aperuerunt januam cordis tam ſerenæ doctrinæ, non propter eum quem adhuc peregrinum habebant, ſed propter eum, quem ipſi quærebant, & pro quo & de quo videbatur peregrinus Verba conferre. At ille cœnam mentis in fide plus quam corporis comeſtionem requirens, cum illis recubuit cœnaturus. Illique ſcitum, ſed non tanto myſterio, ut evenit, detinebantur adhuc machinamento, ne verè cognoſcerent, quem ſecum diverterent peregrinum, fidem tamen Verbis altiſonantibus dabant. Et ut fides plena firmaretur de Chriſto, hæſitatio hæſitabat. *Et factum eſt, cùm recumberet cum illis, accepit panem & benedixit & fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt illum. Et ipſe evanuit ab oculis eorum.* Non ſolùm hoſpitio, ſed etiam reficiendus cibo, ſuſceptus eſt peregrinus. Larga enim in omnibus charitas plus porrigit, quàm promittit, nec contenta uni neceſſitati appoſuiſſe remedium, ſi alia promit, quouſque ſuum exoneratur cellarium, ſemper apponit. Nec plena hoſpitalitas ſuſcepiſſe hoſpitio, ſi aderit hoſpiti fames. Corpus ſub tecto ſuſcipit, & cibum & potum apponit eſurienti, qui verus eſt hoſpes. Sed ipſis recumbentibus, feſtinat JEſus majora, quam acceperit reconferre, ac ſuæ hoſpitalitatis & allogiæ antidotum dare. Proinde accepit panem, morem ſolitum ſervans, & benedixit, & fregit ex more, & porrigebat illis, non ut invitatus hoſpes, ſed ut verus Dominus menſæ. Tunc aperti ſunt oculi eorum mentis in fide, corporis in viſione, & cognoverunt illum in fractione panis, quem mundus non cognovit in proceſſu ſuæ humilitatis. Ecce quantum valuit quieta & irrecontradicta divinorum auditio, quantùm diſcipulorum preces, quantùm hoſpitii & menſæ larga præſtatio, ut his divina cognitio adderetur. Quomodo, inquam, cognoverunt? Ablato ſcilicet à corde velamine infidelitatis, & ab oculis remoto machinamento diaboli, quo tenebantur, ne ipſum in perſona cognoſcerent. Et ſtatim defuit effigies peregrina, & Chriſtum in perſona propria cum qua obſervati fuerant, cognoverunt. Et removebatur ambiguitas ſive opinio, ut plurimi referunt, quòd unus iſtorum diſcipulorum fuerit Lucas, cujus nomen ſubticetur more ſcriptorum, qui propria nomina tacent. Nam ſi Lucas fuit, ergo à Chriſto Evangelium didicit & Chriſtum ante cognovit, qui remoto machinamento, iterum cognovit. Et hic ex ejus diſcipulis memoratur. Si verò Lucam omnino diſcipulum Pauli aſſeveremus, & ab eo Evangelium didiciſſe, hic omnino quendam alium, & non Lucam ſocium Cleophæ ſit neceſſariò, ut credamus, quod utique verius autumamus.
Signum fortè apparuit in fractione appo- Joan. 6
ſiti & benedicti panis, & benigna Salvatoris largitio in his duobus diſcipulis hanc virtutem operata eſt. Quoniam cum pane Chriſtus porrexit & gratiam, ut illico agnoſcerent, quem ante non noverant. Nec unquam ſine gratia in veritate ſumitur verus panis, qui vivus ad vitam de cœlo deſcendit. Magna largitas Salvatoris, meliora exhibet, quàm rogetur. Petebant iſti ſecum peregrini hujus in hoſpitio habere præſentiam, quàm modicum extiterat conceſſiſſe, niſi ſuipſius præſtitiſſet plenè notitiam. Qua firmiter præſtita, ſtatim ab oculis eorum evanuit. Non ſunt ſuperflua opera Salvatoris, nihilque reſecabile habent, omnia ſiquidem facta ſunt ad menſuram & regulam, nam ſi plus expediviſſet ad reparationem deperditæ atque nutantis fidei, de præſentia ſua temporis ſpatio plus dediſſet. Sed eos ante tam valide inſtruxerat irrefragabilibus teſtimoniis ſcripturarum, quòd per modicum oſtenſa clarè præſentia, ad plenum in fide illorum animos ſolidavit. Hæc duntaxat præacturus advenerat, non amplius corporaliter poſt reſurrectionem cum mortalibus conſolari. Sed quo evanuit? Illuc, quo valebat, ſcilicet quo ferebatur dote agilitatis, quæ donum Dei eſt glorificati corporis, ut ſubitò poſſit, quo velit & ſe offerre, aut auferre hominum obtutibus, quando velit. Unde ſubitò ſtupor Sanctus obrepſit, & mutato dolore
dixerunt adinvicem: Nonne cor noſtrum ar- Pſalm. 118.
dens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? Ardebat in via cor iſtorum, quia cum divino igne incedebant à quo innocuè in animo incendebantur, & urebantur dulciter propter ignita eloquia ſcripturarum, maximè cum ab eo velaminibus exvelabantur. Et ignitum eſt vehementer eloquium Dei, quod ardenter

denter diligit ſervus Dei. Ignitum eloquium audientem ſedulò animam ardentem atque feruentem protinus facit. Statim fuit appoſitus cœnæ finis, ſatietas omni comeſtioni corporali terminum fecit. Obliti ſunt corporalium ſpiritualibus jam refecti, repudiaverunt corporis menſam, pigritiam abjecerunt. *Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt Jeruſalem*, bona ſcilicet nunciare, quæ viderant, ut conſolatio, quæ illis per hujuſcemodi viſionem erat propria, fieret cum cæteris ipſorum relatione communis. Virtus eſt piorum, gaudia fidei conferre cum ſociis, & ſpiritualiter lætari cum his, qui ſenſualis lætitiæ applaudimenta non capiunt. Sed non omnis Spiritualis conſolatio eſt pandenda, & ex intimis publicum petere, noſcitur eſſe ſtultorum, imo claudenda ſunt talia infra clauſtra inviſibilia noſtræ mentis, ne facta delatione plus, quàm ſit æſtimetur in nobis, aut ſi quòd auram inaniter captet. Cuſtodia eſt datorum, oris firmare clauſuram. Imprædabiles protinus ſunt ignoratæ divitiæ, attamen pandenda cognovimus, quæ inhæſitantibus roborant fidem, & quæ ad aliorum directionem noverimus pertinere, ubi boni perditio aut noxium quippiam non proveniat dilatori. Sed iſti de communi Domino & magiſtro veniunt relationem facere ad conſervos, & ad condiſcipulos referre geſta magiſtri, ut communis lætitia omnium lætantium ſit in domo, & ex referentibus pluribus fidei teſtimonium invaleſcat. Quàm pulchrè textus eloquitur, quod regreſſi ſunt Jeruſalem, de qua fuerant egreſſi. Sed cum triſtitia & diffidentia ſunt egreſſi, cum lætitia & plenitudine fidei ſunt regreſſi, à pace protinus egreſſi diffidentes de Chriſto, ad pacem regrediuntur de ipſo per fidem gaudentes. *Et invenerunt congregatos undecim & eos qui cum eis erant, dicentes: Quod ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Per veritatem aſſerebant propter ea, quæ audierant ab ipſo de interpretationibus ſcripturarum, & de incaleſcentia cordium, quia ſolius ſui eſt corda calefacere pro ſupernis. Maximè autem in veritate firmabant propter ea, quæ viderant. *Proinde ipſi narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Mira res, ſed prætereunda ſilentio, quod panis hoſpitis hoſpitibus appoſitus, à Chriſto fractus, ſuiipſius cognitionem dedit. Si quis hoc rimabitur, magna reperiet abſcondita ſacramenta. Joan. 6. Unum tamen ſilentio non concedam, quòd frangendo panes, ſatiavit turbas. Matth. 6. Frangendo panem, ſuum ſubſtantiavit in corpus, quo duodenam turbam ut alimento cœleſti refecit. Frangendo panem reſurrectionis ſuæ cognitionem aperuit. Omne Verbum Dei Spiritualis eſt panis. Fractio panis in montibus, ad vitam agendam declaratio eſt ſcripturæ. Hinc Pſalmiſta dixit: Pſalm. 118. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Et de hoc à ſenſu contrario per carentiam Jeremias dolens inclamitat: Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret. Thren. 4. Parvuli enim ſunt, qui per fractionem aut expoſitionem ſcripturæ vocantur ad fidem, quibus ſermo declaratus velut panis fractus, tribuit intellectum. Parvuli ſunt & multi, qui frangentem doctorem reperire non poſſunt, non tamen ſemper defectu quærentium, ſed malignantium ſæpe doctorum. Panis fractus in cœna, confortat bellum, abſtergit à criminibus, & donat incrementa virtutum, & trajectus in nobis, trajicit nos in Deum. Panis fractus in hoſpitio, reſurrectionis novitatem diſcipulis palam fecit, ut ex ipſo vitam ſignificandam omnino ſentiamus, ubi panis Chriſti velut fractus, ſed non fractus omnibus in hac ſibi vita conformibus tribuetur ſecundùm pondera meritorum. Fractus panis non deſinit eſſe panis, eadem enim veritas ſubſtantiæ, quæ in toto erat, ſervatur in partibus, etiamſi non ſervatur æqualitas quantitatum. Sermo divinus etiam fractus, declaratus aut expoſitus, idem apud omnes, quanquam non æqualiter apprehenſus. Et cùm transſubſtantiatus frangitur, ſimpla manet ſubſtantia, nec minuitur, aut augetur, ſi non æqualis quantitas partium reſultat in oculis, tractis partibus accidentis. Fractus panis in patria ſimplus, in ſe præſtat pro tanto fractus, ut ſol in radiis multiplicatur, & ſimplus, & indiviſus exiſtens, ſed ſæpe apparet diverſitas luminis ex diverſitate ſuſcipientium corporum objectorum, ſicut per ſimile teſtatur Apoſtolus, ſtellam à ſtella in claritate differre. *Dum hæc autem loquuntur, & cùm eſſet ſero die illa una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum, venit JEſus & ſtetit in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: Ego ſum, nolite timere. Conturbati verò, & conterriti exiſtimabant ſe Spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas, & pedes meos, quia egoipſe ſum. Palpate & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et cùm hæc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino.* Repullulatam fidem

Chriſtus ex Verbis revalidabat, ſimiliter & ex geſtis. Et ex omnibus firmare decebat fidem tantæ novitatis, quòd quis integraliter, & ex omni ſe, & non alius reſurgat à mortuis, quòd per argumenta debita, dum firmantur in capite, ſic in membris evenire removeatur ambiguum. Hinc fit dum iſti geſta & audita & viſa referunt, & jam dies in ſuo curſu proceſſeret, Chriſtus iſtorum dictis operibus fidem facit. Nec quievit novus homo reſurgens à reſurrectionis hora, ſed infatigabiliter apparitionibus ſtuduit, variis locis atque ſui corporis formis ſe piè quærentibus ad fidem roborandam objiciens, ut etiam in complemento diei, fidem argumentis apertionibus ſolidaret. Semper enim adeſt temporibus in quibus caſus eſt noxior, Nocturnum protinus tempus magis, quàm diurnum cònſuevit eſſe timori, & facilior probatur periculorum eſſe congreſſus, & invaleſcentia ſæpe major. Et ſerò cùm erat, & timor Judæorum fecerat claudi fores, ubi charitate & concordia Sancta convenerant conferentes in ſimul de tanta novitate magiſtri, qui foribus ſic manentibus, ex dote ſubtilitatis ſui corporis, ae non remotis poſtibus, ad eos ſubitò fecit ingreſ-
Matth. 10. ſum. Et ſtetit in medio eorum, ad æqualem participationem & viſionem communem diſcipulis ſe condonans, & eos ſalutat ſalutatione, qua eos alios docuerat ſalutare. Etenim dixerat diſcipulis ſuis: In quamcunque domum intraveritis, primum dicite, pax huic domui, non erat immemor effuſi præcepti, nec reſurrectione ſua Evangelica erat mutanda doctrina. Sed quod docuit, fecit idem, qui fuerat reſurgens à mortuis, non tamen iterum paſſibilis aut moriturus, ſed altiori ſenſu reſurgens denuntiat pacem, quam ante mortem docuerat nuntiare. Nullum durius & gravius bellum, quàm de divinis habere certamen, Et hæſitare de Chriſto in dictis & operibus, exitialis eſt pugna. Tremula Chriſti fides æternæ mortis exhibet ictus, pax multa docens decens. Anceps eſt omne quod agitur, niſi fides inconcuſſa feratur in Chriſtum. Cùm igitur non ancipiti fide tranſitur in illum, pax plena atque perfecta cauſatur in nobis. Proinde Chriſtus dicit: Pax vobis. Ex hinc noſter quieſcat animus, fidei non amplius reluctetur, ſibi ſe ſubdat, deponat argumenta debellandi, naturalibus rationibus non intendat, ſcuta conſuetudinis non opponat. Totum eſt divinum quod agitur. Protinus ego ipſe ſum, qui vobiſcum converſatus, qui vos de maligno vocavi, quem audiſtis prædicantem, quem vidiſtis ſupra naturam, uſum & artem miracula facientem, qui in medio veſtri fui ſicut qui miniſtrat, qui pavi alimento cœleſti, qui uſque ad pedes veſtros humiliter inclinavi, quem captum vidiſtis, quem malefidi dereliquiſtis in manibus peccatorum. Igitur nolite timere, idem ſum, qui fui, pœnalitate omni depoſita, majeſtatis gloria tota ſuſcepta. Nolite timere, in corde veſtro de mea reſurrectione nutantes. Nolite timere amplius de Judæis, non eſt abbreviata manus mea, quæ vos liberare non poſſit, qui potenter ipſis invitis reſurrexi ab inferis. Non me tenuit dæmonum turba larvalis, non magni monumenti cuſtodes, non theca petrina, non lapis ad monumenti oſtium advolutus. Ecce januis clauſis ad vos ingreſſus, ſicut clauſa virginitate de utero matris egreſſus. Nolite timere, ſi vobis ſenſum mors adimat, eſt quod reddere poſſit, qui hodie ſurrexit ab inferis. Ut quid clauſi propter metum Judæorum? Si vitam meam me volente mortem irrogando tulerunt, ipſam potenter reſurgendo recepi. Non ſit vobis amplius timor mortis, quod enim factum eſt in capite veſtro, proculdubio fiet in corpore meo. Caput veſtrum Deus pater me conſtituit, corpus meum vos eſtis. Sed illa clauſura, quanquam eſſet ob metum, non tamen fuit privata myſterio. Etenim per illam dos ſubtilitatis innotuit, & quàm magnum ſit donum glorificati corporis. Conturbati ſunt verò, & conterriti, quia tantùm corpus poſſe per aliquas rimulas ingredi non credebant, januis manentibus clauſis, non attendentes corpus noſtrum quanta poſſit felicitate donari. Sed exiſtimabant Spiritum eſſe, quod eorum oculis apparebat, in his quæ ſupra naturam potenter divina virtute fiunt, eorum animi non ferentes. Sed eos argumento ſenſibili Dominus refelit, arguens quare in animo varientur. Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Non eſt juſta de his, quæ dicuntur turbatio, ubi veritas ſenſibus patet. Non eſt ſanæ directionis, ut cogitationes, quæ tantùm terrena ſapiunt, ad altitudinem cordis humani aſcendant. Quid de Chriſti corpore tanquam de terreno corpore cogitatis? An ignoratis deitati unitum? Quid? An deitatis potentiam non creditis, quod qui creavit ex nihilo, poſſit educere de ſepulchro? Aliquid tamen differenter quærere monemur, cùm cogitationes dixit aſcendere. Aſcendunt quippe cogitationes, cùm quicquid eſt minus homine, verſatur in corde. Deſcendunt cogitationes in corda, cùm

quicquid

cùm quiequid eſt majus homine, aut cœleſte ſeu forma virtutis, mens humana ſecreto intuitu contuetur. Oriuntur ex æquo, cùm nobis conformia & æqualia immaculoſè cogitamus. Ex imo quidem ima de Chriſto cogitantibus, aſcendebant cogitationum varietates ad corda. Sed experimento corporei ſenſus, has cogitationes Salvator excluſit. Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ſum. Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet. Ad aſtruendam fidem, viſum invitat & tactum, ut viſus intueatur corpus oſtenſum, & tactus, ut diaphanitas excludatur. Nam objectum viſus ratio diffinit eſſe corpus ſuperadjecto colore, aut ipſe color exiſtens in corpore, objectum verò tactus, ipſa ſoliditas corporis, aut corpus ſoliditatis. Ac per hoc quoniam viſus poſſit corpus diaphanum aſpicere ſub colore, aut colorem in corpore transparente ad veritatem ſolidi corporis invitatus eſt tactus, ut ſimul juncti corporis veritatem advertant. Sed cùm dicit, videte manus & pedes, arguit pro confoſſione clavorum, ut innoteſceret veritas paſſionis. & quod ipſe qui paſſus, omnino regreſſus fuit ab inferis: Cùm verò ſubintulit, palpate & videte, ſimul tactum ad reſurrectionis veritatem provocavit & viſum, quia ſi ſæpe tactum poſſit decipere viſus, nunquam tamen viſum nequiret decipere tactus. Vel ut evidentius loquamur: In viſu ſæpe homo decipi poſſet, credens ſolidum quod eſſet diaphanum, dum objectum intangibiliter proſpectaret, tactus verò in corpore falli nequit, palpando enim novit corporis veritatem. Et caro & oſſa ſoliditatem habent. Quamobrem Chriſtus dicit: Nolite credere, cùm me videtis, ſpiritum videre, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et oſtendit eis manus & pedes & latus, ut aſpicerent vulnera, quia ſanata, & apertè in manibus & pedibus & latere cognoſcerent ſigna clavorum, & jam peractam bellicam pugnam. Utrum autem Apoſtoli viſioni conjunxerunt tactum, ſcriptura non explicat, quanquam juſtè aſſerat pia credulitas, cùm amore vehementi ferrentur in Chriſtum, qui eos pie ad robur fidei invitabat ad tactum. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino. Unde triſtabantur, inde lætantur. Unde fleverant, inde gaudent. Qui eſt habitus cauſa mœroris, reinuentus lætitiam præſtat. Reſurgens gaudere facit, qui moriens invitabat. *Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio dixit: Habetis hic aliquid, ut manducetur? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis.* Non credebant adhuc viſioni, non præſtabant fidem & tactui, quoniam ſupra ſenſum hominis erat id, quod agebatur, & cor humano pavore ſolutum tardius divinis aſſurgit, & ſolitis actionibus ſupra naturam ſenſuum conſuetudo reſiſtit. Et ingreſſus ſolidi corporis in locum undique clauſum, amplius tenebat in dubium. Ab origine porro mundi uſque in præſentiarum ſimiliter actum non evenerat. Et plebejorum intellectus nondum inſpexerat, quid in corporibus gloria reſurrectionis præſtare potuiſſet. Et adhuc ex geſtis pœnalibus & plenis mœroribus eorum animi tenebantur attoniti. Et pigre conſurgunt animi valido terrore compreſſi, velut ſi quempiam ſubitò excitaveris profundè dormientem. tanquam attonitus audiet, ſi ſtatim & interpoſitè eum fueris allocutus. Non tamen credendum, quòd omnes ab iſta incredulitate tenerentur. Protinus non tenebatur Petrus, cui alibi jam Dominus apparuerat, neque diſcipuli, qui eum in panis fractione cognoverant, ſed cæteri, qui eum nondum in aliqua effigie conſpexerant. Et ſi his de reſurrectione non erat ambiguum, erat fortè dubium de ingreſſu, quòd ſolidum corpus parieres ſolidos penetraſſet. Nihilominus quamvis tremula eorum eſſet fides, præ gaudio mirabantur. Et mirum in modum, quòd de una re gaudium eſſet & dubium. Sed hæſitabant, ne quod agebatur, protinus verum eſſet. Gaudebant autem vehementer, ſi omnino ſic eſſet, mirabantur verò modum, quem non intelligebant, & quod ſupra naturam geſta ferebantur, ſed nec fruſtra tarda credulitas, etenim ut firmaretur, argumenta majora ſuſcepit. Nam Chriſtus ad manducandum aliquid expoſcit, non famelicus, vel indigens, abſorpta erat enim iſta pœnalitas, ſed ut diſcipulos ab omni dubio in reſurrectionis fide ſolidaret, cùm veritas carnis atque proprietas manducando monſtraretur. Habebant Apoſtoli partem piſcis aſſi, & favum mellis. Vel ut ſecurius eloquamur, quoniam de talibus Apoſtolis cura non erat, ab hoſpite, cujus erat cœnaculum grande ſtratum, fidenter & amicabiliter popoſcerunt. Ab hora enim cœnæ hoſpitandi & petendi Apoſtolis conceſſa erat audacia, & hæc Domino paraverunt, ſedenti ad eandem menſam, in qua cum eis paſcha manducaverat. Et regione coronali Apoſtolis ſtantibus, Salvator Jeſus ſine ſimulatione comedit, & trajectum cibum corpus potenter diſſolvit atque conſumpſit non dige-

ſtivo

ſtivo more, ut naturæ requiſitum adderetur, ſicut ante reſurrectionem, ut homo mortalis jam fecerat, ſed velut quid modicum conſumptum & vaneſactum magni poteſtate caloris. Corpus enim reſurgens feliciter, velut ſpiritus eſu non indigebit, comedere autem poterit poteſtativa virtute, infatigato ſtomacho ad digerendum, nec ad egerendum ulla neceſſitas ſubadderetur. Excludebatur profectò in illa comeſtione deceptio quam pythoniſſa in Samuele Sauli fecerat primo regi populi Iſraelis, quoniam, ſi forma illa, quam pythoniſſa, neſcio qua fictione
1. Reg. 28. Sauli fecerat, oſtendi ad comedendum fuiſſet exacta, nullo modo potuiſſet neque quodcunque machinamentum ſimile diabolico miniſterio adinventum. Et ne impii aut malefidi hanc in poſterum calumniam potuiſſent inferre, ſcilicet quod incantationibus pythonicorum aut miniſterio dæmonum ſimile corpus Apoſtolis fuiſſet oſtenſum, Salvator omnium Deus, tutorque virtutum, providens in futura, aliquid eſibile comedere poſtulavit, veraciterque comedit. Sed nec prætereundum, quod tam diſcretus eſt cibus, ut non panis, non caro, non aliquid aliud comeſtibile, niſi tantùm piſcis aſſus & favus fuiſſet appoſitus. Veruntamen nec inepta opinione falleremur, ſi Chriſtum talia poſtulaſſe ad deſignandum ſacramentum magni myſterii arbitremur. Antequam pateretur ſeu moreretur, atque reſurgeret, cum lactucis agreſtibus comeſtus eſt aſſatus agnus, poſt reſurrectionem verò cum melle piſcis eſt aſſus oblatus. Agnus cum lactucis amaris, refertur ad patres veteris teſtamenti, qui viventes in amaritudine vitæ, multas tribulationes paſſi, ad loca quaſi tartarea deſcenderunt, ut ipſorum paſſio in aſſo agno ſignata, etiam moriendo lactucis agreſtibus adderetur, dum nondum poſſent in ſuperna conſcendere. Piſcis aſſus poſt reſurrectionem comeſtus, novi teſtamenti fideliter fideles inſinuat, quoniam ſi paſſio magna in aſſatione datur, non limbus inferior, ſed gloria ſuperna & ineffabilis dulcedo ſubſequitur. Hinc eſt, quòd favus mellis aſſo piſci ſociatur. Sed agnus in terra piſcis in ſecretiori elemento naſcitur, & nutritur, ut ex terra ſolida & firma ſit paſſio, fluxibilis verò & cito cedens ſignetur in alio elemento. Agnus ante reſurrectionem comeſtus, per certitudinem velut res ſubjecta oculis capitur. Piſcis verò poſt reſurrectionem eſus in fine irretitur, dum conſpicientibus oculis hamus ſub unda ante rete laxatur, ut paſſio ſit in certitudine reſurrectionis & gloriæ, meritum ſit in fide. Favus ſiquidem mellis integer non excuſſus, fomentum ignis & dulcedinem portat, & quod luminis eſt fomentum apum operatione, dulcedinem habet incluſum. Nam celebrata gloria reſurrectionis in capite, illuminantur mentes in fide. Unde dulcedo percipitur, cùm pius hominum intellectus fidei lumine illuſtratur. *Et cùm manducaſſet coram eis ſumens reliquias dedit eis.* Cùm manducaſſet coram eis non manducantibus, ut attentius manducantem reſurgentem à mortuis conſpectarent. Etenim attentiores erant conſpicere geſta Chriſti, non intenti ad eſum, nec viſus in plura divolvebatur. Cùm verò veraciter comediſſet, eis porrexit reliquias, ut ex eis edentes, ipſum comediſſe fierent certiores. Ex comeſtione ſiquidem aſſorum agni & piſcis, priſcorum atque novorum ſignatur unum eſſe meritum paſſionis, quoniam omnia priſca ſive futura trajiciuntur in Chriſtum, & calicem ipſe bibit omnium fidelium paſſionum. Et ſolus ipſe pro omnibus pœnas tulit, dans in ſeipſo præmium omnibus paſſionibus toleratis & tolerandis. Quod autem Apoſtoli comedunt ſimul cum Chriſto agnum poſt reſurrectionem, reliquias ſumunt cum Chriſto & ſub Chriſto, & in Chriſto, præteritorum ſanctorum, atque novorum & ipſorum paſſionum ſeu meritorum indicitur una communitas. Mos in Chriſto datur ſic agente, ut ſi gloria reſurrectionis accepta certificavit infirmos animos per ea, quæ ſunt verè communia indigentia quorum minimè tentus erat, ita nemo ſua ſanctitate in alta ſubactus, condeſcenſum deneget ad eos quos noverit fluctuare. Nec quia ſurrexit à vitiis, adhuc eorum funiculis irretitos animo claro deſpiciat, aut enim fuit, aut erit, aut eſſe potuit de numero vinculatorum. Necnon & quod in uno favente ſuperna gratia celebratum eſt, poterit & in altero ſimiliter celebrari. Quod verò ipſe prius comedens Apoſtolis dedit reliquias, ad ſimilia, quæ paſſus eſt ipſe invitat, ut ſi fecit nobis expediens, & quod voluit, & nos quod reliquum eſt faciamus. Unum eſt opus paſſionis in Chriſto, reliquiæ ſunt fidelium cæteræ paſſiones. *Et dixit eis: Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum. Quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, Prophetis & Pſalmis de me.* Iſta ſiquidem ſupra expoſita ſunt, & neceſſitatem non Chriſto, ſed nobis ineſſe diſertum eſt. *Tunc aperuit il-*

lis

lis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas. Supra ſcripturas exponendo de ſeipſo in itinere ipſe interpretatus eſt, nunc ad intelligendum abſque vocali expoſitione aperit intellectum. Tunc protinus apertus eſt interior hominis ſenſus, cùm ſerenè cognoſcit, quæ ſupra communem hominum ſenſum ſibi aut alteri demonſtrantur, Præcellit omnino donum intelligentiæ doctrinæ collatæ per verbum. Porro etiam doctore non indiget, qui ut intelligeret dona ſuſcepit. Equidem & in his, quæ traduntur in voce, Spiritus Sanctus intelligendi gratiam præſtat, aliter enim invanum ſonaret vox ipſa docentis. Sanctas quippe ſcripturas velatas magnis myſteriis pro ſe nemo conſpiceret, niſi ſinguGene. 39. lariter adeſſet intelligentiæ donum. Et in veteri teſtamento legimus, quod pluDaniel. 2. ribus, ut intelligerent ſenſum aperuit. Joſeph cùm eſſet in carcere, ut ſomnia ſomniantium intelligeret, dona ſuſcepit, & eductus de carcere interpretatus eſt magni myſterii ſomnia Pharaonis. Danieli etiam dedit intelligentiam, ut ſomnia & viſiones aperte cognoſceret. Solus Deus poteſt ſenſum hominum aperire, ut alta intelligendo conſpiciant. Non autem omnibus Deus intellectum aperit, ſed his, qui avulſi ſunt à ſterilibus ſcientiis & delectationibus pravis. Sic enim Dominus per Iſaiæ 28. Iſaiam dicit: Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus. Sæpe autem, quæ daturus & quibus eſt, pro tempore atque loco reſervat, prout dum erant Iſraelis filii in Ægypto, ut intelligerent ſenſum eis non aperuit, quouſque illos diviſos ab improbis ſuo ducatu in manu Moyſi per deſerta transduxit. Juxta Deute 29. quod in Deuteronomio legitur: Et non dedit vobis Deus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ poſſunt audire, uſque in præſentem diem. Malorum quippe ſocietas ſæpe fecit dona differri divina, & loca deliciarum incolas ſuos divinis muneribus privaverunt. Diſſecari à malis, & agreſtis hominum vita procuravit intelligentiam arcanorum. Et juſtè precanti dedit Dominus cor intelligens Salamoni. At ubi Salvator ſenſum eorum ad clarè intelligendum aperuit, opportunitatem ſuorum myſteriorum in carne geſtorum ſecutus adjunxit. *Quoniam ſic ſcriptum eſt: Et ſic oportebat pati CHRISTUM, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jeruſalem.* Sæpe dixiſſe me memini nullam neceſſitatem aut opportunitatem Chriſto dominari, alioquin non ex miſericordia, ſed ex juſtitia & neceſſariò ex Chriſto ſalus hominum adveniſſet. Nihil enim ad præmium cogit, niſi juſtitia. Nihil opportunat ad actum, niſi neceſſitas. Nec ſcriptura præacta de Chriſto, ipſum tum inactè pro nobis feciſſe cogebat, cui ſcripturæ ſuperferebatur ipſe, Dominus ipſe ſcripturæ, ſcriptura non domina Chriſti. Idcirco ſcriptum erat, quod eſſe ſcriptum ipſe fatetur, quoniam ſic erat ipſe futurus, & quæ fecit plenè facturus. Prænuntia erat ſcriptura ſacra talium futurorum, non tamen futura prænuntiatione illa veniſſe neceſſitate conſtabat, ut Chriſtus iſta non egerit, & paſſus fuerit, quia ſcriptum, ſed quia talia facturus erat, ideo longè vel de prope ante prophetatum. Non enim gratis redempti eſſemus, nec à libera voluntate, ſed à neceſſitate patientis. Attamen quod ſcribitur factum opportunitate, non ad redemptorem ſed ad redemptos potius referatur. Quanquam tamen ſcriptum ſic aliter quam ſic ipſum feciſſe potuiſſe credamus. Proinde pati & reſurgere à mortuis tertia die, ſolùm voluntas fuit agentis. Opportunitas verò extitit liberanda damna patientis. Prædicatio pœnitentiæ nomine ſuo & remiſſionis peccatorum in omnes gentes, opportunitas eſt juſtitiæ hominum. Et miſericordia creatoris, non autem hominum, neque redemptoris, quoniam nullus illa neceſſaria opportunitate pœnitentiam agit, aut Chriſtus peccata remittit, ut aliter fieri nequeat, ſed juſtitia neceſſariò pœnitentiam exigit, & remiſſor juſtus libera voluntate peccata remittit, ut ſi futura eſt ſalus, oportet per pœnitentiam Dei juſtitiam prævenire, peccatorum verò remiſſio ex Dei promiſſione ſubſequitur. Apertius vero interpretatum opportunitatis verbum congruitatem ſonat, ut ex parte redemptoris atque redempti credamus peracta congruere. Quoniam ſic oportet fieri, congruitate utriuſque non neceſſitate morientis atque reſurgentis. Pœnitentia diffundenda in omnes gentes verbo clamationis omnes deliquiſſe demonſtrat, ut ſi ad omnes pœnitentia ſit dicenda, in omnibus fuiſſe culpam urgebat iniquitas, necnon & omnes poſſe per pœnitentiam ſalvos fieri, non eſſet ambiguum, cum ſtatim adnectatur remiſſio peccatorum, quæ nec plus debetur Judæo, quam eis, qui gentilitatis nomine diſtinguuntur, aut à quibus Judaicus populus circumciſione atque lege ſecernitur. Omnes enim peccaverunt & eguerunt remiſſione peccatorum, ſi ad Chriſtum per pœnitentiam convertantur. Quæ velut conſciæ magnorum & innumerabilium ſce-

lerum ne deſperent, eis Chriſtus peccatorum indulgentiam repromittit. In nomine ipſius hæc fieri Chriſtus ipſe decernit, quoniam ex nomine Jeſu ſalus indicitur angelo differente, magis verò poteſtativè ſalus efficitur, quoniam ſibi à patre omnis collata poteſtas. A Jeruſalem fit hujusmodi prædicationis exordium, ut myſterio finis primordia prædicationis conveniant. Jeruſalem terreſtris, viſio pacis dicitur, illam utique figurans, ubi interminatè pax vera tenetur. Necnon verbum ad æternam commonefaciens pacem in pace utique ſuſcipiendum eſt. Carens pace docens ex ira cum ſimilis eſt, inquietus verò auditor, quod dicitur, reputat importunum, & inſanit, ubi doctrina edicitur ſanior. Ad firmiorem verò notitiam peractorum, *dicit eis iterum Jeſus: Pax vobis.* Pacem ſæpe replicat, quoniam nihil in cordibus hominum ſuavius, nihil in moribus aptius, in virtute nihil altius, in beatitudine totùm erit, quod poſſidebimus. Quoniam ſupra dixerat prædicare oportere pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, illico ipſa die reſurrectionis ſuos Apoſtolos applicat ad deſtinatum, ſicut exitit deſtinatus à patre dicens: *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Ac ſi apertè dicat: Sicut me pater miſit mundum actione redimere, atque docere ad ſuperos viam, vitæ novam cudere legem, mores hominum renovare, vocare peccatorem ad pœnitentiam, præſtare omnibus gentibus remiſſionem omnium peccatorum, ſic mitto vos hæc palam facere univerſis, ut omnis ætas & ſexus, omnis natio cæterique populus inſignis atque plebejus, ad ſupernam vitam idololatriæ ſuperſtitione, ſæculi vanitate relictis, fide, ſpe, charitate, talibus ſtipulationibus moveantur. Sed nec authoritatem hanc noluit innoteſcere, veritatem & poteſtatem indulgendi dedit hominibus, qui defoſſos in ſceleribus ad optima revocabant, ne quis cauſaretur nolle converti, ſi perſonaliter Chriſtum non poſſet adire. Proinde vicem ſuam Chriſtus Apoſtolis commiſit, magis autem præcavens, ne aliter quis à criminibus relaxaretur, aut quis ſibi crederet peccata remitti, quàm Spiritus ſanctus internè decernat. In virtute Spiritus ſancti authoritatem inviſibilem præſtat, *Hoc cùm dixiſſet, inſufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum re-*
Joan. 20. *miſeritis peccata, remittuntur eis. Et quorum*
Geneſ. 2. *retinueritis, retenta ſunt.* Inſpiravit in primo homine ſpiraculum vitæ, inſufflat nunc Spiritum optimæ vitæ, nec non ipſe reſurgens à mortuis ſpiritum reſurrectionis inſufflat. Mos eſt beneſici, ea, quæ nuper accepit, communicare cùm charis. Et quamvis ſpiritum tunc reſurrectionis non dederit, ſpiritum primæ reſurrectionis indulſit, ut homo poſſet reſurgere à peccatis. Hac ipſe non reſurrexit, mori enim in peccatis ipſe non poterat, in quibus & omnes morimur, à quibus, ut reſurgamus, inſufflavit & ſpiritum, in cujus virtute fieret remiſſio peccatorum. Quorum peccata remiſeritis, remittuntur eis, ut niſi reſurrectio iſta præcedat, ſecunda proveniat in tormentum. Ordinatè autem factum eſt, ut ad remiſſionem & retentionem peccatorum præcedat largitio Spiritus Sancti, ut nunquam aliter credantur peccata remitti aut detineri ab homine uncto, niſi prout utrumque aut alterum Spiritus ſanctus effecerit. Quoniam non eſt unctus homo, qui remittit vel retinet vincula peccatorum, ſed qui de ſupernis ſolus novit incognita per homines hominum corda, & quanta contritione & attritione corda terantur indeceptè cognoſcit. Falluntur ſæpe quam plurimi, ſibi remitti peccata gaudentes, cùm verbum abſolutionis, & manuum impoſitionem acceperunt ab his, qui ſacerdotio potiuntur, quibus Spiritus ſanctus deſuper non indulſit, quoniam vidit abſconditum in corde criminoſi defectum, quem, qui præterat in terra, penitus non aſpexit aut forte de ſpiritus ſancti licentia debito plus præſumpſit. Trutinare juſtis ponderibus hominum ſcelera atque conſcientias ipſorum mole contritas non hominibus datum, ſed ſibi reſervavit altiſſimus. In fide agimus, in iſta Eccleſia militantes, ſed incertitudine nos agit omnipotens. Igitur conſultè atque mandato factum eſt nobis, ut ſi Spiritus Sancti virtute præcedende fit remiſſio peccatorum, qui authoritate fungi ſe gaudet, ſecus quam Spiritum Sanctum piè crediderit velle, peccata & crimina non remittat five retineat, nec credat poſſe plus in voce perficere, quàm ſine voce Spiritus ipſe perficiat. Et propter pietatem in reum, quem videt ſuis pedibus provolutum, impietatem non exerceat in Deum, quem & deſuper habet juſtiſſimum, quod fieret, ſi faceret, quod facere juſtiſſimus nollet. Noverit primò ſe, antequam ſuper reum decernat, ſi authoritate debita fungitur, ſi plenè deprehenderit crimina criminoſi, & ſigna recognitionis in reo ad ſalcultatem aſpiciat, & tunc ſententiam proferat, ſive ſuſpendat. Reus autem, cùm certus eſſe non poſſit, quid in eum ſacerdos efficiat, & quanta ſuper eum deſcenderit benignitas Spiritus ſancti, ſtabit in fide ſuſpenſus, ſemetipſum certa ratione deprehendens, ſi quanto dolore profunditur malè geſtorum ſic adhuc in anima præludit tenebroſa imago,

imago, ſi quid pati velit & illa non commiſiſſe, ſi quam diſponit adverſus futura cautelam, ſi quibus operibus aut quam patratorum ſanxit emendam, & ſi quod eſt omnis facultatis in ſe agere præintendit, & juxta hæc aut ſecus Spiritus ſancti gratiam adverſus ſe credat propitiam atque remotam. Hæc duntaxat congregatis diſcipulis abſque Thoma dicta conſpicimus. Ideo ſequitur: *Thomas autem unus de duodecim qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jeſus.* Iſtud diſpenſative factum agnoſcimus, ut unius abſentia certior in poſterum redderetur præſentia Salvatoris, & ad ſanctarum cicatricum invitaretur palpatum, qui præſens in die reſurrectionis non fuerat, & ſua hæſitatio poſt reſurrectionis certum præconium noſtrum hæſitare propellit, nec ob impietatis pertinaciam ſe dixit, niſi viderit crediturum, ſed ob regimen Spiritus ſancti ordinantis commoda poſterorum, & ob vehementiam amoris, quam gerebat ſciendi reſurrectionis hujuſcemodi veritatem. Sæpè vehemens amor ad aliquid nondum adeptum deludi timens, credulitatem adhibere retardat, ſive experimenta ſive ſigna ſubveniant. Sed piè increpandus eſt iſte, nec immerito caruit primordio reſurrectionis, quoniam non erat ipſe cùm cæteris, quando Jeſus apparuit. Semper multationem patitur à communitate ſecerni, & communitati debita præmia ſingulariter gradiens non accepit. Qui cùm reverteretur ad cœnobium ſanctum, à confratribus audivit:
Pſalm. 131. *Vidimus dominum.* Bona denuntiant contigiſſe fratribus congregatis, quia vere inexplicabile dicitur, quàm bonum & quàm jucundum ſit fratres habitare in unum. Quàm bonum ut dicunt, vidimus dominum. Et quanquam ſingillatim adeſſe poſſit hominibus bonitas, præfertur tamen, quæ cum multis habetur, & ad confirmationem eorum, quæ ſingillatim videntur, in cautione referuntur, & ipſa celebratur experientia reſurrectivæ novitatis, & in ipſa fiunt palpationes & gaudia, & oſtenſiones bellorum, & poteſtativa comeſtio; & datio Spiritus in remiſſionem fidam peccatorum atque culparum. Sed Thomas hæc audiens piè dolet, iraſciturque ſibi, quòd in tali viſione non fuerat ipſe cum cæteris, crediturum ſe denegat reſurgentem, niſi aſpiciat viſu, palpet & tactu. *Inquit enim: Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Supra diximus unde Thomas volebat à tarda credulitate detineri, quem aut credimus Prophetam, aut omnino dotem reſurrectionis ignorantem. Si Propheta, prænoverat fortè Chriſtum reſervaturum in corpore cicatrices, ſed magis totalis reſurrectionis ignarum, quæ omnem defectum innatum atque illatum in corpore beatè reſurgentis excludit, quanquam miraculosè myſticè abſque derogatione beatæ reſurrectionis credamus ipſas Chriſtum in ſuo corpore reſervaſſe. Mira præſumptio hujus hominis, qui niſi ex pacto credere non diſponit. Servus domino diſcipulus magiſtro, creatura creatori, homo Deo conditionem indicit. Nec Chriſto per fidem coaptare ſe ſaragit, niſi prius experientiam præroget. In fide agimus, in fide noſtræ ſunt præmia. In fide pro præmiis initia meritorum. Ratio & fides ad merita non conveniunt. Fides & experientia incrementa excludunt ſublimium præmiorum, & nihilominus niſi aliquid experientiæ ad fidem prævium non obveniat, fidem dictis omnino adhibere recuſat. Sed hoc factum novimus, ut ad quod eſt veræ prævium fidei, à fundamento fidei doceremur. Proinde ſequitur. *Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli congregati & Thomas cum eis. Venit JESUS clauſis januis, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.* Sæpe tractata iterare non expedit, ſed numerus dierum venit in cauſa, qui ob hoc octavus deſcribitur, in quo CHRISTUS hæſitanti Thomæ ſubvenit, quia octava eſt regnantium, ubi fides omnino ex perpetua viſione ceſſabit. *Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Vide profundum clementiæ Salvatoris, ut quod diſcipulus & ſervus ſibi pro conditione præfixerat, exequitur magiſter & dominus, quaſi legi quam homo effecerat, voluerit ſubjacere, ſed ſiquidem voluntate, quia ſic eum curaturus, in illo poſteris proviſurus ante providerat, ſicque impleturus advenerat, Id Thomæ oſtendit, quod ſupra diſcipulis, quanquam ad ſingulare Thomæ decretum ſingulariter ipſe providerat, cùm ad manus palpandas digitum, ad latus manum ejus expoſcit. Quòd utrum Thomas tetigerit, ſcriptura non explicat. Magis piè tamen credimus inſpexiſſe, atque ad omnipotentiam verbi domini Salvatoris potenter diſcipulum in fide ſubitò ſuſcitatum. Neque fas eſt credere foramina in illo corpore remanſiſſe, ſed divina providentia taliter cicatrices quæ diſcipulis potuiſſent oſtendi, & ad confuſionem

impiorum atque malorum cum omni corporis gloria uſque in futurum judicium reſervari. Et plus in hac parte mihi ſubvenit eccleſiæ pia credulitas, quam quarumcunque ſcripturarum authoritas. Revocavit Chriſtus hoc argumento ab infidelitate diſcipulum, & commonefecit diſſertione Verborum, dicens : Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Non immerito, ſed neceſſario eſſe incredulum Dominus diſſuadet. Habet enim incredulitas adnexa ſupra modum horrenda pericula, ut qui eſt incredulus, ſit etiam & rebellis. Unde Moyſes ad aquas contradictionis populum appellavit incredulum & rebellem, dicens:
Num. 20. Audite rebelles & increduli. Sed quamvis in ſerie Verborum præmittatur, rebelles, in rei veritate rebellio ab incredulitate cauſatur, ut prius in fide minoretur aut in toto deficiat, qui rebellat. Rebellare autem Deo eſt adverſùs ſeipſum divinum excitare furorem, & juſtam perniciem promereri. Rebellat protinus, qui non ſanè credit, qui directionibus juſtis Verbo contradicit & facto. Et feſtinatiore morte multatus eſt Aaron, & terræ permiſſionis ſibi eſt denegatus introitus, eo quod ori Domini probatur incredulus. Unde Dominus ad Moyſen de Aaron dicit : Pergat Aaron ad populos ſuos, non enim intrabit terram, quam dedi filiis Iſraël, eo quòd incredulus fuit ori meo ad aquas contradictionis. Et Moyſes populo incredulitatem improperat, quòd non crediderunt exploratoribus, qui fructus attulerant de terra promiſſionis, & quodammodo metus deſierat. Proprium eſt incredulitatis ad agenda tepiditatem inducere, necnon terrere inexpertos. Rectis actionibus caret incredulus, & neſcit quo tramite agendum ſuſcipiat, & hæſitans tremebunde in-
Iſai. 21. fideliter operibus ſe præſtabit. Sic enim ſcriptum eſt : Qui incredulus eſt, infideli-
Habac. 2. ter aget. Et Habacuc : Qui incredulus eſt, non erit recta in eo anima ejus, ut nec recta ſit intellectu veritatis anima, neç affectum juſtæ dilectionis habeat, quem
Apoc. 2. incredulitas deſpicienda compreſſit. Et incredulis non eſt in cœlo pars, ſed in ſtagno igne ardente & ſulphure, quod eſt ſecunda mors. Ac per hoc irrefragabili argumento percipitur, quòd incredulitate depulſa deceat eſſe fideles, quoniam oculi Domini pietate ad fideles terræ feruntur.
Pſalm. 100. Et hic & ubique multùm laudabitur vir fi-
Proverb. 8. delis. Firmatus diſſuaſione atque perſuaſione diſcipulus, & abſque quòd aliquid eum ſcriptura feciſſe commemoret, Chriſto reſpondiſſe teſtatur : *Dominus meus & Deus meus.* Hæc confeſſio in eam qua facta eſt veritatem, omnem incredulitatis excluſit errorem, cùm ipſum Chriſtum in carne reſurrexiſſe conſpiceret alta fide innixus, etiam eum Deum ſuum & Dominum fateretur, ſeipſum mente arguens, quòd de re tam vera diu hæſitaverit. Sed priſcorum dubium, cùm hujuſcemodi argumenta ſumpſiſſent, poſterorum corda in fide ſolidavit. JEſus autem ſolidato hæſitanti diſcipulos, de fide magna diſſeruit, dicens Thomæ audientibus cæteris : *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti. Beati qui non viderunt & crediderunt.* Thomas vidit & credidit, propter quod & locutus eſt. Niſi vidiſſet, non credidiſſet, ſi non credidiſſet, nec locutus fuiſſet, Dominus meus & Deus meus. Nec ipſum in parte orbis ſibi contingente, uſque ad effuſionem ſanguinis & mortem corporis prædicaſſet. Sed quid vidit ? Carnem duntaxat. Quid confeſſus eſt ? Super omnia excedens quod oculus ipſe conſpexit. Nam deitatem ex carnis viſione videtur fuiſſe confeſſus. Sed nec inſpecta etiam incorruptibilis caro, ad deitatem præſtitit aſſenſum, quamvis dicat Apoſtolus : Inviſibilia enim Dei à Rom. 1.
creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Diverſi enim ſunt harum ſcripturarum ſenſus. Aliud protinus in mente Thomas aſpexit, operante ſibi gratia Domini Salvatoris, unde credulitas in ſeipſo reviviſcere cœpit, & altè motus eructavit altiſſimum Verbum. Sed quia in illa carne reſurrectionem perfectam illuſtrata mente cognovit, non humanitatis aut carnis virtuti, ſed Deo vivo & vero tribuit. Idcirco in extaſi quaſi factus, in hæc Verba prorupit : Dominus meus & Deus meus. Veruntamen ſubrogatis argumentis venit in fidem. Idcirco Dominus beatificat omnes credentes primitivos, qui argumenta non habuerunt. Necnon & poſteros, qui carebunt, quoniam remotis rationibus & argumentis fortitudo fidei amplius inclareſcit. Porro beatitudo iſta patres primitivos & ad Chriſtum poſteros verè credentes incluſit, quamvis ſub præterito tempore ſit facta prolatio. Multa ſigna facta in conſpectu diſcipulorum ad reſurrectionis argumentum Joannes Evangeliſts commemorat, quæ in ſuo libro ſcripta denegat eſſe, ſed Evangeliſtæ alii jam deſcripſerant, & ſi non omnia imponitur aſſerendi ſilentium ſimiliter, & diſſerendi, ne qui præſumant in Evangelio ponere, quod notarii Evangelici non ſcripſerunt. Et quanquam multa alia, tamen non ſcripta, & ſi non ſcripta, explanatio inhibetur, cùm pia fides abſque periculo poſſit illa multa ſub nube com-

plecti. Sed hæc omnia, quæ de Chriſto ſunt ſcripta in hoc fine conveniunt, & totius ſcripturæ hic eſt terminus ultimus conſtitutus, ut credamus, quia JEſus incarnatus, natus, converſatus, paſſus, mortuus & ſepultus, regreſſus ab inferis, cœlumque conſcendens eſt verè Filius Dei. Et credentes non ſimus immeriti, nec fides ſuiipſius ipſa finis, ſed vitam habeamus æternam in nomine ejus ſcilicet crediti JEſu, ab æterno Filii Dei, ab æterno pro nobis in tempore filii hominis facti, ſalutemque ſic pœnaliter & ſtrenuè operati, ut ſalus omnibus verè credentibus in nomine ejus tota & perfecta in æternum proveniat. Argumentis multis erat declaranda hæc novitas, quod corpus à ſepulchro, & quod anima receſſit ab inferis, nec decebat ſemper deliteſcere, qui ſui notitiam venerat conferre mortalibus. Proinde *JEſus ſe manifeſtavit ad mare Tiberiadis.* Tempus, actus, teſtes & modus hoc myſterium magnum in fide atque in moribus clamant, cùm æternus voluit in carne natus in tempore fieri, omnia quæ deinde geſſit, fecit in tempore, necnon & momenta temporis noſtris utilitatibus peragit. Et tempus addit ad tempus, ut ſit omnino poſterius quod ſequitur ad prius, & amœnioribus beneficiis vernat tempus, quod ſequitur, quàm quod dicimus præteriſſe. Unde cùm JEſus jam ſe pluries reſuſcitatum Apoſtolis oſtendiſſet, locum duntaxat non perſonam divarians, ut locus ad mare Tiberiadis penitus diceretur, manifeſtavit ſe, non alium, nam idem in omnibus Chriſtus. Sed an ad oculum, an ad intellectum, an ad utrunque manifeſtationem factam cognovimus. Ad oculum porro facta eſt, cùm verè verum ſuum corpus oculis diſcipulorum objecit, non aliter obvelatum aut effigiatum, quàm quod de ſepulchri theca retraxerat, intellectui verò per fidem innotuit. Non enim Joannes dixiſſet, Dominus eſt, nec Petrus ſolidus corpore ſe donaſſet fluido elemento ſubmergi non pavidus, niſi animo per fidem eſſe Dominum cognoviſſent. Sed quibus & qualiter ſe Dominus manifeſtat per fidem, ſcripturas veteris teſtamenti & novi ad utilitatem noſtram pariter convertamus, ut temporali manifeſtatione præhabita conſequamur æternam. In Pſalmo
Pſalm. 79. ſiquidem legimus: Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coram Ephraim, Benjamin & Manaſſe. In his tribus hominibus ab origine nominum & ex geſtis bonorum univerſitas deſignatur, quibus in hac vita manifeſtatio divina confertur. Non dixerim illam omnino, quæ reſervatur in patria, nec illam, quæ per contemplationis ſtudium quadam ineffabili guſtata dulcedine, ſupererogationis dono multis conceditur, ſed illam, quæ fidei & aliarum virtutum ope infertur, ut hæc ſit Dei omniumque rerum manifeſtatio, ipſius & ipſarum juxta capacitatem perfecta & inhæſitata cognitio. Horum verò trium poſt natum legimus Benjamin, in cujus partu ſua mater extrema vitæ ſuſcepit. Quamobrem cùm alter à moriente matre, à patre verò Benjamin ſcilicet filii dexteræ nomen accepit. Porro filii dexteræ hi ſunt, qui omnia quæ faciunt, aut quærunt, ad amorem ſupernorum referunt, ut nihil velint agere, habere vel quærere, quæ non patriæ ſupernæ conveniant. Superna patria in deſignatione ſua dexteram tenet: Siniſtra verò patriam terrenam & infimam profert, quod in ſituatione judicii extremi ſatis apertè cognoſcitur, cùm electi ad dexteram, reprobi ad ſiniſtram ordinantur. Et de regina, ſcilicet eccleſia Pſalm. 44.
orthodoxa dicitur: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato. Igitur qui filii ſunt ſupernæ patriæ, terrena deſpiciunt, & ne quomodolibet temporaliter implicentur, tota virtute contendunt, & ſolùm ad ea, quæ virtutis ſunt, ſatagunt. Atqui & ipſe Benjamin alia interpretatione virtutis filius appellatur. Naturali nempe amore fertur filius in parentem. Etenim omnis homo ſic creatus eſt, cùm divinam in ſe ſuſcepit imaginem, ut in virtutem velut in matrem inevulſibili amore feratur. Siquidem filii parvuli exiſtentes materno lacte aluntur, donec ſolidiori cibo fuerint aptiores, & excubant ad maternas mamillas ſolicitè, ploratus atque ſingultus cùm ſuxerint terminantes, & abſtergit mater in filiis ſordiunculas incautè contractas, & decantat cantilenas ſæpe ſæpius, ut quieſcant, & pannis frequenter involuit & faſciis, ne tenella membra lædantur. Irreprehenſibilis mater eſt virtus, & tales filios parit. Hoc enim eſt primum eſſe virtutis, ut ſine juſta reprehenſione conſtituat. Et nutrit lacte parvulos, eos videlicet, qui nondum perfectè Spiritualia ſapiunt, ſed cupiunt. Quòd & Apoſtolus Paulus in virtute conſtitutus nutritor, ſic ſuos in Chriſto filios nutriebat, dicens: Et ego 1. Cor. 3.
fratres non potui vobis loqui quaſi Spiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis intelligere, ſed nec nunc quidem poteſtis. Eſt enim lac virtutis, prima eruditio fidei, ut in Chriſto perfectè credatur. Et hi parvuli ſunt in Chriſto, qui credunt in

 ipſo,

ipſo, nondum ex animo temporalia con-
temnentes, nec ex eis ſubortas conten-
tiones effugiunt, ignorantes quid ſit veræ
abdicationis myſterium, & quæ ſit ad Chri-
ſtum plena conformitas, & poſt hanc vi-
tam quid pariat. Spirituales verò filii,
quibus ſolidiorem eſcam virtus contribuit,
ſunt qui non pro viſibilibus bonis uſque-
quaque contendunt. Habet ipſa virtus
climaticos filios, nec eos, qui in infimo
gradu gradiuntur deſpicit, ſi ad altiores
velle aſcendere ipſa cognoſcit. Sed par-
vuli ad mamillas virtutis excubant, ut pro
capacitate alantur. Et mundi miſerias ter-
minant, cùm in virtute lætitiam conſola-
tionis accipiunt. Quod ſibi proveniſſe
Pſalm. 93. David Pſalmiſta fatetur: Secundùm mul-
titudinem dolorum meorum in corde meo,
conſolationes tuæ lætificaverunt animam
meam. Non enim tam varia eſt multitu-
do dolorum, quòd illam conſolationem
virtutis quantitas non excedat. Abſter-
guntur filii à ſordibus à virtute, primum
nanque officium eſt virtutis, à continctis
tergere lachrymis. Cantat coram parvu-
lis cantilenas alma mater procurans ipſis
optatam requiem, cùm pro amore ſuper-
næ patriæ ſuadet omnia tolerare, atque
quietos in ipſa & per ipſam in ſeipſis & ad
alios fieri, ut nil perverſum procedat ab
Iſaiæ. 1. eis. Hoc per Iſaiam ſumma virtus enun-
tiat: Quieſcite agere perverſè. Reme-
morat interdum cantando hæc pia mater
eos, quos ab exordio aluit, & quanta
paſſi fuerunt ſæpe decantat, & quam pal-
mam fuerint aſſecuti deducit in carmen,
ut ſi quippiam adverſi proveniat, patien-
tiam habeant ex exemplis, & amplius
habeant ex promiſſis. Et eos involuit
pannis, ſicut vitæ author mundo moritu-
rus naſcens, involutus eſt in nativitatis
exordiis. Panni protinus ſunt ipſæ hu-
manæ vilitates atque miſeriæ, quibus etiam
invitè involuimur, quas ſemper virtus ante
oculos noſtræ mentis per conſiderationem
ſtatuit, & ne ſuperbiendo labamur, faſcia
perſeverantiæ circa ſuos filios illos ſtringit.
Sed ſilentio non prætereat, quòd naſcente
Benjamin mater in partu moritur, & ipſe
dexteræ ſive virtutis filius nuncupatur.
Aſtant duæ matres, carnis videlicet &
Spiritus. Mater carnis, caro eſt: Mater
verò Spiritus eſt virtus: Una per naturam,
altera per gratiam conſtituitur. Una ſu-
ſcepto humano ſemine, altera fit ſemine
Verbi. Per unam peccatores mundo na-
ſcimur, per alteram juſtificamur. Sed
cùm in virtutis filiationem tranſimus per
gratiam, id fit, ut moriatur in nobis, quod
premebat per corruptam naturam. Ac per
hoc quotquot in Benjamin deſignantur, Geneſ. 41.
merito in præſenti per altitudinem cogni-
tionis, in futuro per actum fruitionis, di-
vinam manifeſtationem ſuſcipiunt. Ma-
naſſen verò natum legimus in Ægypto à
Joſeph poſt ſuarum tribulationum lau-
dabile complementum, ut in ortu e-
jus ipſe pater ex re nomen dederit, ap-
pellans eum Manaſſes, dicens: Oblivisci
me fecit Deus omnium laborum meorum,
& domus patris mei. Proinde Manaſſes
obliviosus interpretatur. Non omnis ob-
livio bona, ſed illa, quam ſcriptura ſacra
commendat. Dicebat ſe oblitum Joſeph
ſuorum laborum domusque paternæ.
Quod ſi hæc oblivio bona non eſſet, tan-
tus patriarcha nunquam iſta dixiſſet, glo-
rianter oblivionis filio nomen dando.
Non autem mentis oblivionem credamus,
quæ memoriæ defectum importat. Nam
ſi oblitus erat laborum domusque pater-
næ, quomodo nominabat, cùm nihil de-
terminata ſententia de præteritis loqui poſ-
ſit lingua, niſi quod ei dicat fixa memo-
ria? Si verò præterita referebat, quomo-
do oblitus erat? Si oblivionem fieri dici-
mus malorum adeptione bonorum, & bo-
norum adeptione meliorum, velut ſi qui-
ſpiam infirmus ſanitatem aſſequitur, infir-
mitatis dicitur oblitus, non quòd interdum
non habeat in memoria, ſed quia ſanus
non patitur in perſona, & nihilipendit,
ridensque illam commemorat, vera cor-
poris ſanitate perfungens. Et velut miles
in regem electus non obliviſcitur militaris
ſtatus, ſed velut oblitus illum parvipendit
in poteſtate regia conſtitutus. Sic qui di-
vinam manifeſtationem aſſequi concupi-
ſcit, obliviſci oportet omnium terrenorum,
in quibus labor eſt, & afflictio Spiritus,
& bonorum temporalium, adeptione vir-
tutum, & ſpe firmiſſima ſupernorum.
Sic Spiritus Sanctus per os David futuram Pſalm. 44.
invitabat eccleſiam: Audi filia & vide, &
inclina aurem tuam, & obliviſcere popu-
lum tuum, & domum patris tui. Eſt &
oblivio, quæ ſenſum remiſſionis peccato-
rum conſequitur, ſcilicet injuriarum illa-
tarum à proximo obliviſci poſſe. Palmi-
ferum culmen iſta nanciſcitur, & quantò
in hominibus rarior, tantò perfectior: Et
ſi non abraderet penitus à memoria, fel
tamen amaritudinis non perſiſtat in anima.
Velut enim oblitus habetur, qui ſic ſe ha-
bet ad lædentem proximum, ſicut ad non
lædentem, ſed gratior ſi ſicut ad diligen-
tem. Etiam ipſum Ephraim in Ægypto
natum ſcriptura commemorat, cùm ſtatim
nato ex re pater vocabulum dedit, dicens:
Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis Geneſ. 42.
meæ.

meæ. Satis creverat in Ægypto Joseph, quam terram ſuæ paupertatis appellabat, pro eo, quòd venditus à fratribus, ab Ægyptiis emptus, illam intraverat. Sine crimine in carcere poſitus, non de propriis ſumptibus ſtipendia vitæ captabat, ſed in tantum divina providentia crevit, ut Ægypti Salvator & Dominus diceretur. Proinde ſecundo filio ſuo Ephraim nomen impoſuit, qui lingua noſtra interpretatur accreſcens. Sed quæ ſit vera creſcentia, Chriſti veram manifeſtationem merito ſuæ actionis expectans, ſacra volumina perſcrutemur. Creſcit in anima fides trinitatis in præſagium liberationis æternæ, prout in ſomno vidit exiſtens in carcere
Geneſ. 40. pincerna Pharaonis: Videbam (inquit) coram me vitem, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores vuas matureſcere, calicemque Pharaonis in manu mea. Tuli ergo vuas, & expreſſi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. Vitis hæc eſt divina & una ſubſtantia, in qua tres propagines ſunt, ſcilicet tres perſonæ ejuſdem ſubſtantiæ ejuſdemque naturæ, quæ in ſemetipſa incommutabilis manens, paulatim coram verè fidelibus creſcit in gemmas. Id eſt, in Sancta deſideria, & in flores. Id eſt, in opera manifeſta, & vuæ matureſcunt, cùm fructus noſtri operis ad profectum proveniunt, exprimuntur, cùm ſegregatur vinum ab acinis, videlicet cùm juſtitia ſecernitur à peccatis. In calicem funditur, cùm fit juſtitia in certa menſura. Et offertur Pharaoni, cùm ſervus ſuo Domino in placitis actionibus ſeruit. Necnon & in Chriſto, qui eſt vitis vera, ipſo dicente: Ego ſum vitis vera, tres propagines ſunt tres ſubſtantiæ in una perſona, deitas, anima & caro. Et tres hominum ſtatus tendentium in ſalutem, velut propagines à vite ab ipſo progrediuntur, qui augmento virtutis in anima juſta inviſibiliter creſcunt. Creſcit etiam is, qui ſe Deo dicavit in paupertatis amore, ut in ſpiritualibus æterniſque divitiis augmenta majora ſuſcipiat, ut eo magis diligat pauperem fieri, quàm cupidus locupletari. Sic enim de ſe ipſo Joseph patriarcha di-
Geneſ. 41. cebat: Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. Creſcit quis in paupertate, cùm eam habendo plus diligit. Creſcit quis in paupertate, cùm quantò in illa voluntate paratior atque à terrena ope expeditior, tantò inæſtimabiles virtutum divitiæ augentur. Creſcit homo ſpe firma in æternis divitiis, quantò hic plus deficit à temporalibus bonis. Ordinavit etiam omnipotens multos per tribulationes & adverſa plus creſcere, quoniam proprium eſt virtutis, adverſitatibus proſperari. Unde de filiis Iſrael legitur, quòd quantò Exod. 1. magis opprimebantur, tantò magis multiplicabantur atque creſcebant. Optimè radicata noſcitur virtus, quæ creſcit inter adverſa, & dum ſæveri fluctus inſurgunt, in altiora ipſa conſurgit. Et ex ſacris geſtis accepimus ex inundatione aquarum arcam in ſublime prolatam, ut quantò magis aqua excelſos montes excelſerit, tantò arca ipſos præcellerit, quod ſignificative trajicitur ad examen virtutis, ut virtus tunc ſuperferatur, cùm ad ima dejecta conſpicitur, tunc amplius creſcat, cùm oppreſſa videtur, tunc attollatur in altis, cùm videtur circumdata procellis, creſcit omnis, qui fideliter in templo Dei miniſtrat. Et hoc ipſum eſt creſcere, quod & fideliter miniſtrare, hoc ipſum miniſtrare facit & creſcere, prout de ipſo Samuele legitur, 1. Reg. 3. quòd crevit & Dominus erat cum eo, quia fideliter miniſtravit in templo coram Heli, cui mater obtulerat, & ipſe jam oracula divina ſuſceperat. Sed nec quia mole corporis creverat, Deus erat cum eo, quam obrem cum gigantibus magis ipſe fuiſſet, ſed quia crevit in virtute cum tempore nobilius quàm in tempore cum virtute. Proprium eſt electorum ad divinam manifeſtationem ſpectantium, ut plus in eis virtus creſcat quàm tempus, & in tempore magis fiant virtute proceres, quàm corpore præcellentes. Quod Job ad amico- Job. 31. rum objecta reſpondens, incrementum virtutis, non corporis augmentum appoſuit, dicens: Ab infantia crevit mecum miſeratio. Quærit etiam juſtus Deus homines creſcere in his, quæ perdiderunt, ut eo ipſo ad divinam manifeſtationem apti fiant, quo perdita ipſa recipiunt. Hujus rei veritatem apertè cognoſcimus, ſi ſcripturas teſtamenti veteris perſcrutamur. Nam in Regum volumine legimus, quòd David volens miſericordiam facere cum Amon, ut conſolaretur eum ſuper morte paterna, ipſe ſuaſu aſſiſtentium malorum inter alias injurias mediam barbam radi fecit miſſis nuntiis. Quod cùm comperiſſet ipſe David, juſſit eos manere in Jericho, donec creſcerent ipſorum barbæ. Si hanc figuram latè diſcutimus, materia loquendi protenditur. Et hocipſum quod perditur, & expectatur, ut creſcat, inquiratur. Barba enim hominis virilitatem ſignificat, per quam maximè primo facierum objecto viri à mulieribus diſcernuntur, qui quantò in hominibus placet, tantò amplius in mulieribus diſplicet: Ut non & ſicut in mulieribus ipſis & aſpicientibus eſt

eſt ingrata, ſic in hominibus grata con-
ſpicitur. Proinde virilem ſexum intelligi-
mus, cùm barbam in facie humana vide-
mus. Sed virilis ſexus quàm muliebris
conſuevit eſſe conſtantior in promiſſis, &
fortior in agendis, atque impavidior ad
adverſa. Qui tunc in hujuſcemodi rebus
mediam barbam ſatanica ordinatione amit-
tit, cùm more fœmineo molleſcens, de-
ſiſtit obſervare promiſſa, & quæ voto fir-
mavit, inconſtans factus prævaricatione de-
jecit, infirmus in bonis agendis tepeſcit,
& velut effœminatus pavens trepidat,
ubi non eſt timor. Nam timor non eſt
in virtute, neque in ejus actionibus trepi-
datio, ſed virtuoſum fieri eſt plena ſecuri-
tas, & felicitas quædam virtutis juſſa fe-
ciſſe. Nec deberet eſſe dicatum Deo, ti-
more à mundo explicitum fieri. Et hoc
effœminati potius perhorreſcunt, ut ma-
gis timeat explicari, quàm à mundi com-
pedibus implicari. Et velut formidoloſa
mulier à bello & actione fugiunt virtutis,
& abſterrentur maximo metu audire præ-
2. Reg. 10. cepta virtutis. Igitur protinus in debarba-
tis effœminatæ animæ deſignantur, & mol-
les effecti, dicente Apoſtolo, neque re-
gnum Dei poſſidebunt. Sed rex David
juſſit hujuſmodi viros manere in Jericho,
donec barbæ ipſorum creſcerent, nec ſine-
bat intrare Jeruſalem, ubi viſio & mani-
feſtatio regia pandebatur. Sic Salvator
omnium Chriſtus eos, quibus ſe manife-
ſtare diſpoſuit, ſit virilitatem animi perdi-
derunt, tam diu in defectibus mundi ma-
nere permittit, donec creſcat amiſſa virili-
tas. Nec Jeruſalem, id eſt, ſtatum pacis
intrare ſinit, donec appareat evidenter in
facie virilis audacia, & ex promptitudine
Spiritus carnis infirmitas roboretur, ut
mollis caro non mollia, ſed Spiritus quod
eſt firmum & validum in virtute ſequatur.
1. Petri 3. Sed creſcentia, quæ omnium noſcitur com-
plementum, eſt illa, qua quis creſcit in
gratia, & cognitione Chriſti, qua nos cre-
ſcere Petrus Apoſtolus exhortatur, dicens:
Creſcite in gratia & in cognitione Domini
JEſu Chriſti. Creſcetur in gratia Dei ſem-
per, dum cum effectu operum augentur
deſideria meliorum, & amor tepiditatem
excutiens fit in ſeipſo validior, & in co-
gnitione Chriſti fit creſcendo proceſſus,
cùm tamen per firmam inhærentiam fidei
animo & corpore efficimur chriſtiformes.
His enim tribus hominibus fieri divinam
manifeſtationem ex ſacra ſcriptura conſpi-
cimus, quibus adnectuntur hi diſcipuli,
qui venerant modo piſcari, quorum vita,
ſi per omnia diſcutitur, horum trium ſigni-
ficationibus coaptatur. Filii enim erant
dextræ ſupernæque virtutis, quia pro ſu-
perna patria captanda omni virtute certa-
bant. Et erant obliti omnium terrenorum,
& paſſionum atque laborum pondera, ve-
lut obliti omnia ſupportabant, ſemper in
virtute creſcentes, quouſque per mortem
& ſanguinem, atque aliis circunſepti pœ-
nalitatibus deceſſerunt, quibus facta eſt
Chriſti manifeſtatio ad mare Tiberiadis,
quam ſcriptura ſic factam commemorat:
Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas, qui Joan. 21.
*dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à
Cana Galilææ, & filii Zebedæi & alii ex di-
ſcipulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus:
Vado piſcari. Dicunt ei : Venimus & nos
tecum. Et exierunt & aſcenderunt in na-
vim, & illa nocte nihil prendiderunt.* Bona
eſt ſimultas juſtorum, quia in omni actio-
ne conveniunt, nec contendunt adinvicem,
cum aliquid ad agendum proponitur, ſed
ſemper unus alium ſequitur, ſi juſta decer-
nat voluntate. Fiunt unanimes ad expe-
diens, conjungentes & corpora, & quæ
noverint diſcernere ſermone, ſponte ſe
offerentes operibus proſequuntur. Nihil
in hominum vita jucundius, quam bono-
rum ſimultas & inter ipſos grata conſen-
ſio. Quod & David dicebat : Ecce quàm Pſalm. 132.
bonum & quàm jucundum habitare fra-
tres in unum. Loquitur hic primo Petrus,
dicens : Vado piſcari, ſocios non invitans,
ſed ſponte ſe offerunt : Veniemus & nos
tecum, ut ſolùm propoſuiſſe ſufficiat inter
eos, qui charitate jungantur, & ſtatim ad
agenda promptitudo ſubſequitur. Reli-
ctam artem ad tempus Petrus in tempore
repetit, non aviditate lucrandi, ſed vitæ
captandi compendia, & fortè mendicandi
aptitudo defuerat. Nam veritas & opinio
tunc de Chriſti reſurrectione pugnabant.
Et quod verè factum fuerat, & incredu-
litas impacificè certabant. Nec non & di-
ſcriminibus magis aſcribebantur, reſurre-
ctionis novitatem firmiter aſſerentes. Pro-
pterea neceſſitate urgente, Petrus ſibi &
ſociis providens, artem ſolitam reiterat ad
vivendum, cui omnes aſſentiunt tanquam
de re, quæ non vergit in periculum ani-
marum. Attamen non omnis ars à relin-
quentibus repetenda eſt, maximè illa, quæ
omnino vitium in actione ſua tenet anne-
xum, & quæ recedentibus à Sæculo, in
illo conſuevit facere recidivum, etiam quæ
mentem agendo implicat, ad repetendum
perfectis interdicitur velut nefas. Sed li-
citè ars, quæ relinquitur, in neceſſitate
repetitur, ſi carebat vitio antequam relin-
queretur. Et quanquam omnis ars ſit na-
turæ ſupplementum, & ſubveniens argu-
mentum, non tamen ad expedientiam

Evangelii

Evangelii atque decentiam ſuffragatur, Nec omne quod artis nomen aſſumpſit, juſtè ars dici poteſt, aut vitio caret, cùm ars tanquam naturæ ſupplementum & expediens argumentum debeat honeſtis moribus convenire, ſuis induſtriis fovere rempublicam, carere turpitudine, dolo, fraude, ut ita facienti cedat in lucrum. Ubi verò nec iſta in arte proveniunt, ſolùm utitur nomine, ſed artis veritate privatur. Itaque repetit Petrus & ſui conſocii piſcatoriam artem, eo fortè, quòd premebat neceſſitas, aut quia otioſitas debebat excludi. Hæc enim ſunt faciendæ artis potiſſimæ ratiunes. Veruntamen ſi hanc piſcationem ad myſterium retorquemus, id innuit, ut rationabilium piſcium, non irrationabilium deinceps eſſet per Apoſtolos atque diſcipulos celebranda piſcario, & quadam pia deceptione per Verborum divinorum retia homines traherentur de pelago damnationis in littus æternitatis. Sed cùm piſcari voluerunt, non ſoliditatem littoris tenuerunt, ſed aſcenderunt navim ſemper in æquore fluctuantem. Nihil enim boni in hoc mundo ſine fluctibus agitur. Et in nocte piſcibus tendentes inſidias, cùm mare ſub unda clauſtris retinacibus occupaſſent, nihil prendiderunt. Utique reſpondit myſterium veritati, & véritas umbram eliminat, quia nihil apprehenditur in nocte peccati, & ignorantiæ. Si verò per mare præſens Sæculum intelligere volumus, & per noctem ejus negotium, quod ſemper perambulat in tenebris, labor eſt ſterilis, & omnis in ipſo facta ſubdatio dolor eſt & afflictio Spiritus. Et cùm ad extrema vitæ deveniunt, quia in Sæculo propter Sæculum negotiantur, morientes nihil apprehendunt. Et
Pſalm. 78. hoc Pſalmiſta præviderat: Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis. Et factum eſt hoc magno præſagio futurorum, ut niſi juſſu Domini aliquid in diſcipulorum rete non veniat, nec eis profuit ars, & hora ſolita capiendi, ut piſces veniant in retia, & velut decepti includerentur in lineis crauſtris, quoniam non eſt prædicatoris (quanquam Verba connectat & perficiat rete Verborum, captet dicendi horam, expolitè loquatur, audiaturque libenter) audientes animas capere atque includere infra clauſtra divinorum Verborum, ut credant, & moribus aliter vivant, niſi Dominus juſſerit, cujus providentia inviſæ animæ capiuntur, quarum numerum ſolus ipſe cognovit, quæ talis capturæ myſterio prælectæ ſunt ad ſalutem. Et niſi ſumma veritas ſuis ordinibus illuceſcat, non eſt in hominum actione profectus. Proinde ſequitur: *Mane autem facto ſtetit JEſus in littore, non tamen diſcipuli cognoverunt quia JEſus eſſet.* Sequitur, & poſt ſequitur in ordine diei & noctis alteruter unum alter & quaſi circulariter ſe revoluunt, ut ordo inditus luci & tenebris variari non poſſit, niſi fecerit ille, qui condidit. Igitur mane factum eſt in ordine ſuo, & tenebras removit ab oculis, & Chriſtus ſtetit in littore ſecundùm ordinem ſuum, qui ordinatè perficit omnia, & diſponit, ſed viſus non eſt agnitus, quia nec veritas fidei, atque rerum in lumine corporali cognoſcitur. Et quamvis res corporeæ in lumine videantur, ipſarum tamen veritas in mente oſtenditur, ubi lumen ſolis & ſtellarum ſive lucernæ opitulatur. Et ſæpe factum eſt, ut ſæcularibus negotiis implicati minus imo frequenter ne divina cognoſcant. Et procella hujus mundi, dum in virtute non toleratur, tam turbat ſcapham noſtræ actionis, ut divinæ cognitionis lumen impediat. Etenim diſcipuli piſcationibus implicati, à marinis turbinibus agebantur, & immemores erant, utrum illo in tempore Chriſto cura fuiſſet de eis, qui à ſuis fidelibus nunquam oculum ſuæ proviſionis avertit: *Dicit ergo eis JEſus: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Reſponderunt ei: Non. Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis.* Non ignorat JEſus quod interrogat, ſed reſponſum quærit, ut in melius inſtruat. Sciebat enim eos vacuam noctem & caſſos habuiſſe labores. Et velut vacuos pueros appellat interrogans, aut quia ſic dimiſſi à malitia facti erant. Nunquid pulmentarium habetis? Ad omne liquidum terreſtre aquaticum, aereum, eſibile refertur pulmentarii vacabulum, præterquam ad panem. Sed denegant diſcipuli pulmentarium ex aqua cepiſſe, quoniam in hoc Sæculo non reperitur aliquid corporeum, pani vitæ in eſu conveniens. Nam & ſi multa corporea ſæpe ordinantur ad virtutum optimas actiones, non tamen pani vitæ proportionabiliter coaptantur. Hæc idcirco dixerim, quia pulmentum cum pane ſociali eſu exquiritur. Erat porro in littore panis vivus, qui de cœlo deſcendit, & quærebat, ſi ſibi pulmentarium dignè quodammodo ſociabile haberetur. Quærit ipſe in hominibus pro ipſis, non pro ſeipſo adeſſe virtutes. Sed cùm de ipſarum carentia reſpondetur, dat de habendo præceptum ſive conſilium, dicens: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Nequam eſt Sæculum, & totus mundus in maligno poſitus eſt, ſed habet dexteram

ſuam vitæ noſtræ navigium, in quam ſi retia noſtra & ſtudia mittimus, capturam inſignem & utilem faciemus. Nempe navigium, quo nos denſum mare ſulcamus, virtutis eſt artificium, & eccleſiæ factum myſterium, quæ alteram dexteram habet, quàm mundana conditio. Porro mundana ſeu humani generis à vera cognitione alienata conditio, ſuam dexteram id eſſe æſtimat, cùm ſibi arridet mundus, cùm undique proſperitatibus vernat, quòd de falſo rerum ordinationem pendentibus dicitur: Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt. Dicunt, qui temporaliter delectantur, beatum populum, cui temporalia plenè aſſiſtunt, & hanc proſperitatem dexteram putant. Sed qui ſupernis afficiuntur, aliter cantant: Beatus cujus Dominus Deus ejus. Sed virtutis artificium eccleſiæque myſterium aliam dexteram novit, illam videlicet, qua mundi mala patitur, qua ventis adverſitas impellitur, ut effrenato pelago, velociter in portum ſalutis adveniat. Non gaudet navigium ſole meridiano in maris altitudine conſtitutum, & tranquillitatem maris ut adverſitatem abhorret. Periculoſum eſt ſibi à tempeſtatibus non moveri, ſed hoc ſolùm dexteram ſe gratulatur habere, ut à vehementia ventorum agatur in portum. Non ſuſcipit gaudium de proſperitate mundana, nec eccleſia in florido Sæculo gloriatur, ſed exultat in dejectione, in depreſſione reſurgit. Cui ſi mundi amœnitas arriſiſſet, non triumphaſſet in martyribus, neque in illorum altitudine gloriæ lætaretur. Ac per hoc cùm mundi conditione virtus & eccleſia è regione contenderat, ut quod eſt dextera unius, alterius ſit ſiniſtra, & quod uni ſiniſtram, alteri dexteram faciat. In quam jubet Chriſtus diſcipulorum rete jactari, ut quod ante vel retro vel in ſiniſtro latere non venit in retia, in dextera omnino capiatur. Hanc pro parte dexteram ſupra in dexteræ filio commemoravimus, quæ nec à ſenſu hic capiendo diſcordat, quoniam virtutum omnium univerſaliter una eſt ratio, & unus omnibus conſtitutus eſt finis, quamvis ad ſingulare ſeu particulare certamen, ſimiliter ad viſibilem ſive inviſibilem actionem multa ſit conſtituta vel annexa diverſitas. Sed protinus verorum fidelium hæc eſt dextera, quam in canticis ſponſa commemorat, dicens: Leva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Necnon & mulier fortis in hoc myſterio nens, à colo ſiniſtræ partis naturam involuebat in fuſo, qui à manu dextera tenebatur. Proinde omne noſtrum ſtudium actionis in dextera, & pro dextera eſt agendum. Nam veritas & fructus eſt hujuſcemodi, & mandatum eſt Domini, qui nos poſſe invenire quod juſtè quærimus, & juſtè jubet quærere, ut inveniamus. Inde diſcipuli obedientiam illico mandato jungentes, piſcium ſignatam multitudinem invenerunt. Nam hoc in bonis actibus infallibiliter agitur, ut obedientia juncta præcepto penitus juſſa perficiat. Et juſtum præceptum actionem obedientiæ valentiorem facit, ut præcepti & obedientiæ plena conformitas in debitis actionibus ſemper nanciſcatur effectum, qui aliquando jubenti, aliquando obedienti, aliquando utrique juſtè tribuetur. Nec ex incuria prætereundem eſt, cui virtus efficiendi potius tribuatur, quoniam in his quæ præcepit Dominus, feciſſe ſibi potius, quàm obedienti referendum ſit. Nec quis inaniter de ſuis virtutibus coram Domino glorietur, quod magis ad effectum juſſa deduxerit ex promptitudine ſuæ voluntatis, quàm ex imperio imperantis. Plus enim in omni bono, quod agimus, divina virtus operatur in nobis, ut fiat, quam noſtra quæque actio ſive voluntas, quod ipſius Salvatoris plena confirmat authoritas: Sine me inquit, nihil poteſtis facere. Et adjutorium noſtrum ad effectum agenda deducens eſt in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram, non ex nobis, qui ſumus ex terra. Hinc etiam dicit Apoſtolus: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Qui enim bonum ex ſe cogitare non ſufficit, ex ſe perficere omninu deficiet. Et ad Philippenſes idem Apoſtolus ait: Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Sed in his quæ homines etiam ſecundùm Deum imperant ad effectum, aliquando præcipientis, interdum obedientis virtus excedit, ut ejus merito quod præcipitur fiat, cujus coram Deo gratior eſt ſanctitas. Sæpe verò pari virtute contendunt, quod ſolus Deus librat pondera meritorum. Et in Sanctorum patrum geſtis cœnobiticorum, & aliorum laudabiles contentiones invenimus, quod mirabilium factorum virtus aliquando in præceptorem, aliquando in obedientem pia contentione ferebatur. Et ſæpe de utroque ſanè cognoſcentes pariter ſentiebant. Sed in hac obedientia qua diſcipuli Chriſti præceptum fecerunt, dicitur: *Miſerunt ergo rete, & jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.* Mira virtus præceptoris & obedientis, quod talis ſequatur effectus, ut alter impediatur & actus, quoniam tanta multitudo

Pſalm. 143. Cant. 2. Joan. 15. 2. Cor. 3. Philip. 2.

tudo piſcium venit in retia, ut ad extrahendum vires diſcipulorum excederet. Et verè ſupra ipſorum virtutem ſubſecuta eſt hominum converſio poſt reſurrectionem. Nec fuit aliquando, aut erit quorumcunque doctorum etiam ſanctitatis altiſſimæ, poſſe homines de pelago damnationis & iniquitatis extrahere, aut de fundo limoſo eripere, ut ad littus æternæ ſtabilitatis attraherent, niſi duntaxat illa virtute, cujus facta eſt captura. Sed ille diſcipulus, quem diligebat JEſus, factum ſupra vires, intellectu perſpicaciori conſiderans, trahenſque manibus cum funibus rete, impotenterque laborans, aquilinos oculos direxit in littus, & præ impotentia trahendi, hujus operis cognovit actorem, *dicens* Joan. 21. *Petro*: *Dominus eſt:* Ecce omnes operati ſunt ad retia in mare laxanda, omnes in trahendo laborant, & infra ſemetipſos præ ſubitatione mirantur, non autem omnes, cujus ſit hoc factum, virtute conſiderant, nec omnes in facto virtutem præceptoris advertunt, quia non omnibus ut actio, conſideratio eſt æqualis, nec quibus una eſt proportio in opere, eadem proportio eſt in mente. Plerunque verò actionibus excedentes, interna veritatis ſpeculatione minorantur, velut in hoc loco Joannes, ſive in corporali exercitio cum ſociis æquaretur, ſive ſuccumberet, primo tamen omnes in cognitione veritatis exceſſit, ut diceret Petro, Dominus eſt. Quid eſt enim dicere, Dominus eſt, niſi cur tantùm in trahendo retia laboratis, cùm piſcium captorum multitudo præponderet? Hoc non eſt factum noſtra virtute, nam nihil cepimus nocte præterita laborantes. Dominus eſt ille, qui juſſit in dextera navigii rete relaxare. Ipſe igitur eſt, qui nos expectat in littore. Ipſe fecit in retia noſtra piſcium multitudinem advenire, ipſiuſque virtute trahemus in littus. Hoc docente dilecto, more ſolito reanimatus eſt diligens. Semper recaleſcit in verè diligentibus amor, & diligentem impavidum ad pericula ſæpe facit, & nihilipendit labores ancipites. Hinc eſt quod *Simon Petrus*, *cum audiſſet*, *quia Dominus eſt*, *tunica ſuccinxit ſe.* Dilectus à JEſu, ipſum cognoſcens nunciat de JEſu. Diligens vero JEſum, ad ipſum venire impatienti amore decertat, nec conſilio utitur ſociorum, nec exquirit inveniendo conſortium, undarum profunda non timet, non deliberat, quid accidere poſſit, dum illum conſiderat, quem ſuper omnia diligit. Non expectet ſocium, qui feſtinat ad Dominum. Periculoſa eſt hujuſcemodi expectatio, cùm nos expectat Dominus. Recipiantur ſocii, cùm ſequuntur, ſed nec remorentur, qui expediti ſunt ad ſequelam. Currendum eſt, cùm vocamur, non tardandum, ut tepidi proſequantur. Ad regem pro cauſa placita milites feſtinantes de tardioribus non ſciſcitantur. Studeat unuſquiſque militans de ſe gratam regi exhibere militiam, nec reſpectu tepentium remoretur æqum, ubi per ſe videt expedire poſſe pro rege. Maximè, ſi uuuſquiſque per ſe rationem reddit altiſſimo, per ſeipſum primo ſervire feſtinet. Nec multo conſilio opus eſt, cùm per fidem aut certitudinem in noſtram ſcientiam divinum placitum venit. Retardat amoris molimina conſiliari cum cæteris. Impellitur feſtinantius verus amor, & validis directionibus tendit. Providere pericula providentiæ eſſe noſcitur, non amoris. Qui pericula futura per ſingula providet, amorem tepeſcere facit. Et ſæpe fuit periculum tale proviſum quod nunquam evenit, aut affuiſſet agenti. Pavor & amoris fervor impacatè contendunt. Ille mala providet, hic efficere poſſe promittit. Ille de omnibus dubitat, hic omnino confidit. Quamobrem Simon Petrus, cùm audiſſet, quia Dominus eſt, non conſilians veſtivit ſe tunicam, non illam, quam prohibemur exiſtentes in agro, retollere incubente perſecutione, nec illam, quam ſe depoſuiſſe ſeu expoliaſſe in Canticis Dei ſponſa dicebat, ſed illam, quæ interdum impedit facilem actionem, quam, cùm homo in actione non ſiſtit, reinduere poteſt ſine detrimento virtutis. Seu illam dixerim, quæ noſtram turpitudinem tegit. 1. Cor. 9. Petrus verò nudus erat, ut expeditior eſſet ad rete retrahendum. Proprium eſt enim rectè agentium, ab impedientibus expediri. Nam omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet ſcilicet non decentibus, aut adverſantibus in agone. Atqui non ſine magno documento agendorum factum eſt, quòd in vertice Apoſtolici chori dum piſcarentur diſcipuli & rete traherent, legimus nuditatem. Quoniam nullus nudior debet eſſe à rebus, ut expeditius piſcationem perficiat animarum, quàm qui Chriſti vicem gerit in terris. Ipſe primus exemplificare tenetur, quod in hoc Sæculo Chriſtum geſſiſſe cognovit, qui nudus natus, nudeque vivens, expoliatus veſtibus, crucifixus atque mortuus eſt. Piſcationi animarum intendens, à rebus nudus exiſtat, ut nec perpeditus corporeis, ſpiritualibus poſſit intendere, nec exemplo rerum ſæcularium vinculo implicatus inficiat, quos à Sæculo Verbo prædicationis & veræ ſanctionis avertit. Succinctio verò Petri de-

poſitæ tunicæ, dum Dominum in littore adeſſe cognovit, in virtutis ornatum trajicitur, quo nudus ſe comptat, ne deſpicabilis appareat coram Domino. Cùm ſe in mare projecit, fidem aſtruit, quam habebat in Chriſtum. Etenim aliàs in mari per ipſum reſervatus fuerat à procellis. Necnon impavidum oſtendit ſe factum, cùm urgeretur calcaribus ab amoe. Timorem ſæpe abſtulit verus amor. Et in canonica
1. Joan. 4. Joannis dicitur : Conſummata charitas foras mittit timorem. Veruntamen quæſtionem animo ingerit, ſi bonum erat miniſterium, cur reliquit ? Erat protinus, nam juſſu Domini captionem piſcium fecerant. Sed licitum eſt relinquere miniſteria & corporis actiones, ut altioribus contemplationibus intendatur, potiſſimè, ſi ſunt qui hujuſmodi miniſteria proſequantur. Relinquebat enim Petrus conſocios, qui perficere poterant, quod ipſe reliquerat. Et periculis marinis pervenit ad Chriſtum, cùm alii navigio perveniſſent. Diſpar enim eſt in moribus via, qua pervenitur ad Chriſtum, quamvis ſit una in fidei fundamento. Et aliqui periculis, aliqui cautelis, aliqui laboribus, alii contemplationibus, alii exercitiis, alii argumentis variis ad Chriſtum perveniunt. Sed in mentibus hominum de hac diverſitate nil obrepat, ſi pervenire contingat. Porro in anguſtum eſſent concluſæ virtutes, ſi duntaxat in moribus unica eſſet via. Sed exiſtens unica fundamento, facta eſt multiplex in agendis. Sed hi *diſcipuli non longè erant à terra, niſi ducentis cubitis.* Si hos cubitos ad geometriam referimus, dubia eſt locutio, ſi autem ad translationem in Latinum ſactam de Græco, fit nobis tractandi ſermo ſecurior, quoniam via maris ad littus modico ſpatio tendebatur. Scilicet ducentis cubitis, quorum ſpatium natandi peritia ſeu ſub undis fixo veſtigio, aut levigato navigio, ut veniatur in portum, facilè tranſuadatur. Quo iſtorum modorum Petrus ad littus ubi Chriſtus erat advenerit, ſcriptura non explicat. Scire verò tantùm ipſum præ cæteris ocius perveniſſe ſufficiat. Numerus verò ſpatii ducentorum, ſcilicet cubitorum, myſterium includit & mores. Etenim centum primus eſt numerus, qui tranſit in dexteram, & calculantium peritia non invenitur in leva, qui in minori digito in modum circuli recontorto perficitur ſuper palmam. Et cùm aliis proximus ſimiliter inflectitur, ſecundùs centenarius conſtituitur. Et decas decem omnis centarius habet incluſas. Primus igitur centenarius in minori digito conſtitutus, eos dicit, qui de populo Judæorum per obſervantiam decalogi pervenerunt ad æternitatem Chriſti. Secundùs verò eos, qui de eccleſia orthodoxa ſalvantur, uterque tamen per decalogum ſortiti ſunt ſalutem. Sic etiam activi & contemplativi ad decalognm aſtringuntur. Et quanquam contemplativi ſuperferantur activis, damnoſa eſſet eis interna & altiſſimorum contemplatio, ſpreto decalogo. Homines, mulieres, clerici & laici, prælati & ſubditi, per decalogum pertinent ad numerum ducentorum, ſi pervenire ad dexteram illam cupiunt, quæ in illa, in qua iſti numeri perficiuntur, circulari æternitate ſignificatur. *Ut ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas & piſcem ſuperpoſitum, & panem*, non tamen igni ſuperpoſitum ſicut piſcem. Si prunas, piſcem, panem Apoſtoli ſic ſtatuiſſent, non pro nova viſione ſic ab Evangeliſta, qui aderat, diceretur. Nec etiam, cùm Dominus interrogaſſet eos, utrum pulmentarium haberent, reſpondiſſet non. Sed aliunde ignis, panis, & piſcis, quàm à ſtudio & opere piſcatorum, ab eo ſcilicet qui ſe nunc iſtis Septem tertiò delaturus advenerat. Ignis, amor, piſcis captus ſub undis, fructus, qui de tribulatione carpitur. Piſcis ineptus ad eſum, niſi aptetur in igne. Fructus in ſrui eſſe non poſſet, niſi amore torreretur. Panis tota eſt vita, quem ſuo modo appoſuit panis vitæ. Sed exquiritur communicatio atque unio debita operum capitis & membrorum, ut ex alteris altera virtutem perfectionis accipiant. Proinde *ait JEſus : Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc.* Hoc eſt, opera veſtra meis operibus jungite, ut animæ veſtræ non auris veſtra meritum juſtæ actionis & divini placiti ſortiantur. Ex eo enim, quòd opera noſtra divinis operibus aſciſcuntur, factionis atque retributionis præmium nanciſcuntur. Chriſti verò merita, dum noſtris meritis vitam tribuunt, in ſeipſis non amplius inclareſcunt. Bonorum noſtrorum protinus ipſe non indiget, nec egens uſquam ab aliqun quid accepit, & ſiquidem ſignata & temporalis locutio Salvatoris nobis aliquod aſtruit ſacramen- Luc. 5.
tum. Ait enim ipſe Salvator : Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc. Nam alio tempore multis piſcationibus ab ipſis Apoſtolis aliquid non exegit, ſed de piſcatione, quæ facta dicitur nunc. Etenim hoc nunc præteritum habet paſſionis & reſurrectionis in capite, futurum verò reſurrectionis membrorum expectat, in quæ tempora noſtra opera conjuncta divinis, merentur,

rentur, quantùm beatitudinis ſint habitura poſt diem extremæ reſurrectionis. Hoc nunc obedientiam dextralem exercuit, ut ſolùm illa opera ſuis velit Chriſtus aſciſci, quæ à leva in dexteram veniunt, quæ pro æternis, non pro temporalibus fiunt. Et ad horum amorem nos Apoſtolus excitans, ab iſtis avertit: Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: Quæ autem non videntur, æterna ſunt. *Tunc aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piſcibus centum quinquagintatribus.* Petrus rete traxit in terram, ſuper cujus confeſſione fundata eccleſia noſcitur, ut merito fidei cognoſcamus ſalutis poſſe deveniri in portum. A nutabundo elemento trahuntur piſces in ſolidum elementum. Hoc enim Salvator jubendo vult, volendo jubet, ut nutantes in temporalibus homines in ſoliditatem credendo & merendo perveniant, Hoc enim eſſe æterni patris voluntatem, ipſe Chriſtus aſſeruit. Propter quod etiam in hunc mundum, à ſummo cœlo egreſſus ipſe deſcendit. Quia deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, Joan. 6. qui miſit me. Hæc eſt voluntas patris mei, qui miſit me, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Quòd Petrus navim reaſcendit, de qua proſilivit in mare, varietatem in operibus optimi obedientis oſtendit, ut in his velit exercitatum fieri, prout voluntatem cognoverit imperantis. Nunc opera mutare diverſa, nunc autem relicta repetere, nunc agere, nunc contemplari, nunc unum intermittere & aliud exercere, nunc cavere pericula, nunc ſe periculo mortis exponere, ut nil agat proprio motu motus, ſed majoris imperio actus. Nam ſicut ſupra de Salvatore tetigimus, quòd non ſuam voluntatem facere in hunc mundum deſcenderat, ſed paternam, ſic nos Chriſti voluntatem, non noſtram in actionibus proſequamur. Quantitas verò piſcium continua & diſcreta ſcilicet, quod magni & centum & quinquagintatres erant ad magnitudinem operum & ad eorum originem retorquetur. Magni quippe dicuntur electi, nun à ſeipſis, ſed à magnitudine Geneſ. 15. acquiſitæ mercedis, velut Abrahæ Dominus loquobatur: Ego ſum merces tua magna. Et quoniam ipſorum laus & gloria eſt apud Deum in eccleſia magna. Magna ſiquidem eſt militans eccleſia, omnis alia concio parua vel nulla. Magnitudinem verò eccleſiæ triumphantis nunquam ullus expreſſit. De utraque verò intelligebat Pſalm. 21. David: Apud te laus mea in eccleſia magna. Eo igitur electi Dei magni ſunt, quo in eccleſia magna juſtè laudantur. Et quoniam in hac eccleſia magna Chriſtum confeſſi ſunt, magni vocantur, ut idem Pſalmiſta dicebat: Confitebor tibi in eccleſia magna. Et juſtitiam Dei prædicavir in eccleſia magna. Magnus enim eſt, qui in magna domo ſecundùm Domini placitum potuit etiam modicum cum perſeverantia operari. Et quæ magno animo fiunt, parua eſſe non poſſunt, etiam ſi parua actionibus conſtant. Timor etiam Domini apud eum ſuos electos magnos effecit. Scriptum eſt enim: Judith. 16. Qui autem timent te, magni erunt apud te. Quia eo ipſo, quo in hac vita Dei timor mentem hominis ad rectè credendum, recteque videndum humiliat, apud Deum in immenſum extaltat. Et tam magnos facit in gratia, quàm paruos ſe tenent in conſcientia. Diſcreta verò quantitas in centum quinquagintatribus piſcibus conſtituta, radicem & originem & fructum bonorum operum aſtruit. Si numerum hunc indagatione ſubtili diſcutimus, habet protinus numerus iſte triplicem diſtinctionem, ſcilicet tria, quinquaginta & centum, ut in tribus fides trinitatis intelligatur, ſeu tres illæ virtutes vivificæ, ſine quibus non conſiſtit hominum ſalus, quæ ſunt radix & origo bonorum operum, ſine quibus nemo placuit Deo, etiam ſi quatuor aliis virtutibus per omnia claruiſſet. Has ſiquidem dixerim fidem firmam, ſpem ſolidam, charitatem ſinceram. Quis unquam abſque his altiſſimo placuit? Quoniam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Quis ſine ſolida ſpe ſupernorum meritoriè terrena contempſit. Quanquam enim plurimi philoſophi contempſiſſent temporalia, ſpem ſupernorum ſolidam non habentes, merito caruerunt. Spes enim noſtra, ut ait Apoſtolus, penitus non confundit. Quis à charitate alienus initiavit aliquando bonum, ſine qua nihil eſt in noſtris operibus bonum? Quis initians perfecit, ubi ipſa defecit? Quis perfecit, ubi ipſa non aſtitit? Clarius iſta lucent in rationabili mente, quàm poſſent ſcribi aut Verbo proferri. Omnia in vanum & in nihilum tradidit Apoſtolus, ſi charitatem non habet. Numerus verò quinquaginta, ad remiſſionem pertinet peccatorum. Etenim in veteri teſtamento annus jubileus erat, in quo multa relaxabantur. Et propter quinquaginta juſtos Dominus ſe dicebat parcere Sodomitis & loco propter eos. Et quinquagenarius ſupplicans Eliam, ignem ultionis evaſit Et quinquageſimo die à reſurrectione datus eſt Spiritus, in quo remiſſio peccatorum,

Actor. 1. Centenarius autem numerus ad decalogum
pertinet, quia ex decies decem ipſe conſur-
git. Porro decem faciunt in ſua ſignifica-
tione numerum decem præceptorum. Et
decies replicata id annuunt, ut unumquod-
que prout promulgatum eſt, affirmativè
ſeu negativè deducatur in actum, quod de-
cies replicatus denarius cumulat centum,
qui dextralis eſt numerus, meritum ſupernæ
patriæ, ubi Chriſtus in dextera Dei eſt patriæ,
inſinuat. At ternarius numerus virtutum,
quinquagenarius ſcilicet remiſſio peccato-
rum, centenarius ſicut executio mandato-
rum radicem & originem & fructum per-
Lucæ 5. petuum habent bonorum operum. *Et cùm
tanti eſſent duplici quantitate, non eſt ſciſſum
rete præ multitudine piſcium.* Aliàs legimus,
quòd rumpebatur rete præ multitudine pi-
ſcium. Non enim qui electi ſunt in eccle-
ſia, & in moribus ſciſſuram conſtituunt.
Non præſumunt diviſionem, qui uniuntur
in Chriſto. Neque in ſcriptura diſſentiunt
divina, in ejus fide veram ſimultatem ha-
bentes. Nam ſi electi ſunt, non ſcindunt,
neque ſcinduntur. Et eo ipſo electi ſunt,
quo ſcindere aut ſcindi noluerunt. Et capti
ad dextram navigii fideles, contrarias non
ſeparantur in partes, nec fidem aut eccle-
ſiam ſive virtutem ſcindunt, in qua pro ſu-
perna patria capti ſunt. Et qui trajiciun-
tur in illam, unitatem per omnia ſervant.
Non enim eſt civitas illa diviſionis, ſed
unionis & pacis. *Dicit eis Jeſus: Venite
prandete.* Vocat ad eſum Jeſus ſuos diſci-
pulos, ut cum ipſo ſua beatitudine per ſuam
miſericordiam, & per meritum paſſionis
data, noſtra operatione quæſita, æternaliter
perfruamur. *Et cùm ſederent diſcumbentes
in littore, nemo diſcumbentium audebat illum
interrogare, tu quis es? ſcientes quia Do-
minus eſt.* Non enim erat hæc ſcientia ex
oculorum aſpectu aut objecto corpore,
ſed ab inſita in animo veritate. Sæpe Chri-
ſtus aliquorum oculis corpus objecit, ſed
nec tam cito agnitus eſt, quouſque interius
per infuſionem veritatis illuxit. Proinde
quia mente ſciebant, verbis quis eſſet, non
interrogabant. *Et venit Jeſus & accepit pa-
nem, & dabat eis, & piſcem ſimiliter.* Venit
Jeſus miniſtrando, non aliunde poſt diſcu-
bitum, erat enim ibi, & accepit panem more
ſolito frangens, & dabat eis, ut ederent, ſimi-
liter & piſcem, fructum ſcilicet capitis &
membrorum. Fructus capitis in pane, quia
ipſe panis vitæ. Fructus membrorum in
piſce, quoniam velut piſces degunt ſub
aquis, ſic membra Chriſti ſub tribulationi-
bus mundi. Panis & piſcis venerunt in
eſum, & communicata paſſione ſimiliter
& merito, in æternum non eſuriemus. *Hoc
jam tertiò manifeſtatus eſt Jeſus diſcipulis ſuis,
cùm ſurrexiſſet à mortuis.* Tertiò, non ordi-
ne apparitionum, cùm fuerint multo plures,
ſed ordine dierum, cùm apparuerit prima die
reſurrectionis, & octava, & iſta, quæ à prima
quota fuerit ignoratur. Facta eſt autem iſta
manifeſtatio diſcipulis ſeptem, ut omnes in
hoc mundo in ſeptiformi gratia Spiritus
Sancti degentes æternam manifeſtationem
in patria ſuperna ſuſcipiant. Mare verò
Tyberiadis tribulatio eſt, teſtimonium ve-
rum perhibens & perquirens. Proprium
eſt maris eſſe in ſuperficie inquietum & tri-
bulationem inferre nauticis, Tyberiadis
teſtimonium interpretatur. Et in tribulatio-
nibus teſtificari de Chriſto, virtutis eſt mar-
tyrum, imo virtus eſt perfectorum. Teſti-
monia divina perquirere ſolidamentum eſt Pſalm. 18.
vitæ, necnon ipſa cognoſcere ſapientem & Pſalm. 92.
providum facit. Nam teſtimonium Domi-
ni fidele ſapientiam præſtans parvulis. Et
teſtimonia Dei credibilia facta ſunt nimis,
ut in cognitionem veritatis ab hominibus
veniatur. Et quoniam ſunt via in vitam,
beati qui ſcrutantur teſtimonia Dei, quæ,
quia ſupra ſenſum hominum mirabilia exi-
ſtentia, ideo illa ſcrutatur anima juſti viri.
Et ad illa cordis inclinatio à Domino po-
ſtuletur, ſed non cum avaritia, ne plus
quàm expediat, ſapere velimus, quòd
Apoſtolus prohibet: Non plus ſapere, quàm
oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.
Reſonant in pſalmis ſupra poſitæ voces, ut Rom. 12.
Dei teſtimonia perquiramus, quæ illa eſſe
dixerim, quæ Dei cognitionem teſtificantur,
ut in illam cognitionem veniamus, quòd
creavit nos placito ſuo, & quod incarna-
tus redemerit ſanguine ſuo, & quod ve-
lit nos eſſe beatos in regno ſuo, Exiſtunt
autem iſta teſtimonia in ſcripturis, quas
perquirere cum lumine fidei & intellectu
fideli præſtant parvulis veritatem, & te-
ſtificantur nobis de geſtis, de credendis,
diligendis atque agendis, & in quibus
maximè ſpes mortalium invaleſcat. Et
creatura viſibilis atque inviſibilis de di-
vinis teſtimonium perhibet. Hinc Apo- Roman. 1.
ſtolus ait: Inviſibilia Dei à creatura mun- Sapient. 13.
di per ea, quæ facta ſunt, intellecta
conſpiciuntur. Et in Sapientia ſcriptum
eſt: A magnitudine enim ſpeciei & creatu-
ræ cognoſcibiliter poterit creator horum
videri. Ergo ad mare Tyberiadis ad ab-
undantiam tantorum teſtimoniorum facta
dicitur manifeſtatio Salvatoris, mente
plus quàm corpore, atque tam in corpore
quam in mente. *Cum ergò prandiſſent, dicit Si-
moni Petro Jeſus: Simon Joannis diligis me
plus*

plus his? Dicit ei: Etiam domine, tu ſcis, quia amo te. Sumptus eſt in ſilentio cibus. Nunc adorirur Jeſus verticem Apoſtolici chori quæſtiõne pulſare, ut cæteri erudiantur in illo. Et poſt cognitionem atque ſcientiam, quia ſciebat quod Dominus eſt, quantus ſit effectus inquirirur. Scientia enim boni ad illud movet amorem, nihil enim diligitur, niſi ſub ratione boni, quanquam multi in dilectione fallantur. Cognoſci autem bonum oportet, antequam diligatur. Etſi diligere bonum expedit, ſi eſt utique fas, quo pluris bonum eſſe ſcietur, erit amor ardentior. Sumpto cibo, de amore oritur quæſtio, ut etiam refectione ſuſcepta, ſermo ſit de virtute, ne homo interior privetur cibo ſuo, ſi exterior alitus eſt. Cibus porro interioris hominis eſt virtus & ſermo virtutis. Indicitur Simoni quæſtio, ſi Jeſum plus cæteris diligat. Prudens interrogator, ſed nec reſpondens incautus. Prudenter interrogat, quòd ipſe prænoverat, ut ore fiat confeſſio in ſalutem, ab eo à quo in damnationem ore fuerat facta negatio. Et jure plus cæteris diligat, quoniam cæteris plus negavit. Et quoniam erat à Chriſto ſuper omnem Eccleſiam in capite conſtitutus, ſibique traditæ claves, decebat eum alios dilectione præire. Proinde ſi plus amet Salvator interrogat. Magna cautela utitur reſpondendo Petrus, cæteris ſe in amore præferre non audet, ſeipſum non alios ſcire fatetur. Novit ſe amoris virtutem non ponderare animos ſingulorum, defert ſociis ex comparatione, ipſos in ſua reſponſione non judicat, ſe diligere dicit ſed plus diligere tacet. Quis enim novit ſe alicui hominum ſimilium in virtute illa præferre? Ecce omnes Apoſtoli diligebant, ſed quis ipſorum noverat an plus ipſe diligeret, cùm unuſquiſque ſe crederet totum impendiſſe amorem? Sed nedum in amore quis in quacunque virtute audeat ſe præferre, ſi habet in illa conſortem. Ubi verò non eſt in virtute conſortium, comparatio ſopietur, quoniam in uno
Joan. 21. poſſeſſio, in altero carentia judicatur. Et hoc Petrus ita reſpondet: Etiam Domine tu ſcis, quia amo te. Ac ſi apertè dicat: Domine certum eſt, quia amo te, ſed an plus iſtis amem, ignoro. Tu ſolus, non ego noſti amores omnium ponderare, tu qui noſti meum ſimiliter & cæterorum. Magno documento domini ſervi edocentur, ne unus alteri in ſimili virtute ſe præferat, cùm Petrus ſi plus diligere corde credidit, verbis penitus non expreſſit, aut ſi non credidit plus amare, humiliter ta-
3. Reg. 19. cuit. Ac per hoc redargutus eſt Elias, qui dicebat ſe ſolùm idola non adoraſſe, cùm audivit à domino verbùm: Reliqui mihi ſeptem millia virorum in Iſrael, qui non curvaverunt genua ſua ante Baal. Sed Petro. prima reſponſione completa, *dicit Jeſus: Paſce agnos meos.* Ac ſi dicat: Si diligis me, agnos meos utique dilige, opere ſiquidem perficias, ut illos paſcas exemplo vitæ, alimento doctrinæ, oratione à luporum morſibus tuearis. *Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me.* Appellat eum à parentali propagine, ne extollatur, qui tanta inſtruitur diligentia Salvatoris, ut eum diſtinguat; quia fortè Simon alius erat ibi, unus de quibus ſupra dictum eſt, & alii ex diſcipulis ejus duo. Nec quempiam moveat apoſtolorum & diſcipulorum vocabulum ſive diſtinctio, quoniam apoſtolos ſæpe ſæpius diſcipulos nominatos invenimus. Iterato Salvator interrogat, non ut ignoret, aut ne verum ſit, quod Simon Petrus ante reſpondit, ſed ut confitendo ſæpius mereatur amplius. Etenim Salvator omnium Chriſtus ſemper ſuis fidelibus parat ordinem plus merendi. Eandem quam ſupra reſponſionem reddidit Petrus plus de ſcientia Chriſti, quàm de ſeipſo confiſus, ut ſi diligo, vel non diligo, quid me interrogas? Tu domine melius noſti. Et ſi diligere videor, à meipſo fortè decipior. Et ſi quod videtur amor, non eſt amor. Quid me interrogas? Tu domine certiſſimè noſti. *Ait Jeſus: Paſce agnos meos.* Juvenes etiam & ineruditos ſub eccleſiaſtica paſtura oportet inducere, neque agni novelli repellendi ſunt à paſtu catholico, ſi velint cum profeſſis ovibus in fide & moribus commorari. *Dicit ei tertiò: Simon Joannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dicit ei tertiò, amas me. Et dicit ei: Domine, tu omnia noſti, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: Paſce oves meas.* Interrogat tertiò Simonem Jeſus, ut tertiò reſpondens à trina negatione ſe purget, & plenè oſtendatur dilectio, quoniam in Chriſto tota trinitas erat, ut prima interrogatio referatur ad Patrem, ſecunda ad Filium, tertia ad Spiritum Sanctum. Sed contriſtatur Petrus non de verbis Domini, quem delectabatur audire loquentem, magis verò, quia recordabatur, quòd, quantò magis cum Chriſto ſe moriturum promiſerat, tantò magis eum Dominus prædixerat negaturum. Inde tacitè cogitans de eo, quòd ſe dicebat diligere amplius hæſitavit. In id argumentum aſſumens, ideo Dominus toties à me, ſi diligo, exigit, quia vel caſurum, aut fortè iterum negaturum, ſeu amorem in me non eſſe, plenè cognoſcit. Et plus tribuens Chriſti cognitioni, quàm

ſuæ

ſuæ confeſſioni, de Chriſto confidens, de ſe diffidens contriſtatus eſt. Pia eſt illa triſtitia, qua ſe homo timet eſſe, quod eredit, & hæſitat in ſeipſo de his, quæ ſibi vera videntur. Quamobrem tertiò interrogatus latius ipſe reſpondit, dicens: Domine, tu omnia noſti. Sapientiam atque ſcientiam incomprehenſibilem Chriſti, omnia comprehendentem Petrus in hac reſponſione fatebatur, aſſerens quod omnia noverat. Si omnia novit, nihil ſubterfugere poteſt ſcientiam ejus: nihil occultum poteſt eſſe, aut fieri in hominibus, nil cogitari tam ſecretius poreſt, quud in palàm ſibi non veniat. Unde timor, unde horror, unde cordis cuſtodia, unde cautela, unde rectificatio mentis jure in hominibus naſcirur, ſi omnia novit. Et ſapientia clamat: Et omne cor intelligitur
Eccleſ. 56. ab illo. Proinde contriſtatus Petrus, ſic arguit: Domine, ſi omnia noſti, viſibilia & inviſibilia, facta & diſpoſita, cogitationes & verba, tu ſcis, quia amo te. Quid igitur me interrogas? Quia amo noſti. Verbum certitudinis poſuit pro ſeipſo. Certum enim ſibi videbatur diligere. Si amo, noſti: ſi non amo, noſti: ſic penitus non expreſſit, tacuit conditionem, certitudinem dixit, quam ſibi videbatur habere, illamque ſcientiæ divinæ ſuppoſuit, de qua amplius quam de certitudine ſua præſentiens, ne foret falſum, quod ſibi videbatur verum. Contriſtatus eſt, non adverſus Chriſtum in aliquo conturbatus: ex ſeipſo, non ex ipſo capiebat unde triſtaretur. Et cùm dixiſſet, tertio, amo te, audivit ab eo: Paſce oves meas, non tuas, non tyrannorum mundi, non propria voluntate gradientes, non paſcua quærentes pro placito voluntatis, non adhærentes paſtoribus alienis, non dividentes ovile, non morbidas, quæ meritò culpæ ſeparantur à grege, ſed meas videlicet juri meo per omnia mancipatas, meis veſtigiis, quantùm poſſibile, & fas eſt, ex omnibus inhærentes, meas per amorem & ſanguinis redemptionem, quæ meam vocem audiunt, & paſtorem alium non ſequuntur. Ecce quòd potius diligentibus cura committitur animarum. Etenim in illa virtus amoris plus quàm ſapientia operatur. Quoniam qui Chriſtum in veritate non diligit, nec per ſapientiam gubernabit dominicum gregem. Deinde Petro prædixit, quid eſſet pro ipſo paſſurus, ubi amoris certitudine ferebatur in illum, ut non ſolùm amor oſtendatur in regimine ovium, ſed in tolerantia perſecutionum, ut nec ipſe amor poſſit amplius in virtutibus progredi, quàm mori pro Chriſto. Quicquid eſt amabile præter Chriſtum abhorruit, qui pro Chriſto expoſuit vitam. Proinde amoris inquiſitione completa, Salvator adjecit: *Amen, amen dico tibi, cùm eſſes junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas: cùm autem ſenueris, extendes manum tuam, & alius te cinget, & ducet te, quo tu non vis. Hoc autem dixit, ſignificans qua morte eſſet clarificaturus Deum.* Libertate utitur homo, & ſuis movetur complacitis, maximè cùm ſanguis ebullit tempore juventutis, quouſque obedientiæ Chriſeræ ſibi jugum imponit, ſub qua curvatur dorſum, inclinatur animus, ut vel ſibi mala contra corporeum ſenſum, aſperum ſenſum inferat, ant ab aliis illata voluntariè patiatur, quanquam ſenſus carneus patienti reluctetur. In hoc protinus omnes, quos verè afficit, trajicit Chriſti amor, ut vel contra tenerum ſenſum mala inferant, aut ab aliis irrogata patienter ſuſtineant, juxta quem intellectum Dominus Petro dicit in veritate repetita conteſtans; Cùm eſſes junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas. Cùm juventutis ætate fervens, cùm velut indomitus vitulus nondum pio jugo colla ſubmiſeris, te ad tua volita præparabas, & voluntate potius, quàm virtute, placito magis, quàm ratione movebaris, ambulabas quo volebas, non quo virtus aut ratio impellebat, & ope divina mutatum eſt in te ſcripturæ decretum: Ado- Proverb. 22.
leſcens juxta viam ſuam graditur, & cùm ſenuerit, non recedet ab ea, quoniam cùm ſenueris, extendes manus ad ſuſcipienda tormenta, & alius te præparabit, ad pœnam te ducens, quo ire ſenſus carnis naturaliter refugit. Sed ſi pœna involuntariè toleratur, meritum non videtur afferre. Igitur ſi tu Petre ibis, quo non vis, unde tibi meritum erit, cùm magis proveniat voluntate patiendi, quàm acerbitate pœnarum? Eſt ſiquidem in homine judicium rationis, qua pro Chriſto juſta occaſione accepta, voluntariè ſe præſtat in pœnam, quam ſemper moleſtè tulit tenera hominum caro, quæ nunquam de ſui natura patiendi pœnas præſtitit aſſenſum, ſed trahitur etiam renitens in ſanctis aut interioris hominis per judicium rationis, aut in aliis per majoris violentiam poteſtatis, cujus ſi voluntas exquiritur, pati velle denegabit omnino. Nam & animalia ſenſu rationis carentia, pro poſſe devitant aſperas pœnas, & ſæpè trahuntur invitè, atque ſecundùm ipſorum naturam vocibus pœnas, cùm advertunt, aut aliis renitentiis denegant, contra naturam corporei ſenſus abhorrentia malè pati, ut etiam ad bonum ignoratum ſeu nutrimentum aut ſtabulum, non niſi per per violentiam trahi poſſint, ſi à libertate à natura eis inſita deviantur. Quo ſenſu Petro

Petro dictum eſt, & conſimilibus dici poteſt, ducet te, quo tu non vis. Quod evangeliſta Joannes interpretatus eſt de morte, in qua Petrus amorem Chriſti ſervans Deum honorificavit, ut ipſius vulgatum martyrilogium manifeſtat. Et ne Petrus moleſtè aſperum dictum acciperet, ſemetipſum Chriſtus tradidit in exemplum, dicens ſibi: *Sequere me.* Apertè oſtendens ſuam voluntatem, ipſam animans ad paſſionem. Sequere me, paſſum voluntariè, mortuum ſponte. In quo etiam ſenſus carnis cum ratione certavit, pati volens, morti timens. Sequere me, in quo fuit peracto certamine ſpiritus promptus, caro autem infirma. Sequere me judicio rationis, ut cùm tempus tuæ paſſionis advenerit, non devites, aut effugias pœnas, & blandiens teneritudini carnis, non adhorreas mortem. Prout ex litera ſonat, aliquod iter agebant, *cùm ſurrexiſſent à prandio. Et ſequens corpore Petrus Jeſum, converſus à tergo vidit diſcipulum illum, quem diligebat Jeſus ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus ejus, & dixit ei: Domine, quis eſt qui tradet te?* Hæc omnia pro Joannis notitia referuntur, qui ſe per geſta, non per proprium nomen explicat: *Hunc ergo, cùm vidiſſet Petrus, dicit ad Jeſum: Domine, hic autem quid?* Agitabatur in animo Petrus, quòd ipſe ſolus exquiſitus fuerat in amore, ſibi ſoli de morte ad ſequelam dictum fuerat, ipſe ſingulariter invitatus. Propterea cùm vidiſſet condiſcipulum ſequentem, alii fortè dimiſſi à Domino iverant viam ſuam, aut tacentes aſtabant, dicit de illo ad Jeſum: Hic autem quid? Hac interrogatione perquirens, ſi qua morte ipſe morietur, ſi velut ipſe cingetur ab alio, & ducetur à quo nollet. Non quærit Petrus ut invidens, ſed ut noſcat, ſi eum in paſſione ſicut in Chriſti converſatione debeat habere conſortem. Propterea Jeſus talia requirenti eum reprimendo reſpondit: *Sic eum volo manere, donec veniam. Quid ad te? Tu me ſequere.* Curioſæ mentis eſt, cùm quis cauſam à ſuo domino habet impoſitam, de cauſa ſocii velle requirere, quouſque ſuam plenè perfecerit. Nimis præſumit in dominum ſervus, ipſum exquirens, quid velit in cæteris. Officii atque juris bonorum ſervorum eſt exequi mandatum ſuſceptum, non ſuperiorum ſecreta rimari, quid mandent ad reliquos. Non enim æqua in re vel pondere onera oniferis animalibus imponuntur. Neque omnibus commilitonibus regis una debellandi ſtatuitur acies, ſi undique hoſtes inſurgunt. Et ſæpe factum eſt in hoſtilibus bellis, ut pars militum remaneat ad ſarcinas, dum bellatur. Et decreto David factum cognovimus, quod cuſtodientium ſarcinas & bellantium, de captis ſpoliis eſſet æqua portio. 3. Reg. 30. Regis eſt mittere in acies milites, & præſervare, quos velit. Non eſt ſervi, de cæteris conſervis Domini exquirere voluntatem. Propterea reprimit Dominus Petrum, qui curioſè quæſierat. Sic eum volo manere, donec veniam. Quid ad te pertinet ſcire quid velim, quid diſpoſuerim de conditionibus ſingulorum? Quid ad te de conſulendo quid faciam, de ſciendo quid hic diſcipulus faciet? Quid ad te de actione conſervi? Diſtinctæ ſunt actiones, diſtincta ſunt merita. Per ſeipſum unuſquiſque damnandus damnationem accipiet, nec levior erit pœna conſortio damnatorum. Unuſquiſque per ſe rationem reddet coram ineffabili tribunali, nullius cauſati ſocietate juvabitur. Roman. 14 Juſtitia uniuscujuſque ſuper eum erit, in alterum non mutabitur. Non variabuntur merita ſingulorum. Juſtitia unius, merces vel peccatum non erit alterius. Quid igitur ad te? Tu me ſequere. Tu commodo tuo, tu tua utilitate me ſequere, qui, quomodo libet, me ſequentes infallibili via dirigo in ſalutem. Quid ad agoniſtas de cæteris agoniſtis agnoſcere, cùm propria pœna vel gloria non minuatur aut augeatur, accedente ſive deficiente conſorte? Maximè autem ex eo retundatur omnium Chriſto militantium curioſa præſumptio inveſtigare de cætens, quoniam ſummus agonum poſitor ita infallibili providentia, decentia irreprehenſibili agones hominibus ordinavit, ut ſemper malè ſit aliter, nunquam bene penitus, niſi taliter prout ipſe providerit. Non ad ſcientiam curioſam, ſed ad ſequelam juſtam à Domino invitamur, cùm illa excluſa, iſta incluſa Petro dicatur: Quid ad te? Tu me ſequere, recto veſtigio cordis conformitate morum. Quod uni dicitur ad ſequelam, omnibus eſt ad regulam. Sed diſcipulorum imperitia eos fecit aliter quàm Dominus dixerit, hæſitare, cùm ex verbis Salvatoris Joanni diſcipulo immortalitatem adſcriberent. *Quoniam exiit ſermo inter fratres & condiſcipulos, quod diſcipulus ille non moritur.* Quam hæſitationem impertinentem ipſe diſcipulus, de quo erat, abegit, cùm ipſe verba Salvatoris repetendo expoſuit, quòd hoc, quod Dominus dixerat: Sic eum volo manere, in diſcipulo immortalitatem non aſſerebat: *Et non dixit Jeſus, non moritur, ſed ſic eum volo manere, donec veniam.* Hoc, quod Salvator dixerat, ſic eum volo manere, ſimilitudinem ab extra non habet expreſ-

ſam, ſed habet aut affirmationem in eo, quòd prædicatur, aut internam ſimilitudinem in eo, quòd ſic poſitum eſt decretum, ut ſicut prævidi, ſic facio. Sic eum volo manere, ſicut mea providentia, in meipſo decrevi, donec veniam, quouſque videlicet de ipſo ſicut proviſum eſt, aliud faciam. Nec quempiam moveat, quòd ad eum novus aut ſingularis à Chriſto determinatur adventus, cùm ad electorum animas egredientes de eorpore ipſe benignus adveniat. Non enim veniendo patitur, atque laborat, neque locorum ſpatia veniendo retardant. Plus enim fuit in carne veniſſe, fatigiſſe in terris, in eruce mori, viſitaſſe inferos, reſurrexiſſe à mortuis, quàm advenire ad animas electorum, cùm à eorporibus ſeparantur, maximè ad illorum animas, quos ab omni mundo ex omni carne in mundo degens ad ſe ſingulari electione vocavit, quos ſuos nominavit Apoſtolos, in omnem deſtinavit orbem, principes eccleſiæ, judices conſtituit Sæculi, qui ſecum in tentationibus permanſerunt, per ſanguinem & mortem de ipſo teſtificati. Sed hoc quod de Jnanne ſingulariter dixit, ſic eum volo manere, contra illud indicitur quod Petro dixerat, ſignificans quòd eſſet corporis acerba morte moriturus, interrogantique de Joanne Salvator ipſe reſpondit: Sic eum volo manere, non ſicut te mori. Ineorrupta carne vivet, ſine pœna & tormentn morietur, ſic expectabit donec ad ipſum veniam, & aſſumam. Quid ad te de pacifica morte ſua? Quid ad eum de aſpera morte tua? Non ex hoe Joannes dictus eſt immortalis, ſed non ſicut tu ipſe morietur, ſed omnino morietur. Nec improbè me movet pius quidam in hoe Verbo alius intellectus. Prædictum erat Petro, quòd mori crudeli morte debebat, inquirenti de condiſcipulo tacitè, ſi eodem tempore, eodem loco, eodemque genere mortis moriturus eſſet, JEſus ipſe reſpondit: Sic eum volo manere, donec veniam, quaſi Dominus Petro dicat: Non eo tempore, quo tu morietur, ſed ſic manebit incolumis donec veniam, ſcilicet in majorem cognitionem hominum & eccleſiæ per Apocalypſim & Evangelium ejus, quod ſibi ſum manifeſtaturus, ipſeque ſcripturus eſt: Nullus enim Evangeliſtarum ut ipſe, tam ab alto Evangelium tonuit, aut tam apertè diſſeruit æternum Dei Verbum in tempore fieri incarnatum, & quod ab aliis Evangeliſtis præſcribentibus hiſtoriam Chriſti fuit omiſſum ipſe ſupplevit. Ipſe Apocalypſim, ubi eccleſiæ ſunt conſcripta myſteria, Chriſto revelante conſcripſit, ex quibus JEſus in majorem notitiam hominum venit. Nondum tempore Petri Evangelium ejus & Apocalypſis ſcripta erant, ex quibus tanta Chriſti provenit notitia populo Chriſtiano. Nam Apocalypſim ſcripſit in Pathmos ſub Domitiano, Epheſi ſcripſit Evangelium ſub Trajano, & Petrus mortuus eſt anno triceſimo à Domini paſſione, Joannes verò ampliori confectus ſenio, ſeptuageſimoſexto anno à Domini paſſione intrans ſepulchrum, fuſa oratione requievit. Petrus Romæ, Joannes Epheſi: Petrus ſub Nerone, Joannes ſub Trajano ultimum diem clauſit. Propterea Dominus dixit: Sie eum volo manere, donee veniam. Tamdiu volo eum manere, donec per ea, quæ per eum ſcribenda ſunt, in pleniorem notitiam hominum veniam. In ſcripturis enim canonicis, evangelicis & apoſtolieis poſterior eſt ſcriptura Joannis, quæ qualem notitiam de filio Dei æterno & increato, & in tempore incarnato, per Evangelium & de ſuis atque eccleſiæ myſteriis per Apocalypſis notitiam dederit, dicat ipſa eccleſia, quæ ſuſcepit. *Quoniam hic eſt diſcipulus qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc.* Et ſcit & novit eccleſia in fidei veritate *quia verum eſt teſtimonium ejus.* Scripſerant autem tres Evangeliſtæ Evangelium, ſcripſerant Petrus, Jacobus, Judas canonicas ſuas, ſcripſerat Apoſtolus epiſtolas ſuas, ſcripſerat Lucas apoſtolicas actiones, ſed necdum Joannes manum aptaverat ad ſcribendum. In ſcribendo enim noviſſimus Apoſtolorum omnium vigilavit. Quo ſenſu exiſtimo piè dictum, ſic eum volo manere incolumemque vivere, donec in notitiam piè credentium per apocalypſim & ejus Evangelium veniam: Non quòd non moriatur, ſed ut Dominus per eum ſic notus veniat, reſervetur. Promiſſam ſæpe illam inſignem apparitionem in Galilæa Dominus JEſus mandavit effectui, cùm decrevit diſcipulos in Galilæam pergere, quam anxiè Apoſtoli & diſcipuli expectabant. Unde ſtatuto tempore *undecim diſcipuli abierunt in Galilæam in montem, ubi conſtituerat illis JEſus. Et videntes eum adoraverunt, quidam autem eorum dubitaverunt. Et accedens locutus eſt eis dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Ex voce aut ex aliquo indicio perceperunt Apoſtoli atque diſcipuli, quòd apparitionem feſtinam in Galilæa ſicut ipſe promiſerat, erat in brevi Dominus completurus, quam plusquam quingentis fratribus factam refert Apoſtolus, in monte ſcilicet Thabor, prout conſtituerat eis JEſus, ut in eodem monte ubi facta eſt ante paſſionem transfiguratio glorioſa, poſt re-

ſurrectio-

ſurrectionem fiat tam inſignis apparitio, & credatur idem eſſe JEſus, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit. Non exprimit Evangeliſta nomine proprio montem Thabor, ſed ex ſupplementis Evangelii plenè ſuſcepimus ipſum eſſe montem, quem ad apparitionem tam inſignem atque ſolennem conſtituerat illis Jeſus, ubi adoraverunt majeſtatem Chriſti regreſſam ab inferis, & egerunt gratias ſuæ diſpenſationi propter apparitionem magnificam ejus, in Spiritu veræ humilitatis, proclivio corporis, inclinatione cordis, in feruore fidei, in charitatis ardore, conſerentes in corde verbotenus aſſerentes, quoniam hic eſt magiſter, & Dominus, qui eos in novam vitam vocavit, qui eos zelavit, & docuit, qui pro eis & omnibus paſſus, murtuus eſt & reſurrexit. Vera enim & propria cujuſque proceris eſt adoratio à ſubjectis exhibita, cùm virtus ejus, & actio virtutis in credulitate atque præconio exhibentur. Non enim adorat in veritate, qui, quod eſt, non credit, & quod credit, non profitetur, aut qui profitetur, quod non credit in homine, aut confitetur, quod in illo non eſt. Apoſtoli verò ſive diſcipuli adoraverunt eum cum actionibus gratiarum, quod juſtum erat & actum de paſſione Chriſti & reſurrectione credentes. Legimus nempe Chriſtum ante paſſionem & mortem pluries adoratum. Poſt reſurrectionem verò ſimiliter, ſed non toties, ut non major ſit reſurrectione factus, quàm fuerat antequam pateretur. Ab inſtanti ſuæ incarnationis viator extitit, & comprehenſor. Nec obſtat, quid Apoſtolus ad Philippenſes ſcribit, quòd ſit apud ſemetipſum & Deum patrem ex paſſione vel morte factus eximior. Eſt ſiquidem dicere, quòd adoratio exhibita ſibi ante paſſionem ſit pro gratia, poſt reſurrectionem verò propter gloriam ſit illata. Protinus juſtum erat, ut Chriſti majeſtas adoraretur in monte, qui ad montem æternum, montem ſanctum ſuos fideles conatur inducere. Nam in ſuperioribus attollitur mens, cùm Chriſtum in veritate adorat: Nec in veritate Dominum adorare poteſt, niſi ſupra eſſe corporeum ad altiora conſcendat. Præmium habet Evangelicæ rotæ contentæ in medio rotæ, qui acceſſit in Galilæam, quæ rotatio nuncupatur, ſi rotari voluerit, ut Evangelica rota rotabit. Qui verò verè aſcendit in cônſtitutum virtutum montem, innocens ſancietur, quoniam innocens manibus aſcendit in montem. Qui autem in altitudine virtutis Dominum adoravit, abjecit idololatriam credulitatis & mortis, divina plurima cognovit arcana, exceſſit ſeipſum factus eſt ſublimior, quo in adoratione proclivior. In terra vivens angelos imitatus eſt. Sed nec alibi ſalubriter adoratur Chriſtus, quàm in monte, quem ipſe conſtituit, quanquam didaſcalicè, cùm Samaritanæ fuerit dictum, quòd neque in monte Garizin, neque in templo Jeroſolymis conſtituto, ſed in Spiritu eſſe poſſint veri adoratores. Montem fidei & Spiritualis intelligentiæ, montem divini luminis & interlucentis in animo veritatis conſtituit verè fidelibus JEſus, in quo adoratur ſua veneranda majeſtas, & cultus juſtus & latria Deo patri & filio & Spiritui Sancto, differenter & myſticè, in ſpe & charitate, pro beneſicio creationis & redemptionis & introductionis in gloriam ſuam, in ſingulis electis & in omnibus ſalvandis, cùm mundi myſterium fuerit conſummatum ab omni catholica eccleſia exhibetur. Et hujuſcemodi aduratione, corde & ore confitetur atque teſtatur, quoniam JEſus eſt Filius Dei, via, veritas, & vita, ſalus, & redemptio noſtra, rex regum, & Dominus dominantium. Quidam autem ipſorum dubitaverunt, non undecim columnæ, quas ſuper baſem fidei refundaverat in multis ante factis apparitionibus & variis argumentis: Sed aliqui eorum, qui adhuc ipſum non viderant, nec palpaverant, ſi haberet carnem, & oſſa, nec aſpexerant comedentem. Nec mirum, ſi in magnis naturaliter tamen factis, à paruis dubitatur. Et diſpenſarivè Salvator dubitari ſe permittit, ut exprobrato dubio, adjectis argumentis hæſitans, ſolidius firmet. Et in monte adorationis, & latriæ ab omnibus non æqua ſorte ſentitur, neque parilitas eſt intellectibus & effectibus hominum, quamvis unus ſit conſiſtentiæ locus. Una eſt eccleſia orthodoxa, quæ in hujus adorationis monte ſignata eſt, & omnibus eſt ipſa communis, ſed omnium in ea militantium atque credentium non eſt una ſentiendi proportio. Sed accedens JEſus locutus eſt eis, tarditatem animi atque cordis duritiam exprobrando, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Marci, 28. Omnibus loquitur, firmis atque nutantibus, & authoritatem prodit, quam à Deo patre ſuſcepit, ſcilicet, quòd omnium conſtitutus eſt Dominus, ut auferatur omnium dubium, quòd velut omnipotens potuit à monumento reſurgere. Nihil eſt boni & congrui, quod non poſſet efficere, cui omnis eſt attributa poteſtas. Attamen præter id, quod potuit ſemetipſum revocare ab inferis, & virtute propria reſurgere à ſepulchro, omnium ſibi donata poteſtas in aliud ſe protendit, ut etiam Chriſtus homo

homo unitus Deo, ſit omnium Dominus conſtitutus, & hæres univerſarum animarum & corporum, ſpiritualium rerum & corporalium, æternorum & temporalium, angelorum & hominum, electorum & reproborum, ut quia humiliavit ſemetipſum in carne uſque ad crucis ignominioſam & aſperam mortem Deo patri factus obediens, Deus exaltavit illum, & dedit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine JEſu ſibi dato, pro eo quòd Salvator eſt omnium, omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, ut nihil ſit in cœlo & in terra & in inferno, quod non calcet atque peſſundet ſua tremenda & alma poteſtas. Genuflectunt coram JEſu in cœlo angeli, & illæ à corporibus ſeparatæ ſubſtantiæ, cùm Deum & hominem in una perſona venerantur, & adorant illam eis in deitate ſuperlatam humanitatem, & colunt latria ineffabili, amore incomprehenſibili gratias infatigatè agentes una cum animabus jam introductis ad ſuperos, æternè atque beatè gaudentes, quoniam Chriſtus homo univerſorum atque ipſorum factus eſt Dominus, non invidentes hominibus, quorum accepit naturam, neque dolentes, quòd non accepit angelicam. Genua flectunt & jure flectere debent homines in terra degentes, colentes eum ſolum, qui eſt ſuper omnia Chriſtus Deus, abjecta omni ſpurcitia idolorum, & deorum multitudine improbata ſpiritualibus & corporalibus rebus in ditionem ſuam deductis, ut in neutris quicquàm præter ejus imperium fiat. Ut omnis terrena poteſtas ſubdita fiat Chriſto, cui in cœlo & in terra omnis eſt collata poteſtas. Nec ſibi arroget quæcunque altitudo mortalium in ſua poteſtate dominium, quoniam ſuum eſt ab illoque dependet, cui omnis donata eſt poteſtas. Neque reges terræ & principes populi ſui velint eſſe juris atque virtutis, ut ſuis voluntatibus vivant, ſuisque legibus præſumant gubernare ſubjectos, adhærente repugnantia Evangelio ſancto ejus, quoniam omnis principatus & potentatus in ſuo regimine ſibi factus eſt ſubditus, cùm omnis ſibi ſit in terra poteſtas, & originaliter ab illo eſt omne juſtum dominium, cui omnis data eſt poteſtas, & omne imperium ſibi factum eſt jure ſubjectum, veneretur atque adoret ſcabellum Sanctum ejus, quod eſt eccleſia Sancta ejus, in qua, qui ſua vice præſidet in juſtitia & authoritate veritatis, omnia ſceptra mundi debet habere ſubjecta. Quæ verò ſibi juſtè præſidenti & decernenti repugnant, aut ab infidelitate aut à tyrannide, aut ab hæretica pravitate, & contumaci inobedientia detinentur. Genuflectunt dæmones, qui credunt & contremiſcunt, & velut ejus ſatellites perficiunt imperium Sanctum ejus. *Noviſſimè autem recumbentibus illis undecim apparuit illis, & exprobravit incredulitatem illorum & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum reſurrexiſſe à mortuis, non crediderunt.* Marci, 16. Noviſſimè ſcilicet die, quo ab eis per aſcenſionem in cœlum corporaliter ſeparatus eſt, recumbentibus undecim, ſcilicet in illo ſacro cœnaculo, quod erat in Jeruſalem, expectabant in illa die diſcipuli Domini Salvatorem, qui ſuo modo nunc apparebat, nunc ſe occultabat, & quia nondum venerat, recumbebant. Tunc apparuit illis JEſus. Et mirum, quòd ipſis à ſummo diluculo in contemplatione ſeu oratione aut bonorum collatione vacantibus, JEſus non apparuit. Dum verò comedebant advenit, ut luce clarius pateat, non hominum exercitatorum virtute, ſed ſua benignitate ſuam velit præſtare præſentiam, aut aliud inferre ſolamen. Oportebat omnino, quòd hominibus daretur intelligi, quòd ſi quæ ſunt in eis virtutum debitæ actiones, Chriſti præmia vel præſentiam non merentur, niſi quantum & quando vult ipſe conferre benignus. Necnon ideo recubitus hora Salvator advenit, ut veritas aſcenſuri corporis monſtraretur ex cibo. Etenim conveſcebatur ex his, quæ appoſita ſunt ſuper pauperculam apoſtolorum menſam, quibus illam inſtruere cura non erat. Ecce providens illis & poſteris Dominus vult eſſe immunes à deceptione credentes, & incredulis viam obſtruit detrahendi, cùm aſcenſionis die in corpus ſuum comedendo trajicit cibum, ne alius pro alio diceretur. Cura fuit diligens Chriſto diſcipulorum animos dimittere in ſua fide pacatos, & quòd intrepidè abſque dubio prædicarent quod viderant oculis manibusque tractaverant, quos in univerſum mundum dirigit, ad doctrinam diſponit, ad vitæ ſacramenta conferre dat formam januæ baptiſmatis, ſine quo ſuſcepto, vel ubi non poſſit, credito, non poteſt eſſe ſalutis initium. Et ad hoc comeſtione completa *JEſus locutus eſt eis dicens: Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Doceteque omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui verò non crediderit contemnabitur.* In univerſo habitabili mundo gentes in electis regionibus habitabant, aliquæ præter leges excepta lege naturæ, quam Deus in cordibus hominum ſcripſit, à qua tergiverſando nullus penitus poteſt, ſi ad ætatem judicariæ rationis ſeu diſcretionis pervenerit, excuſari. Aliquæ legibus hominum agebantur. Aliquæ triumphabant in orbe terrarum, ut aurea Roma, quæ

quæ totum mundum ſuo imperio ſubjugare certabat. Aliqua militabat ſub lege Moſaica. Sed nec ſub lege conſtitutis aut lege carentibus erat nota vel aperta via ſalutis, ad quam omnem rationalem creaturam Deus creat, quanquam omnis illam non eſſequatur, occulto vel manifeſto Dei judicio juſto præpedita. Evangelium autem æternum creditum atque ſervatum quod Salvator edidit, transmittit in illam, quod vult notum fieri hominibus per idoneus viros à Chriſto ſelectos plebejos, humana ſcientia imperitos, non fulgentes aliqua dignitate terrena, ne adſcriberetur cauſa tanti myſterii aliis, quàm divinæ virtuti, quibus à Chriſto jam debente in ſuperna conſcendere datur plena legatio, imo juſſio inevitabilis imponitur, ut Evangelium quod ipſe in paruis Jeroſolymitanis & Galilæicis lucis hominibus prædicavit, ipſi omnibus hominibus debeant prædicare, ut non ſit terra vel locus, ubi ſit hominum incolatus, qui Evangelicas tubas non audiat, quoniam fides, quæ homines ſaluat, eſt ex auditu, auditus autem per Verbum Dei. Sed nunquid dici poteſt, ut excuſabiles ſint, quia non audierunt? Equidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ Verba eorum. Doceteque omnes gentes. Illas videlicet, quæ formam
Rom. 10. humilis diſcipulatus accipient. Non enim
Pſalm. 18. capiunt doctrinam æterni Evangelii, niſi qui diſcipulatum humilem in corde atque in moribus incontradictè ſuſcipiunt. Etenim Evangelium forma pacis ad inquietos fieri communicabile nequit. Docete protinus JEſus inquit, ſervare omnia quæcunque mandavi vobis. Non vult Salvator, quòd unum jota vel apex à ſua Evangelica lege prætereat, quin corde aut opere, prout lex ipſa diſtinguit, in actionem veniat, ut quæ ſolùm ſeruanda ſunt corde, ſeruentur: Quæ moribus, non omittantur, cùm dicit: Docete ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis. Non autem Verbum hoc, & ſic indiſtincta ſententia in omnibus obligat omnes & ſingulos, quoniam omnium eſſet una virtutum profeſſio. Nec eſſet latitudo Evangelii, quæ reges & principes, magnus & paruos, fortes & debiles, divites & pauperes, ſapientes & indoctos, nobiles & plebejos, cados & conjugatos, ſi credulitate ad ipſum veniant, apprehendit, ſed quòd ipſum ſeruent in corde per fidem & dilectionem, in moribus per placitam virtutum & ſtatuum electionem. Nam, cùm præcipit cœlibatum, matrimonium non condemnat, & velut corporis membra non anima idem officium ſeruant, quanquam proprium attributum pro poſſe umumquodque conſeruet, & totam corporis machinam propenſius diligat: Sic per fidem integram univerſa evangelii ſerie cuſtodita, unuſquiſque quod ſecundùm Evangelium elegit, in moribus & virtute conſeruet. Et mandavit eis, ut inciperent à Jeruſalem, quia prædicando Evangelium, quod ad æternam pacem audientes vocat & ordinat, à pace temporis debebat incipere, non à pace mundi, ſed ab illa, qua manente conſpicitur, corde tenetur: Viſio enim pacis interpretata eſt. Profectò lætum exitium habet, qui à pace virtutis fecit initium. Et pacifici facti ſunt filii Dei, qui attente ſervant, quæ à Chriſto ſervari jubentur. Sed hæc ſunt, quæ ſervare ſecundùm Evangelium Apoſtuli docuerunt, alienum fieri ab idolorum cultura, & unumquemque credentem ſe præſervare à vitiis, quæ natura, ratio, mos, uſus, lex, gratia, veritas reprehendit. Docuerunt non theſaurizare in terra, ſed in cœlo per mandatorum cuſtodiam, non diligere, quæ videntur, quia temporalia ſunt & caduca, ſed diligere quæ non videntur, virtutes ſcilicet & buna cœleſtia, quæ aut ad æterna & beata diſponunt, aut ipſa æterna conſiſtunt. Docuerunt mundi novitatem ex nihilo, quem falſa philoſophorum opinio putat æternum. Docuerunt quomodo invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, & quomodo merito protoplaſti damnationi æternæ juſtè tenebamur aſtricti, ne qui ſuperbirent quòd non egerent miſericordia Dei. Docuerunt quomodo aliunde humano generi non poterat eſſe remedium, niſi per Verbum increatum, cúm fieret incarnatum, & pœnas in ligno pro ligno ſuſtineret, ſanguinem funderet, mortemque ſubiret pro omnibus caro factum. Docuerunt paupertatem, cœlibem vitam, conjugalem caſtimoniam, neminem lædere, omnibus velle prodeſſe, pro injuria injuriam non referre. Ducuerunt abrenunciare propriis voluntatibus, tollere crucem, Chriſtum ſequi, non quæ ſua ſunt quærere, ſed quæ JEſu Chriſti. Docuerunt perfunctoriam gloriam non quærere, ſed gloriari tantùm in dominica cruce. Docuerunt homines ſupra ſeipſos fieri, ſacramentaliter vivere, divina mandata ſervare, ſtudere virtutibus. Et quòd nulli debeatur iniquitas, ſed charitas omnibus ſit reddenda. Et quòd reſpublica & res principum nunquam melius, quàm in veritate, juſtitia & charitate ſub Chriſto Dei filio conſervatur: Et quòd ibi miſeria, ubi mundi proſperitas: Ibi gloria, ubi miſeria. Docuerunt ſecundùm naturam conditam, contra naturam corruptam, ſupra humanum uſum, ſupra ſenſum. Docuerunt homines in carne angelicè vivere, docuerunt ſecretos fieri á natura beſtiali, docuerunt gentes à genitura recedere, in terra natos in ſuperna poſſe conſcendere. Et ut breviter perſtingam, docuerunt

runt quid credendum, quid ſperandum, quid amandum, quidve tenendum, quid agendum. Hæc ſiquidem Dominus Apoſtolos docuit. De his quidem dicit. Docentes omnes gentes ſervare quæcunque mandavi vobis. Et adjecit formam bapriſmi, qui ſalutis initium eſt, qui catechizat, quos abluit ſuperno charactere, quam formam præterire non licet, ſervare omnino neceſſarium factum eſt: Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Præcedit doctrina baptiſmum. Nam qui baptizatur, primo catechizatur, quamvis in parvulis, qui naſcuntur ex hominibus Chriſtianis, catechiſmus mente impreſſus propter incapacitatem penitus non præcedat, ſed in fide firma eccleſiæ ab aſſiſtentibus reſpondetur pro ipſis, quod gratum credimus Chriſtum ſuſcipere, ac ſi perfectæ eſſent ætatis. Spiritus Sanctus in hoc inſtruxit eccleſiam, ut in plenitudine fidei ſuæ oblatos à parentibus parvulos baptizaret. Sed quos baptizat parvulos & profectos in virtute trinitatis intingit. Nam nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti Trinitatis eſt virtus, in qua regenerandus immergitur, ut in virtute Patris, qui creavit: Filii, qui redemit: Spiritus Sancti, qui diffuſus eſt, & animavit ad agenda credentes. Qui debet ſalvus fieri, abluatur, congruum eſt enim, ut à virtute ad ſalutem ordinetur in terra, qua ſalvatus perfruetur in gloria. Quanta igitur ſit virtus baptiſmi, atque nobilitas, nomen perſonarum, in quo confertur, inſinuat. Et ſicut abſque baptiſmo non permittitur ſalus, ſic abſque iſto nomine non erit bapriſmus. Magna inquiſitio alti myſterii nobis offertur, quòd ſalvandos Chriſtus in virtute trinitatis voluit aquis immergi, quam inquiſitionem hic præterire ſilentio utilius judicavi, ne opus legentes prolixitate faſtidiat. Nec etiam, qui comprehenſi fuiſſent exacti ſubitò pœnas ſubire pro Chriſto proprii ſanguinis prodeſſet intinctio, niſi hoc nomen aut virtus trium perſonarum adeſſet. Ad nihilum omnia valent, niſi nomine hujuſmodi per fidem inviolabilem roborentur. Et qui baptizari dicuntur à flamine, nec virtute, gratia & effectu hujus nominis caruerunt. Cujus nominis adhærens carentia non in ſalutem, magis autem trajecit in pœnas. Quando autem ſalus aut damnatio incunctanter proveniat, ſubſequenter ſalvator aperuit: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Dirigebat Salvator Apoſtolos prædicare verbum vitæ, verbumque ſalutis, quod oportebat audientes per credulitatem recipere. Proinde dicit: Qui crediderit, ſcilicet Verbum ex Verbo, Verbo per Verbum, in Verbo de Verbo, & abluetur propter Verbum creditum, ſalvus erit. Multi ſiquidem in hoc Verbo damnabiliter erraverunt, ſolùm fidem & ablutionem baptiſmi credentes ſufficere ad ſalutem. Et in domibus acediæ atque negligentiæ hoſpitati ſunt, dicentes ex iſta ſententia pro ſalute nihil aliud oportere, cùm Chriſtus poſt iſta duo, credere & baptizari, ſine interpoſitione verborum dixerit, ſalvus erit, & nec appoſuit aliud jugum corporalium actionum. Sed non adverterunt Spi- Jacobi 2.
ritus Sancti per Jacobum expreſſam ſententiam; Fides ſine operibus mortua eſt, eis ſiquidem, qui addere fidei opera potuerunt, ſed neglexerunt, ſibi de hujuſcemodi ſententia improbè blandientes. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Fieri contumacem, cùm rectè à rectiſque vocamur ad fidem, damnationem infallibilem operatur. Quod enim creditum adjicit credenti ſalutem, negatum contrarium parit. Negatur, quod non creditur, quia negatur eſſe credendum. Qui non credit, negat, dum hominum intellectus non ſubditur fidei, ſed innititur rationi, quam ſubſtratam non habet, atque oſtenſibilem myſterium credendorum. Juſtè igitur damnantur increduli, ſi in credendis eſt ſalus. Et ex hoc verbo ſuggillantur ora omnium loquentium iniqua, qui credunt quempiam ſine fide propria vel eccleſiæ potuiſſe ſalvari. Nec quiſquam impietatem ad pietatem convertat, ut velit corde credere, aſſerere verbo ſalvos eſſe quatuor virtutum expolitiſſimos tractatores, ſeque infra illarum limites coarctantes, circumfultos nobilitate morum, ſi tribus vivificis virtutibus non fulſerunt. Signa verò credentium voluit Salvator annectere, ut fidelium & infidelium etiam in hac vita eſſet vera diſtinctio. Non quòd ſignum virtutem majorem aut minorem effecerit, ſed virtus optima ſecit Marci 16.
ſigna, quæ illos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Supra ægros manus imponent, & benè habebunt. Juxta quod ſcripta ſunt hæc habuit eccleſia primitiva, nunc verò potius ad mores hominnm ſunt devoluta, ut ejectio dæmonum, linguarum novitas, ablatio ſerpentum, innocuum exiſtere à ſuſcepto veneno, infirmorum convaleſcentia, cum tempore in eccleſia Dei tropologicè ſint reperta. Horum verò tropos inquirere illorum eſt, qui Scripturam Sacram & evangelicam humiliter venerantur, & cautis paſſibus ambulant circa illam, ne tropus tropum impediat, & unus alteri non repugnet. Et ut horum omnium velociter ſermo currat, ejectio dæmonum fit, cùm homo à ſeipſo intromiſſa virtute projicit, quod deliquit, aut ab alio removet peccatum, ſive virtute

tute

tute orationis, aut ſuaſione verborum, ſeu
cùm in nomine Chriſti malignos à nobis o-
rando facimus; declinare. Quod David uti-
que faciebat dicens: Declinate à me mali-
Pſalm. 116. gni, & ſcrutabor mandata Dei mei. Et ille
requieſcet in monte ſancto Dei, ante cujus
conſpectum ad nihilum devenit malignus.
Pſalm. 14. Novitas linguarum ad novitatem pertinet
vitæ, in qua cantamus Domino in hymnis &
pſalmis, & gratiarum actionibus canticum
novum, propter magna mirabilia, quæ oſten-
Geneſ. 11. dit nobis. Neque ad illam antiquam lin-
guarum confuſionem pertinent electi, nec
ad aliud antiquum, quod per linguam ho-
mines inquirebant, ſcilicet huic ſæculu con-
formari. Sed in novo homine noviter lin-
gua hominum eſt unica, quærens intelligibi-
liter unum verum Deum, & quem Deus
Pater miſit Jeſum Chriſtum. Et per no-
vam turrim, ſcilicet crucem, quam adin-
vicem perſpicaci intellectu ſe cognoſcentes
ædificant, qua ſecurè itur in cœlum. Et
quærunt & inquirunt bonum novum, non
huic, ſed ſupernæ patriæ vitam & moribus
Geneſ. 3. coaptari. Abſtulit ſerpentes, qui omnes an-
fractus abhorruit, nec deceptionibus gaudet,
ſicut ſerpens ille antiquus humani generis
matrem aſtutè decepit. Nec graditur ſuper
pectus totus inclinatus ad ima, nec inſidiatur
calcaneo perſeverantiæ ſuæ, aut parat calum-
niam profectibus aliorum. Et ſerpentes,
qui pertinent ad ceraſticum ſerpentem &
tortuoſum, qui in via mandatorum DEI ob-
liquitatem prætendit, in ſemita conſiliorum
cornua impugnationis exercet, providen-
tia ſancta devitat. Neque diſſipat ſæpem
divinæ legis, ut à ſerpente mordeatur.
Exiſtit innocuus à veneno, qui ab au-
ditu malo manet incorruptus, ut nec mi-
nantia verba deterreant nec blanda ſedu-
cant, nec promiſſa commoveant. Et hu-
militate ſubnixus, oratione fultus, veneno
hæreticæ, atque ſenſualis doctrinæ, quam-
vis audierit, non eſt læſus, quoniam ſæ-
pe corrumpunt bonos mores colloquia
prava. Credens firmiter ab his penitus
non læditur. Fecerunt infirmos conva-
leſcere impoſitione manuum, quam exem-
plu bonorum operum ad meliorem vitam
alios provexerunt, & juxta Pauli ſenten-
Rom. 14. tiam, infirmum in fide ſuſceperunt. Et
Act. 20. ſecundum etiam ſententiam ipſius in Acti-
bus Apoſtolorum oportet ſuſcipere infir-
1. Cor. 9. mos. Et ipſe factus eſt infirmus infirmis
ut infirmos lucrifaceret. Et Theſſaloni-
1. Theſſ. 5. cenſes hortabatur infirmos ſuſcipere. Et
quamvis corpore factum fuerit, in ſpiritupo-
tius loquebatur, ut quatum poſſint, curent
infirmos in virtutibus, aut præ infirmitate
& fragilitate carnis ſuccumbentes peccatis,
quod ad Galatas Apoſtulus ſcribens fieri Galat. 6.
apertè monſtravit, dicens: Fratres, & ſi
præoccupatus fuerit homo in aliquo de-
licto, vos, qui ſpirituales eſtis hujuſmodi
inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans
te ipſum, ne & tu tenteris. Quid antem
ſecundum tropum eſt, ſuper ægros ma-
nus imponere, ut bene ſe habeant, quam
omnem adhibere opem ſpiritu infirmis, ut
reconvaleſcant? Quod Apoſtolus ſuis ver-
bis conſonat ſententiis Salvatoris. Et per
prophetas negligentes paſtores arguit do-
minus, quia, quod erat infirmum in grege
non conſolidaverunt. Et ne Apoſtoli diffi- Ezech. 34.
derent de promiſſis, Salvator ſocietatem
ſuæ virtutis & potentiæ uſque in finem
ſæculi pollicitus eſt *Et ecce vobiſcum ſum* Matth. 28.
uſque ad conſummationem ſæculi verè ſic eſt,
& aliter, quàm dixerit eſſe non poteſt.
Receſſit, & nobiſcum eſt: receſſit corpo-
re, præſens eſt Spiritu: receſſit carne præ-
ſto in virtutibus eſt. Non receſſit à ſuo
corpore divinum caput, neque compactum
corpus ſibique connexum patitur ab ipſo
ſciſſuram: etenim unio inſeparabilis fa-
cta eſt. Et quod eſt majus, audacter af-
firmem, quoniam corpus Chriſti, quod
eſt eccleſia, eſt in cœlo per unionem ad
caput, prout ipſe in terris per unionem
ad corpus. Eſt ipſe nobiſcum per præ-
ſentiam ſuæ omnipotentis majeſtatis, pro-
tegens & erudiens omnes & ſingulos,
quos prænovit ſecum in æterna gloria fie-
ri uniformes. Præſtita eſt nobis indubi-
tata ſecuritas, ſi Chriſtus nobiſcum ad bel-
la progreditur, ſi dux eſt belli, quia & co-
gnovit agones, neque ſuas copias ad an-
ceps bellum expoſuit, de quo neſciret pro-
venire victoriam. Fultus nobiſcum ince-
dit exercitibus inviſibilium angelorum in
opus miniſterii ſui, & in auxilium corpo-
ris ſui, quamvis ſeipſu poſſit omnia ple-
nè tueri, & proſternere contrarias pote-
ſtates. Sine cauſa dubium, ſine ratione
timor in nobis eſt, ſi eſt ipſe nobiſcum,
& cum ſingulis noſtrum. Quid trepida-
mus in utroque certamine, ſi nobiſcum eſt,
qui triumphat de morte? Quare cor no-
ſtrum phantaſias patitur, & pavet, ubi de-
ficit pavor, ſi pollicitationem illam firmam
tenemus, quod ſemper ſit ipſe nobiſcum,
& volumus ſub illius militare vexillis? Non
recedamus ab unione caſtrorum, quæ ipſe
diſpoſuit, quorum acies infallibili ſapien-
tia ordinavit, ubi certatur inviſibiliter ad-
verſus aereas poteſtates quarum eſt bellum
hoſtilius, ubi non eſt colluctatio adverſus
carnem & ſanguinem, ubi hoſtes patimur
quos dicimus eſſe domeſticos, quia inimi-
ci hominis domeſtici ejus, ubi à pſeudo
Chriſtia-

Chriſtiano ſubdolè impugnamur, ubi o-
portet ſuſtinere diſſimiliter conviventes,
ubi videmus prævaricationes, ſi zelum Dei
Matth. 10. habemus in animo tabeſcentes. Major
autem nobis infertur aggrediendi bona fa-
cultas, nobiſcum Chriſto domino exiſten-
te, ut nullus cauſetur de arduitate virtu-
tum, nullus impoſſibilitatem alleget in di-
vinis præceptis atque conſiliis, ſi nobiſcum
dominus operatur: quoniam ſicut ſine ipſo
nihil poſſumus facere, ita cum ipſo nihil
Joan. 15. eſt boni, quin valeamus implere. Nove-
rat hoc Apoſtolus, qui dicebat: Omnia
Phil. 4. poſſum in eo, qui me confortat. Et fir-
mam tenens pollicitationem, quam Chri-
ſtus Apoſtolis fecerat, quam adeſſe in ſe-
2. Cor. 13. ipſo cognoſcens, Corinthios commone-
bat: An experimentum quæritis ejus, qui
in me loquitur Chriſtus? Cum Chriſto pe-
nitus erat, qui in ipſo loquebatur. Et
interpretatio nominis Emanuel, quod eſt
nobiſcum Deus inſinuat, quòd nobiscum
eſt Chriſtus. Præceſſerat actu, figura,
prophetia hoc, quod Salvator dixerat ad-
eſſe nobiſcum. Nam Judith, quæ typum
tenebat eccleſiæ, cùm amputaſſet Holo-
fernis caput, & rediiſſet ad propria, dixit:
Aperite portas, quia nobiſcum Deus, qui
Judith, 13. fecit virtutem. Non illa ſic de Holoferne
triumphare potuiſſet, & totum exercitum
ejus convertere in ſtuporem, niſi Deus
cum illa fuiſſet. Sed nec eccleſia & ſin-
gularis anima de adverſariis poſſet habere
victoriam, niſi quia nobiſcum eſt Chriſtus.
Et Pſalmiſta lætanter enunciat: Dominus
virtutum nobiſcum. Ideo Dominus vir-
tutum nobiſcum, cùm in bellis prompti
ad actiones virtutum pervalidi conſiſta-
mus. Et per Jeremiam, cùm deceſſurus
in Babylonem eſſet, dominus repromiſit
dicens: Nolite timere, quia vobiſcum ſum,
ut ſalvem vos, & eruam vos de manu e-
jus. Ecce in confuſione, bello, in actio-
ne virtutum Dominus vult eſſe nobiſcum,
ut ſalvet, ut eruat, ut provehat, hoc pa-
cto duntaxat, ſi velimus eſſe cum illo,
Quod Azarias filius Obed alloquens Aza
regem Judæ apertè diſſeruit: Dominus vo-
biſcum, quia fuiſtis cum eo. Non aliter
noſtro commodo Chriſtus vellet eſſe no-
bis, niſi cum illo fide, obedientia & cha-
ritate nos eſſe vellemus. Eſt & ipſe no-
biſcum in omnibus ſacramentis, quia ex
hoc ſacramenta vocantur, quia in ſeipſis
continent ſanctum ſanctorum Jeſum Chri-
ſtum dominum noſtrum. Maximè in illo
ſacramento, quu terrena & corruptibilia in
carnem & ſanguinem, occulta & indubita-
ta poteſtate convertit, faciens corpus ſuum
ut omni familiaritate, manuductione atque
ſumptione omnibus diebus uſque ad finem
læculi poſſit eſſe nobiſcum. Non quod
peracto mundi labentis termino non ſit
ipſe nobiſcum, ſed beatiori modo, conſum-
mato myſterio in perfecta claritate, intui-
tione conſpicua, in ſuperna patria erimus
nos cum ipſo. Et cùm præordinaſſet Sal-
vator ſuam eis corporalem ablaturus præ-
ſentiam, citò mittere Spiritum ſanctum,
diſcipulos ſuos in civitatem Jeruſalem il-
lius miſſionem jubens voluit expectare di-
cens: *Et ego mittam promiſſum patris mei*
patris mei in vos, vos autem ſedete in civita-
te donec induamini virtute ex alto. Quod Lucæ 24.
idem evangeliſta ſcribens Apoſtolicas a-
ctiones, aliis verbis expreſſit. *Et conve-*
ſcens præcepit eis, à Jeroſolymis ne diſcede-
rent, ſed expectarent promiſſionem patris,
quam audiſtis per os meum. Quia Joannes Act. 1.
quidem baptizavit aqua, vos autem baptiza-
bimini Spiritu ſancto non poſt multos dies.
Promiſſio patris Spiritus ſanctus eſt,
quam licet prophetæ extiterint, à nullo ex-
preſſius & ſtipulatius audierunt, quàm per
os CHRISTI, qui ſolus noverat æter-
num æterni patris arcanum. Cujus miſ-
ſionis æquè cum patre ſe oſtendebat au-
thorem. Etenim quia Spiritus ſanctus ab
utroque procedit, promiſerat Deus pater
mittere Spiritum ſanctum in manu pro-
phetarum & Chriſti filii ſui, non recipien-
tium merito, ſed largitate donantis. Quam
promiſſionem in civitate regia, civitate ſa-
cerdotii, civitate prophetarum, voluit ad-
implere. Proinde Salvator juſſit illos in
civitate manere, donec adimpleretur pro-
miſſio, & ipſi veſtirentur virtute ineffabili
Spiritus ſancti, qua induti, intelligere o-
mnem explicitè veritatem. Et tuenter at-
que illæſè armati fideli audacia, timore de-
poſito procederent ad reges terræ, & prin-
cipes populi, ad omnes gentes, prout eis
à Chriſto decretum poſitum erat, & præ-
dicare, quæ mundus nolebat docere, quod
abhorrebat, & indicare crucis myſterium,
quod gentibus ſtultitia, Judæis ſcanda-
lum erat. Decebat eos bonum æternæ
pacis in pacifica civitate recipere, ut mo-
res fierent cum æterno dono concordes.
Pacifica vocabatur civitas interpretatione
nominis, non operis actione, nam Chri-
ſtum velut inquieta vocibus adjudicando
illum cruci, morti tradiderat. Et oporte-
bat ſuper aquam Joannis aliam ablutionem
induere, in qua non corpus intingitur, ſed
uterque homo ſanctificatur. De cujus
ablutionis virtute atque myſterio ſermo
alibi me expectat. Et edicto poſito, ut
in civitate manerent, *eduxit eos foras in*
Bethaniam, deinde in montem Oliveti. Edu-

xit

xit eos foras, ut per obedientiæ viam deducat in montem, ut videant in carne aut corpore Chriſti ultimam actionem, ſcilicet quod ferretur in cœlum per mortificantem obedientiam, hominum voluntates & actus improprios reprimentem. Ad contemplationis montem ſuos ſubſequos Chriſtus educit. Non enim in alta proprius, ſed mortificatus ſenſus aſcendit. Et in arcanis Chriſti myſteriis converſari non poteſt mens non ſubdita dirigenti. Et cùm eſſent in monte omnes, qui convenerant, cognoſcentes in ſuperna velle conſcendere, quadam in mente ſuſcepta de ipſo fiducia, & quòd omnino ab eorum ſe volebat auferre conſpectibus, & quòd ſolitum Chriſti & familiare colloquium tollebatur, nec ulterius futurum erat ad uſum in hac vita mortali quadam de ipſo aſſumpta fiducia, interrogaverunt eum de fine Sæculi, & reſtitutione Iſraelitici regni, dicentes : *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* Actum. 1. Quæ interrogatio qualis fuerit, qualem cautelam præbuerit, ne aliquando ſimilis interrogatio fiat, ex Chriſti reſponſione clareſcit. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta quæ pater poſuit in ſua poteſtate.* Poſtquam in ſuo adventu Chriſtus non poſuerat mundo finem, nec regnum æternum ex toto donaverat, interrogant, ſi erunt in adventu penitus Spiritus Sancti, quem ex patris & filii promiſſione ſperabant. Interrogationi ſupervacuæ per negationem ſapientius reſpondetur. Et negationem præſtat quæſitio & quæſitor imper tinens, & inutiliter quærenti diſcipulo, magiſter ſapiens non reſpondet. Non ſciſcitetur miles caſtrenſis, quod tantùm ſcire ſpectat ad regiam majeſtatem. Quod eſt paternæ majeſtatis arcanum, mortalis non quærat in ſuam devenire ſcientiam. Quod ſcientiæ adjicitur, inutile factum eſt, neſciſſe tutius dixerim, magis verò, ſi damnum intulit, aut inferre potuit præſcienti. Fruſtra interrogat creatura Deum, qui libenter docet hominem ſcientiam. Plus enim novit docere, quàm nos diſcere valeamus, & docet utilia, etiam non rogatus. Hinc per Iſaiam dicitur : Ego Dominus Iſaiæ. 48. Deus tuus docens te utilia. Quæ igitur utilitas de præſcientia futurorum ? Aut faceret ſuperbire, aut deſperare, aut tepidè vivere homines ſuper terram. Qui ſemetipſum hominibus revelavit in carne, hæc quæſita, ſi noviſſet utilia fore quærentibus, ſimiliter revelaſſet. Etenim multa ſuis vatibus revelavit, quæ prævidit in utilitatem hominum vergere. Non denegavit invidus aut timens præjudicium in futurum, ſed velut rem occultari utilem manifeſtari damnoſam. Non eſt hominum alta ſecreta rimari, nec plus ſapere, quàm oportet. Et occultatio futurorum, quæ omnino ſperatur adeſſe ventura, homines cautos facit atque timentes. Et cautius expectatur de neceſſitate venturum, ſi ignoratur de tempore. De jure mens hominum ad futura, quæ veniunt, ſuſpenditur omni die, ſi nullum habet incerto. Nec omnimodam denegationem Chriſti reſponſum importare credamus, ſed illam duntaxat, quæ noſtro placito, noſtræ præucurrenti præviſioni repugnet. Quoniam multa Deus nunc quæſita revelabit in poſterum, quæ juſtis velaminibus præſenter occultat. Tempus verò, & momentum ad actiones, quæ in eis fiunt, potius referuntur, ut magna & parva occulta ſecundùm ineffabilem providentiam in ſua poteſtate permaneant, ſeu ſi non decrevit, aut ſi uſque decrevit in ſuo tempore revelare. Paterna verò poteſtas, in qua ſecreta ſunt poſita, poteſtatem filii aut Spiritus Sancti non excludit, ſed ſic, ut homo curioſè quærentibus hominibus reſpondebat. Nam neque in poteſtate, in ſcientia vel opere invenitur in ſumma trinitate diverſitas. Ac per hoc ſi non eſt noſtrum ſcire futura, quæ pater poſuit in ſua poteſtate, noſtrum tamen eſt, ad illa ventura virtutibus præparari. Proinde Salvator adjecit : *Sed accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos. Et eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Actum. 1. Mittebat deſuper Spiritum Sanctum, quo nihil occultius futurorum puterat, propalare ſecretum, ſed hoc utile, illud inutile fieri hominibus providebat. Carius fuit quod gratioſè conceſſit, quàm quod ſcire ab apoſtolis & cæteris denegavit. Plus enim eſt gratia ſeu præſentia Spiritus Sancti, quam quælibet præſcientia futurorum. Hinc quoque novimus quod Spiritus Sanctus Apoſtolos non omnia docuit, ſed quæ in eorum & eccleſiæ futuræ ceſſerunt utilitatem, quod Paulus ad Corinthios refert : Omnis manifeſtatio Spiritus datur ad utilitatem. 1. Cor. 12. Cujus virtus, quam Apoſtoli acceperunt, fuit rectè docere, ſine reprehenſione vivere, ſine mercede rerum temporalium prædicare, operari miracula, facere ſigna, innovare prodigia, & in ſanguine atque morte teſtificari pro Evangelio & nomine Chriſti. At quia ſuperventurus promittebatur, aliquid de ejus gratia in Apoſtolis extitiſſe denuntiat. Quo ſenſu ait angelus ad Mariam : Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, quem jam quodammodo recepiſti. Luc. 1. Aut ſuperventurus dicitur, quia non de infimis, ſed de ſupernis ejus eſt

graria, ſive quia veræ humanæ vel infimæ
iterum inſunditur divina ac ſuperna natura.
Joan. 15. Et eritis mihi teſtes, quia vos ab initio me-
cum fuiſtis. Et quæcunque audivi à patre
meo, nota feci vobis. In Jeruſalem in qua
morti fui per crucem damnatus. In Sa-
maria, ubi reprobatus: Et in ultimis terræ,
ubi nondum agnitus. Igitur qui captare
ſuperna contendunt acuitatem retundant
proprii intellectus. Nolite eſſe vates, nec
curioſi in his, quæ æternus pater occul-
tat. Etenim conatus mentis in his ſem-
per fruſtra ſudavit. Spiritus Sancti virtu-
tibus ſtudeant inſigniri, Verbo & opere te-
ſtificari pro Chriſto, ſecundùm Evange-
lium Sanctum ejus, in omni tempore at-
que loco, & in omni converſatione, Mor-
talium talia ſunt opera militantium, ut per-
hibeant teſtimonium, quoniam ipſorum
ſolus Chriſtus eſt Dominus. Et quod verè
Chriſtus eſt Deus exiſtens in cœlis, qui
tam electos milites atque teſtes habet in
terris. Feſtinabat JEſus aſcenſum, *unde
cùm hæc dixiſſet, elevatis manibus ſuis bene-
dixit eis. Et factum eſt, dum benediceret il-
lis receſſit ab eis & ferebatur in cœlum & vi-
dentibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit
eum ab oculis eorum.* Benedixit eis, quia
juſti erant, quia benedictio Domini ſuper
caput juſti. Benedixit eis manibus eleva-
tis, quia deſuper eſt benedictio electorum.
Et dum bendiceret eis, receſſit ab eis, au-
ferens corporalem præſentiam, & benedi-
ctionem plenitudinis, amoris, & gratiæ de-
relinquens, unum abſtulit, alterum dedit,
ſi contriſtavit in uno, lætificavit in altero.
Ferebatur in cœlum, ubi, quia Deus erat,
nunquam quoque reliquerat. Elevabatur
à terra, quam non relinquebat deitate,
quamvis reliquiſſet & corpore. Non ta-
men aliena, ſed propria virtute ferebatur.
Nec obſtat ſoliditas veri corporis, quin ſic
ferretur, etenim habebat agilitatem in dote
corpus, quod per omnia glorioſum erat,
& etiam in ipſo divinitatis plenitudo cor-
poraliter habitabat. Et nubes lucida ſu-
ſcepit eum, non ad vehiculum ſeu ad auxi-
lium opportunum, ſed ab oculis eorum,
ſcilicet intuentium, ut includeretur in cœ-
lum, excluderetur à mundo, qui eum non
cognovit, ſed velut reum turpiter & cru-
deliter crucifixit. Et aſſumptus eſt ho-
norificè à patre, qui eum miſerat, exultan-
tibus angelicis choris atque mirantibus
quod ſuper eos ferebatur peregrina caro,
& elementatum corpus ſuper ſubſtantias
ſeparatas & ſimplices tollebatur, quanquam
ut Deus illis eſſet ipſe ſimplicior. *Et ſedet* Marci. 16.
collocatus à patre à dextris omnipotentis Dei.
Ad hominem porro refertur aſcenſio, aſ-
ſumptio in cœlum, ſeſſio ad dexteram, quo-
niam ut Dei Filius ſemper ibi erat, & de
novo hujuſcemodi accidentia non ſuſcepit.
Nec immobiliter ſedet ad dexteram, ſed in
potioribns partibus empyrei cœli, ſic inef-
fabiliter honoratus eſt. Cùm verò Apo-
ſtoli audaci conatu oculorum intuerentur
in cœlum, à duobus angelis ſibi aſtantibus
in forma virorum amictis ſtolis albis, ve-
lut diem feſtum agentibus in novæ ſolen-
nio aſcenſionis, tanquam ab amicis dulci-
ter arguuntur, ne invanum attollant ocu-
los, ne deſperatione frangantur, mœſtitia
contepeſcant. Quoniam ipſe idem, qui
nunc ſi triumphanter aſcendit, judicaturus
veniet, cùm mundi finis advenerit. Hæc
cùm audiſſent in Spiritu humilitatis & igne
charitatis, proni animo, inclinati corpore
adoraverunt Chriſtum Deum Dominum
majeſtatis & gloriæ, magiſtrum & redem-
ptorem, de ipſo depoſitis hæſitationibus
ſolitis, imprimentes ora veſtigiis pedum
ejus, ubi ſteterat aſcenſurus. Et latria &
adoratione in monte illo exhibita, regreſſi
ſunt Jeruſalem ad expectandum promiſſum
juxta mandatum Domini, recedentes à
monte, qui vocatur Oliveti, tanto ſpatio
venientes, quantùm Judæis fas eſſet in ſab-
bato ambulare. Et introeuntes in cœna-
culum, aſcenderunt ad ſuperiora, quoniam
in virtutibus & moribus illum imitabantur
aſcenſum, quem in cœlum paulo ante
Chriſtum viderant peregiſſe. Ibi ſiquidem
orabant unanimiter, quoniam in oratione
oportet perſeverare ſupernam gratiam ex-
pectantes. Et gaudebant gaudio magno
propter ea, quæ viderant, & divinum mu-
nus, quod expectabant. Et ſæpe in-
grediebantur in templum, laudan-
tes & benedicentes Deum, qui
benedictus per omnia Sæcula
Sæculorum, Amen.

(o)

Liber

LIBER XV.

De Juſtitia Chriſtiana.

Prologus.

POST Chriſti doctrinam, quæ in ejus deificis muribus & ſupernaturali vita & geſtibus, nobis monſtrata eſt per ipſum Chriſtum, unigenitum Dei Filium, Dominum noſtrum, magiſtrum, & redemptorem, factum nobis inferioribus via vitæ, qui erat, & eſt, & erit in ſuperioribus, & in inferioribus vita, divinè atque humanè ipſam operantem, ad ſimplicem & verbalem doctrinam humili ſtudio veniamus. Et tantùm Verba tractantes, quæ manifeſtè vitam moralem atque Chriſtianam informant, & expreſſam, & imitabilem veritatem oſtendunt: Illa verò, quæ altitudinem divinorum myſteriurum, diſputationum, diſceptationum, delectationum, interrogationum, reſponſionum innuunt, duntaxat in hoc ſuſcepto tractatu dimittentes. Quæ, niſi aliquali violentia & extorſione, ad mores non poſſent inflecti: Quia nec noſtrum eſt aliter divinam tractare ſcripturam, niſi ſecundùm intentionem divinæ ſapientiæ ſic tradentis. Et quamvis multa nobis ſit à Spiritu Sancto de diverſitate tractandi licentia, ne iſtam aquam ſalutarem à proprio alveo ad aliqua devia derivemus, ſub interminatione inhibetur. Senſum & intellectum oportet accipere à ſcriptura: Non dare improprium, aut applicare impertinentem. Improprias & impertinentes expoſitiones & coaptationes, ſcriptura Sancta non recipit. Væ! autem doctori, qui ſibi vult ſubjicere ſcripturæ intelligentiam, & intellectum ſuum non ſubjicit intelligentiis ejus. Finget certa mendacia, violabit inviolabile, violentabit immobile: Ac etiam tantò magis reputabitur fallax, quantò indebitè tractat ſcripturam, quæ ſummè noſcitur verax. Igitur ab his verbis noſtræ locutionis exordium ſumamus, quæ protulit quando ad Joannem primo baptizandus advenit. Humiliter reluctante Joanne Baptiſta, ſe non Dominum, ſed ipſum debere à Domino baptizari: Statim Salvator ſubintulit: Sine modo, ſic enim decet implere omnem juſtitiam. Matth. 3. Humilitatem primò inſinuans, qua ſubdebatur aquis: Ac etiam omnem virtutem, cum qua pugnaturus adverſùs diabolum viſibiliter per carnem hunc mundum intravit: Quem non in altitudine potentiæ ſuæ, aut argumentis doloſis, ſed per juſtitiam ſibi diſponebat dare conflictum: Ut ab uno juſto pro juſtitia liberati, ſine dubio juſtificaremur per fidem in gratia ipſius, & gloriemur in ſpe gloriæ Dei. Sed imitativè Verba iſta diſcurientes, mores moribus conjungamus, ut ſicut ipſe decenter impleturum ſe dixit, & fecit omnem juſtitiam: Ita & nos prout poſſumus, impleamus. Omnis namque juſtitia eſt, ubi nihil mali admittitur, boni demitur nihil, quam in prima origine contuentes, Deus eſt. In derivato verò conſpicientes, alius erit ſermo loquendi. Juſtitia increata Deus eſt, & ſui participium tradidit primò ſubſtantiis ſeparatis, deinde compoſitis. Sed nulli alteri creaturæ ante, neque tunc, neque deinceps, nam quæ ratione carent, ipſam participare non poſſunt. Ipſa nempe rationalis eſt virtus. Sic appellata eſt juſtitia naturalis, non quòd omnis natura ipſam ſuſcipiat in ratione, quamvis ipſa rationabilia ordinet per rationem. Nec credendum eſt, quòd ipſa juſtitia ſit natura, neque natura juſtitia, niſi velimus in illud ingredi profundum intelligentiæ, quod Deus juſtus omnia juſtè fecit: Et ſicut quædam juſtitia eſt ipſa creata natura, ex ſenſu atque intellectu, quòd jus divinæ potentiæ, ſapientiæ atque bonitatis ſtatum quodammodo tenet oſtenſivè in ipſa natura. Etenim ex origine vocabuli appellatur juſtitia ſtatus, ut ſit jus quædam potentia cujuſcunque virtutis in Deo, ſimiliter & in creaturis, ac etiam quædam decentia agendorum, benefactorum verò excuſatio tacita, vel expreſſa. Sed iſto intellectu prætermiſſo, non faciliter cognoſcibili, dicemus: Eſt juſtitia naturalis rationa-

tionabilium creaturarum obſervatio, theoria & actu, divini ſtatuti juris & ordinis. Quæ per quandam ſegregatam à cæteris rationem naturæ rationali ſolùm innotuit: Quam, licèt in nullo temporis curſu omnes perfectè ſeruaverunt in cœlo ſimiliter, & in terra : Tamen ille, qui omnia fecit, & creaturis rationabilibus indidit, in cœlo cum remanentibus angelis remanere voluit. In originali mundo per prædicationem Adæ primi hominum prævaricatoris, ſed reconverſi, ac aliis miris & occultis modis retinuit, cum ipſo deleto non delevit. Cum linguam confunderet, ipſam non confundit. Circuncifione data, ipſam quodammodo renovavit, ut credulitas Abrahæ ſibi ad iſtam computaretur. In Iſaac & Jacob refulſit. Joſeph in Ægypto cuſtodivit, prius ab ipſo animo & moribus cuſtodita. Per legem Moyſi non eſt ſuſpenſa : Per Chriſti legem & gratiam amplius confirmata. Ipſa quidem aliqualiter ab alueo ſui magnifici curſus derivata, per rivulos ipſa mauente ſemper in electis hominibus atque in electo populo Dei, pervenit uſque ad gentiles, quæ multa in regimine reipublicæ ordinarunt. . Pervenit uſque ad naturales philoſophos, & alios ſapientes, qui ſcriptis de ipſa multa tradiderunt : Quamvis in ipſa & aliis virtutibus exorbitaverint in intentione, atque moribus, ut longè fierent à fine proprio ſtatuto virtutibus. Sed non eſt ſuſcepti operis aliter tractare de ipſa juſtitia, niſi prout expoſtulat pura religio Chriſtiana, ac per hoc ſic ipſam libet edicere. Juſtitia Chriſtiana eſt inviſibilis & theorica operatio, atque viſibilis actio ſuper naturam & leges : Et divini ordinis inviſibiliter, & viſibiliter in omnibus ſumma cuſtodia. Proinde Verba hæc à poſterioribus differentes, ſecundùm cuſtodiam divini ordinis in inviſibili ſenſu intellectui non ſanè applicabimus eam, niſi hoc excepto, quod ipſam & omnia, quæ percipit, rectè intelligat: Tantùm in hoc juſtitia Chriſtiana intellectum requirit, ut intelligatur ab ipſo, ut non exorbitet alia intelligendo : Rectitudinem intellectus atque veritatem ejus quandam dicimus eſſe juſtitiam. Sed hæc non eſt, quæ hominem perficit. Memoriæ impropriè traditur, niſi eo ſolo, quòd nunquam obliviſcatur ipſius, ſive quod non multiplicetur, ſed illorum tantùm memoretur, quæ poſſunt expedire habenti memoriam. Quædam poteſt dici juſtitia memoriæ, non multiplicari, ſed tantùm memorari utilium. Affectus autem ſive voluntatis juſtitia eſt, quæ hominem perficit, ſi eſt : Si non, imperfectis atque malis additus ſæpe manet. Erit autem affectus & voluntatis juſtitia Chriſtiana, ordinis perfectio in amore, atque in velle. Sanè omnis affectus aliquo amore veſtitur, ſeu aliquid vult voluntas. Nam in ipſa univerſalis juſtitia dictatur. Cant. 2. Omnia propriam ſeruant naturam, ſeruant ubique ſuam elementa naturam : Ita & afficietur affectus ad aliquid, & amor habebit objectum. Accedit autem ordo, & ordinat in hominibus charitatem. Et amore capta ſponſa dicit : Ordinavit in me charitatem, ut majora magis, minora minus diligamus, & indignis diligi denegemus amorem. . Nam amor aut ſuperfertur rei dilectæ, aut ſubjicitur, aut æquatur. Juſtitia verò amoris eſt ipſius adæquatio ad dilectum, ut nec plus diligatur, aut minus, quàm ſua dignitas exigit. Hæc quidem juſtitia nunquam ex parte noſtra perficietur ad Deum, neque in hoc Sæculo, neque in futuro. Nam licèt in iſta vita diligamus ipſum quantum poſſumus : In alia verò tantùm, quòd non poterimus amplius : Hic tamen, nec ibi tantùm diligitur, quantùm eſt dignus : Ut etiam hanc juſtitiam amoris, non perficiat Virgo vel angelus. Igitur nullus amor ſuperfertur Deo, nullus æquatur ad Deum, ſed omnis ſubjicitur per inæqualitatem Deo. Sed quoniam ordo juſtitiæ ab aliquo inviſibiliter atque viſibiliter plus non exigit, quàm juſtè poſſit exactus ipſe conferre: Juſtitia Chriſtina & perfectio in amore ordinis erit, ut hìc diligamus Deum, quàntùm poſſumus : Ibi verò tantùm diligemus, quòd non poterimus amplius. Hæc profectò juſtitia hìc perfectos, in ſuperis verò facit beatos. Ac per hoc cuſtoditus ordo juſtitiæ in affectu devitabit amores cæteros, atque limoſos, & ab impuritatibus purgabit amorem, adæquabit ad ſua æqualia : Supponit verò inferioribus. Et ſupinabit ad illud ſuperius per non circumvolutum aſpectum, cui æqualem nullo modo poteſt exhibere affectum. Repræſentabitur ab ordine intellectui, intellectus verò affectui repræſentabit omnia dilectionis jura : Similiter & dilectorum prærogativas oſtendet, ut amor per juſtitiam amplius inardeſcat. Claudet infra ſuos terminos voluntatem, ut nolit quod nolit, quod nolle juſtè ſequeretur. Et fræna laxabit ad volita, ut velit, quæ omnino mandat religio Chriſtiana. Hæc proculdubio inviſibilis Chriſtiana juſtitia, id nolle, quod religio prohibet, & id velle, quod conſulit, atque jubet. Hoc enim fortè quis dicet, à juſtitia naturali conſurgit atque

que Moſaica: Concederim, ſed ſuper naturam & leges eſt voluntas, quàm juſtitia Chriſtiana ordinat. Non prohibent natura & lex rependere malis vicem ſed prohibet juſtitia Chriſtiana. Inquit enim ipſe Salvatur: Si non dimiſeritis, nec pater veſter cœleſtis dimittet vobis. Et Apoſtolus: Nolite reddere malum pro malo, neque maledictum pro maledictio. Non prohibet lex Moſaica talionem, ſed prohibet religio Chriſtiana: Et in aliquo niſi per rectores reipublicæ non reſervat: Hoc verò ſolùm permittit ad tuendam innocentiam, & refrænandam improbitatem. Non curat de interno amore natura, nec lex Moſaica, dummodo corpore ſervias: Sed curat juſtitia Chriſtiana, ut ſervetur: Nihil ſit meriti apud Deum, niſi diligas. Non reprobat natura odium, neque Moſaica lex, dummodo non lædas: Reprobat Chriſtiana, etiamſi corpore ſervias. Et multa promittunt juſtitia naturalis, atque Moſaica, quæ præceptis atque conſiliis juſtitia prohibet Chriſtiana. Juſtitia Chriſtiana eſt, quæ nihil impuritatis admittit, & nullam animam alienat à recto. Ipſa eſt ordinatus amor, ordinata affectio, recta intentio, ſtatus animæ, cuſtodia ſuſcepti muneris, contemplatio potioris, indeformata imago, atque reformans deformata, ſervata ſimilitudo, & perditam reaſſumens, cuſtodia interioris hominis, judicatrix atque fugatrix malarum intentionum atque actionum, ſol intelligibiliter lucens, lux fugans peccatorum tenebras, ordinatio & regula morum, operum & activorum juſta & honeſtiſſima mediatrix omnium relationum, linea inobliquabilis ad agenda, fundamentum omnium ſtatuum, omnium perſonarum, quæ in hoc mundo inculpatè vivere quærunt: Interemptrix vitiorum, nullum vitium diligens, nulli applaudens, leo in ea furens, virtutum inventrix, oculatum animal ante & retro, armatura tegens, gladius tranſuerberans, quæ reperit adverſa divinæ atque juſtiſſimæ veritati. Ipſa eſt, quæ ſola propter Deum initiat, proficit, & perficit. Ipſa eſt vitæ lignum, quod qui guſtat, non moritur. Ipſa innocentia, quæ timorem non patitur. Ipſa gladius flammeus ac verſatilis ligni vitæ. Ipſa oblatio Abel, unde juſtus extitit in duplici tempore appellatus. Ipſa nos in conſpectu Domini juſtificat. Ipſa fabrilis, qua remedii arca extitit fabricata. Ipſa columba, quæ non requieſcit in corporibus & operibus mortuorum, ſcilicet peccatorum. Ipſa nuntia pacis in ramo viridi olivarum. Ipſa

Matth. 6. Rom. 12.

Moyſi Virga pro terrore diabolici Pharaonis & virtute ſignorum. Ipſa mare dividit iniquorum atque peccatorum, ut tranſeant Sancti Dei. Et ut breviter dicta, & omnia dicenda perſtringam, Chriſtiana juſtitia apponit ſuper naturalem & originalem juſtitiam, ſupra legem abundat, omnem excedit, omnem aliam ſibi aſciſcit. Ipſa ſolùm eſt, quæ habet, procurat, atque largitur, quicquid poteſt eſſe virtutis & gratiæ, & quæ ſolùm tendit in regnum ſupernæ gloriæ, cujus eſt apertior porta. Juſtitia perfecta Chriſtianæ mentis eſt noſſe Deum. Dicit enim ſapientia: Noſſe enim te, conſummata juſtitia eſt: Et ſcire juſtitiam atque virtutem tuam, radix eſt immortalitatis. Juſtitia eſt inviſibilis operatio, quæ retributionem ſuſcipit. Pſalmiſta enim hoc aſſerit: Et retribuet mihi Dominus ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi. Juſtitia meritoria ſolùm & primo eſt voluntatis, quæ ſemper adeſſe poteſt, nam ipſam velle, juſtitia eſt. Et etiam operis, ſed per ſe iſta non ſufficit ad debitorum ſolutionem, nec placat inviſibilem exactorem & juſtum, niſi præfuerit juſtitia voluntatis, quæ ſufficiens eſt de ſoluendo, ſi per impoſſibilitem non eſſet juſtitia operis. Juſtitia ſiquidem operum eſt linea inobliquabilis & rectitudo imperverribilis, & oſtenſio reſecans ab actione ſuperfluum atque impertinens, & demonſtratio infallibilis remiſſi, quod uſque ad tactum rectæ lineæ non pervenit. Peritia enim cujuslibet artis peracta linearibus inſtrumentis, ejus, quod dicitur, oſtenſionem ad utrunque oculum facit. Videmus enim quod appoſita linea ſuper ea, quæ regulanda artificibus ſubjacent, oſtendit excedens & non contingens æqualitatem lineæ, ut artifex cum dolabro excedens ſuperfluum & impertinens reſecet, aut ei quod remittitur apponat, ut lineam tangat. Ipſa eſt perpendicularis oſtenſio ad rectè conſtruendum ſpiritualium operum parietem. Dimittit fabricator perpendiculum appoſitum ſupremo lapidi, ſuperædificavit parietem, ut ad erectam rectitudinem coaptet lapides ædificandos, ut toties hincinde commoveat, donec per perpendiculum lapis judicetur rectus ad præpoſitam rectitudinem bene ſitus. Sed quoniam in agentibus atque agendis velut univerſalis virtus ipſa requiritur, libet eam ſenſu alio diffinire. Juſtitia ſiquidem actualis in omnibus agentibus recta, irreprehenſibilis atque laudabilis actio, juſtitia facti operis erit incondemnabilis

Sapien. 15. Pſalm. 17.

demnabilis ipſius conſiſtentia, defectu carens partium, loci, temporis atque modi, quæ tuuc veraciter ipſa fiet, cùm aliquis non operabitur quippiam à ſuperba voluntate commotus, extra menſuram potentiæ atque ſapientiæ ſuæ, neque ab eis remiſſius aget. Quocirca juſtus judicabitur uſquequaque in actibus ſuis, & reprehenſione carebit, qui ſuas in agendis nollet excedere vires, nec præpeditas patietur habere, aut remiſſas, hoc eſt veritate ſemota, quoniam male poſſe facere, atque ſcire, infirmitas eſt, & error, qui enim fecit ultra, quàm potuit atque ſcivit, ſi modus loquendi, quòd dicitur, patitur, non fecit juſtitiam. Qui non fecit atque remiſſius fecit bona, quæ potuit atque ſcivit, non fecit juſtitiam. Magna etiam apparens juſtitia eſt, non ſe ingerere in his, quæ à natura & à potentia & à periria negantur, neque remiſſum fieri animo, & opere in adeptis atque conceſſis. Injuſtum opus à juſto viro regulas ſequente juſtitiæ nunquam erit, quia non aggredietur impoſſibilitatem habens, & infactibile atque irregulabile. Ab injuſto injuſtum ingredietur negotium. Etſi aliquando juſtum, nòn de illa contracta juſtitia, qua iſte juſtus non eſt, quia ipſe juſtus non eſt, ſed de virtute communis juſtitiæ, per cujus lineam ad alios plerumque profectò agitur. Juſtus & alienorum raptor alios fures juſtè ſuſpendit, contra naturam agens, Sodomitas mandavit incendio. Adulter ſeminavit odia in ſimiles, proditores proditorum capita truncaverunt. Et juſtum opus eſt, ut puniatur delinquens, atque iniquus, quod ſæpe faciet, qui manet in ſeipſo injuſtus. Indifferenter qui præeſt, & docet, docuit juſtitiam & virtutem, actiones pias, revocavit errantes, erexit lapſos, contemptores corripuit. His omnibus privatus, imo injuſtus ad ſeipſum exiſtens & coram Deo compeditus alios compeditos abſolvit, non ex eo, quod compeditus erat, ſed ex authoritate juſta, qua ipſe fulgebat. Proinde non caret juſtitia opus juſtum, nec ſibi irrogabitur macula, ſi ab injuſto procedat: quia ſi facienti non cedit ad meritum, in ſe tamen opus eſt verum. Quæcunque de ſui natura bonitatem habent annexam, inturpabilia ſunt. Ab agente non turpatur veritas, etiamſi à diabolo diceretur. Non fœdatur bonum naturæ in quocunque naſcente, quamvis de parentibus peſſimis oriatur. Etſi quod ſanctum eſt, ab iniquo tactum manet quod eſt, & liberare juſtum non poteſt injuſtitia, etiamſi à juſto fiat. Juſtum opus injuſtus actor penitus non injuſtat. Erit igitur juſtitia facti operis, ſi regulis juſtitiæ non carebit, etiamſi factoris bonitas deſit. Juſtus dicitur à juſtitia, non à natura, quamvis ipſa natura quandam juſtitiam ordinis habeat. Inviſibiliter aut viſibiliter actualem eſſe oportet, qui vult à juſtitia nominari. Juſtitia ſiquidem & lator ejus, ſi practici ſunt, gladium portabunt: & omnia inſtrumenta fabrilia exordientes ab eo tempore, quo in notitiam venire incipit ſtatus juris, ſeu bonitas ordinis, qui omnem juſtitiam includit. Igitur projectus in hanc miſeriam per naturæ corruptæ cannalem, adverſus ſeipſum gladium & ſcutum protectionis aſſumat. Eſt enim domeſticus hoſtis, & militat imprætermiſſè in corporibus noſtris, quem repercutere difficile, protegi difficilius, vincere verò difficillimum judico. Percutere igitur oportet juſtitiæ gladio naturam cortuptam, velut hæreditarium inimicum ex delicto paterno, ut noſtrum ſubſtineat gladium, qui paternum acceperit amplexum. Durum namque habet omnis in hac miſeria natus, cùm noverca natura congreſſum, quæ omnem hominem conatur in foveam vitiorum, & in barathrum damnationis immergere. Sed reddere convenit ſuis perſecuſſionibus vicem, & primò juſtitia feriat omne adverſum, quod invenit, in quo eſſe accepit, ut quod malè admiſſum eſt in parentibus primis, gladio juſtitiæ feriatur in naſcentibus poſteris. Capiat ergo quis aliquando, ſi puteſt, in ſeipſo corruptam naturam, ſibi rationibus, virtutibus atque divini imperii æmulam, & ſub judicio rationis examinet, & unde, quid ſit, quomodo perpetuetur in nobis, ſub flagellati more faciat confiten. Deinde ipſam juſtitiæ gladio feriat, & ad ejus jacula protectionis ſcutum apponat, quæ ab intellectuali homine ante tribunali rationis conventa, ſic dicere viſa eſt. Me in ſeipſo protoplaſtus infecit, & ingreſſum habui, juris ordine à voluntate ipſius propria non obſervato. Inobedientia creatoris pullulatiunis extitit germen, ſi quid ſum inquiris, non unica definitione me paudam, etenim nequeo, ſed per opera me quærenribus aperiam. Ego verò ſum ſenſualitatis pondus & gravitas, aggravatio rationalis animæ, depreſſio rationalis intellectus, oblivio memnriæ, inconſideratio gloriæ atque pœnarum, involuntaria ignorantia, hebetudo atque perplexitas mentis, ſuffocatio ſpiritus atque rebellio, infirmitas atque fragilitas in toto inſanabilis, delectatio viſibilium, & ipſorum amor, corruptibilium appetitus, animalis atque bruta-

lis

lis progreſſus, recurvata intentio, ſomni non neceſſarii nutrix, dea ventris, pigritia in bonis, tædioſus in ordine mos, inutilis acquiſitio, mortis actio, ſterilis vita, lubricatio voluntatis & involuntaria carnis inclinatio ad malum, & promptitudo, claudicatio impertinens, diminutio boni naturalis, non tamen ex toto deſtructio, impedimentum agendæ vitæ, atque acquirendæ virtutis, retrogradatio ad gloriam, proceſſus, niſi ſiſtatur, ad pœnam, inobedientia in bono, plena tædio, lætitia verò plena in malo, inimica virtutum & diaboli & vitiorum amica pariter & fomentum, quam philoſophi naturales & omnes mundi ſapientes ſic procedere atque taliter eſſe nulla ratione viderunt, quamvis ipſam in ſeipſis experti fuerunt, atque perpeſſi, & etiam in aliis inſurgentes ab ipſa defectus agnoverunt. Solùm verò ſtudentes in ſcholis fidei & mandatorum Dei ipſam in veritate potuerunt oculo mentis aſpicere. Perpetuatur verò in nobis divina & occulta dictante juſtitia, in primis parentibus damnata propagine, cujus, ut potuimus, ubi tractavimus de juſtitia Dei, declaravimus rationem. Arripiatur ergo juſtitiæ gladius, & in omnibus geſtis ejus non prohibeatur à percuſſione ipſius, ipſa enim juſtitia videt, quoniam eam ſemper æmulam habet. Et contra ipſam duplicetur atque triplicetur gladius, ut primus ſit gladius amoris Dei, ſecundus timoris Dei, tertius Verbi Dei. Quibus, quamvis non tota interimatur, tamen ita confundatur, ut cùm exurgit in prælium, à juſtitia recipiat ipſa conflictum. His enim gladiis armatur noſtra juſtitia, nec ſibi competunt aptiores. Quod genus armorum utilius ad percutiendum in natura corrupta, cùm ipſa bellando præſtat nobis impedimenta bonorum, quàm amor Dei, qui ad omnia præſto ſit, & activus, quæ ſunt ad beneplacitum Dei? Quid aptius ad ipſam repercutiendum, cùm inclinat ad malum, quàm gladius timoris Dei, qui corpus & animam poteſt perdere in infernum? Quis ſplendidior gladius atque limatior ad ipſam configendam, cùm vires interiores obnubilat, extra verba & ſermones Dei, quorum declaratio mentem illuminat & intellectum parvulis præſtat. Cùm verò ipſa blanditur, & in noſtro ſinu quieſcit, cùm ruit in noſtros amplexus, & ad intra verba ſua venenatæ dulcedinis amabiliter ſtringit, cùm oſcula porigit velut meretrix impudica, cùm ſagittam pharetræ ſuæ protrahit ex occultis, cùm allicit, cùm alludit, cùm remurmurat in aſperis, cùm quærit amœna, ſcutum juſtitiæ tunc appone. De quo Sapientiæ
Sapient. 19. dicitur: Proferens ſervitutis ſuæ ſcutum orationem. Ad ordinem juſtitiæ penitus ſpectat, ut, qui ſibi nequit ſufficere, quòd majoris quærat auxilium. Nemo ſufficit repugnare adverſùs naturam corruptam, niſi pro eo deſuper dimicetur, aut à ſuperna gratia protegatur, quæ non datur indigentibus, niſi orationibus poſtuletur. Scutum ſatis idoneum erit oratio adverſùs inceſſabile bellum naturæ corruptæ. Hoc enim ſcuto adverſùs adverſarios, ut legitur Paralipomenon: ſe protegebat populus Dei circumculſus ab hoſtibus, dicens: Cùm ignoremus, 2. Paral. 20.
quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus refugii, ut oculos noſtros ad te Domine dirigamus. Et David: Cùm invocarem, ex- Pſal. 4.
audivit, & in tribulatione dilataſti mihi. Et alibi: Cùm clamarem ad eum, exaudivit Pſal. 21.
me, dedit in opprobrium conculcantes me. Et alibi: Ad ipſum ore meo clamavi, & ex- Pſal. 56.
altavi ſub lingua mea. Et exaudiet Domi- Pſal. 65.
nus vocem deprecationis meæ. Porro tota Pſal. 139.
plena eſt ſcriptura hujuſmodi oraculis, quòd neminem in virtute invocantem eum dereliquit. Scutum aliquod impenetrabile omnimode ſecum ferat, de quo dicit Apoſtolus ad Epheſios: In omnibus ſumentes ſcutum fidei. Nam fide non tremula pro- Epheſ. 6.
tegi expedit adverſùs corruptæ naturæ ſagittas, ſine dubio autem ſcutum fidei reperitur inter arma juſtitiæ, pro eo, quòd ſi ſalvari volumus, nequimus, niſi prius juſtificemur. Juſtificatio eſſe non poteſt, niſi per fidem, & credulitas Abrahæ reputata eſt ſibi ad juſtitiam. Præter hoc ipſa juſtitia monſtrat, quòd id, quod non videtur, quod ratione non capitur, credatur fideqúe teneatur. Sed non hæc ad rem noſtram conferunt, magis ſiquidem juſtitia hominem juſtificare volens, cùm ſuum athletam videt de ſeipſo diffiſum, de Deo vult omnio eſſe confiſum. Et diabolo, qui amicus eſt naturæ corruptæ, à chorifero Habac. 2.
Apoſtolorum jubemur, ut reſiſtamus in Hebræ. 10.
fide: Sic etiam dictum eſt per prophetam: Juſtus ex fide vivit, non corporaliter, ſed ſpiritualiter, ne interficiatur à corrupta natura. Igitur ſcutum fidei opponamus ipſi naturæ. Ad perfectionis verò juſtitiæ cumulum aſſumantur inſtrumenta in ſua arte fabrili. Profecto novit omnis operis fabricator, quibus ad fabricam indigeat inſtrumentis pro varietate operis, aliquibus ad removendum, aliquibus ad poliendum, aliquibus ad dolandum, aliquibus ad ſecandum, aliquibus ad quadrandum, aliquibus ad dirigendum, aliquibus ad erigendum, aliquibus ad ſubtollendum, aliquibus ad contorquendum, & ſimilium, quæ artis novit peritia: ſic & ipſa juſtitia poſſidere debet inſtrumenta fabrilia in opus ædificii ſpiritua-

lis

lis, cujus eſſe noſcuntur cunctæ virtutes.
Porro juſtitia plena non erit, ſi virtus ali-
qua deſit, quæ poſſit adeſſe, ſanè autem
juſtitia erit, ſi adſit, necnon & ſi abſit
virtus, quæ adeſſe non poteſt. Ipſa enim
juſtitia inconvenientia & impoſſibilia non
requirit, & virtus eſt ſtabilimentum ad im-
poſſibilia & inconvenientia non inniti.
Actualiter in hac parte pro juſtitia loqui-
mur, quia in affectu omnes poſſunt per
dilectionem adeſſe virtutes. Claret ex
hac Salvatoris ſententia, moraliter ad
nos relata pro nobis, quoniam decet nos
implere omnem juſtitiam. Ac per hoc un-
dique oportet à juſtitia circumdari. Unde
Job. 19. Job pro ſuo veſtimento ipſam aſſumpſerat,
dicens: Juſtitia indutus ſum. Ille ſiquidem
induitur juſtitia, qui omnem ſui conſiſtenti-
am animæ atque corporis, ne aliquid tur-
pe appetat, aut faciat, tegit. Etenim ad ve-
lamentum turpitudinis ſunt primò adhibita
Pſalm. 131. indumenta. Et in Pſalmo dicitur: Sacer-
dotes tui induantur juſtitia, ne in tanta
1. Mach. 10. ſublimitate conſtituti appetant, aut faciant,
quod eſt turpe. Et in libro Machabæorum
Epheſ. 6. legitur, quòd Jonathas ſacerdos induit ſe
ſtola ſancta. Sancta quippe ſtola eſt, quæ
Ezech. 16. iniquitatem non recipit. Et Apoſtolus ad
Epheſios: Induti lorica juſtitiæ. Lorica
namque multis anulis intexitur, ſic juſtitia
multis virtutibus, atque operibus virtuo-
ſis perficitur. Et in Ezechiele legitur Deus
dediſſe Jeruſalem veſtimenta multicoloria,
in deſignationem varietatum operum juſti-
tiæ. Certiſſimum atque firmiſſimum, quòd
juſtitia Dei noſtram juſtitiam non judica-
bit. Judicium namque punitionis ſemper
contra inimicos profertur juſtitiæ. Nempe
legitur in libro Sapientiæ, quòd Deus,
cùm judicabit adverſos, induet pro thorace
Iſaiæ 59. juſtitiam. Et in Iſaia ſimiliter, quod induet
pro lorica juſtitiam, quod idem ſonat. Igitur
Pſalm. 33. indutus Deus juſtitia, quem invenerit ipſa in-
dutum, non judicabit judicio pœnæ, ſed diſ-
cretionis pœnæ pro collatione gloriæ, juxta
ſcripturarum ſententiam. Nam oculi Do-
mini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eo-
Pſalm. 111. rum, & juſti hæreditabunt terram, ſcilicet
Proverb. 11. ſupernam, & habitabunt in ſæculum ſæculi
ſuper eam. Et in memoria æterna erit ju-
ſtus, ab auditu malo non timebit. Et Do-
minus diligit juſtos. Et juſtus de anguſtia
liberatus eſt, & tradetur impius pro eo: ne-
que penitus extra ſeipſum ex converſatione
laudabili quis fiet ad alium, niſi ejus ordo in-
terponatur in fœdere. Ipſius ordo exqui-
rit, ut diligat, qui diligi quærit, & diligatur,
qui diligit. Contrarium verò injuſtitia erit.
Sed nemo exiſtimet quod juſtitia in umbro-
ſis atque limoſis moribus, quamvis æquè

qui diligitur, diligat. Non enim eſſe poteſt
juſtitiæ pulchritudo, ubi amorum eſſe noſci-
tur turpitudo. Vicem amoris corrupti re-
impendere amori corrupto, non eſt juſtitiæ
aut æquitatis, ſed damnatæ concupiſcentiæ,
atque libidinis. Quomodo enim eſſe po-
teſt juſtitia in amoribus, quos veritas dam-
nat? In moribus autem perditis, atque à di-
vina lege damnatis, ſimiliter juſtitia ineſſe
non poteſt, ut turpiter obſequenti, atque
corruptè in ſimili aut in alia turpitudine re-
pendatur nec fides. Appoſitum aut præ-
ſtitutum juramentum aut promiſſam fidem
in his, quæ veritas prohibet juſtitiam non
appellaveris obſervare, magis verò, ſi ſervan-
tur, injuſtitiam dixeris. Non niſi ad repen-
dendum honeſta honeſtis, & ſervandum li-
cita licitis, juſtitia ipſa conſentit. Adverſa-
tur iniquitati ſana juſtitia, & malorum de-
ridet profeſſores. Quomodo reſonabit in
ordine univerſi, ut alteri ſerviens in crimine,
exquirit ab eodem, quòd ſibi ſimiliter in
crimine ſerviatur? Qui primò alicui ſer-
vivit in crimine, fecit unum opus iniquum:
ſi antidotum repetit, fecit & reliquum: ſi
verò redditur ab expedito, additur ter-
tium. Quo jure dicetur juſtitia, ubi con-
currunt unum aut duo ſeu tria peccata?
Sicut lux non recipit tenebras, ſed fugat,
& tenebræ à luce fugiunt, non ipſam ſuſci-
piunt: ſic juſtitia peccatum depellit:
& peccata profectò & juſtitia nullo fœde-
re ſe conſtringunt. More lucis dicitur
purgata juſtitia, purgationem faciens ne-
fandorum, nec malorum morum eſt hoſpi-
ta, ſed necatrix, & quæ à veritate aut
lege divina damnantur, ultro, aut vi abire
compellit, aut ad mentem pœna malo-
rum damnat authores. Proinde luce cla-
rius patet, cum funeſtis amoribus atque
perditis moribus juſtitiam nullum poſſe
habere conſortium. Omnia verò hæc Apo-
ſtoli confirmat una ſententia, cùm ſecundo
ſcriberet ad Corinthios: Quæ participatio
juſtitiæ cum iniquitate? Quaſi expreſſiſſimè
dicere velit, nulla. Quippe juſtitia eſt in
amoribus ab omnium vitiorum turpitudine
defæcatis, ut juſtitia ſit diligere ſimiles in na-
tura, repudiata verò, ſi adfuerit culpa, & dare
atque reddere ſimiliter & repetere dilectio-
nem alteruter inter eos, quos ſuper naturam
amor nectit gratia. Ipſa ſiquidem verba ju-
ſtitia trutinat, ne velut impertinentia publi-
cum petant, aut expedientia taceant. Vir-
tus eſt ſilentium, ſed caret juſtitia, ſi lo-
cutio colaphizavit ſæpe juſtitiam. Juſti-
tia ſanè ori hominum cuſtodiam poſuit,
& ſtateram, ut nec taciturnitas eſſet, aut
verbum, niſi ad tempus ſtatutum. Et ad
alium exhibita converſatio, etiam in ver-
bis,

bis, expedit, ut à juſtitia reguletur. Nam recta juſtitiæ regula caret dilecto, & id intendit, ne delinquatur. [Pſalm. 38.] Unde Pſalmiſta ex juſtitia deliberaverat cuſtodiam linguæ, dicens : Dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Ille non delinquit lingua, qui nec tacet dicendum, nec tacendum loquitur, & hæc eſt linguæ initiativa juſtitia. Ille porro non delinquit in lingua ſua, qui adverſus proximum non loquitur dolum, ſed veritatem : Dolum dico deceptionis & fraudis aut incaptionis ad neſas. Ille non delinquit lingua, qui loquitur Verba electa. Hinc Salomon di- [Prov. 10.] eit : Argentum electum lingua juſti. Argentum ſonorum ſpectat ad Verbum, ut ſit examinatum omnino quod dicitur. Ille non delinquit lingua in locutione juſtitia prætermiſſa, qui loquitur cum proximo veritatem, etiamſi loquentem damna plurima ſubſequerentur. Nam propter utilitatem propriam, ſi loqui verſata conditio poſtulat, non ſubmittatur falſitas, aut veritas taceatur, ad devitandum incommodum proprium, vel quaſi proprium. Ille non delinquit in lingua, ſed vera juſtiſtitiam ſeruat, qui nunquam in adverſitate aut proſperitate contra Deum aliquid loquitur. Quod vir juſtus & rectus ac ti- [Job. 1.] mens Deum Job feciſſe narratur, nec quiequam contra Deum locutus eſt, nec in omnibus tribulationibus ipſe peccavit labiis : Sed natura partem juſtitiæ hactenus proferebat, quæ patientia noſcitur eſſe : Ipſa enim ſecundùm Apoſtolum Jacobum opus perfectum habet. Dicebat enim : Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Idcirco Verba juſtitiæ loquitur, qui divinas percuſſiones ſuſcipiens in aliquo contra Deum remurmurare non novit, ſed nomen ejus atque providentiam in omnibus benedicit : Ut non ſolùm hoc propter Deum faciat, ſed ut proximum non ſcandalizet per impatientiæ Verbum, ſed potius patientiæ præſtet exemplum, nec in proſperitate Veroa extollentiæ profert, aut deſpicit lingua, quem ſuum reputat in hac vita minorem. Eſt nec naturalis ordo juſtitiæ inditus & religio Chriſtiana, ut ſermo prolatus ad proximum, aut in proximum, aut de proximo, ſive cum proximo falſitate careat : Non inſinuet aliquando omnino, judicium falſæ impoſitionis abjiciat, aut ſi qua poſſent ad injuriam coaptari, & nec deſpiciatur aſſiſtens præſentia, nec abſentia licentiam conferat ad convitia, ſed ponatur digitus ori, ne quiſpiam dicat, quod abhorret audire, neque taceat, quod interrogatur honeſtum, aut ſileat utile, abſque quod Verbis exigatur, qui novit juſtum mandatum. In ſcriptura ſacra indicitur, ut quod gratis accipitur, gratis detur. Jubet etiam ipſa juſtitia, ut non ſo- [Matth. 10.] lùm in præſentia, ſed etiam in abſentia dignus dignis præhonoretur ſermonibus, ſi hoc exquirit ſuppoſita cauſa. Et nemo ex juſtitia poteſt Verbis ad illa exigi, ad quæ nollet exactor ipſe conſtringi : Non etiam tædeat audire, quæ dixit, & rogari pro quibus rogavit. Etſi negata per eum, ſibi denegantur per alium, ratio juſtitiæ quieſcere jubet. Improbus fator antidota tolerans ſedabitur juſtitiam meditatus. Amicus juſtitiæ ad reipublicæ requiſitus conſulta, ſecundùm inſitæ atque inhærentis virtutis quantitatem tacebit, aut loquetur. Et ſeipſum & omnem ſuperiorem, æqualem, & inferiorem pro ipſa contemnet. Aperiet os ſuum pro republica, in ſingularibus neminem reveritus, etiam laceſſitus injuriis computabit ad gloriam, alapis cæſus meritum dicet, qui dignus habitus eſt pro juſtitia pati, non offendat pro republica ſpecialem, qui offendi non meruit. Ita diſponat ſermones ſuos in judicio, ut non lædat Verborum incauta, ſeu odioſa, aut qua multis credit placere ſententia, quem excuſat innocentia. Injuſtum enim eſſe aſſeritur, ut à Verbis aliorum patiatur, qui à propria iniquitate non læditur. Ad conſilia interrogatus illam ſervabit ſententiam. Si tibi intellectus eſt, reſponde proximo : Sin autem, ſit digitus tuus ſuper os tuum, ne fortè capiaris in Verbo indiſciplinato, & confundaris : Ut juxta menſuram ſapientiæ atque intellectus, ſit ſermo in conſiliis moderatus. In omnibus ſanè rebus, uti loqui neceſſitas cogit. Ad limam juſtitiæ antequam proferantur, ſunt limandi ſermones, cùm retractare non poſſit emittens. Ex eorum enim natura prolati manent irrevocabiles, ut plerunque percuſſioni, quam fecerunt, non poſſit eſſe medela, nec excuſatio placans læſum. Aptitudo actualis, quam membrorum officiis exhibere oportet in aliam atque ſuſcipere, pulchra eſt, & bona, ſi juſtitia pulchrè facit : Sin autem, omnis actualis aptitudo eſt turpis. Aptitudo nanque regendi, quæ pluribus & non omnibus competit, ſubjecta juſtitia pulcherrimum regimen facit, & irreprehenſibile judicium profert à cognitoribus veritatis, quamvis à vulgaribus, & ab his, qui plectuntur, multa injuſta reflectantur in judicem. Ignorat ſæpe vulgaritas veritatem, & ideo turba vocatur, quia præter ipſam facile turbatur, & turbat. Plexus autem juſtè nihil ſpeculatus in gratiam Chriſtianam irrogabit

animo ſeu Verbo juſtitiam decernenti, ſed non turpatur juſtitiæ pulchritudo, ſi à vulgaribus laceſſitus eſt judex, qui primò aptitudinem judicandi, atque judicium per veram juſtitiam delimavit. Dictabit ſanè juſtitia præſidenti atque omnibus in culmine regiminis conſtitutis, ut non parcant indigno. Et quod juſtitiam conturbans à juſtitia conturbetur: Dignus autem conſiſtat honore, & multa mulcetur pœna, quem ad aliquod turpe excitavit iniquitas. Communitas aut multitudo delinquens correcta, facilem indulgentiam reportabit. Neque opus eſt juſtitiæ, ut multitudo delinquens, ſi reſiſtit, quod detur exitio, cùm ex eo ſinguli ſingulariter puniantur, ut multitudo imperturbata ſervetur. Quomodo ergo ſervabitur, ſi tota plectetur? Et ſi contrarium habet quæcunque juſtitia, hoc proprium habet juſtitia Chriſtiana, quæ altiori locata corniculo, non judicabit per dicta teſtium, ſi contrariam certitudinem habebunt aſpectus. Juſtitia enim ſine veritate non graditur, proculdubio graderetur aut non eſſet, ſi Verba ventoſa certiſſimo aſpectui anteferret. Non accipit in judicio aptitudo judicandi perſonam pulchrè facta decore juſtitiæ, ſed ipſa indigentibus ſe juſtitia donat. Ad hoc enim eſt ab authore omnium ordinata, & cùm ipſa ſit reparatio depreſſorum, ſimiliter & ne deprimantur, ſe obicem facit. Proviſor nanque ſuper cuſtodiam civitatis timens hoſtes irruere, illam primo reparabit in circuitu partem, quæ faciliorem hoſtibus præſtatet ingreſſum, antequam turrium altitudini aliquid adderetur. Igitur vera juſtitia præſidentium ſemper ad magis indigentes eſt ipſa proclivior. Non novit ipſa naturæ, gratiæ, carnis, amicitiæque conſortem, ut peccantes vivere permittat impunè. Nam ad ſimiles in natura, non ad diſſimiles extitit ordinata. Lex juſtitiæ, quæ multat voluntariè delinquentes, his poſita non eſt, qui ſecundùm naturam agunt, alioquin omnia punirentur. Vivit leo de raptu, lupus & animalia multa mutuo ſe invadunt & rapiunt, in quibus non laboraverunt, ſimiliter & volucres aueſque rapaces. Et quia ſecundùm naturam propriam faciunt per juſtitiam impunita perſiſtunt. Juſtitia correctiva ſeu punitiva non reſpicit ex natura, ſed ex voluntatis arbitrio peccatores, ut etiam immunes habeantur infantes, ſimiliter & amentes, & decrepiti pueriliter ſenes. Non novit juſtitia ſuum mucronem extrahere de vagina, neque ſagittam de pharetra, ut feriat naturæ, ſed malæ voluntatis activos. Proinde juſtitia non parcit iniquis ſimilibus in natura. Nam hominem vindicat, & homo hominem per juſtitiam ferit: Non tamen ex eo, quòd homo eſt, quem Deus fecit, ſed pro eo, quòd peccator eſt, quòd ipſe commiſit, nihilominus non punit juſtitia malum ſeu peccatum, quod privatio boni eſt, ſed ipſius authorem, qui homo penitus eſt. Etiam propter annexam naturæ gratiam Chriſtianam iniquis Chriſtianis juſtitia Chriſtiana non parcit, & vera regentium aptitudo juſtitiæ decorata monilibus in peccatores Chriſtianos acrius ſævit. Nam ipſi naturæ fuit lex ſcripta porrecta, inſuper & eſt addita gratia Chriſtiana. Suadebit ergo naturalis ordo naturalis juſtitiæ, ut qui plus accepit in munere cogitationis atque invaminis, puniatur amplius, ſi deliquit: Quod quamvis ſemper non fiat ab homine judice, ab æterno tamen prætore non præteritur. Cognitio legis noſcitur eſſe magna, juvamen majus gratia Chriſtiana, in qua publicè offendentes non relinquet inultos Chriſtianæ atque publicæ honeſtatis juſtitia. Sed nec à præſide Chriſtiano per juſtitiam decernetur in delinquentem Chriſtianum, quia Chriſtianus, quod non natura, ſed habet ex gratia, ſed quia iniquus eſt, quod habet ex concepta & appropriata malitia. Nam hæc gratia per gratiam prærogata credentibus, naturalem juſtitiæ ordinem non areſecit, ſed in hac religione gratificata amplius vireſcere fecit: Quoniam benignus iniquorum ultor, & Dominus vellet, ſi non aliter, ſaltem per reipublicæ Chriſtianitatis, civitatum regnorumque rectores eſſe purgatos ad ſuperos inferendos, & cùm extrema dies omni viventi advenerit, atque celebrabitur generale judicium, nollet invenire, quos haberet ferire per ſuam ſibi juſtitiam reſervatam. Carnis propinquitatem vera juſtitia præſidentium in republica nullo pacto veretur, quoniam nemo conſtituitur miniſter juſtitiæ ex propinquitate aut propagine carnis; ſed in eo, quod rationalis eſt creatura. Et ſi non novit indulgentiam dare vinculo naturæ, atque gratiæ Chriſtianæ connexis, multò minus dabit conjunctis nexu aut tranſductione carnis: Non enim magis nectitur Filius patri, filia matri, frater fratri, quàm homo homini, nec pater filio, mater filiæ, & neceſſitudini neceſſitudo, quam homini homo, quàm nec Chriſtianus Chriſtiano. Proinde ſi non parcitur ex juſtina iniquis colligatis in naturæ fœdere, aut gratiæ Chriſtianæ, ſic nec dabitur delinquentibus venia conjunctis ex quacunque propaginis copula:

Nec

Nec fauebit eiſdem amplius tribuetque honores aut placita, ſi qua præter hanc copulam potior virtus non meruit. Ipſa ſiquidem juſtitia, prout punit inobliquabilis eſt in neutram partem, anfractuoſè incedere neſcit, lucis natura potitur, non aquæ hinc & hinc diſcurſibilis inter montes, quod puniendum eſt, ſolùm reſpiciens, & cum quo à rerum entitate habuit impaſſibile bellum. Nec punit per aptitudines hominum ipſa juſtitia, quæ nec obliquo caſu adveniente Filium aut
1. Reg. 14. conſanguineum punit, ſed iniquum. Saul nanque primus rex in DEI populo non pepercisſet per juſtitiam Filio, ſuum imperium contemnenti, quia guſtaverat ante præfinitum tempus à patre rege, niſi populus eum de ſuis manibus liberaſſet.
3. Reg. 2. Nec Salomon pepercit fratri Adoniæ rem injuſtiſſimam poſtulanti, quin in eum mortis dictaret ſententiam. Et idololatria populi Dei per juſtitiam datam in manu Moyſi, velut in populi duce, ſic enim eſt ipſo decernente multata, ut frater occideretur à fratre. Sicut enim juſtitia non eſt ex traduce, velut caro propaginis, ſic non parcit hominibus ex carne linealiter & transverſaliter propagatis, etiam quantumcunque propinquis, nec eiſdem beneficia ſua donabit indignis. Et ad taliter propinquos magis, quàm ad homines affici, caret ratione juſtitiæ. Major eſt ſimilitudo communitatis & veritatis hominis ad hominem, quàm patris ad Filium, aut Filii ad patrem. Nec eſt de humanitatis juſtitia, quæ originalem juſtitiam ſequitur, quòd Filius, aut in eo quod ſic eſt, magis quàm quòd homo eſt, diligatur, ut non puniatur delinquens, aut præmietur, ſi ſecundùm quod homo, aut ſecundùm veritatem annexam non meruit. Proinde judicium erit alterutrum in conjunctis, ſi adſit iniquitas, & miniſter juſtitiæ alter fuerit conjunctorum. Lex namque Perſarum atque Medorum ad omnes immutabilis erat. Imperatorum, ſenatorum juſtitia Romanorum non præſtabat indulgentiam quantamcunque, ſi contra eos patrata iniquitas declinabat. Fertur quidam ſenatorum Filium habuiſſe legitimum elegantem atque ab ipſo dilectum, qui delictum contra auguſtorum & ſenatorum decreta commiſit, propter quod, cùm ex formata juſtitia oculorum amborum cæcitate puniretur, dolentes cuncti pro Filio, magis verò pro amore atque honore paterno procurabant aut leges ſuſpendere, aut aliter à cæcitate Filium præſervare, quod pater agnoſcens, inquit: Et vobis aſſentio, cum honore duntaxat ſtatutæ juſtitiæ. Cùm duo ſunt oculi eruendi, unus eruatur in patre, alter verò in Filio reſervetur, quod & factum eſt. Ac per hoc omnium conditor Deus magis ſuam diligit creaturam, quàm quælibet creatura diligat aliam ſive ipſam. Si nec ipſe pepercit peccantibus angelis, & mundum originalem propter peccata delevit, & ſemper punit injuſtos, & corrigit per juſtitiam emendandos. Conjugalis copula non auertet aut euadet juſtitiæ pœnam, ſi unus conjugatorum deliquerit contra præfixam juſtitiæ regulam, alter verò, ut miniſter habuerit trutinare juſtitiam. Et quoniam non expedit, quod unuſquiſque ſic puniendi officium habeat, ſed determinatis rectoribus reipublicæ reſervatur, nihilominus tamen ad punitionem delicti ob juſtitiam permiſſum eſt in lege Moyſi atque Chriſti propter certam fornicationem, quod unus conjugum poſſit alterum devitare, ſi verò ipſe fornicatus non fuerit & aſſuetus, juſtam dictabit in uxorem ſententiam, quæ ſuum contempſit imperium, nec habebit amicum ſolium juſtitiæ tenens, qui veræ juſtitiæ fuerit inimicus. Nulli autem hominum, aliquis extra Deum, qui vera juſtitia eſt, magis quàm juſtitia charior aut amicior eſſe debet. Non currumpetur ab amicitia juſtitia, ſed juſtitia amicitiam ſubordinabit, aut puniet, aut devitabit iniquam. Amicus juſtitiæ ſub ipſius fræno amicus fiet præſidi, non enim conturbat honeſtos & patulos mores, unde fatigetur animus præſidentis, nec præſtabit cogitandi materiam, quomodo ſe muniat ad vindictam. Amicus juſtitiæ gubernatori reipublicæ ceruical quietis tradidit, nec excitavit à ſomno. Non propulſatur ex ſua cauſa ejus cubiculum, auribus verò ſilentium fecit. Amicus præſidis & juſtitiæ, honorem unius augmentavit ex altero. Amicus regis, & non juſtitiæ ſæpe per confidentiam turbavit quietum, & dehoneſtavit publicum ſtatum. Is regi fiat injuſtitia inimicus, qui non regi regenti, ſed in malo homini eſt amicus. Et notam poſuit in gloria regis, qui ex ſua confidentia malè fecit. Avertet vultum à tali amicitia nobilis heros, & in ſpeculum juſtitia ſine macula ſpeculabitur. Et tanto ſeverios pœna plectet delinquentem amicum, quantò magis debuit juſtitiam in amico, & amicum in juſtitia revereri. Amor etiam reipublicæ, quæ per juſtitiam gubernatur, tantò debet eſſe vehementior in regente, quàm particularium quorum-

cunque, quanto ipſa reſpublica eſt homine quolibet particulari valentior. Ut ſupra factum eſt, non ſolum amicum, ſed etiam Filium, ſi dictat propter patratum ſcelus juſtitia, tradat exitio aut pœnæ dignè dignum, potius quàm velit ex defectu juſtitiæ rempublicam conturbare. In nullo tantùm in aptitudine regiminis reſpublica inquietatur, quantùm ſi propter privatum offenditur publicum, aut ſi ſubmittitur, quod eſt juſtum. Sed neque conjunctis, aut amicis à rege dabuntur officiales honores juſtitiæ, ſi aptitudo à bona natura non fuerit, aut à ſtudio conquiſita, magis autem dabuntur remotis à talibus copulis, ſi eis aptitudinem addiderit bonum virtutis. Sanè ne quis exorbitet, cùm amicos præſidentium nomine edixero, juſti præſidis regis nullus erit amicus, niſi verus æmulator juſtitiæ. Quod autem dico etiam in malos eſſe amicos domeſticos interdum præ cæteris, intellexerim non amicos. Hoc enim notum eſt, quod amicus quis verus eſſe non poteſt ſine vera juſtitia. Non vendet pro aliquo alicui rector juſtitiam, quæ divino jure omnibus in pace debetur. Non erit ſpecialis, quæ jure naturalis ordinis omnibus eſt communis. Non erit tepida ex parte rectoris, quæ fervet ex igne charitas. Non erit quam non intendit qui fecit. Inevacuabile factum eſt per linguam, & inenarrabile per ſcripturam, quod turpat juſtitiam appendentes incautè, aut quod expedit ad irreprehenſibilitatem ipſorum. Nam cùm humana natura, cui appoſita eſt ad vivendum juſtitiæ regula, ſemper frangit juga, rumpit retia legis, nequit infra cancellos mandatorum concludi, ſepes incendit, tranſilit vallum, transgreditur ordinis murum, non uno modo, ſed multiplicibus & occultis. Inde pro præteritis malis multæ ſcripturæ ſunt exhibentes leges, ſed de novo ſemper ex hominibus vena iniquitatis inceſſanter fluens erupit, cui ſemper oportebit per juſtas leges obſiſtere, ac denuo nova decreta novare, quod reſervatur judicio rationis, præſtante cauſam fluxu iniquitatis. Impoſſibile penitus eſt, futura ſicut præterita videri ab homine ſolùm puro. Igitur quorum intereſt gubernare rempublicam, aut per dictamina ſive per miniſteria legum, ſi à Deo rationis donum inſitum ſuſceperunt, aut per otia & ſtudia & ſudores animi quæſierunt expedientem regimini veritatem, cudent ſemper juſtitiæ leges ad vindictam malefactorum, ad laudem verò bonorum. Ratio enim viva hominis præſidentis obviabit malis, bonisque fauebit abſque quòd leges ſcriptas aſpiciat. Impoſſibile omnino eſt omnia in membranulis aut codicibus contineri, propter malorum inundantium varietatem, & novitatem bonorum: Sed aſpiciendum ſemper erit in illam intelligibilem juſtitiam, interlucentem mentibus hominum, non exaratam per calamum. Cujus regulæ ſunt omnino infallibiles, incedentes rectè ſecundùm ordinem rationis. Et modificabitur quod ſcriptum eſt, ſimiliter & appoſitio fiet ſecundum rerum atque negociorum varios eventus, quos legum conditores, dum ſcribebantur, videre nequiverunt. Sed propter præſidentium ſæpe defectum, qui non aſpiciunt oculo mentis & dilectione cordis in gratiam Chriſtianam, quæ verè illuminat hominem illuminari volentem, plus quàm quid ſit per aliquam ſcripturam. Expedit plerumque firmare taliter juſtitiæ leges, ut ipſarum miniſter intranſmutabiliter adminiſtret. Et quamvis plura bona ex tali firmitate ſequantur, nihilominus hæc mala evenire non revocatur in dubium, quod juſtus ſæpe portabit iniquitatem iniqui, & iniquus juſti præmium nanciſcetur. Fieret autem minimè, ſi viva hominis ratio non obliquata per nefas poſſet addere, ſeu pro varietate caſuum emergentium ſuſpendere leges. Juſtius profectò mundum homo regeret divina ratione tenente Dominum, ſi ſemper contemplaretur naturalis atque intellectualis juſtitiæ ordinem, quàm dictam ſcriptamque rhetoricè legem. Et nihil tam dignum in republica affirmaverim evenire, quàm ſi bono rege atque duce, illuminato gratia Chriſtiana, gubernandus populus regeretur. Hinc Salomon dicit: Aufer iniquitatem de vultu regis, & firmabitur juſtitia thronus ejus. Prov. 25.
Propriè proprium eſt gratiæ Chriſtianæ, omnem impietatem auferre, idololatriæ, iræ, invidiæ, ſuperbiæ, avaritiæ, tepiditatis, lubricitatis, voracitatis, quæ maculam peſſimam in regum gloria ponunt. Et inter cætera bona promiſſa eccleſiæ, quæ nunc eſt, fuit juſtitia præſidentium. Iſaias enim dixit: Ponam præpoſitos tuos juſtitiam. Habet etiam ipſa gratia omnem annexam proviſionis, punitionis & diſpenſationis virtutem. Et nihil in republica infelicius infelicitate regentium, etiamſi non deſit bonitas legum. Forinſecæ querimoniæ atque clamores inſinuant, quanta ſubactus populus patiatur ab infelicitate regentium, ut ſæpe non poſſit eſſe remedii juſtitia legum, adverſùs quos oportebit ſæpe con- Iſa. 60.

conſtringere vivarum judicium rationum. Ex his namque defectibus, ſcilicet nova varietate peccantium & infelicitate regentium, Imperatores juſti olim tradiderunt licentiam novas condendi juſtitiæ leges, ut malorum varietas legum varietate puniretur, & infelix authoritas ipſarum vigore frænaretur, quod ſæpe fit, niſi tyrannis invaleſcat penitus ſupra legem, quæ juſti regiminis omnem ordinem exterminavit. Exanimabit manuductor juſtitiæ cauſarum facta pendentia, & libramento æquitatis probabit, ut non tantùm judicet propter actum, quantùm etiam propter affectum & modum. Levior aut acerbior inferatur ſecundùm ordinem juſti juris, qui parcere aut percutere ſecundùm magis & minus juſtè cognovit. In perplexitatibus dominabitur animo ſuo, nec movebitur ab acuto zelo juſtitiæ, qui ſæpe fertur in præceps, cùm temperato zelo erit confabulatio ejus. Zelus itaque acutus juſtitiæ dicitur, cùm ſtatim vellet punire delictum, & turpantem criminis notam notabiliter judicare cum dedignatione patrantis, quem illico & protinus vellet confodere jaculis ſuis: quia juſtitiæ ordinem non eſt reveritus in moribus ſuis. Acutus zelus juſtitiæ vindicarius eſt, nec tempus expectans, ſed eodem momento, quo agitur culpa, vellet infligere pœnam, aut ipſo inſtanti, quo audit, ſi malefactorem malefacientem non vidit, ſed à tali zelo detentus, quam non inſpicit illam intrinſecam pœnam, malefactor pertulit, dum deliquit, cùm eo ipſo quiſque puniatur interius, quo conſentit facere aut perficit facinus, dum privatur lumine conſcientiæ ſuæ, & veritatis, tenebras patitur peccatorum, inimicus virtutum efficitur, divortium æterni regis perferens & ſanctorum. Et plerumque acutus juſtitiæ zelus inflixit irremovibilem pœnam, quam in poſterum reperit non fuiſſe juſtitiam: quia ſæpe ille, qui ſuſtinet, in eo quod plectitur culpa caret, & factum eſt injuſtitia per ſubitationem facinus ſuper facinus, quod fuit zelus acutus. Sed quis rectam refundet vitam in mortuo homine? Quis revocabit animam in cadavere, compaginabit membra truncata? Quis repriſtinabit per ignem in cinere reſolutum? Cavebit autem pro poſſe, ne hæc fiant, zelus juſtitiæ temperatus. Siquidem temperatus zelus juſtitiæ conſtans erit ad ultionem, non levis: firmus non ſubitus: cautus non improvidus. Nec amabit exitio tradere delinquentes, & tradet, tamen dolens pro infelicitate, ei ſimilis in natura. Temperatus zelus juſtitiæ quærit potius abſolvere, quàm damnare, ſi in hunc favorem habere innocentiam poſſet, nec è regione clamaret iniquitas. Non agitabitur à relatoribus voluntariis, ut in quemlibet reum dictet citò ſententiam, inveſtigabit relatorum vitam, referendi modum, & prout poterit ſuavitatem animorum. Scrutabitur in animo verba dicentium, & geſtorum appendentias, ſtudioſè perquirit intentionem animi, tempus, & locum, & ordinem rei geſtæ. Si odium aliquando, aut amicitia, ſeu conſervatio aliqua participatio fuit, & horum cauſas, novitatem & antiquitatem temporis, & circumſtantiarum penitus ſcire tentabit. Et ſi damnificatio per ſimile aut per diſſimile fuit aliquando inter eos, necnon & ſi cauſa aut aliqua radix invidiæ ſeu amaritudinis fuit, hoc in accuſatoribus, hoc in teſtibus omnino invenire conabitur, audiet rumores, explorabit famam, & aſſuetudinem vitæ, ac converſationis per inquiſitionem applicabit ad aures. Si advenerint interceſſores ſimiliter inveſtigabit, omnia liberabit lance juſtitiæ, judicium antequam proferat, appendet pluries in ſtatera. Ipſa juſtitiæ ratio dictat, quod nihil ſub cœlo in rebus creatis tanta diligentia ſit tractandum, & gubernandum diligentius inter omnia, quàm homo, propter quem facta ſunt omnia. Nec ita celeriter eſt tradendus exitio ad imaginem Dei conditus homo, nec ſubitò membra debet perdere homo, pro quo redimendo Deus factus eſt homo. Quomodo membra ſubitò condemnabit zelus acutus, quem templum ſuum vendicavit zelus divinus, qui eſſe dicitur Spiritus Sanctus? Hinc ſanè dicit Apoſtolus: An ignoratis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti? Sed hæc Apoſtoli ſententia ſolùm competit baptizatis. Audacter affirmem: Et ſermo veſter eſt de juſtitia Chriſtiana, quæ originalem excedit, atque Moſaicam conſuetudinem populorum, & gentium, & omnium nationum. Quamobrem juſtitiæ zelum amplius oportet fieri temperatum, ſed non fluctuandum ad omnem hominem Chriſtianum ſeu infidelem, zelus juſtitiæ temperamento indiget, ut omnis ratio, veritas atque ordo dictat, quod omni-

omnibus hominibus juſtitia, & nulli debeatur injuria. Sed eo ipſo homini ad judicium conſtituto irrogatur injuria, ſi per rationem & rationalem indaginem non exquiruntur, quæ poſſunt exquiri facti pendentia. Subtilius autem intuetur temperatus zelus Chriſtianæ juſtitiæ, cùm ſuos miniſtros ſubexcitat, ne propter ſententiam celerem in non delinquentem inducant deſperationem, & poſt abolitam celeriter vitam æterna damnatio ſubſequatur, ad quam nulla revocatio ſubſequetur. Et blaſphemabitur Dominus dominorum propter acutum aut intemperatum zelum juſtitiæ miniſtrorum. Quis igitur hominum regentium populos,& dominantium,ſceptra tenentium aliquem revocavit ab inferis, à dæmonibus diſſociavit, revocavit ad pœnitentiam damnatum, aut introduxit in ſupernum regnum? Non ergo juſtitia debet fieri in præjudicium,quæ prærogata eſt remedium.Non debet fieri cauſa damnationis,quæ generalis eſt virtus, & cauſa ſalutis. Nec tam indiſcuſſè occidendus eſt homo, pro quo mortuus eſt Deus Homo. Nec improviſè fundendus eſt ſanguis humanus, pro cujus liberatione divinus ſanguis fuſus. Nec ſuſpendendus eſt cum fure in ligno, pro quo Chriſtus ſuſpenſus eſt in paribulo. Nec inconſideratè tradendus incendiis, pro quo eruendo Chriſtus venerat ab æternis. Ergo merenti per juſtitiam mortem judex indulgentiam dabit,parcet omnino inquietis, dimittet abire impunè rempublicam ſine ratione vexantes, laxabit homicidis, raptoribus, latronibus, ſtupratoribus fræna? Non tentabit ſeditioſos de urbe depellere, falſatores quarumlibet rerum non plectentur authoritate juſtitiæ? Pacificè vivent, & intrepidè ſuper terram, qui modis patulis, & occultis nocent aliis? Secura erit malitia, quæ ideo punitur, ut tuta ſit innocentia, patrocinabitur iniquis juſtitia? Nonne datæ indulgentiæ criminoſis fecerunt plures ad prolapſum & magnorum malorum contagium provocari? Ergo fruſtra eſt juſtitia? Sed non ſic, potius Apo-
Roman. 13. ſtolum audi: Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa, Dei enim miniſter eſt tibi bonum. Si autem malefeceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei, qui malè agit. Ex quo luce clarius datur intelligi, miniſtros juſtitiæ à Deo eſſe,& non ſine cauſa gladium punitionis habere: ſed ad tuendam innocentiam, & refrænandam malitiam, & puniendum delinquentem perſonam. Igitur non parcet omnino temperatus zelus juſtitiæ, ſed ſuperſedebit omnia quærens, tacitè ſecum volvens, ſanis fulcietur conſiliis, ne propter reum interficiat, nedum lædat quomodolibet innocentem, & abſolvat hominem, quem certum eſt, eſſe nocentem: ſed conſpecta veritate poſſibili dictabit ſententiam abſolventem aut punientem,ſecundùm zelum juſtitiæ temperatum. Qui zelus hujus radiantis per orbem virtutis, & interlucentis in mentibus hominum attentius reſpicit ipſius juſtitiæ gloriam, quàm pupularem hominum famam. Nam, ſi zelator miniſter juſtitiæ apud ſe in vinculis haberet detruſum quempiam inſignem, ex genere facinorum fama,non ex veritate notatum, ex quo, ſi traditus eſſet exitio, fama vulgaris indeliberabilis judicante Domino ſequeretur, veritate præcognita, eliget potius non acquirere aut perdere vulgarem hominum auram,quàm juſtitiæ gloriam maculare, quæ neminem damnat, quem culpa non maculat.Quod plerumque in acuto zelo aut intemperato contrarium evenit, ut juſtitiæ miniſter gloriam juſtitiæ vulneret propter vulgarem hominum famam: appetitores enim vulgarium laudum deviaverunt facilè à juſtitia. Et in omni cauſa judicii ſæpe delinquit, qui non Chriſti, ſed hominum nomen habere conertat. Plurimi profectò ſunt,atque fuerunt, qui lætati ſunt de numero interfectorum, & de mutilatis membris gloriam portaverunt, ſeveritatem animi attribuentes juſtitiæ,improvidentiam cautelæ, furorem zelo juſtitiæ, mortem propriam, aſſerentes utilitatem reipublicæ, velut beſtiarum nihili pendentes hominum vitam. Plurimi autem in pejora labuntur, quàm decernat acutus, ut non ſit zelus, ſed livor: non zelus juſtitiæ, ſed avaritiæ, honoris & gloriæ: plerunque autem invidiæ aut libidinis dominandi, cui nulla poteſt eſſe juſtitia bene regendi. De tyrannis quidem hic ſermo tacetur, apud quos nulla poteſt eſſe Chriſtiana juſtitia, quorum uſurpata eſt potentia. Tota enim pulchritudo juſtitiæ in fundamento & authoritate conſiſtit rationalis juſtæ potentiæ. De qua re longus ſermo contexitur, ubi agitur de æquo jure dominandi. Sed contra quoſcunque injuſtè regentes ſacra ſcriptura immiſericorditer clamat,niſi pœnitentia agatur. Et infallibilis ſapientia dicit: Audite reges & intelligite, diſcite judices fi- Sapient. 6.
nium terræ, præbete aures vos qui continetis multitudines,& placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis & virtus ab altiſſimo,qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam,cùm eſſetis miniſtri regni illius,non rectè judicaſtis,neque cuſtodiſtis legem

gem juſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum in his, qui præſunt fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cujusquam Dominus, qui dominator eſt omnium, nec reverebitur magnitudinem cujusquam. Quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus. Poteſtatem dari à Deo verba iſta declarant, quorum ſententia nullum patitur dubium, ſed juſtam potentiam omnis particeps rationis intelligat, quam omnipotens donat, tyrannicam verò & injuſtam nemini contulit, ſed aliquo juſto & occulto merito uſurpari permittit, juxta Job ſententiam: (Job. 34.) Regnare facit hypocritam propter peccata populi. Et ipſa, ut omnis poteſtas, juſta non eſt, ſi à Domino non habet, quod eſt, aut per illam evangelii regulam, quo jure debet omnis homo Chriſto Deo eſſe ſubjectus, & virtus ipſa apta regimini ab omnium creatore confertur, ſcilicet audiendi, diſcernendi, cernendi, cauſas inveſtigandi, juxta Job ſententiam: (Job. 29.) Et cauſam, quam neſciebam diligentiſſimè inveſtigabam. Judicandi, providendi, ſauciandi, ſuperſedendi. Sed qui talentum contulit, qualiter fuerit expenſum (Sapient. 6.) diſtrictam rationem exquirit. Propter quod dicitur: Interrogabit opera veſtra, ſi coram Deo & veritate juſtitiæ ſunt facta. Et cogitationes ſcrutabitur, ut infallibiliter teneantur intentiones omnium regentium populos ad Dei examen impervertibile reſervari, ut qua intentione ſceptra tenuerint, judicarint aut denegaverint, & ſi quid fuerit intenſione regendi ſiniſtrum, poſt juſtum examen ad meritum ſupplicium conficiatur. Sunt tria, quæ maximè divina ſapientia in regentibus & gubernatoribus reipublicæ deteſtatur: Perverſum judicium, contemptus juſtarum legum, & divinæ voluntatis averſio. Iſta enim ſunt, contra quæ ſuppoſita ſententia clamat. Inquit enim: Cùm miniſtri eſſetis regni illius, non rectè judicaſtis. Ille non rectè judicat, qui arbitrium ſequitur voluntatis, ceſſante vero & pio judicio rationis: & non rectè judicat, qui præſtat aures mendaciis, qui leviter credit, qui auram hominum ſequitur, qui opinionem tenet, qui non examinat, qui corrumpitur ob rem, qui movetur ob cauſam. Et Deuteronomio ſcriptum eſt (Deut. 16.) poſt judicum in electionem: Non accipias perſonam nec munera quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba ju- (Deut. 16.) ſtorum. Juſtè quod juſtum eſt exequeris. Nam rectè judicare non poteſt qui perſonam aut munera in judicio reſpicit, maledictionu æternæ adſcribitur, qui propter munera in judicio percuſſerit innocentem. Ibidem ſcriptum eſt: Maledictus, qui accipit munera, ut percutiat animam ſanguinis innocentis. Rectè non judicat judex & princeps, qui percutit innocentem ex munere, quem inno- (Deut. 27.) centia tuetur à crimine. Samuel conſtituit duos filios, Ioël & Abia judices in Berſabee, qui non ambulaverunt in viis paternis, juſtis (Reg. 8.) & ſanctis, ſed declinaverunt poſt avaritiam, acceperuntque munera & perverterunt judicium. Non ergo rectè judicat, quem avaritia maculat. Ipſe ſanè affectus munerum judicem pervertit in animo, & juſtitiam pervertit in judicio. Et per prophetam Michæam Dominus principes non rectè judicantes (Mich. 6.) arguit dicens: Audite principes Jacob & Duces domus Iſrael: Nunquid veſtrum eſt ſcire judicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei, & pellem deſuper eorum excoriaverunt, & oſſa eorum confregunt. Et paulò poſt ſubdit: Audite principes domus Jacob, & judices domus Iſrael, qui abominabimini judicium, & omnia recta pervertitis. Principes ejus in muneribus judicabant. Quomodo ergo rectum judicium principum, qui populum expoliant, non gubernant: bonum odiunt, malum amant? Quomodo rectum erit judicium, cùm ſubjectum populum ſpoliant bonis, & pro judicio ſuſcipiunt munera, vendunt juſtitiam, & plura ſuſcipiunt pro cauſa diffinienda, quàm ſit pro cauſa diffinita utilitas reportata? Rectè non judicat, qui recta pervertit: & qui ſine muneribus judicant, ab alveo recto juſtitiam derivant. Non rectè judicat, qui declinat in partem, rectè judicaret, ſi non declinaret. Nam illud procul dubio rectum judicium dicitur, quod nec ratione, nec ordine, nec veritate, nec juſtitia caret: ubi leges juſtæ juſtè implentur, & ſuſpenduntur atque ſupplentur à ratione viva judicis interaſpectus veritatis & ordinis, & nihil aliud reſpicit, niſi quod juſtitia exigit. Rectum judicium verè non eſt, quod ſupradictorum aſſiſtentiis caret. Sed obſtrictius contra miniſtros juſtitiæ malos divina ſapientia loquitur, cùm legem juſtitiæ illos arguit non cuſtodire. Ait enim: Neque cuſtodiſtis legem juſtitiæ (Sapient. 6.) quam oportet miniſtros juſtitiæ cuſtodire. Ipſa lex multiplex eſt, ſed unica ſola eſt, quæ omnibus in ſuis actionibus congruit. Sed quoniam hic ſermo noſter arctatur ad judices, ad ipſos tantùm expedit extendere de lege ſermones. Lex namque juſtitiæ ſemper judicem aut principem ligatum tenet in jure catena inviſibilis amoris usque ad imperium mortis propter ipſius pulchritudinem juris.

Quam

Quam legem non cuſtodiunt, qui pulchritudinem intelligibilem juris non intellexerunt aut non dilexerunt, quam non cuſtodiunt, qui naturam juris pervertunt: nam ſi quis levitatem ignis terræ vellet apponere, aut igni terræ addere gravitatem, jura in elementis pervertere niteretur. Si quis urſi naturam leoni vellet adſcribere, & urſo concedere leoninam, jura in animalibus non ſervaret. Qui verò denegaret alicui ad quod ſibi natura in ſuo jure ligatur, in quibus ipſa nobilis ſuis naturatis eſt debitrix, legem naturæ profectò non cuſtodiret. Ille igitur protinus legem non cuſtodit, qui dat, cui non debetur, aut denegat, cui debetur beneficium juris. Altiori ſenſu in hoc profundum deſcendentes, præſens verbum contra malos principes Chriſtianos eloquitur, qui legem juſtitiæ divinæ atque immaculatiſſimi evangelii non cuſtodiunt, neque ſciunt, & magis firmant cuſtodiam ad ipſorum decreta, quamvis interdum bona, ſed pluries corrupta & turpia, quàm ad evangelica dicta ſive mandata. Hæc lex ſolùm omnem habet juſtitiam, quam Salvator Joanni præconi ſuo ac baptiſtæ ſe prædixerat impleturum. Illud poſtremo malum annexit, quod omnis mali eſt cauſa, non tamen efficiens, ſed deficiens, ſcilicet non ambulare ſecundùm voluntatem, pro eo, quòd dixit: Neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis, quæ voluntas omni tempore à mundi origine hominibus innotuit per verba, per ſigna, per ſcripta, per angelos, per dæmones, de qua tantò hic loquar brevius, quantò loquendi diffuſius in ſcriptura eſt prorogata materia. Sed prout ad præpoſitos in republica loquimur, etiam magis noſter ſermo arctabitur. Sed omnis poteſtas à Deo eſt, & ipſe ordinavit propter primum contemptum: homines per homines gubernari, regi, corrigi, & inſtrui, atque puniri: voluntas igitur ejus ad principes eſt, ut ſubjectum populum ad illum regant finem præfinitum, propter quem Deus creavit, & principibus ſic voluit eſſe ſubjectum. Non ergo principes æſtiment homines eis per naturam eſſe debere ſubjectos, cum quibus ſimiles habent ortus atque conceptus Et præter primum parentem, qui de terra, ſecundum, qui de coſta, & novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt de Spiritu Sancto, omnis alius homo eſt ex humano ſemine in materno utero coagulatus, nec ab alio aliud habuit conceptionis aut nativitatis initium. Non ergo inter homines ſubditos, præterquam quod unus regit, alter regitur, tanta debet eſſe diverſitas, ubi naſcendi & moriendi tanta ſervatur communitas, quam communitatem ad inſinuandam & demonſtrandam regibus humilitatem per Salomonem ſapientia declaravit: Sum quidem & ego mortalis homo, ſimilis omnibus ex genere terreno illius, qui prius factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro, novem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis, ex delectamento ſomni convenientis. Et ego natus communem accepi aerem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnium emiſi plorans. In involumentis nutritus ſum, & curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus. Igitur conſtiturus in authoritate, non obliviſcatur communitatem naturæ, nec ſuperbiat animo, ſi præfertur in judicio, & ſibi ſubditur ſimilis homo. Nam liberos natura fecit, iniquitas verò ſervos conſtituit, & peccatum fecit homines hominum judicio ſubjacere, non communitas ipſa naturæ. Voluntas Dei eſt, ut in tranquillitate animi & humilitate & compaſſione mentis homines judicentur. Et rex aut dominus perſonam judicandi hominis in animo ſuſcipiat, dum ore aut ſcripto dijudicat, quia ſimilem culpam aliquando habuit, aut habet, aut habere potuit, aut habebit. Nec quisquam principum ad ſuam gloriam, ſed divinam debet regere ſubjectum populum. Falſus eſt legatus aut ſubdelegatus judex, ſi ſibimet non primo mittenti domino gloriam mercatur. Regi ſæculorum omnium in æternum regnanti debetur omnis gloria regum, principum ac rectorum. Legati ſunt omnes tenentes ſceptra juſtitiæ, ipſe verò ſolus eſt legans tacitè vel expreſſè. Voluntas Dei eſt, ut diſponatur temporale regnum propter æternum, & fiat temporale judicium, ut devitetur æternum ab his, qui judicantur, qui pœnis exacti mortiquè vicini ſe male feciſſe cognoſcunt, & temporaliter plexi æternam veniam petunt, ſacramentis ſe muniunt, æternam pœnam devitare contendunt. Quam multoties liberè pervagantes homines interficiuntur mutuò rapiuntur ad tartareas ſedes, & in puncto ad inferna eorum animæ pertrahantur: aut libera poteſtate gaudentes, ſilente juſtitia, peccata peccatis adjiciunt, divinas offenſiones multiplicant, ut etiam mereantur plerique vitam impœnitenter finire. Voluntas Dei eſt, ut homines ab ejus arceantur injuria, non velut à lædente ſeipſum, agent injuriam adverſus ipſum. Necnon cùm pœnis exaguntur iniqui atque ſubjacent inevitabili legum judicio,

Rom. 13. Sapient. 7.

dicio, cæteri audientes compeſcuntur ſæpe in animo, & opere retrahuntur à malo. Voluntas divina in eo principes mundi reſpicit, & ſecundum ſuam voluntatem eos appetit ambulare, ut ſe cognoſcant Dei eſſe miniſtros: & de juſtitia Dei, faciant voluntatem Dei, cùm juſtitia ſit ex ipſo: quòd ſi ex ipſo non eſt, non juſtitia, ſed iniquitas eſt: quicquid ab ipſo non eſt, & omne donum DEI tractandum eſt ſecundùm voluntatem Dei. Proinde in judiciis nunquam errabit, nunquam reprehendi poterit, jure juſtitiæ virgam tenens, ſi DEI & non ſuam aut hominum ſecutus fuerit voluntatem. Psalm. 44. Dicit Pſalmiſta: Virga directionis virga regni tui, dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem. Psalm. 10. Igitur ſi virga directionis eſt virga regni ejus, directionem vult fieri per mundi rectores in regnum ejus, & hanc tenere vult omnes, qui temporaliter mundum regunt, cujus ipſe ſuperæternus eſt Dominus. Juſtitiam diligit, quia juſtus Dominus juſtitiam dilexit: dilectio verò actus voluntatis. Sapien. 1. Et per Sapientiam dicitur mundi rectoribus: Diligite juſtitiam, qui judicatis terram. Juſtitiam diligit, qui ſolùm propter ipſam omnia facit: qui tantùm ipſam in cauſis diffiniendis, judiciis proferendis attendit: qui etiam ideo juſtitiam diligit, quia omnium creatorem ipſam diligere novit. Odit autem Dominus iniquitatem, quia æquitatem vidit vultus ejus. Odium autem ad ipſam eandem pertinet voluntatem, pro qua eſt ſupra declaratum: Neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis. Illi porro reges non ambulant ſecundúm voluntatem Dei, qui terrenum regnum prout poſſunt, non dirigunt ad ſupernum, nec ob hanc cauſam gerunt in populis & nationibus præfecturam, nec diligunt juſtitiam, ſed temporalem gloriam, atque famam, numiſmata, fiſca, propriam perſonam & amicitiam malam, & odiunt æquos homines & æquitatem, iniquos verò diligunt & iniquitatem: ad quod præter poſitam alia pœna ſubſequetur, quia fortioribus fortior inſtat eruciatio. Unde ad reges & judices declamatur in Pſalmo: Psalm. 2. Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Ad intelligentiam divinæ voluntatis omnis creatura rationalis invitatur juxta ſententiam Apoſtoli dicentis: Rom. 12. Intelligentes quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta, maximè illa creatura, cui adeſt diſpenſatione divina in orbe terrarum aliqua præfectura. Erudiri primò oportet in alios ferentes judicia, ne aliter judicent, quàm velit, qui malè judicata juſtiſſimè rejudicabit. Durus eſt & terribilis ſermo, per temporale atque funeſtum judicium, velle ſe divino atque clariſſimo inevitabiliter obligari. David ad exhortationem dicit: Psalm. 105. Beati qui cuſtodiunt judicium & faciunt juſtitiam in omni tempore. Ille ſanè cuſtodit, & cuſtodivit judicium proferendum, qui ſequitur internum atque divinum. Ille verò juſtitiam in omni tempore facit, qui nulli petenti denegat, nec ipſam ſubmittit in tempore, in loco non abſcondit, nec pervertit, aut turbat, aut turpat ex aliquo. Si qua verò dicta & dicenda ſunt de juſtitia regum atque judicum terrenorum, ad judices eccleſiaſticos & præſides ſua convenientia referuntur, ut ſecundùm ipſam tantò mundius agant, quantò eos ſacramentorum altior pulchritudo perornat. Sed quoniam difficillimum eſt utroſquè præſides omnia inculpatè peragere, vera juſtitia eos revocat ad emendam, quæ poſſibilitate non caret. Si autem poſſibilitas non conſentit, invitat ad pœnitentiam veram, quæ ſi contemnitur, reſervat ad pœnam. Hujus 1. Reg. 12. rei Samuel juſtus judex populi atque propheta, exemplum humile exhibet, ſic concionatus ad populum: Dixit autem Samuel ad univerſum Iſrael, ecce ego ſenui & incanui, itaque converſatus coram vobis ab adoleſcentia mea usque ad hanc diem, ecce præſto ſum: Loquimini coram Domino, & coram Chriſto ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, reſtituamquè vobis. Et dixerunt: Non es calumniatus nos, nec oppreſſiſti, neque tuliſti de manibus alicujus quippiam. Dixitquè ad eos: Teſtis eſt mihi Dominus adverſus vos, & teſtis Chriſtus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Teſtis. Ecce juſtitia boni præſidis juſtè judicantis, qui ab eo judicati populi voluit ſubire judicium, ſi commiſiſſet delictum, paratus ad reſtitutionem, ſi abſtuliſſet, & ad emendam, ſi feciſſet calumniam. Et ipſe in ſe nihil conſcius volebat à populo gubernato corrigi, aut juſtificari, qui eſt juſtificatus ſine delicto inventus. Magnum ſignum eſt probatæ atque internæ juſtitiæ, approbatio maxima juſtæ ſententiæ, quod vulgi clamor non inſurgit in præſidem, potius verò quòd prorumpit in laudem. Job etiam Job. 31. ſe imprecabatur, ſi devitaſſet convenire in judicio cum ſubjectis: Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo & ancilla mea, cùm quæſierit, quid reſpondebo illi? Nunquid non in utero fecit me? Qui me & illum operatus eſt, & formavit in vulva unus. Ecce boni præſidentis juſtitia humilis, & benè regentis humilitas juſta, quæ non recuſat judicium cum ſervo atque ancilla:

& hoc faciebat ſciens divinum in omnes adeſſe judicium. Et ſi feciſſet ſervo & ancillæ calumniam, ante ſatisfactionem neſcire ſe dicit juſtum dare reſponſum. Quoniam coram altiſſimo, mundi Domini atque ſervi pro judicio ſunt æquales, ut nec qui fecit in alios judicium, poſſit devitare divinum, propterea dicit: Quid faciam, cùm ſurrexerit ad judicandum Deus? Quaſi dicat: Non erit diverticulum fugiendi, neque latibulum evadendi. Tergiverſandi verò nulla erit habilitas. Quid igitur reſpondebo, ſi ſervo & ancillæ non ſervavi juſtitiam, & ſi poſt fraudem & calumniam non feci emenbam? Certum namque eſt, quia non præteriet, quin dominum ſervum malè tractantem non rejudicet dominus, qui dominum & ſervum creavit æqualiter, & in ventere illos eodem modo formavit, qui creator eſt unus. Credant homines juſta fide, omnipotentis oculum magis eſſe ad populum, quàm ad præpoſitum. Præfertur enim populi multitudo unitati regenti, nec propter regem conſtituitur populus, ſed propter populum conſtituitur dominus, & rex quæritur juſtus, ut regatur acephalus. Nam quòd reges in veteri teſtamento divina providentia ſunt electi ad regnum populorum, non populi propter reges facti ſunt. Et nunquam populos, quòd non obedierint regibus, increpatos, ſed quòd reges non benè rexerint, legimus reprehenſos. Et regum ſcripta, & prophetarum hoc inceſſanter clamant ſcrutatoribus veritatis, cujus teſtimoniis, ſi vellem, armarem ſententiam. Expectatus citò finis peregrinaretur à nobis, ſi ita ſervi conditionem in manu poneret Dominorum ad tempus, ut rationem pro ipſis non exigat, cùm ipſorum fulgida vita finit. Non enim juſtus exactor rationis reddendæ dominorum atque ſervorum, diverſam penſat naturam animarum. Una noſcitur eſſe natura, quamvis ſit diverſitas voluntatum. Nec in Domino præſidente, aut rege regente major anima erit, atque nobilior, & in ſervo & regulato minor atque deſpectior. Nec fluvius divini ſanguinis fluens à poteſtate mittentis, ſuos rivulos magis ad Dominos, aut reges, quam ad eos, qui reputantur infimi, derivavit. Caveat igitur, qui per juſtitiam tangit filium, potentiorem ſe patrem habentem. Terreatur intimè dominus ſervum iniquè pertractans timore illius, qui ſuper eum habet inevitabilem poteſtatem. Creator igitur omnium, æqualis dominus, atque redemptor eſt omnium. Muralis hominum juſtitia, qua invicem converſantur, ſi non regnat in intimis, ut plurimum in externis obliquatur, ut ſicut eſt injuſtus affectus omnino facit injuſtos effectus, niſi deſuper terreat juſtitiæ puniens actus. Nam timore juſtitiæ ipſius erit potens boni effectus, ubi latens eſt iniquus affectus. Hæc erit autem hominum actualis juſtitia, ut actus ſint legales, non dico legis Moſaicæ, ſed Evangelicæ. Unde ipſius Chriſtianæ juſtitiæ pulchritudo Chriſtifera ornabit corporis motus, ne ſint ſubjecti & beſtiales, ratione carentes. Cultum divinum ornabit ſecundùm voluntatem ejus, qui cultum requirit. Hæc verò eſt colendi atque ſerviendi plena juſtitia, ut taliter ſerviatur ei, atque colatur à ſubditis dominus, qualiter ſerviri & coli mandaverit. Etenim gentiles idololatriæ alumni, ſic ſuis diis atque idolis ſervierunt, & coluerunt, prout ab eis perceperunt in deceptivis reſponſionibus. Terreni etiam proceres ſecundùm juſtitiam à ſuis ſervis tales exigunt mores. Qui Chriſtiano cenſentur nomine, in Chriſtiana diſciplina ſcripta reperiunt opera divinæ juſtitiæ, quæ ipſi Deo per cultum expedit reddere. Ornabit habitum corporis juſtitia Chriſtiana, ut nihil habeat perperam, nihil ſuperfluum, nihil approbabile vanitati, ſed quod decet hominum ſtatus in deſignatione myſterii. Et deinde ad neceſſitatem ſolùm commenſuratum, faciet & corporum quantitati ſecundùm loca calida & frigida, aut regionum ex tempore, necnon ex aere varias qualitates. Nec permittit ipſa juſtitia hiſtrionum habitum Chriſtiano, aut habentem ſchemata novitatum. Mandabit etiam non ſolùm per mores, ſed per habitum ab infidelibus Chriſtianos eſſe ſecretos. Abſonum autem fit à juſtitia Chriſtiana, multicoloria eſſe veſtimenta. Inſinuant enim animum multis varietatibus ſubjacere, quod non decet Chriſtianum animum, quem in ſolo Chriſto decet eſſe præfixum, imo cum ipſo in ſola cruce virtute confixum. Verbum autem neceſſitati, & oppurtunitati, atque honeſtati commenſurabit. In ſocietate degentem inſupinabit ad Deum, ut ipſum conſideret deſuper inſpectorem, ſi hominem non habet ſua facta inſpicientem. Et ſi coram hominibus in malo patrando juſtitiam, pudorem atque verecundiam poſuit, Chriſtiana verò cœleſtes cives docuit revereri. Suadet juſtitia hominem eſſe bonum & ubilibet idem, ut qualem eum publicum ſic & privatum habeat, nec ab re permittat fieri otioſum. Videt enim juſtitia in otio ſterili ſuorum complicum flendum exilium & expoſitum ſagittis dæmonum, & jaculis vitiorum, quem nitebatur per ſe, atque virtutum tutelam eripere, compellet eum ad utilia, minus verò implicantia mentem. Studium verò ſapientiæ ſanctarumque ſcripturarum non aſſero de genere actuoſæ. Re-

vocabit

vocabit juſtitia Chriſtiana concite ad interiora, quem interdum adduxit in actum, ut ibi ſedulus contempletur homo, & vivat, & memoretur, & intelligat, atque diligat. Homo enim præterquam angelus omni creaturæ excellentior factus eſt. Et ſemper juſtitia monefacit ibi hominem eſſe debere magis aſſiduum, ubi per fidem, aut quamcunque virtutem aptius intendere poteſt in Deum. In corpore ſanè vires, in animo ſunt virtutes. Juſtitia Chriſtiana totum rationale ſubjectum, per omnia Chriſto vult eſſe ſubjectum. Cùm autem ad proximum egreſſus fuerit requiſitus, ſeu requirere actualiter ipſe cogetur, mediatrix erit juſtitia Chriſtiana, charitate atque veritate velut ſupernis, atque deiferis comitibus ſociata. Statuit quidem inter requirentes & requiſitos, honeſta & utilia ad rem ſervina pertinentia. Et dabit veritati ſtateram, omnia ponderet juſta lance, ſive artis, ſive commercii, ſive perſonalis obſequii fuerit, quod tractatur, & à falſitate omnia mundabuntur veritate librante quod geritur. Charitas autem virtutem frænandi accipiet à juſtitia, & luro amoris frænabit ora hominum, ut nolint decipere, quos ut ſeipſos oportet diligere, & transformabit inviſibili dilectionis arte animos contrahentium quomodolibet, ut ipſis ſit una voluntas, & communis ſerveturutilitas, & animus unius in animum transferatur alterius, & proximi commodum reputet ſuum, ipſius damnum æſtimet proprium: ſic etenim omnes illæſæ ſervabuntur. Moris ſiquidem juſtitia nexualis, quæ inter perſonas relativas relativè oppidoque requiritur, omnes nexibiles & relatione morali viventes, jure certo & infallibili nectit. Ipſa nempe Chriſtiana juſtitia parentes ad filios poſt naturalis juſtitiæ inclinationem, quodam gratioſo reſpectu gloriæ, omni propria deſpecta utilitate, inclinatione inclinat: filios parentibus per gratiæ mores ſubdit ad obedientiam ſanctam, ut honorent actu corporis, munere neceſſariæ ſubventionis, ad ſuſtinendam ſenectam, & fatuitati advenienti veniam dandam. Ipſa viros uxoribus juſta intentione connectit, reſpectu ſocietatis & beneficii prolis, & monet, ne vilipendant, ſed juſtè diligant, quia eadem eſt natura: docet, ne illudant, quamvis ſit durum magis infirmo: ſuadet, ne decipiant, quia fides eſt una: inſtruit, ne velut equus & mulus, in quibus non eſt rationalis intellectus, impetu libidinis rapiantur in eas, quas rationales eſſe ſciunt, & fœminas Chriſtianas. Caveant uxores ſub viri regimine, ne ipſos falſo amore diligant, debito revereantur honore, ne juſta contemnant imperia maritorum: injuſtis in animo non præſtent aſſenſum, & in opere nullum effectum. Ipſa fratres fratribus liget vinculo gratiæ firmiori, quam vinculo carnis. Ipſa generis fœdere meliori, quam fœdere naturæ confœderat, ut etiam interdum data offenſio non disjungat. Et multitudinem interdum magnam unitim perſeverare faciet ſub modico tecti culmine, quam in ſpatioſo lari fœdus naturæ non tenuit. Ipſa vitricos & novercas parentali more in gubernatione atque nutritura ſedulaquè cuſtodia in privignos atque privignas, dum ſubſunt, velut ad proprios natos inclinat, privignos & privignas ipſis ſicut parentibus propriis, præcipuè, dum lex fœderis copulat, & conſtringit, honeſta & debita ſubjectione ſupponit. Ipſa parilitate quadam non inæquali amicis conjunxit amicos, rejecta mercede, abjecto timore, omni amoris turpitudine propulſa de finibus, abſque chirographo inhoneſtæ fidelitatis, patientia firma, ut unius boni reſpectu etiam mala plurima tollerentur, priſcarum injuriarum refutata memoria, licita & relata ſubvectione humanorum, divinorum verò conſenſione, indiſſolubili propter Deum vinculo charitatis. Ipſa dominos ſervis propenſius facit intendere, ut eos non deſpiciat in eo, quòd ſervi ſint, quia ſimiles in natura penitus ſunt, & gratiam Chriſtianam non merito, ſed omnem per gratiam ſuſceperunt, & quos habuerunt ad propria ſervitia fortes, & juvenes, cùm ad illud pervenerint non abhorreant, ſed foveant debiles, atque ſenes. Servos autem facit dominis ſuis adhærere firma fide, charitate non ficta, non ſpe mercedis, ſed decentia ordinis, lege liberalitatis in ſervitio debitæ honeſtatis. In omnibus attendentes verum & omnium dominum, dum ei ſerviunt, quem communi vocabulo appellant patronum, ne propter temporalem offendant æternum. Ipſa reges erudit in regimine populorum, populos humiliter & honeſtè ſubdit ad regimina regum. Ipſa homines hominibus, cives civibus, vicinos vicinis, negotiatores negotiatoribus, artifices artificibus, emptores venditoribus juſta lege atque honeſta converſatione confœderat: ut in eo, quòd homines ſunt, primorum recordatione parentum inter eos ſervetur æqualitas: in eo quòd cives ſunt, civilis communitas: in eo, quod vicini, ſubventio cuſtodia & honeſtas. in eo autem, quod transmutationes rerum fieri oportet propter neceſſitates hominum, illam veritatem, juſtitiam, & æquitatem, fidem operum, atque verborum unus ſervet alteri,

teri, quam alter ab altero vellet ſervari ſibi. Ipſa turpia lucra non recipit, aut per nefas non quærit, & acquirere per falſitatem aut mendacium non æſtimat lucrum, ſed grave damnum in perditione virtutum. Lucri enim nullus eſt fructus, ubi animi perditur virtus. Ipſa lucra reportare à turpibus renuit, lucrari ob turpia nullo modo conſentit. Ipſa ordine juſto quorumlibet hominum lucra ex laboribus reportanda diſtinguit. Ipſa conſiderat ſtudia ruſticorum & artificum corpore deſudantium, & ſtudia ſapientium in animo laborantium, & ſuſtinet ipſa juſtitia inæqualitatem atque diverſitatem præmiorum, ſicut & operum, ut nec tantum ſuſcipiat ruſticus corpore deſudans, & ſtimulo boves agitans, dum verſatur in ſulcis, quantùm ſapiens, doctus aut legiſlator in ſella ſedens ſtylo ſententias ſcribens, dum verſatur in libris atque ſcripturis. Nec eodem momento æquè merebitur ars fabrilis, ut peritia cauſæ civilis atque legalis. Et quanquam judicanti, & præſidenti & decernenti ex juſtitia inhibeatur non vendere judicium, ex eadem tamen conceditur extenuanti cauſas juſtè culpatorum injuſtè accipere præmium. Et tantò majus ex iſta, quàm alia laborioſa peritia, quantò ſæpe in corpore reſervatur membrum, aut effugitur inhoneſtæ mortis imperium, dummodo legis juſtum ſit patrocinium, & devitantur ſæpe multa pericula, & in poſſeſſionem redeunt, quæ videbantur amiſſa, unde jure proveniunt majora, quàm ex aliis pleriſque ſudoribus lucra, duntaxat, quòd leges juſtitiæ à proprio alveo non deriventur, neque in judicio pervertantur lucri cupiditate atque concupiſcentia gloriæ. Necnon prohibet Chriſtiana juſtitia omnibus juriſperitis, ut cauſas injuſtas ad tuendum non ſumant, aſſumptas renuant, offerentes ceſſare commoneant, ſi ante libelli porrectum litis conteſtum calumniæ juramento, aut quolibet puncto cognoverunt aſſumptas cauſas veritate carere. Alioquin triplici contritione conterentur, quia Deum offendunt omnium inſpectorem, & accipiunt à clientulo munera, & ei contra quem agunt, inferunt damna, ad reſtituendum, quibus obligat Chriſtiana juſtitia, ſi amplius percuſſerint in injuſta cognita cauſa. Iſta ſecundùm menſuram ætatis valetudinem corporis animi virtutem provehit tenere pueros, ne deficiant in via, ſi plus debito fecerit laborare: Fortiter agitat juvenes, ne detineantur ab inertia & animi virtute marceſcant, pacificè protrahit ſenes, cùm lumine rationis & indulgentia declinantis ætatis. Ipſa fœminas verecundia vehementiori quàm viros frænat, ne ſi æqualis eſſet audacia, tota turparetur pudicitia, & ſalutis ſtudium obicem pateretur peſſimum, ſi ſimili audacia in viros ipſæ præſumerent, ſicut in eas ipſi viri præſumunt. Ipſa juſtitia coaptat eas ſecundùm virtutem atque fragilitatem, ut aliquæ vivant in decore incorrupto naturæ, aliquæ tradantur conjugio ad beneficium prolis, & humanæ ſocietatis, ad multorum convenientiam in unione charitans, plerunque verò tradantur in diſcordantium fœdere ad vinculum pacis. Aliquæ ſolutæ à lege viri, honeſtè viventes, virorum leges non repetunt. Aliquæ iterum, & cætera, & deinceps, ſi expedit retardantur per matrimonii leges placitis in eis, ne urantur igne concupiſcentiæ, atque libidinis, & ſequatur præter juſtitiam turpis commixtio atque corruptio carnis. Aliquas abſcondit mundo, aliquas obtexit velamine pullæ. Ipſa juſtitia Chriſtiana omnibus ſe coaptat, ſicut Evangelica doctrina, ut idem ſit modus, & ordo loquendi, quod ſupra in hoc Evangelio diffinivimus. Ipſa profectò eccleſiaſticos viros, & omnino à mundo abdicari, atque viduari volentes in eccleſia ordinat, & qualis debeat eſſe ipſorum vita, declarat. Ipſa prælatos eccleſiaſticos ſubditis dominatione non alia, ſed pia & ſpirituali dominatione præponit, ſubditos prælatis eadem pietate ſubnectit. Et quamvis non ita per omnia fiant, quæ mandat, & ordinat Chriſtiana juſtitia, nihilominus in ſe firma manet, & vera, & quòd non fit, non eſt culpa juſtitiæ, ſed noſtræ nequitiæ, voluntatiſque perverſæ. Nam ſi omnes homines oculos clauderent ad delectabile lumen ſolis, non tamen ſul minus ſuis radiaret in radiis, nec umbram ſuſcipit, ſi non concupiſcitur, nec clareſcit amplius, ſi videtur. Sic eodem modo in ſe, atque ſuis intelligibilibus rationibus manet Chriſtiana juſtitia, etiam ſi nullus eſſet, qui faceret juſtitiæ opera. Omnis virtus habet intelligibilem claritatem & infallibilem veritatem, quæ ob defectum bene activorum, aut ob improbitatem malè agennum nunquam in ſua natura palleſcit, imo ſemper evenire ſolet, ut virtus à contrariis magis inclareſcat, & eo ſplendidior appareat, quo juxta poſitum habet adverſum.

Cap. I.

De juſtitia parentum ergo prolem ſuam.

BReviloquio multa conflavimus, ſed prolixiori ſermone de conflatis aliqua digeramus, ut ſtatus juſtitiæ Chriſtianæ pateat omnibus, qui de Chriſtiana communi vita ſcientiam quærunt. Neceſſitudinem, qua relativa prima conditio refertur ad invicem, patris ad Filium, Filii ad patrem, ſic juſtitia Chriſtiana declarat. Pater homo, aut homo pater, duo inſinuant, cùm dicuntur: Unum ad ſeipſum, alterum ad aliud: Homo ad ſeipſum quilibet, ad Filium verò pater. Ad ſeipſum nullus eſt Filius, neque pater: Ad ſeipſum homo, ad alium non refertur, niſi conſideratione naturæ communis & ſimilis, unde tota naſcitur inter homines dilectio naturalis. Inter homines, & animalia dilectio naturalis eſſe non poteſt, quia nulla ſimilitudo naturæ rationalis, unde redditur, & recipitur, incipitur, & rependitur ſubſtantia dilectionis. Et dignius eſt, atque nobilius hominem eſſe, quàm patrem, & Filium eſſe, nam homo nomen eſt ſubſtantiæ, pater verò neceſſitudinis, aut relationis. Quòd homo ſit, ſolùm operatur Deus cum ordine naturæ, quòd ſit pater, propagatio, qua ſit ex ſemine homo. Homo ad hominem, homo non refertur ad Filium, pater quoque non refertur ad hominem. In eo tamen, quòd dicitur homo pater, duplex erit relatio, quamvis una dicatur impropria, ut homo, quod nomen eſt ſubſtantiæ, referatur ad hominem communitate naturæ, pater referatur ad Filium reali relatione. Nullus nempe homo eſt in eo, quòd Filium habet, ſed pater: Et nemo pater eſt in eo, quòd homo eſt, ſed quia Filium habet. Et nullus homo eſt, quia patrem habet, ſed Filius. In eo verò, quòd homo, refertur ad hominem communitate illa naturæ. Non igitur magis ad Filium, aut ad patrem erit amor ſeu ſubventio, quàm ad alios homines, niſi ſpecialiter eſſet neceſſitas, quod tunc non faceret illa naturæ communitas, ſed quæ ſubintravit ſpecialis neceſſitas. In eo autem, quòd pater refertur ad Filium, Filius ad patrem, erit amoris actus & exhibitio ſpecialior, prout in ordine propagationis humanæ. Ita unus unius eſt Filius, quòd nequit eſſe alterius. Et natura ita in ordine ſuo uni commiſit alendum atque fovendum, eo quòd Filius eſt ſpecialis, quòd non omnibus aliis, quamvis ſit homo naturæ communis, eo quod ex inſtinctu quodam occulto naturæ in experientiam ducto, hanc legem animalia terreſtria, & volatilia ſeruant. Ac per hoc homo pater magis diligit atque diligere debet hominem Filium, quia homo rationalis eſt, quàm quòd Filius eſt, quod ipſa ratio ſpei, qua Filius nutritur à parentibus, docet. Nutriunt atque nutriri mandat parentes natum infantem, rationis expertem, vagientem, fandi impotentem, operandi virtute privatum, expectantes in ſpe, quòd ad ætatem veniat rationis, qui quanto labore atque ſtudio enutritur, ipſa rei experientia magis clamat. Qui cùm ad annos in quibus vigor rationis conſuevit inſurgere, ac etiam plus addito tempore, permittente Deo, adhibita nutritura, perductus fuerit, ſi omnino ratione careret, quod probabiliter noſceretur, & excepta effigie, virtus illa non adeſſet humana, nonne infra beſtias talem natum computarent parentes, nec eum diligerent potius, quia Filius, carentem virtute ſeu ratione, qua ut homo fulgere deberet? Magis verò dolerent, quia ſic natus, & tanto ſtudio ad nutriendum atque favendum deſudatum eſt. Præferent ſibi oneriferum animal in amore, in conſideratione utilitatis, quem prætuliſſent omnibus animalibus quantumcunque utilibus, etiam damna inferentibus propter uſum humanæ rationis. Quantus ſit dolor, ubi talis eſt ortus, ubi amentia in hominibus ſequitur, ubi totaliter ſuffocatur rationis judicium, ubi hæc ſunt, dolor quotidianus inclamitat. Et Salomon dicit: Nec pater in fatuo filio lætabitur. Et iterum: Ira patris, eſt Filius ſtultus, & dolor matris, quæ genuit eum. Et alibi: Dolor patris, Filius ſtultus. Et traderentur tales ſubitò aut paulatim exitio, niſi crederetur hominem occidere, quod eſſet homicidium facere, quod penitus oportet timere. Si autem Deo permittente, quod eſſet impoſſibile non permittente, unquam in ordine ſuo exorbitaret intantum natura, quod humanum ſemen in loco coagulationis atque generationis ſuſceptum, ad figuram canis, aut alterius ſpeciei animal formaretur, ortumque ſic exiſteret rationali anima carens, animalis non mutata figura, neque ſubſtantia: Certum eſt quod parentes Filium haberent, ſed hominem Filium non haberent, nec hoc animal magis diligerent,

Prov. 15.
Prov. 17.
Prov. 19.

quia Filius eſt, quàm ſi homo fuiſſet. Et ſi haberent aliquem verum hominem Filium, abſque dubio, ratione dictante, potius amarent in illo humanitatem, nun conſiderata filiatione, quàm in iſto animali filio filiationem, non habita humanitate. Iſta verò, utrum contigerint, aut contingent, non eſt noſtrum diſſerere: Tamen veriſſimum eſt, poſſe contingere. Nihilominus luce clarius pandunt potius hominem diligendum, quàm Filium, quàm parentem. Sed quomodo ſe habeat ordo rei, iſtas duas nexiones ſeu relationes, ſi altera earum relatio dici poteſt, & hominem parentum, & filiorum, ad regulam & relationes Chriſtianæ juſtitiæ deducamus, addentes ad has, & alias Chriſtianitatem, ut in omnibus ſit iſta conſideratio triplex pro agendis, humanitatis, neceſſitudinis & Chriſtianitatis. Igitur homo pater Chriſtianus homini Filiu Chriſtiano humanitus, paternaliter, & Chriſtianicè referatur, ut magis morum, quàm poſſeſſionum habere velit hæredem, & omnimode hortabitur eum ad ſtatutum omnium beatificum finem. Studebit protinus & amplius conſervare in Filio divinam imaginem, quàm paternam. Ex illa nanque homines ſumus, ex paterna verò quandam ſimilitudinem figuræ viſibilis gerimus. Ex illa tota nuſtra intelligibilis pulchritudo conſiſtit, ex ſimilitudine nihil demitur, ſi non adſit. Aget ſedulus pater in Filio, ut ad eandem maneat imaginem, quam, ut homo eſſet, accepit. Nec hoc pater in Filio potenter poteſt efficere, ſed hortabitur Verbis eum, invitabit bonis exemplis, & in expedientia rei, cenſuram adjiciet diſciplinæ. Aſpiciet pater Filium elegantem, & ſapientem, & conſolabitur: Quia gloria patris eſt Filius ſapiens. Videbit eum inter alios inſignem, & lætabitur. Sed hoc modicum dixerim, niſi virtus Chriſtiana defuerit. Malè pater de Filio gaudebit in tempore, ſi ob improbos mores deſcendet in infernum Chriſtiana deficiente virtute. Non nutriat pater Filium ad ſeipſum, ſed ad Deum, qui patrem creavit & Filium, nec ad ſuum honorem adſcribat, quod Filii ſui ſunt: Magis verò gaudeat, quòd à Deo creati ſunt. Diligenter intendat, ut magis ante Deum, quàm ante ſeipſum maneant glorioſi. Docent mores humanos Filiis patres, & ab ipſorum infantia vita & moribus polire voluit, atque verberibus ſæpe cogunt eſſe facetos: Et ſi modicum exorbitaverint, turbulenta facie arguunt, iracundis Verbis corripiunt. Et alios aptiores per imperium referunt in exemplum, ut in eis reaccendant ad placitos mores zelum. Conſiderabunt ſæpe totius ſtaturam perſonæ, & ſi defuerit in eis optata in hominibus quantitas, ſi obliquitas affuerit oculorum, ſi decens non erit flavitas capillorum, ſi omnia membra proportionata non fuerint, ſi colur ineptus, ſi balbutiens in lingua reſonabit, ſi mutitas, ſi ſurditas, ſi cæcitas, ſi ariditas, ſi claudicatio, ſi ſterilitas adſtiterit, ſi pavor inſidebit in animo, ſi non erit audax ad pugnam, ſi tolerabit ex puſillanimitate illatam injuriam, utique contriſtabuntur parentes, & inſurgent animo contra Deum, & querimoniæ Verba in eum ſæpe diffundent, maledicent ipſi naturæ, pro eo, quòd in aliqua parte defuerit, & conabuntur intentius Verbis & peritia artis, aliorum exemplis, adhibitis ſæpe magiſtris, authorem Deum vincere, & in Filiis ordinem mutare naturæ, delaturam totius corporis ſæpe proſpicient deſuper, à latere, ante & retro, ut ſi placita delatura non fuerit, tentabunt mutare per eorum audaciam immutabilia per naturam. Tradent eos miniſteriis, juxta ætatem atque conditiones, ſive militaribus, ſive ſcripturæ, ſive artis, aut alterius negotii. Et ſolùm inhiabunt, ut cum eis, aut poſt eos mortuos ipſi poſſent in hoc mundo umbratico eſſe divites, & terrena felicitate felices. Sed o! miſeri parentes, imo veſtrorum filiorum atrociſſimi peremptores. Iſta odioſa mala in filiis, non negant eſſe homines, aut Filios, aut veros Chriſtianos, ſi adſunt, nec iſta in filiis expetita bona pervertunt has neceſſitudines, ſi non adſunt. Cur enim factum eſt matrimonium, niſi propter prolem, prole igitur habita matrimonii, cur abhurrent? Iſta bona quare quæruntur? Non enim iſtæ ineptæ corporum qualitates aſſidentes in hominibus, aut indiſciplinationes adhærentes in patrialibus moribus, obſtiterunt non homines eſſe filios, ſimiliter & Chriſtianos. Nam homo non dicitur ex corpore, aut ex ſuis quibuſſibet qualitatibus, aut ex inhærentibus moribus, aut ex acquiſitis felicitatibus temporis defecturi, nec Filius & Chriſtianus. Sed homo dicitur ex anima, in qua, non in corpore ſtat majeſtatis imago. Et ſecundùm animam, non ſecundùm corpus, aut qualitates ejus homo factus eſt ad imaginem Dei. Memoria ſiquidem & intelligentia ſive ratio & libera voluntas hominem ab aliis animalibus diſtinxerunt, non ſenſus corporis & corporum qualitates, aut hujus temporis quæſitæ felicitates. Sine omnibus his ad imaginem Dei conſtituitur homo, Filius etiam non naſcitur ex his, ſed ex virtute traducis.

Mini-

Minimè verò ex his conſtituitur Chriſtianitas, quam ſolùm conſtituit vera & ſacramentalis fides, & ipſurum morum poſſibilium veritas. Et quod magis angit audientium mentes, ultimus & beatificus finis non dabitur hominibus, aut filiis quumodolibet qualificatis, aut quacunque felicitate terrena ſuffulris, ſed puriſſimis Chriſtianis. Quàm perverſa igitur carnalium parentum conditio, ſi eos rationis claritas non illuminat, profectò enim melius eſſet cujuſlibet horrendiſſimi animalis habere, aut geſtare figuram, & eſſe veræ rationis compotem, Chriſtianitatis participem, quam humanam habere formam furmatam forinſecis qualitatibus, & perfunctoriis felicitatibus fultam, rationis expertem & Chriſtianitatis exortem. O! miſerum gaudium parentum, de bono perfunctorio filiorum. O! nefanda parentum amentia, qui ſæpe propriis natis cauſa perditionis exiſtunt. Et ſæpe ſimul cum filiis traduntur gehennalibus flammis. O! parentes nolite pro filiis animas ponere, nolite vos obligare ad æternitatem pœnarum, pro temporali gloria filiorum. Væ! parentibus, qui filios potius ſubalternant propriis imperiis, quàm divinis. Væ! qui eos non corripiunt, ſed perperam agunt. Corripiunt parentes filios, ſi delinquunt in moribus humanis, ſilentio verò prætereunt, ſi mores Chriſtianos, atque rationis morum perverſitate pervertunt. Ab alio igitur exordiantur principio patres, & filiis ſuis non terrenam, ſed regni cœlorum doceant urbanitatem, & cœleſtibus atque Chriſtianicis moribus, nun humanis faciant inſignitos, per illos nempe ſemper Deo, & omnibus ſupernis civibus perplacita facimus; per iſtos mortalibus hominibus complacemus, non ſemper omnibus, ſed interdum pluribus diſplicemus. Proinde juſtitia Chriſtiana, quæ parentes & filios arctiori & ſanctiori lege gratiæ, quàm natura confœderat, ad hoc exagitat patres, ut filios ſuos cautos à malo faciant, & ad bonum reddant amplius aptiores. Abraham duos filios habuit, quos erudivit in timore atque cultu unius Dei, & eos ad Dei præceptum circuncidit, ſed unus reprobatus, alter acceptus eſt, ut non ſit culpa bonorum parentum malitia filiorum, ſed bonitati filiorum occaſionem præſtat bonitas & doctrina parentum. Iſaac duos filios habuit gemellos, quos in Dei timure & cultu ſimiliter erudivit, & in benedictionibus, quibus eos benedixit, præter id quod allegoricum eſt, moralem dedit vivendi normam & converſandi formam. Benedicens Iſaac Jacob, qui benedictionem majori ſurripuit, prædoctus à matre, dixit: Det tibi Dominus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei, & ſerviant tibi populi, & adorent te tribus. Eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. (Geneſ. 27.) Optima eſt iſta benedictio ex parte patris benedicentis, effectiva verò ex parte Dei propter merita patris: Sic enim Deus faciebat, ut patriarchæ Sancti benedicebant. Sed in eo, quod optativa eſt, videamus quales mores pro filiis debent deſiderare, aut ad quos ipſos informare parentes. Ros cœli inculpatam vitam ſignat, quæ cœleſtibus civibus placet, qui Deo in ſupernis ſerviunt inculpatè. Ros cœli eſt inviſibilis gratia, ros cœli eſt contemplatio ſupernurum, ros eſt mentis, & omnium in Chriſtiana vita laburantium intuitus cœleſtium promiſſorum. Ros eſt gratia quæ percipitur in ſacramentis: Quia deſcendente manna in deſerto, deſcendebat pariter & ros. Pinguedo terræ in tribus ponitur, in frumento, oleo & vino. Frumenti abundantiam nullus habere poteſt, niſi ipſum frumentum prius mortificetur. Salvator enim dicit: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. (Joan. 12.) Et agricultoribus ipſa experientia docet. Abundantia igitur frumenti, abundantiam mortificationis excedit. Igitur ſi abundare volumus in divitiis ſpiritualibus, vivamus mundo mortui. Ait Apoſtolus: Mortui enim eſtis, ſed vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. (Coloſſ. 3.) Et ſtatim ſubdit: Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram ad aptitudinem peccatorum. Alibi etiam dicit: Et vos exiſtimate vos eſſe mortuos peccato. (Rom. 6.) Verum igitur pater debet deſiderare filium mortuum peccatis & illecebris ſuper terram, & viventem ei, qui omnium emit vitam, & dat omnibus vitam. Vini abundantia eſt lætitia de virtutibus, non rebus, nam vinum lætificat cor hominis. Abundantia olei, multitudo eſt pietatis & miſericordiæ in proximum. Servitia populorum, & adoratio tribuum ad id refertur, quod taliter vivat, quod cuncti eum propter virtutem & puritatem vitæ ac innocuam converſationem venerentur. Non enim tantus patriarcha iſta filio malè viventi optaſſet. Et dominatio ſuper fratres, ſimiliter dicitur propter aliquod inſigne virtutis. Incurvatio filiorum ſuæ matris hoc prætendebat, quòd ſubjectos

habeat

habeat omnes motus corruptæ naturæ, quæ omnium mater eſt, potius verò noverca crudelis. Quòd autem ſibi maledicens malediceretur, & benedicens benediceretur, ad rectitudinem & ſoliditatem vitæ retorſit, quaſi dicere velit: Si recta & ſolida vita, ſi maledicitur, maledicens maledicetur: Quia eoipſo maledicens maledicetur, quo juſtorum vitæ maledicit, aut ſi homo non appropinquat juſto, non reportat exempla juſtitiæ, atque virtutis, quod ad ſuæ maledictionis cumulum accreſcit. Benedicens rectæ atque ſolidæ vitæ, benedicitur: [Pſalm. 111.] Quia magna eſt rectitudo bene ſentire de rectis. Et Pſalmiſta dicit: Generatio rectorum benedicetur. Ecce illa, quæ parentes ſuis debent optare filiis. Iſta ſunt, in quibus eos debent inſtruere, ut intendant ſuſpenſo animo & vigili mente in cœleſtibus, ut velut mortui mundo & peccatis vivant: Ut ſolùm lætitiam gerant ſpiritualium & inviſibilium bonorum, ut ſint miſericordes in proximum, ut ſit innocua vita veneratione digna, ut virtute ſit omnino inſignis, ut dominentur motibus malis, ut vita ſit recta, [Geneſ. 27.] ſoliditatem juſtitiæ habens. Si autem habuerint filium delinquentem, in Eſau præſignatum, redeuntem de ſylvis umbroſis & venatione ſylveſtrium, ſcilicet peccatorum, etiam benedicendo inſtruant, ut ſit in cœlo converſatio mentis ejus, & virtutibus repleatur, ſed ſibi addatur gladius, ut verus pater tali filio dixit: Vives gladio. Ut ſi aliquid deliquiſti aut commiſiſti nefandum, in te impunitum eſſe non ſinas, ſed percute gladio punientis juſtitiæ, ne incurras gladium æternæ ſententiæ. Hæc pater dicat filio peccatori, non ſibi blandiatur in peccatis intuitu perverſæ dilectionis. Jacob verò benedicens duodecim filios ſuos, docuit debitos mores, arguitque perverſos. Et Moyſi mandatum [Pſalm. 77.] eſt, ut promulgaret populo, ut omnes patres dicerent filiis mirabilia, quæ pro eis fecit Dominus in Ægypto. Quia ſic mandat parentibus, beneficia Dei & omnia opera redemptionis noſtræ ad memoriam [Pſalm. 77.] reducere filiorum. Hinc etiam Pſalmiſta ait: Quanta mandavit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis, ut cognoſcat generatio altera: Filii qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt filiis ſuis, ut ponant in Deo ſpem ſuam, & nec obliviſcantur operum Dei, & mandata ejus exquirant. Tota ergo ſit ad filium paterna intentio in rememoratione beneficiorum & operum Dei, ut ſpes tota ponatur in omnium crea- [Pſalm. 117.] tore: Quia maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Et melius eſt ſperare in Domino, quàm in aliquo mundi principe, ut non obliviſcantur operum & beneficiorum Dei, ne ob ingratitudinem atrociter feriantur, quod ſæpe noſcitur factum. Et exquirant Dei mandata, quia in ipſis retributio multa, quam nullus terrenus pater pro ſuis cuſtoditis mandatis ſuo filio valet conferre. Et in Deuteronomiu dicitur ad patres: Cu- [Deut. 11.] ſtodite filios veſtros, ut mandata Domini meditentur, quando ſederint in domo, quando ambulaverint, quando accubuerint, atque ſurrexerint: Sint omnino eruditiones patrum ad filios atque mandata paterna, ut omnino & infallibiliter obſerventur divina. Mandatum Domini acceperunt parentes, ne filiis darentur uxores de populis reprobatis, & ne filias ſuas darent filiis alienis: Ne ſeducatur filius amore uxoris, & filia Iſrael decipiatur ab amore mariti ad idolulatriam jam inſtructi. Ut poſtea ſequantur omnium creatorem, provideat pater bonam uxorem filio, & filiæ juſtum virum. Per Chriſtianam verò juſtitiam altius intendentes, caveat omnis pater ne artem & ſcientam procuret filio, cujus occaſione cor ejus à Domino avertatur, & ſequatur viam non bonam deducentem ad teterrimas ſedes. Cuſtodiat ſimiliter filiam, ne peſſimo viro tradat viventi præter juſtitiam Chriſtianam, & ne aliquo implicetur amore, quo domum fœdet paternam, magis autem perdat animam ſuam, aut ne aliquo errore maculetur, ad quem ſexus mulierum eſt pronus. Unde per ſapientiam dicitur: Filiæ tibi [Eccleſ. 7.] ſunt, ſerva corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas. Trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam. Anna ſterilis filium po- [1. Reg. 2.] ſtulavit à Domino, & ſtatim poſt ablactationem Domino tradidit eum, ut miniſtraret in tabernaculo ejus, cui vir ejus Elcana in voto & facto conſenſit. Etenim aliter ipſa nequiſſet. Et maluerunt ambo privari conſolatione filii poſtulati, ut conſecrarent eum Domino, quàm ipſum ſecundùm communem morem parentum affectu filiali retinere in domo. In quo forma exhibetur parentibus, ut ſuos filios non ſibi, ſed Domino debeant dedicare. Væ! profecto parentibus, qui ad ſeipſos, non ad Deum proprios natos enutriunt, & erudiunt humanis, non cœleſtibus diſciplinis. Heli correctus eſt à Domino, quia non [Ibidem.] corripuit filios ſuos Ophni & Phinees, qui propter gulam & luxuriam populum divertebant à cultu Dei, & ipſe mortuus eſt turpiter, & filii ejus. Job pro ſuis filiis [Job. 1.] offerebat Deo ſacrificia orationum, & alio-

rum

rum ad Dei cultum pertinentium, ſi fortè filii ejus aliquando peccarent, ſimiliter & monebat, ne unquam offenderent, pro quibus offerebat holocauſta, ſi aliquando offendiſſent. Verus affectus paternalis eſt ad filium, ne cum Deo habeat divurtium. Et mediator inter Deum & filium pater efficitur, ut unus alterum haberet acceptum, & alter alterum haberet omnino placatum. Nihilipendit pater diligere filium, & omnium amorem in eum animo parvipendit, ſi à Deo non diligatur, qui creavit, atque redemit. Procurant humani ſæpe parentes natis ſuis regum, & terrenorum procerum amicitias, habituras omnimode finem, potius verò procurare deberent benevolentiam regis regum & Domini dominantium omni fine carentem.

Tobiæ, 4. Tobias filium erudivit, non ad ſe, ſed ad conditorem ejus, & docuit eum urbanitatem regni cœlorum, & illorum morum irreprehenſibilium, magis verò expedientium ad ſalutem, quàm carnalis pater conferre non novit, potuit etiam multo minus. Et licèt expediat doctum fieri, converſari humanè inter homines, non tamen placita hominibus converſatiu placebit altiſſimo, niſi virtus Chriſtifera principem locum teneat, mediet & apponat Chriſtianæ juſtitiæ finem. Finis autem Chriſtianæ juſtitiæ propter præmium eſt ille, qui propter ſignificationem & intentionem & opus finis eſt legis, & prophetarum, qui dicitur Chriſtus omnium redemptor

Tobiæ, 4. & Dominus. Proinde Tobias ait filio: Cave, ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Dei noſtri. Prohibet pius pater in filio, ad quod inducitur omnis pater, ne ſolum peccatum non faciat, ſed ne per conſenſum admittat, diſſuadet in filio actum, qui prohibet omnino conſenſum. Et cautelam indicit, ne prætermittantur Dei præcepta, quoniam in ipſis eſt vita. Monebant filios ſuos dilectores Reipublicæ, ne præcepta contemnerent Auguſtorum, & Reſpublica non inquietaretur, pro eo, quòd ad notam adſcribebatur peccatum in Republica filiorum. Et ſciebant, quòd non peccabant impunè, qui contra mandata facerent Auguſtorum. Et in mandatorum cuſtodia ſuorum filiorum vitam tacitè prævidebant, ne mandatorum prævaricatio fieret extinctionis vitæ occaſio. Proinde, ſi parentes vitam diligunt filiorum, ad obſervationem divinorum mandatorum ipſos inſtruant & inducant, quoniam in ipſis eſt vita, non

Matth. 19. temporalis, ſed æterna. Et Salvatorem dixiſſe ſcriptura commemorat: Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Et iterum interroganti, quid boni faciam, & vitam æternam poſſidebo? Reſpondit: Serva mandata. Si diligunt Rempublicam manere quietam, iſtam, ne inquietent filii, præmoneant veri patres. Nam nulla Reſpublica verior, quàm ordinat juſtitia Chriſtiana, in qua nulla eſt acceptio perſonarum, ſed virtutum & actionum juſtarum. Si notari timent in crimine filiorum, ac ſi ex eorum incuria venerit, aut ex imitatione, quæ agitur in exemplis, magis timeant, ſi filii ex eorum negligentia divina mandata non ſervant, ubi notam incurrunt in conſpectu ſummi Auguſti, & civium ſupernorum. Et certum eſt, quod nullum peccatum apud eum præterit impunitum. Et vitam æternam provideant filiis in mandatis divinis, quàm nanciſcuntur in humanis. Plures alias monitiones pius pater ſubjungit, ut oſtendatur, quid patres, & quam urbanitatem patres debeant providere in filiis, & quales filii manere debeant in ſeipſis, dicens: Ex ſubſtantia tua Tobiæ, 4.
fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita eſto miſericos. Si multùm tibi fuerit, abundanter tribue: Si exiguum fuerit tibi, etiam exiguum libenter impartiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis, quoniam eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animas ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam. Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen ſcire. Superbiam nunquam in tuo ſenſu aut in Verbo dominari permittas: In ipſa enim ſumpſit initium omnis perditio. Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim mercedem ei reſtitue. Et merces mercenarii apud te omnino non maneat. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne alteri tu aliquando facias. Panem tuum cum eſurientibus & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudos tege. Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. Conſilium autem ſemper à ſapientibus perquire. In omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant. Ecce urbanitas regni cœlorum, quæ in terris peragitur ab iſta urbanitate prædoctis. Ecce urbanitas angelorum. Ecce urbanitas verorum Sanctorum. Ecce urbanitas Chriſtianæ juſtitiæ, quam mundo cæcus pater, multa mentali oculo videns, pro-

prium filium docuit. Ecce ad quid patres communere debent filios ſuos. Sed o! quorundam Chriſtianorum patrum horrenda conditio, & horror inexplicabilis conditionis iniquæ, mentalis hominum cæcitas. O! ſævi parentes ad filios. O! qui eos genuiſtis in hanc miſeriam, & veſtra incuria, veſtraque malitia illos diſponit ad gehennam. O! perverſa dilectio, quæ filium temporaliter diligit, & in æternum odit. O! perverſus parentum affectus, qui taliter beat filios, ut Dei faciat inimicos. Quid juvat ſcire moralia, quid eis noſſe rhetoricam, quid philoſophiam ſcire, quid prodeſt eſſe Medicum, quid leges noſcere Auguſtorum, quid Ciceronem apprehendiſſe, aut Senecam noſſe, quid Homerum, quid Varronem, quid refert peritum eſſe ſatyrum? Quid acceptum fieri regibus in regulatis & comptis moribus? Quid in pulchro & apto eſſe completum, ſi Chriſtiana urbanitas deſit, ſi
ſapient. 3, Chriſtiana juſtitia non adſit. Et Salomon dicit: Si quis conſummarus, id eſt, perfectus fuerit inter filios hominum (filii enim hominum ſola humana ſentiunt) quaſi in nihilum reputabitur, ſi abfuerit ab illo ſapientia tua, id eſt, urbanitas Chriſtiana. Filii Agar exquiſierunt ſapientiam, quæ de terra erat, ſed Tobias filium docet ſapientiam, quæ de cœlis eſt. Comparemus bonitatem ad malitiam, imo, ut decentior ſit locutio, bonitatem malitiæ opponamus, quia nulla eſt comparatio, ubi ab utraque parte non eſt participatio qualitatis. Docent carnales patres & humani congregare pecuniam, docent diſpergere Chriſtiani. Suadent illi mittere in carbonam, veri parentes diſpergere in eleemoſynam, Illi naturæ communitatem docent filios, ut propriam faciant, iſti verò docent, ut proprietatem in communitatem deducant. Docent illi, cùm theſaurizant, aut theſaurizare docent, bonitatem naturæ pervertere: Iſti verò naturam ſequuntur, cùm non docent theſaurizare, nec etiam hoc novit charitas Chriſtiana. Non eſt de conditione naturæ, quod vultus hominis avertatur à paupere. Natura namque pauperes genuit, & nudos projecit in hanc univerſalem ærumnam, Et quàmvis multi nati ſunt in divitiis, nullus tamen natus eſt delicioſus & dives. Omnium unus eſt, & nudus, & egenus ad umbraticam vitam introitus. Igitur docet ſedulus ad filium pater, quem divitiæ acceſſerunt ex tempore, aut ex acquiſitione, quod faciem & eleemoſynam non avertat à paupere. Peccatum eſt contra originalem juſtitiam atque Chriſtianam, quod quis propter bona fortunæ faciem & beneficium avertat à bono naturæ, quod bonum ſervatur in paupere. Doctrina igitur Chriſtiana patris ad filium, ut commune faciat, quod eſt proprium, de lege originalis juſtitiæ atque Chriſtianæ procedit. Hoc enim agit omnis juſtitia, ut indigenti, non ſufficienti provideatur. Ideo memorat pauperem, velut ope naturæ indigentem, ſed finem omnium cauſarum annectit, cùm dicit: Ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. O! Sancta & vera paternalis intentio, qui ob hoc præmonet & exhortatur, ne Dei facies avertatur à filio. Nil valet ad filium parentum carnalium facies glorioſa, ſi ante divina non reſpicit. Actum virtutis expedit cum potentia commenſuratum fieri. Hoc enim juſtitia mandat, nec plus exquirit in actione, quàm fuerit in poteſtate: Potentiam autem ad poſſibilem actum non decet eſſe remiſſam. Exactio juſtitiæ Chriſtianæ ad id tendit, ut bonum poſſibile fieri, totum fiat. Alioquin ipſa juſtitia in homine ſubjecto habente aliquid agere, pateretur eclipſim. Proinde ſubjungit: Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Quòd ſi hanc miſericordiæ virtutem ad habitum mentis referimus, exhortatur pater filium, ut quantùm poteſt, exhortetur in animo indigentem. Si verò ad actum referimus, menſura & modus erogandi taxantur, in eo, quòd dulcis pater adjecit: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: Si exiguum, libenter impartiri ſtude, ut ſuppleat defectum muneris liberalitas mentis, & exiguitatem dati libens dantis adaugeat promptitudo. Provideat omnis pater, quod cæcus corpore parens, mentis clara luce providerat in filio, ut in tempore neceſſitatis ultimæ non egeret. Quàm multi hic egentes atrociter pertulerunt. Et in tempore illo nihil proderunt theſauri impietatis, ſi defuerint theſauri gratiæ atque virtutis. Unde amabilis pater ſecurus adjunxit: Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis, ſcilicet cùm ultimus finis advenerit. Quoniam naturæ ſervata communitas, & juſtitiæ Chriſtianæ decretum, ut de ipſis bonis naturæ ad uſum vitæ conceſſis ſubveniatur egenis, ſive de hæreditariis, ſive de partis: Habet largitorem à peccato, pariter & ab æterna morte reddere in judicio expeditum. Nec permittet eleemoſyna libero animo erogata in tenebras ire animam erogantis. Non timebat pater in filio corporis tenebras, quas ipſe portabat, ſed mentis tenebras, quas ipſe horrebat. Et potius voluiſſet filium corpore

fieri

fieri tenebroſum, quam tenebras animæ perpeti in æternum. Hoc enim omnis pius debet timere in filio quaſi dicere pater velit: Fac eleemoſynam fili, quia non patietur animam ire in tenebras. Secundùm exiliorem intellectum etiam in mortali vita tria mala pater in filio præcavebit, quæ mala, pietas & compaſſio & ſubventio in proximum ſæpe devitant: Peccare, in peccato mori, & tenebris ignorantiæ. Cernebat diligens pater diligenter in animo omnem hominum fiduciam eſſe vanam, filium ſuum in ſolo Deo monebat habere fiduciam, cujus fiduciæ præmittebat & cauſam, dicens. Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna, omnibus facientibus eam. Ad dilectionem Chriſtianæ juſtitiæ ſpectat in omni dilectionis rationabilis genere, quod diligatur munditia in dilecto. Et ſicut turpis dilectio turpem quærit dilectum, ſic mundus & honeſtus amator mundum dilectum acquirit. Et hæc eſt dilectionis juſtæ probatio atque educatio, quod munditia ſit in diligente & pariter in dilecto, & quod in munditia diligatur amatus. Hanc honeſtus pater honeſtè diligens filium præmonebat. Attende tibi fili ab omni fornicatione, præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen ſcire. Docet pater honeſtus filium honeſtatem, & omnem corporis continentiam, & antequam haberet uxorem, ut omnis carnalis concupiſcentia & actio devitetur, ſerveturque munditia hominis utriuſque, dum ab omni fornicatione filius docetur cavere. Nec iſta doctrina, & ſana cautela dabatur filio conjugato. Carebat tunc uxore, quam poſtmodum accepit in peregre, ſed ideo pater adjecit. Ut ſi conjugari volueris, præter uxorem tuam nunquam patians crimen ſcire. Dictat filio ſolers fidem ſervare uxori, non adulterari, quod mandatum eſt, non effluì per libidinem qui habet, aut qui non habet uxorem, non quærere propaginem illegitimam, non eſſe carnis alterius furem, ſuam non furari uxori, quæ poteſtatem habet ſui corporis. Cognovit antiquum malum inter captivos liber, diſcretus pater in animo, quod præcavebat in filio, ſcilicet ſuperbiæ malum, omnium malorum initium, atque fomentum: Quod excludit ab animo, excludit à Verbo: Ab animo, ne Deum offendat: à Verbo, ne offendat & proximum. Paternus amor vellet filium à cauſis & calumniis liberum fieri, ne cogeretur aliquando pro debito in judicio ſiſti. Et magis fit talis doctrina patris ad filium, ne à creditoribus opporteat avertere faciem ſub pallore verecundiæ propter debitum, nec timeat judicium civile propter non redditum alienum. Et omnino eſt de judicio juſtitiæ Chriſtianæ, ut mercenarius non privetur ſua mercede, nec detineatur per tempus mercenario pro mercede, cum ſudoribus proprii corporis laboranti. Nam detenta merces cauſat indigentiam, invitat ad iram, generat diffidentiam, & tepiditatem affigit in animo amplius ſerviendi, & fortè mercenarius neceſſitate conſtringitur, necnon & plures habebit fovere, ut ſimilem ſpeciem expectantemque parvulam prolem. Quid etiamſi creditoribus ſubjaceret obnoxius? Species eſt latrocinii detinere mercedem, & non unius, ſed plurium malorum ſarcinam portat. Et in lege Moſaica mandabatur: Non morabitur apud te opus mercenarii tui uſque mane: Et ipſa juſtitia tranſit in jus mercenarii opere Levi. 19. peracto, quod devenit in pactum. Unde, qui id non dat illico, retinet alienum. Proinde curioſus pater de filio, ne in judicium venire cogatur humanum, maximè præcavens ne ſiſti oporteat ante infallibile Dominium æternum, pro eo, quòd detenta merces ſecundùm Jacobum, clamat ante Deum, & ne velut latro appareat ante Deum detinendo mercedem, intento animo & claro Verbo dicit ad filium: Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non maneat. Væ! autem innumeris parentibus Chriſtianis, qui nondum filios præmonuerunt reddere debitam ex labote mercedem, ſed docuerunt rapinam, furta, & turpis lucri omnem ſcientiam malam. Et plerunque prius fecerunt eos falſitatis alumnos, quam diſcipulos veritatis. Et ſæpe filii à doctrina paterna ſuſcipiunt, & in paternis moribus diſcunt facere illa lucra, ſimiliter & rapinas, quæ juſtitia Chriſtiana profanat. Et proculdubio dixerim melius ſæpe fuiſſe filiis malorum parentum, qui filios conſiſtunt ad malum, quòd ſuſcepto baptiſmate paterno gladio ferirentur, aut quomodolibet traderentur exitio, quàm ſi aliti cauſâ ipſorum in criminibus adoleſcantur, implentur peccatis, vivunt in eis. Et quod horrendius, prædominante malæ conſuetudinis lege theſaurizata impœnitentia moriuntur in illis, tradendi pœnis æternis. Aſpiciat in naturalem atque originalem, & Chriſtianam juſtitiam omnis pater, & quem ſuſcepit ex ſemine filium, aut ſi quenpiam fecerit adoptivum, in ipſa faciat inſignitum, & morum claritate

tate conſpicuum. Ipſa eſt, quæ docet, & facit homines inter ſeipſos pace bona, quiete ſecura irreprehenſibiliter converſari. Docet juſtiria Chriſtiana, quòd quamvis non omnibus debeantur omnia, tamen quòd nemini penitus fiat injuria. Cur ergo fieri debet alicui præter cauſam injuria, cùm factam mandet non ulciſci, ſed dare in veniam ipſa Chriſtiana juſtitia? Et hoc pater ad filium ipſam juſtitiam prærogat, dicens: Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne alteri tu aliquando facias. De iſta juſtitia omnis pater erudiat filium, ex qua non inquietatur hominum vita: Reſpublica clareſcit in moribus, inimicitiæ non conſurgunt, onuſtos homines ferro incedere non oportet, patula omnia erunt, nihil firmabitur propter hoſtes, ubique erit ſecura dormitio. Erit ſupervacua multitudo cuſtodum, ſi nullus alteri conferat damnum. Non erit latro in ſylvis, in inſidiis non morabitur prædo, alienarum rerum violenter ereptor non apparebit in viis, ut maxima multitudo unus erit ubique ſecurus, ante tribunalia non erunt funeſti clamores, nullus ponet de offenſione, aut de aliqua oppreſſione querelam: Vidua non apparebit cum lachrymis, non dehoneſtabitur vultus ejus inter homines aut opprimentes vel auditores, vultum non aſpiciet advocati, & defenſores in cauſa non præſtolabitur. His abjectis, impudicitiæ locus & turpitudinis cauſa tolletur: Pupillus non indigebit tutore, quamvis authore indigeat: Nulla erit querela, ubi nulla fiet injuria. Clamat hoc Chriſtus, clamat Evangelium ejus, clamat juſtitia originalis, clamat & Chriſtiana, clamat omnis ratio, clamat omnis non nubila conſcientia. Quod non
Tobiæ. 4. vis, alteri ne feceris. Sed quoniam hoc
Matth. 7. Verbum alibi ſuam diſſertionem longiorem
Lucæ. 6. habet, hic amplius non declaramus. Omnis ratio juſtitiæ docet, actus virtutis humanæ, atque divinæ fundamentum habere rationis, atque juſtitiæ. Liberalitas erogandi, ſi ordinem rationis non ſervat, prodigalitatis efficitur vitium, ſi rationis ordinem novit, manet ipſa quod eſt. Ratio autem, quæ ipſam gubernat, hunc frænat admodum, ſcilicet non dare indigentiam non habenti. Unde copioſis erogare illa, quæ habent ſimilia, eſt aquam maris refundere ſuper mare. Militem dare regi, ſervum Domino, exceptis feudotalibus, quæ de regali ſunt fœdere, nulla liberalitas eſt. Si autem ſpe retributionis à rege ſuſcipiendæ quippiam dederat, non liberalitatem habebat in animo, ſed antidotum, & mercedem. Si pronnus mundus erit dantis animus à mercede, ab ipſa dandi liberalitate motus, porrigens dona regibus atque principibus, indigentibus prætermiſſis, non liberalitatem fecit ex Chriſtiana juſtitia, ſed potius ſtuduit adjuvare vano conamine cum facibus lumen ſolis. Dare indigenti veſtimento anulum, & famelico veſtimentum, detento inſolubiliter in carcere offerre palatium, niſi prius à compedibus ſolvatur, & periclitanti offerre jocalia, liberalitatem humanam, eleemoſynam Chriſtianam nullo modo proteſtabor. Juſtitia Chriſtiana docet, ut neceſſaria, non impertinentia indigentibus miniſtrentur. Et ſecundùm tempus donantes juſtè fieri expedit, ut dentur convenientia tempori pro ſubventione perſonæ. Teriſtrum in hyeme dare indigentibus fœdo, & removet in æſtate indigenti teriſtro, ad jura liberalitatis & eleemoſynæ pertinere non noſcitur. Grigillum dare militi, & enſem mulieri, ad officium juſtæ donationis non pertinet. Et libros medicæ artis offerre prætoribus & advocatis, & Juſtiniani codices & digeſta dare medicis, novi eſſe rediculum. Honorare in donis tabellionem ſtimulo, & agricultorem calamo, appropriavi fabulæ vanæ. Igitur omnia dona juſtas habent decentias à juſtiria ordinatas, quas vidit in lumine rationis corpore cæcus Tobias, cùm dixit ad filium: Panem tuum Tobiæ. 4.
cum eſurientibus & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudos tege. Acſi dicat: Noli dare panem eructuanti. Et omne ſuſtentamentum vitæ participa cum egenis. Ad hos juſtitia datoris eum, qui dare poteſt, inclinat. Ad hos in ſubventionibus reſpicit juſtitia Chriſtiana. Pro iſta juſti- Lucæ. 14.
tiæ largitate Salvator dives, pro nobis factus egenus, facientibus convivia dixit: Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, aut fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne fortè ipſi reinvitent te, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent, unde retribuant tibi, retribuetur enim tibi in retributiune juſtorum. Ecce ſupra pium patrem Tobiam, docentem filium dare munera juſtè, juſtitiam & meritum dationis appoſuit. Id quod dandum eſt, id quod dare diſpoſuit ille, qui habet, ſecundùm Chriſtianam juſtiriam amicitiæ non debetur. Nam diſſuadet Salvator vocare amicos, fraternitati Chriſtiana juſtiria non concedit, vetat vocari ad prandia fratres.

Cugna-

Cognationi alicui non expedit donorum largitio, ne cognati vocentur, ſimiliter prohibet, vicinitati atque divitiis juſta nequit eſſe donatio, dum neceſſitas in aliis ex adverſo conſurgit, quia ipſam Chriſtiana juſtitia indigentiam ſolùm in largitionibus reſpicit. Et ridiculum eſſet ad fatuitatis genus omnino conveniens, hortîs & aruîs ſitientibus in fluminibus, & mari aquam refundere. In dationibus etiam Chriſtiana juſtitia reſpicit Deum, à quo vult expectare non temporale præmium, ſed æternum. Proinde non vult, quòd propter temporale præmium, quòd amici, fratres, vicini, cognati & divites poſſent rependere, perdatur æternum, quòd ſolus, qui æternus eſt, habet juſtis plenè conferre. Sed vocandi ſunt indigentes, nulla propinquitate diſtincta, quia nec eos juſtitia Chriſtiana excludit, ſi neceſſitas, aut indigentia eos premit. Idcirco Salvator pauperibus, debilibus, claudis, cæcis, velut ab inendia expugnatis, anguſtiatis in neceſſitate, ab indigentia preſſis jubet donationis jura deberi, magis verò largiri, ut retributio non ſequatur in hoc mundo, ſed in regno ſuperno, cùm ſecundum Chriſtianam juſtitiam fuerit facta donatio. Juſtorum & peccatorum nomine atque re omnium hominum vita diſtinguitur, quamvis quis horum major ſit numerus, aut quis peccator & juſtus, ab ullo homine non ſciatur. Soli enim Deo utrorumque eſt cognitus numerus, ſimiliter peccator & juſtus. Et uterque ſuſtentantur ope divina. Et ſæpe videmus abundare, quàm juſti amplius peccatores. Nihilominus ipſa divina juſtitia juſtos prius in ſubventionibus reſpicit ex debito juris, quamvis multi affligantur, & expugnentur inedia juſti, jure divinæ permiſſionis, ob aliquod inſigne virtutis, in expectatione cœleſtis promiſſionis. Nam propter juſtos ſuſtinet atque gubernat omnipotens plurimos peccatores, quos certiſſimè novit eſſe damnandos, quamvis, ut juſti fiant, expectet & multos, & quod eſt, & bonum eſt & neceſſarium, ad vitam iſtam expediens, ſuperfluitate damnata prius ad DEI ſervos, quàm ad ejus æmulos ſpectat. Proinde pater in filium amore proclivis, hanc juſtitiam ipſum doceat obſervare, ſicut verus pater
Tobiæ 4. Tobias Tobiam filium obſervare docebat: Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. Primò certum ſit, quod juſti ſepultura non comedit, neque bibit. Sed iſte noſcitur eſſe ſenſus: panem tuum & vinum tuum ſuper juſtos, aut cum juſtis comede atque bibe uſque ad ipſorum ſepulturam, ſcilicet uſquequo ad ſepulturam tradantur. Juſtis indigentibus vult Chriſtiana juſtitia ſubvenire, quamvis dicari omnino prohibeat. Et ad eos veniendo pertinent bona naturæ. Non enim Deus mundum ſic tantis bonis repletum tradidit peccatoribus ad utendum, ſed bonis juſtis, quos ipſe creavit, ſcilicet parentibus primis, quibus etiam poſt peccatum non abſtulit, quanquam multis repleverit calamitatibus atque miſeriis. Prius igitur naturæ bona in uſu bonorum, quàm malorum fuiſſe noſcuntur, ex hoc voluntas hominis libera, quæ movetur ad largiendum de naturæ bonis hæreditariis ſive patris, juſtitiam & ejus ordinem primò conſpiciat, & alumnis juſtitiæ naturæ bona miniſtret. Hoc enim poſtulat ordo ejus, ut amicis juſtitiæ, non inimicis naturæ bona deſerviant. Etſi ſerviunt, atque uberiori modo ex ipſis bonis inimici juſtitiæ foveantur, hoc non fiat de largitate, atque dandi liberalitate hominis, quamvis ſic permittit in univerſo fieri ordine, quibus voluntas hominis non debet ratione aliqua conſentire. Alioquin malis innumeris quæ Deo permittente fiunt, voluntas placitum cogeretur præſtare aſſenſum, ſed hoc nefas eſt credere, ut aliquis peccato debeat aſſentire. Et quamvis teneamur diligere hominem, non tamen tenemus diligere peccatorem. Proinde cum juſtis ſit participatio menſæ, juſtis fiat largitio eleemoſynæ. Ipſi à largitate hominum foveantur, ipſi manu teneantur ab hominum juſta liberalitate. Cum peccatoribus, DEI atque Chriſtianæ juſtitiæ inimicis, ſi cogniti nempe fuerint, non ſit participatio menſæ, nulla communicatio cibi & potus, devitetur ſodalitas. Contubernium juſtorum affectat Pater in Filio, ad quod debet intendere, ſi quis rationalis eſt homo. Juſtorum contubernium eſt omnis viatica conſolatio præter DEUM. Nam juſtus juſtitiam loquitur, neque ab ore juſtorum egredietur verbum malum, atque doloſum, unde capiatur dogma perverſum, nec agit perperam, ut præſtet malum exemplum. Et recipere juſtum, eſt recipere juſti præmium. Ipſe namque Salvator dixit: qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem
juſti accipiet. Dederat Tobias filio ſuo Matth. 10.
præcepta Chriſtianæ juſtitiæ atque conſilia priuſquam eſſet nominata juſtitia Chriſtiana. Volebat pater filium converſari cum dilectis Deo. Pſalmiſta enim dicit, quòd
dominus diligit juſtos. Nec magnipen Pſalm. 149.
debat converſationem filii cum dilectis à

mundo aut dilectoribus ejus, qui inimicum habent Deum dominum ejus. Hoc enim omnes patres filiis ſuis erogent in doctrina, ut juſtis tribuant, cum juſtis converſentur, cum juſtis non effuſè, atque avidè, neque maculoſè conviventur, ſed in timore Dei, etiam in ſubventione Chri- *Tobiæ 4.* ſtianæ juſtitiæ. Sed quod juſtorum eſt debitum, non conveniat in convivium peccatorum. Infert enim: Et noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. Sed non contemnantur peccatores, eo quod homines ſunt, ſed devitentur, niſi reſipiſcant, quod peccatores ſunt. Amico Dei inimicus Dei amicus eſſe non debet. Inimicus Dei eſt omnis peccator, qui veri Chriſtiani non debet eſſe collega, non commenſalis in menſa, non comes in via, neque in converſatione ſodalis, ne fortè diſcantur iniquitates ejus, aut corrumpatur mens exemplis ejus, & oriatur infamia ex converſatione, aut participium fiat in crimine; Nam participes videntur criminis, qui participium habent cum criminoſis. Periculoſum & temerarium eſt ſine conſilio ſano vivere, plerumque namque inconſulti inexpiabilia incurrerunt, nec adepti ſunt bona cupita. Nemo enim tantæ noſcitur ſapientiæ, atque virtutis, niſi quem Deus per ſeipſum protegendum atque conſulendum aſſumpſit, qui ad conſilia ſibi pro cavendis atque agendis ſufficiat. Quamobrem ait filio pius pater: Conſilium ſemper à ſapiente perquire. Hinc & Eccleſiaſtici dicitur: Si videris ſenſatum, evigila ad illum. Et gradus oſtio- *Eccleſ. 6.* rum ejus exterat pes tuus. Et alibi: Fili *Eccleſ. 31.* ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis. Sed quoniam alibi de conſilio agitur, hic ſiletur. Poſtremo pater amabilis gratiarum actionem & orationem & infallibilem intentionum & morum veritatem filium docuit, cùm adjunxit: In omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant. In omni tempore Deus ab homine benedicitùr, ſi æqua- *Tobiæ 4.* liter in adverſitate atque proſperitate, de omnibus implacitis grates domino referuntur: quia in adverſitate ſemper erudit & probat, in proſperitate ad meliora inceſſanter invitat. In adverſitate ad ſuperna ire compellit, in proſperitate dulciter trahit. In omni firmiter tempore benedicendus eſt dominus, quia, ſi faciem ſuam variat mundus, invariabilis tamen eſt, qui unus eſt Deus, qui benedicendus eſt atque laudandus, ſi ſemper inhorreſceret conditus mundus. In omni tempore benedicant homines, ut Tobias præmonet filium ſuum, pro eo quod ſi aſperum eſt, quod evenit, ſive amœnum quod accidit, nihil tamen niſi ad profectum noſtrum divina bonitas evenire permittit. Et nulla eſſet adverſus Deum querela, ſi hoc crederet aut aſpiceret mens humana, & benediceret lingua, pariter & vita: quia nulla eſt benedictio linguæ, niſi adjungatur benedictio vitæ, magis autem & interioris animæ. Porro benedictio linguæ in verbis vitæ, in moribus juſtis, animæ verò in dilectionibus puriſſimis agitur. Orationem ad quam filium præmonebat, in omnibus neceſſarium eſt exhibere. Eſt enim ipſa præambulum ad omnia, quæ juſtè petuntur, & quæ dare diſpoſuit omnium creator & pater. Sed taxatum finem in petendo appoſuit, quem omnium morum dixerim eſſe finem. Ait enim: Et pete ab eo, ut vias tuas dirigat. Orationi præmiſit gratiarum actionem. Expedit protinus ſic fieri. Orationi addidit finem, directionem viarum innuens. Attendant hic omnes filii & filiæ, pueri & puellæ, juvenes & ſenes, & omnes rationis & fidei Chriſtianæ capaces, quid docet pater filium ab altiſſimo poſtulare. Omnium nempe bonorum moralium & æternorum, viſibilium & inviſibilium, expedientium & opportunorum petionem continet iſta petitio in directione viarum. Omnes viæ filiorum hominum, & omnes greſſus intellectuales atque morales obliquabuntur, & diſtorſionem habebunt, & inobliquatè ad inferna pervenient, niſi à domino dirigantur. Omnis enim via in Chriſtiana juſtitia obliquata, in infernum eſt recta. Et diſtorta via in moribus obliquat greſſus ad ſuperos. Proinde expedit, quòd à domino dirigantur. Hæc pericula Salomon clara mente conſpexit, cùm ait: Eſt via, quæ videtur homini juſta, noviſ- *Proverb. 14.* ſimum ejus ducit ad mortem. Quàm ſæpe contingit, quòd videtur juſtum injuſtitiam fovet, & quod rectum eſt, ſubvelat obliquum, & viarum terminus eſt infernus. Jeremias ad hoc aſſerebat: Non eſt in homine via ejus, neque viri, ut ambulet & dirigat greſſus ſuos. Unde cogimur etiam cum gemitibus poſtulare, ut *Jerem. 10.* ipſe dirigat vias noſtras. Nam multa homo diſponere, ſed dirigere greſſus non poteſt. Hinc Salomon dicit: Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed domini eſt dirigere greſſus ejus. Hanc directionem pe- *Proverb. 16.* tebat David, dicens: Dirige domine Deus meus in conſpectu tuo viam meam: ali- *Pſalm. 5.* bi: Vias tuas domine demonſtra mihi, & *Pſalm. 24.* ſemitas tuas doce me. Et ibidem: Dirige me in veritate tua. Et alibi: Utinam *Pſalm. 118.* dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas. Quis diriget viam intellectus

lectus atque affectus ad cuſtodiendas juſtitias Dei, niſi conditor Deus? Quis viam morum noſtrorum, niſi qui omnes greſſus noſtros dinumerat, & perfectè novit unde homo in via ſua ſemetipſum obliquat? Petebat inceſſanter: Nutam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. Petenda eſt viarum nutitia, quia periculoſius erratur in via morum, quàm pedum. Poſtulanda eſt viarum notitia, quia non dormitat malitia diabolica, ut avertat à via divina. Et pro directione viæ ad Deum levanda eſt anima. Hinc etiam Salomon dicit: A Domino, non ab angelo, non ab homine diriguntur greſſus viri, qui aguntur affectibus. Quis autem hominum poteſt intelligere viam ejus? Nullus, niſi conditor omnium Deus. Sunt enim viæ, quibus deſcenditur recto tramite in infernum: Sunt viæ, quibus itur in cœlum. Quàm ſunt multiplices, quàm variæ, quàm diverſæ, quis poteſt perfectè ſcire? Petatur ſedulò à Domino, ut dirigat vias affectuum noſtrorum, vias intentionum, vias morum. Quoniam, ſi Deus dirigit, curremus ſine offendiculo, non errabimus. Ad ipſum perveniemus: Quia omnis via quam ipſe dirigit, ad ipſum perducit, & ſuarum directionum ipſe factus eſt finis. Quis rectam viam gradietur virtutum? Quis tenebit regiam viam, ut non declinet in dexteram atque ſiniſtram, propter tortuoſum colubrum, ſerpentem antiquum jacentem in via, hoc ſolum agentem, ut divertat à vera via: Ne redeamus ad locum certiſſimo tramite, à quo per appetitum obliquum ad loca tartarea deſcendit directè. Sed quæ directio nobis magis noſcitur opportuna, magis expediens ad inventionem congrui atque perfecti. David petendo dicit: Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis injuſtitia. Sanè iſta Propheta prævidebat atque aſpiciebat colubrum tortuoſum in via, qui congreſſus noſtros obliquat, nobis omnis injuſtitia dominatur, & à Chriſtiana juſtitia avertimus pedes noſtros. Sed nec ſolum viarum eſt petenda directio, ſed ut orans dirigatur, eſt facienda petitio. Idem enim Pſalmiſta petebat: Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Fumus tendit in altum: Incenſum verò quod igne comburitur, & omne, quod incenditur, igne incenditur: Ignis verò aut per flammam aut per fumum ex ſua natura in altum habet reſurgere, ad cujus ſimilitudinem David petebat orationem ſuam in alta per directionem conſcendere. Sed ut breviloquio directionem aperiam, quam & omnes debemus expetere, quam etiam pater filio demonſtrabat, quam oſtendere debet omnis, qui filium veraciter amat, ipſa eſt, quam Theſſalonicenſibus exoptabat Apoſtolus dicens: Dominus autem dirigat corda veſtra & corpora in charitate Dei & patientia Chriſti, quæ petitio atque optatio tantò eſt clarior, quantò ipſam clamat omnis Chriſtiana juſtitia, & in contemplandis, intelligendis, diligendis atque agendis, magis noſcitur opportuna, pro eo, quòd optatur directio cordium, videlicet omnium inviſibilium, ſimiliter & corporum omnium ſcilicet agendorum, ut in charitate Dei, & Chriſti patientia fundata ſint corda: Sic etiam in ipſis peragantur & opera. Omnium intentionum & morum infallibilem veritatem poſtpoſuit: Cùm omnia conſilia in Deo debere permanere prædocuit. Et omnia conſilia tua in Deo permaneant. Tunc enim omnia conſilia noſtra in Deo permanent, cùm nihil fecerimus præter Domini voluntatem, quæ vult omnes ſalvos fieri ſecundùm infallibilem veritatem. Si quis autem pater ſuos filios in talibus non erudit, ſi novit, aut erudire per alios deſiderat, ſi non novit, ac etiam, ut erudiantur operam porrigit: Sciat ſe filium non diligere, ſed odiſſe: Sed ſi diligere ſe credat, omnino diligit tanquam filium in traducis virtute, non tanquam hominem in ordine originalis juſtitiæ, aut tanquam Chriſtianum in virtute Chriſtiana. Cui utilius & melius foret habere aſinos, quàm filios, equos, quàm natos: Non enim pro animalibus, ſed pro filiis indiſciplinatis tenetur pater reddere rationem. Nempe ſi quid filius deliquerit, aut commiſerit ex paterna negligentia ſive culpa, ſeu paternalibus monitis facere potuit omnino expediens & opportunum bonum, & non fecit, ad cumulum adſcribitur paternalium dilictorum. Sed hæc ſententia & ſiqua prædicta firmitatem irremotè habeant in filiis familias, qui paterno ſubduntur imperio, quos non ſolùm Verbis, ſed verberibus oportet ad bona, & ad meliora compellere. Unde Salomon dicit: Qui parcit Virgæ ſuæ, odit filium, qui autem diligit illum, inſtanter erudit. Ille parcit Virgæ ſuæ, qui filium cautum non reddit à malo, qui ad bona & opportuna non compellit, etiam per verbera, ſi non profuerint ſedula Verba. Et odium eſſe certiſſimè noſceretur, ſi, cùm poſſes, hominem non averteres à fovea mortis, quam ignorat, aut ſcienter irretroverſibiliter cadendo petit. Et bonum cognitum indigenti alteri

Pſalm. 142. Prov. 20. Pſalm. 118. Pſalm. 140. 2. Theſſ. 3. Prov. 13.

alten non oſtenſum, malevolentiæ ſeminarium habet, ſic pater judicaretur in filio, ſi pro poſſe à malo non averteret pedem ejus, atque ad bonum non converteret animum ejus,& mores. In filiis autem emancipatis, qui ſui ſunt juris, qui voluntariè receſſerunt à patre, aut quos pater meliori reſpectu tradidit libertati, ab his ligaminibus abſolvitur pater: quia nec magis pater obligatur pro filio facto viro, quàm pro quocunque alio viro. Indecens enim eſſet,nec patiiur Chriſtiana juſtitia, ut ante Deum patres obligentur pro filiis, inter quos cadunt jura politica. Quia quamvis manet filiatio, quæ fuit virtute traducis, in patre tamen eſt ablata poteſtas, filio verò data libertas virtute politici juris. Pro filiis certè totaliter dependentibus à gubernatione paterna, inter quos non cadunt politica jura,patres obligantur ante tribunal divinæ juſtitiæ, ſi quantùm in eis fuit, non avertunt à malis, applicuerunt bonis. Et parentes etiam excuſat contumacia filiorum, quos Dominus mandabat in veteri lege lapidare, frænantur patres ad filios ex Chriſtiana juſtitia, ne procedant in invium. Quod Paulus Ephes. 6. Apoſtolus Epheſiis dicit: Et vos fratres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros. Provocantur ad iracundiam à patribus Filii, cùm immiſericorditer arguuntur, cùm plectuntur impropriè, cùm denegantur eis, quæ debentur jure divino, atque naturæ, cùm ad ſuperfluos exiguntur labores, cùm præferuntur filii poſteriuris uxoris ſua dilectione atque ſuaſione prioribus: prohibetur enim omnino in lege divina, ne filii poſterioris uxoris filiis prioris uxoris in aliquo præferantur, cùm præhabentur illegitimi atque ſervi, cúm turpiter novercantur mortua matre, cùm poſteriori uxoris filii præponuntur prioribus, cùm æqualem eis non oſtendit amorem, cúm inæquat non inæquandam hæreditatem, cùm primogenituræ adſtabit umnino cæteris defraudatis: nam de Chriſtiana juſtitia nullu modo primogenitura præfertur in potiori conditione muneris, quamvis præferatur prioritate temporis. Non ſunt igitur provocandi ad iracundiam filii, ſed in virtute atque moribus educandi. Idcirco ſubjecit Apoſtolus: Sed educate illos in diſciplina, in correptione Domini. Et ad Colloſſenſes ait: Patres nolite ad indigna- Coloſſ. 3. tionem provucare filios veſtros, ne puſillo animo fiant. Nec ex hoc præmittitur, imo intenditur odium evangelicum, ut parentes odiant filios, in eo, quod ad cultum Dei neceſſarium omnino noverint eſſe impedimentum, ipſo Salvatore dicente: Qui filios non odit, non puteſt meus eſſe diſcipulus. Ut profectò nullus in Lucæ 14. amore ſit filius, ubi offenditur DEI unigenitus Mariæqúe primogenitus. Ac per iſta duntaxar non dixerim, quòd patres ſic debent ducere proprios filios, ſed quia omnes filii hominum, ſi filii Dei fieri volunt, ſic tenentur vivere prout obligati ſunt patres eos in tali doctrina inſtruere, quia omnis doctrina ſive bona ſcientia ad hoc eſt, ut doceatur. Ideo docetur, ut audiatur, ut apprehendatur, ideo apprehenditur, ut agatur, ideo agitur, ut ad beatitudinem ultimam perveniatur. Quia ſicut, qui natus eſt in hac mundi miſeria,neceſſe eſt, eſſe filium, excepto protoplaſto, qui à Domino immediatè mandata & erudimenta ſuſcepit: ſic non excluditur, quin in hac doctrina oporteat eſſe diſcipulum, expediatqúe amplius ſolicitè fieri potenter activum.

Cap. II.

De juſtitiâ filiorum erga parentes.

POſtquam ſecundùm Chriſtianam juſtitiam ordinavimus patrem ad filium, irreverberato doctrinæ radio ad patrem filium ordinemus. Ordo naturalis juſtitiæ filium ſubjicit patri, ea lege atque ratione, qua pater filio antefertur. Cui adjuncta lex ſcripta digito Dei, data in montibus altis per miniſterium angelorum in manu Moyſi, præcepit filiis honorare parentes,cum additamento dicens: Ho- Exod. 20. nora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram. Jura etiam gentium ſtatuerunt & fecerunt filium patri ſubjectum,intantum,ut neceſſitate urgente poſſit exponere, atque venditionis titulo alteri tradere in mancipium. Et ſtatuerunt ſæviſſimas pœnas, & exhæreditationes, ſi filii abs re inſurgerent in parentes, adjicientes ad honoris & imperii paterni cumulum in ſubjectione filiorum,quod filii,qui naſcuntur filiis non emancipatis, ſub paterna juriſdictione conſtitutis naſcuntur, ſuperſtitibus parentibus avis. Nam Jacob morti vicinus benedicens filios in Ægypto, nepotes, quos ſuſceperat ex Joſeph benedixit titulo filiorum. Etiam quæ filius familias nanciſcitur, ſub paterno dominio redigantur. Et expelli permittitur filius à patre, pater autem nunquam à filio. Poteſt pater filium judicio ſiſtere, nequaquam filius patrem. Carcerandi filium ineſt patri poteſtas, hoc exercere in patre in quacunque lege denegatur

in

in filio, niſi ob cultum virtutis vitandi mali, cauſa inculpata dictante. Ut audeam dicere, ſi filius legum eſſet miniſter, delinquentem patrem poteſt à lege damnationis abſolvere, ne per eum decernatur: Chriſtiana verò juſtitia ſuperveniens omnem ſanctam reverentiam patri debitam per jura naturæ atque legis Moſaicæ confirmavit. Et legis novæ lator dominus Jeſus Chriſtus ratificavit exemplo facti, parentibus ſubditus factus. Sed quoniam magis intendimus noſtra ponere, quam interſerere aliena: propriam & inexcuſabilem moralemque relationem filii ad patrem duntaxat ediſſeramus. Filius nomen eſt à Græca lingua transſumptum, ab eo quod Græci philos, id eſt, amorem dicunt: ut filius amor quidam ſit relatione vera, quod amor amantis ſit amor, amor autem amatus de ordine juſtitiæ debet per vicem in amantem referri. Alioquin amor caderet de juſtitia debita exploraturus tormenta: ſi amatus amandi vicem non rependeret in amantem, & ſi ſuſceptor obſequii non rependat in obſequentem. Nam amor amorem exigit, & obſequium, cùm adeſt neceſſitas, ſimile requirit. Pater autem Deus diligit filium Deum non alium, ſed eundem ipſum. Et de dilectione ſua non ſubſtantialiter, ſed participativè dedit hominibus, cúm eos ad ſuam imaginem & ſimilitudinem crearet per memoriam, intelligentiam & voluntatem, in qua virtus amoris & amor ipſe conſiſtit. Proinde dilectus à patre filius dilectus à patre filius dilectionis vicem rependat in patrem, & ſicut refertur ad patrem ex virtute traducis relatione reali, quia filius eſt, ita referatur ad ipſum ex virtute dilectionis relatione morali, ut diligat, quia dilectus eſt. Addatur & alia dilectionis cauſa, quia homo in natura ſibi ſimilis atque communis eſt, ſubdatur & tertia, quia Chriſtianus & redemptus æquali parte ſanguine Chriſti eſt. Has etiam cauſas ſupra præmiſimus. Igitur dilectio filialis in hac trina cauſa fundata, etiam præter id, quòd in lege ſcripta mandatur, irradiabit in hominem patrem & Chriſtianitatis conſortem. Et primum radium honoris effundet in eo, quòd homo eſt,
Rom. 12. ſicut Apoſtolus omnibus loquitur: Honore invicem prævenientes, ut unusquiſque in altero Dei imaginem & ſimilitudinem veneretur. In patrem verò irradiabit honorem, non propter dignitatem aut ſapientiam, aut propter aliquod inſigne annexum, ſed pro eo, quòd pater eſt ex mutua relatione unius ad alterum. Et honorabit cum omni annexo laudabili, ſive vituperabili, aut in moribus vel in natura, ut ſi rex eſſet pater, dives, magnus, ſapiens, probus, fortis atque formoſus, & bonis omnibus ſimilibus circumfultus, honorabit patrem, non propter iſta, magis verò propter patrem, & in patre iſta, quia ex iſtis non eſt filius, qui ſola carnis traductione dicitur natus, quibus abjectis naſceretur & filius. Etſi pauper, & ignobilis, ſi ſciolus aut indoctus, ſi fatuus, ſi cæcus, ſi abjectus ab aliis aut pro nihilo computatus, ſi parvus, ſi claudus, ſi mancus, ſi leproſus, ſi undique malis obſitus fuerit, honorabit debito naturæ atque legis Moſaicæ patrem filius. Si verò extiterit peccator, & æterno patri fuerit inimicus, ſub ſpe correctionis honorabit paternitatem, habebit odio iniquitatem. Ex conſideratione verò, qua æqualiter fidei characterem ſuſceperunt, unde Chriſtiani vocantur, cùm non extinguat naturam, neque legem Moſaicam gratia Chriſtiana, hoc addetur in filio, ut magis diligat hominem patrem, quia Chriſtianus, quam quod humo & pater eſt. Et altiori reſpectu & amoris radio clariori quàm naturali, atque legali filius radios amoris effundet in patrem, cùm actuali reverentia corporis, & omni ſolicitudine atque cura ſubventionis, nec ob aliquod dedignabitur patrem, aut ipſum erubeſcet propter inhærentem defectum coram aliis confiteri. Ut ſi tanta virtutum probitas eſſet in filio, ob quam culmina dignitatum attingeret, & multos ſibi hominum cervices pro reverentia flecterentur, ſi ſupra patrem omnimode haberetur, ipſe patrem in quantalibet infimitate dejectum ſupra ſeipſum reputet, veneretur, ope ſubveniat, ſibique flectat in honorem cervicem. Nulla enim ſuperveniens dignitas paternæ derogat dignitati. Nam ſicut paternitas non excludit filium ab adeptione dignitatis, in ordine reipublicæ aut ſacramentalis miniſterii: ſic nec adepta quælibet dignitas filium excludit à patre, in exhibitione honoris ſive obſequii. In eo igitur, quòd gradum dignitatis aſcendit, publicæ perſonæ gerat officium, in eo, quod filius eſt, honorem vereatur paternum, hoc duntaxat excepto, quod in ea poſitus excellentia quam non habet à patre, non amplius patrem vereatur, quam alium diligentiſſimum conſultorum, ut propter eum virgam juſtitiæ inclinet aut erigat, intendat ſive remittat. Tantò autem quicunque filius communis aut infulatus honore atque obſequio præveniat patrem, quantò ipſe vellet in bona ratione animi & juſto judicio poſitus, à filiis ſuis præveniri. Sed quoniam omnis filius pa-

trem habet & creationis, & carnis, ut ſecundùm juſtitiam Chriſtianam nullus ſit alicui pro diligendo pater, qui æterno non patri erit amicus: nullus filius ſub- Matth. 10. datur patri, qui patri æterno fuerit inimicus. Nam filium, quem hujuſmodi relatio ligat, abſolvat omnino paterna iniquitas, niſi ſub ſpe correctionis toleretur, dum tamen pater iniquus non amaretur. Amplius in hac parte juſtitia Chriſtiana progreditur, ut etiam inter partem & filium poſuerit odium atque gladium, ut ipſe Salvator dixerit. Qui patrem & matrem non oderit, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et alibi: Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium. Odium igitur Chriſtianæ juſtitiæ, non perſonæ ſive naturæ, ſed iniquitati debetur & impedimento virtutis, quod conſueverunt præſtare parentes, hoc in comparatione quodammodo odium eſt ad minus, & comparatione melioris velut odium eſt ad bonum. Si igitur in quocunque genere cauſæ qualitatis atque perſonæ, creatura omnis ad Chriſtum comparata vileſcit, & derelinqui expedit propter Chriſtum: Et omne quod propter aliud dimittitur, aut minus aut non diligitur, aut venit in odium: Minus verò aut non diligere odium dicitur, dum melioris atque majoris comparatio ſubrogatur: Evangelicus profectò gladius in id tendit, ut dividat à nocivis & impedientibus conjunctis atque parentibus. Ex his, quæ propter Deum fiunt, juſtitia Chriſtiana docet, quòd filius non referatur ad patrem relatione morali, ac mandat, quòd pietas à pietate vincatur, & relatio à relatione ſuperetur, & impieras conſtituitur, ubi pater vocat æternus, ſi temporalis omnino non relinquitur. Et quanquam Apoſtolus ad Timotheum jubeat curam haberi ſuorum, non tamen incluſit filium, qui parentes ſolùm reliquerit propter Deum. Cum cauſa tota & irreprehenſibilis ſit, quòd propter Deum dimitti poteſt quæcunque cognatio: Non tamen legimus ex naturali aut legali, aut ex Chriſtiana juſtitia, quòd parentes filios in alitos poſſint dimittere, uſque quo ratio vigeat, & vitii atque virtutis facta ſit capax, ſpeſque poſſit eſſe vivendi, ablata ope parentum. Ubi verò iſta affluxerint, bono Spiritu ducti parentes, ad meliora vocati, curam dimittere poſſunt filiorum. Ac etiam mandat juſtitia Chriſtiana, ut dum ipſorum ſedulam curam gerunt, quòd cultum non dimittant divinum, ad quem ex debito aut ex mandato ipſius juſtitiæ obligantur. Similiter mandatur & filiis, dum inſiſtunt in debita cura parentum. Nam divinum creditum nobis factumque debitum quouſque ſolvatur, ab omni alio ſecundùm ordinem temporum atque locorum & agendorum abſolvit. Omnis enim juſtitia primo priora debita ſolui jubet. Quali & quanta relatione morali ad parentes filii referantur, per ſcripturarum teſtimonia declaremus. Tres filios habebat Noë, quos ſcriptura commemorat, quorum unus nuditatem patris velut fatui, at- Geneſ. 9. que ſenis ſeu ebrii animo & Verbo deriſit, qui maledictionem accepit in ſe, ſimiliter & in prole per ipſum mundo futura. Sed Sapientia dicit: Ne glorieris in contumelia patris tui, non enim eſt tibi gloria, ſed Eccleſ. 3. confuſio. Gloria hominis ex honore patris ſui: Et dedecus filii, pater ſine honore. Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius. Et ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in virtute tua. Suſcipienda, imo ſuſtinenda eſt ſenecta patris à filio, nec aliqua cauſa, quàm propter Deum permittitur contriſtandus. Et ſi defecerit ſenſu ab ineunte infantia, ſi propter nimiam ſenectutem aut caſu quolibet ſuperveniente imprætermiſſè aut interpoſite deliraret, venia præſtanda eſt non ſpernenda paternitas. Nam durante in homine vita, in jure ſuo remanet caro paterna, ex qua ſolùm filius, non ex accidentibus eſt transductus. Pater non eſt à filio, ſed filius à patre carnali generatione procedit. Et ſi non fuiſſet homo qui generando filium factus eſt pater, non fuiſſet filius, cujus ipſe noſcitur pater, ad cujus honorem filium ſacra ſcriptura ſollicitat. Proinde Eccleſiaſti dicitur: Honora patrem tuum, Eccleſ. 3. & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris. Memento quoniam niſi per illos non fuiſſes, & retribue illis quomodo & illi tibi. Ob honoris debitum duo alii filii Noë præcogitantes, paternam turpitudinem texerunt, dantes patri indulgentiam, ſi ex aliqua ſurreptione deliquiſſet, nec propter accidentalem defectum dimiſerunt paternum affectum. Hinc Eccleſiaſtici dicitur: Qui timet Deum, honorabit parentes, & quaſi Dominis ſerviet his, qui ſe genera- Eccleſ. 3. verunt, ut parentum honor etiam attendatur, cùm paterni obtegantur defectus, atque rependantur vices, quas ipſi ad filios effuderunt. Iſaac uſque adeo reveritus eſt patrem, ut ab illo ſe pro victima permitteret colligari. Filii Iſaac proceſſerunt & redierunt ad imperium ejus. Et Geneſ. 22. Jacob matris conſilio acquieſcens cùm eſſet poſterior, primogeniti benedictionem & hæreditatem ſuſcepit, & ambo honorantes patrem ad ejus ſepulturam pariter conve-

convenerunt. Filii Jacob ſingulatim atque
Geneſ. 37. conjunctim proceſſerunt ad imperium ejus.
Et Ruben, quòd non creſceret, pro male-
Geneſ. 49. dictione quam tali cum benedictione acce-
pit, quia maculaverat cubile paternum,
patris non reveritus honorem. Abſalon
mortuus eſt inter cœlum & terram, ad-
2. Reg. 18. verſus patrem animo & opere factus re-
bellis, quia mandatum cœleſte non tenuit
de honore paterno, neque patrem eſt re-
veritus, imo perſecutus in terra, ut in ea-
dem vaſa, in quæ pater, ipſe ſemen effun-
deret, ac eum de civitate arctaret ad fu-
gam. Ex hoc Proverbiorum dicitur:
Prov. 30. Oculum, qui ſubſannat patrem, & deſpi-
cit partum matris ſuæ, effodiant eum corui
de torrentibus, & comedant eum filii aqui-
læ. Et quamvis iſta ſit imprecatio adver-
ſus improbos filios, & ſic eveniſſe nun le-
gitur, & tamen corui & aquilæ ad dæ-
mones referuntur, in quorum ultrices ma-
nus filius improbus eſt tradendus. Et ſicut
Eccleſiaſtici dicitur, quàm malæ famæ eſt,
qui reliquit patrem, & eſt maledictus à
Deo, qui exaſperat matrem. Patrem niſi
propter Deum relinquere, animi eſt ef-
ferati, & indigentem laboribus filii dimit-
tere mortis eſt culpa, ſi valet filius indi-
gentiam tollere, aut facere mitiorem.
Cogit & mandat divina juſtitia patrem in
omnibus honorari cum repenſione ſuper-
na, quod ſcripturarum ſanctarum confir-
mat authoritas. In opere, & ſermone, &
in omni patientia honora patrem tuum,
& ſuperveniet tibi benedictio à Deo, &
benedictio illius in noviſſimo manet. Vi-
de quod in omnibus præterquam ad pec-
catum aut propter Deum, ſanctio divina
patri ſubjicit filium, cùm in omni opere
& ſermone, omnique patientia boni dun-
taxat, quia mali nulla eſt juſſio ſcriptura-
rum. Vult patres à filiis honorari, cujus
retributio non à terreno atque carnali pa-
tre proveniet, ſed à Deo in tales filios be-
nedictio diffundetur. Ecce quàm bonum
eſt parentibus reddere vicem, & plus re-
penſio quàm primo impenſio mereatur.
Rependit nempe filius, ergo aliquid à pa-
tre ſuſcepit. Siquidem multa uſquequo
alitus eſt, cuſtoditus eſt, inſtructus eſt,
& multa pro filiis paternis parta laboribus
reſervantur. Ad æqualitatem fortè de-
venit juſtitia, ſi filius patri reddidit, quia
ſuſcepit, quamvis filii non poſſint vicem
rependere ad parentes. Quid ergo am-
plius meriti filii expectabunr, ſi fecerunt
quæ debuerunt, ſervaverunt juſtitiam red-
dentes antidota? Sanè bona ſuſceperunt
à parentibus filii, ecce præceſſit bonum
gratuitum. Rependerunt parentibus filii,
ecce meritum donum, ſed ſuperaddit o-
mnipotens Deus, ut benedicat gratificum
filium, ut filiatio donum præcedat paren-
tum, & ſi rependerit, ſequatur divinum.
Amor filiorum ad patres, omni debet ca-
rere mercedis intuitu, etenim receperunt
cum concepti, nati, aliti ſunt, & pro eis
deſudatum eſt, & pœnæ ſunt tolleratæ à
parturiente matre. Et honor & ſubventio,
qui refunduntur in eus, non expectent à
parentibus retributionis aliam talionem.
A Deo autem expectare poſſunt, non ex
merito honoris atque ſubventionis, ſed ex
largitate promiſſionis divinæ. Dignatur
nempe omnipotens Deus ſuis promiſſio-
nibus debitor fieri eis, qui ſua placita ſer-
vant. Ac per hoc omnes filii, qui mundi
hujus viderunt umbraticam lucem, & in
animo cognoverunt juſtinæ Chriſtianæ in-
fallibilem veritatem, Apoſtoli Pauli ſe-
quantur ſtentiam: Filii obedite parenti- Epheſ. 6.
bus veſtris in Domino, hoc enim eſt ju-
ſtum, Ecce obedientia filialis, ecce obe-
dientiæ terminus, ecce ante cujus oculos
agitur. Obedite, inquir, non in omni-
bus, non de omnibus, non propter ho-
mines, non propter ſeipſos tantum paren-
tes, non propter mercedes, ſed in Domi-
no. In Domino qui hoc præcepit, & vo-
luit eſſe juſtitiam filiorum. In Domino,
ut non de alio patri à filio reddatur obe-
dientia, niſi quod manifeſtum eſt Deo pla-
cere, atque certiſſimum eſt non diſplicere.
Hoc enim eſt juſtum, quia hoc vult ori-
ginalis & divina juſtitia, hoc Moſaica, hoc
conſuetudo laudabilis & antiqua, hoc ipſa
Chriſtiana juſtitia. Hoc idem ad Coloſ-
ſenſes Apoſtolus ſcribit: Filii obedite pa-
rentibus veſtris per omnia, hoc enim pla- Coloſſ. 3.
citum eſt in Domino. Cùm per omnia
dicit, bona intelliguntur. Non niſi de bo-
nis & honeſtis & juſtis obedientia eſſe po-
teſt. In malo alicui obedire nomen obe-
dientiæ habere poteſt, ſed obedientia nullo
modo eſt, ſed quædam inobedientia in
Deum propter humanum placitùm, aut ex
amore ſeu timore ſeu mercede patratum.
Obedientia filiorum ad patres in bonis pla-
citum Domini eſt, quod nunquam ſine
merito retributionis manet. Proinde tota
perfecta juſtitia in morali relatione paren-
tum & filiorum, ut homo pater humano
amore atque naturali & communi feratur
in hominem filium intentius quàm in fi-
lium. Ratione verò ſpecialis traducis ma-
gis in filium, quàm in alium, intuitu
Chriſtianitatis atque characteris fidei dili-
gentibus in Chriſtianum, quàm in homi-
nem atque filium, atque retranſitivo &
morali ordine diligendi & mutua relatione
ad

ad patrem filius referatur. Igitur jura humanitatis filiationis ex Chriſtianitatis intellecta fideliter, dilecta libenter, exhibita rationaliter inter parentes & filios. In his relationibus eſt juſtitia Chriſtiana, quæ ſemper amari debet & dirigi ſecundùm divinæ placitum voluntatis, quæ non agitur inter hominem & hominem ſolùm, nec ſolùm inter patrem & filium, ſed inter utrunque iſtorum exiſtentem Chriſtianum. Nam juſtitia, quæ inter hominem & hominem ſervari debet eſt naturalis & humana in communitate naturæ, illa, quæ inter patrem & filium, eſt ſpecialis & humana in morali relatione, ſed neutra iſtarum excludit ab homine patrem eſſe vel filium, aut à patre vel filio ſeparat eſſe hominem. Illa, quæ inter Chriſtianum & Chriſtianum agitur, eſt naturalis & gratiæ, in omni intellectuali & morali virtute, colligatione fidei, ſpei, & charitatis, cultu & religione ſacramentorum, conſenſione humanorum & divinorum reſpectu Chriſti atque ſupernæ gloriæ.

Cap. III.

De juſtitia inter conjugatos ſeu matrimonio junctos.

ITa Chriſtum decebat implere omnem juſtitiam, quia ipſe juſtus in parentibus juſtis, ipſe juſtus in filiis juſtis & piis. Duas perſonas in ſimul convenire inviſibili lege, vita ſociali, adjutorio mutuo, in una carne, divina juſtitia ordinavit, & per legem firmavit & ſtatuit. In tempore gratiæ ordinavit excellentius, providit tutius, honeſtavit amplius, ac præpoſuit matrimonio Virgineum Deus, dum ipſe voluit fieri ex Virgine incarnatus. Et talem corpore elegit matrem, qualem primam creaverat mulierem. Prætulit etiam matrimonio continentiam, quæ conſequitur carnem corruptam. Sed quia iſte ſtatus cadit ſub juſtitia Chriſtiana, & ab ipſa recipitur, & non condemnat, quæ divina providentia ordinavit, pro eo, quod eſt una ab æterno de juſtitia, quamvis diverſa vocabula ſit ſortita, & multifaria fuerit operata. Veruntamen altiori modo ipſa juſtitia hunc ſtatum inſignivit tempore Chriſtianitatis, quàm tempore naturalis juſtitiæ, ſive tempore legis ſcriptæ, circa quem ſtatum multi diverſimode naufragaverunt, in quo etiam multi ſunt ſaluati. Proinde exortum in cauſis & progreſſum, periculum & naufragium, & juſtitiam & ordinem ejus naturalem atque legalem cum decore Chriſtianæ juſtitiæ pertractemus. Diſpoſuit ab æterno divinæ ſapientiæ imperſcrutabilis altitudo tales facere creaturas, quæ ſui poſſent eſſe quadam participatione capaces, & in æternum vivere, atque in ipſa beari, quarum duas ſolùm voluit eſſe ſpecies, ſpiritualem & mixtam. Spiritualem ſimul, & ut voluit, repente in eſſe produxit, tanta celeritate, ut voluntate divina jubente intervallo temporis non diſcerneretur imperium. Mixtam verò creaturam ſcilicet ex Spiritu & corpore, quam apellamus humanam, ex uno tanquam ex una radice numeroſiſſimè propagari voluit, ut unus homo naſcatur ex alio, ex bono ſeminariæ virtutis, quam humanæ naturæ Deus dedit ordinatione atque ducatione traductionis, quouſque compleatur numerus hominum, ſoli Deo cognitus, nobis incognitus. Ex quo bipertitur ſalvandorum & damnandorum DEO certiſſimus numerus, nobis verò uſquequaque incertus, pro qua multiplicatione matrimonialis conditio habuit ſui fœderis atque connexionis initium. Creaſſe Deum hominem unum & ſolum, ſcriptura ſacra commemorat, quem eſſe ſolum dixit non eſſe bonum, Proinde adjecit: Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Ecce matrimonium unde initiavit, non à corruptione, non à prole, ſed à ſocietate, quia non erat bonum hominem eſſe ſolum, fiat adjutorium ſimile ſibi. Adjutorium non ad defendendum, nemo enim lædebat aut læſiſſet Adam, niſi ſua culpa ſe ſibi, atque cætera feciſſet inimica. Sed ad quid? Ad laudandum & benedicendum animo & rationabili Verbo atque opere Deum. Ad hoc primo eluxit quælibet rationalis creatura, & irrationabilis propemodum. Etiam adjutorium ad colloquendum de Deo, & de ſubjecto ei univerſo. Hæc ſolum rationalis creaturæ ſunt actus, nec enim rationabiliter rationabili Verbo cæteræ benedicere, aut de ipſo loqui poterant, ſive de ſuperioribus atque inferioribus hominis. Igitur expediebat ſimile adjutorium. Erant enim animalia cætera ſociata, aves, ſimiliter & piſces, & ſimilia ſimilibus jungebantur. Injuriam pertuliſſet Adam omnium inferiorum Dominus conſtitutus, ſi ſimili caruiſſet conſorte. Adjutorium ſimile dabatur Adæ, ut ſe

Geneſ. 2.

ut ſe videret in alio, & alium in ſeipſo. Specula ſunt homines ad invicem ſe mutua viſione videntes, ut ſe in ſe, atque in alio ſe videant, & alium in ſe, atque in ſeipſo conſpiciant. Et adjutorium ad bene vivendum eſſe debebat in alio videre imaginem, quam in ſeipſo Adam primo ſuſcepit. Erat igitur adjutorium intellectus ſimile Adæ, quod dabatur Adæ. Adjutorium eſt intellectus, ſi dum intelligit, & ab illo quod intelligit, intelligitur. Nequibat omnino hoc eſſe in animalibus quæ rationalem intelligentiam à Domino non acceperunt. Affectus adjuvatur, maximè, ſi rationabile habet objectum, quod nequit eſſe ratione carens. Et creſcit amor hominis, ſi diligitur ab eo, quod diligit, & duæ memoriæ plura continent, quam una ſola, & ab una etiam altera fulciatur. In effectu aliquid accepit Adam, quod oportebat efficere cum conſorte juvante. Primò igitur omnis creatura creata eſt ad Deum, quam ad ſeipſam aut ad aliquod aliud peragendum. Adjuvat exemplum ſimilis ad profectum, ſi non ſit vita diſſimilis. Habemus igitur ſocialem vitam poſſe fieri & adjutorium in connexione duorum, abſque quòd carnalis copula ſubſequatur. Sed factum eſt adjutorium unius naturæ, ſed diſſimilis ſexus, ut dicatur adjutorium ad procreandum prolem, quam potuiſſet Deus de ipſo ſine conſorte producere, quod voluit eſſe ſimile in natura per viſibilia exterioris formæ, atque inviſibilia interioris animæ. Non enim decens erat quod rationalis homo animalibus miſceretur, & quod de homine rationem habente, atque animali ratione carente humana propagaretur conditio. Proinde ad futuram prolem adjutorium ſimile quærebatur, quod factum eſt de coſta, non capite aut pede, ob æquitatem vivendi, & rationem diligendi. Sed hic allegoria pro Chriſto & eccleſia magis placet, quàm moralitas, quam quia mores cudimus, ſubticemus. Adductum eſt ad Adam adjutorium, quod ad propagandum prolem accepit, & cognovit unde, quia os de oſſibus meis, & caro de carne ipſius. Similiter & quare fuerit datum, agnovit, unde ſubjunxit Adam: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori. Sed nullus in hac parte differat, quod pater & mater relinquendi ſunt propter uxorem, quod autem propter pietatem factum eſt, cauſa impietatis non erit. Non enim aut impiè propter uxorem relinquendi ſunt parentes indigentes filiorum ope, nec ipſi debent parentes propter uxorem relinquere, ipſorum fulcimento

Geneſ. 3. (margin, beside "mus, ſubticemus.")
Geneſ. 2. (margin, beside "hærebit uxori.")

atque magiſterio indigentes. Nulla enim juſtitia iſta facienda concedit. Sicut enim uxorum atque maritorum connexio non aufert relationem realem inter parentes & filios, nec moralem de juſtitia debet auferre quomodolibet inter eos. Sed quamobrem relinquet? Quia erunt duo in carne una, ut in carne unius filii duplex perſona conveniat, pro quo relinquitur pater & mater. Quia ſemper naturalis ordo contradicit, ut pater non generaret de filia, nec de filio mater, quamvis in Loth præter ordinem & honeſtatem naturalis juſtitiæ contrarium ſit ſecutum, ſed aliorum duorum erat facienda connexio, ut filiorum fieret generatio. Sed hic nùlla libido, nulla corruptio locum habet. Ordinatio facta eſt connexionis, non adhuc carnalis conjunctio. In paradiſo hæc facta ſunt, ubi poſt corruptionem mentis nulla eſt ſecuta corruptio, virginitatem enim habuit locus ille. Expulſio ipſorum facta eſt, ne in paradiſo potuiſſent pariter commiſceri. Poſt electionem eſt corruptio corporis ſubſecuta. Si in paradiſo datum eſt præceptum de multiplicatione filiorum, cum dictum fuit à Deo. Creſcite & multiplicabimini & replete terram. Quid igitur? In paradiſo non cœpit multiplicatio, aut hominibus repletus eſt locus ille, ut etiam repleretur alius mundus; aut aliter non potuit humanam propogare naturam, præterquam per carnem corruptam, & cum tanta libidine & concupiſcentiæ ardore? Dico ſanè, quòd potuit atque poteſt. Sed ad meipſum, & ad omnes doctores humiliter & conſulè pro ſero Verbum, ut non diſputemus atque inveſtigemus, quod Deus potuit & non fecit, ſed quod fecit & potuit. Multos enim iſta inveſtigatio ſive contentio in barathrum periculoſæ obſcuritatis atque tenebrarum immerſit. Hoc ſolùm ſcire ſufficiat, quòd juſtiſſimè fecit, atque decrevit. Sed hoc audacter dixerim, quòd locus in eodem virginitatem habuit, corruptionem aliam, præterquam illius doloroſæ inobedientiæ non novit, verùm ſi multiplicandum fuiſſet genus humanum, corruptio ante peccatum nulla fuiſſet, quia poſt peccatum etiam eſſe potuit. Quæ ſi fuiſſet, caruiſſet omnino libidine atque peccato. Quis enim dubitat, quod quamvis per ſeminanam virtutem ducatur humana propago, quòd originali ſtante juſtitia, ſemen hominis potuiſſet ſine corruptione mulieris in ventrem ejus immitti, ſicut poteſt ſanguis ille menſtruus ſine Virginitatis corruptione, à Virgine fœmina emitti? Et homo potuiſſet

tuiſſet illud ſemen ſine corruptione ſua ejicere, ſicut ſputum aut urinam poteſt ipſe projicere, & uterque potuiſſet ſervari ſine libidine atque carnis ardore, quæ mala condita natura non habuit, ſed peccatum ob vindictam induxit. Urgebit quæſtionem animus audientinm, ſi quomodo conceptus ſive fœtus ſine laceratione materna potuiſſet educi, quamvis ſemen potiſſet immitti. Dixerim quod ſpectabat ad felicitatem illius paradiſi, ubi erat immortalitas, quod etiam adderetur iſta felicttas, quod filiorum eſſet eductio, & maneret carnis integritas, aut ſi omnino aperienda erat porta propagationis humanæ, quòd taliter aperiretur, quòd in humana natura nulla injuria ſequeretur, & non eſſet opprobrium, quòd ad tantum reſerabatur officium, velut aperiuntur oculi ad ſuſcipiendum beneficium lucis, & ad emittendum radios viſivæ virtutis, qui clauſi fuerunt in ergaſtulo ventris, ubi nullus hominum corporaliter vidit. Et velut omnes ſenſus exiſtunt in clauſtro ventris obtuſi atque contracti, & beneficia naturæ non ſentiunt, atque cognoſcunt, cùm autem organizata & ſenſificata corpora patiuntur ex quadam apertione ſenſuum, explicationem mundi habitum recognoſcunt, atque uſum naturæ ſine ipſorum corruptione ſuſcipiunt. Aperiuntur plantæ in gemmas, gemmæ in flores fructus pariunt, nec in his cortuptionem dicimus fieri in natura: ſic porta humanæ naturæ aperta fuiſſet ad ſuſcipiendum ſemen generativum, & emittendum ſine derogatione puritaris conceptum. Aperitur enim os ſine ſua violatione ad cibum ſuſcipiendum, ſimiliter & cùm emittit ſputum. Nec aliquis arbitretur quod ibi ſit aut poſſit eſſe corruptio, ubi naturæ ſervatur debitus ordo, Eſt enim debitus ordo naturæ, id, quod Deus indidit cuilibet rei. Nam ſi Deus indiderit in natura humana, quod ſic propagaretur, non turparetur, nec ex tali propagatione corruprio ſequeretur, quia naturæ debitus ordo ſervaretur. Nullus verò intantum in ſua conſideratione imaginando exorbitet, quod perderetur puritas virginitaris & integritas carnis: ubi ſervaretur ordo naturæ, atque voluntas fieret creatoris. Nam hæc eſt tota rationalis creaturæ in anima & corpore profecta integritas, ut & voluntas ſecundùm cujuslibet rei ordinem inſitum fiat. Et illud quod communi vocabulo corruptio, ſi ſecundùm crertoris voluntatem fiat, & naturæ ordo permaneat. Dúm nihil poſſit, aut debeat dici, integrum aut corruptum, niſi quantum divinæ ſit placitum voluntati aut ſervatur ordo naturæ, aut quantum diſplicet, & ordo naturæ non manet. Nec incongruè credere videor, atque ſentire, ubi me major nun convincat authoritas, contra hominum imaginationes, & philoſophos naturales, ſine corruptione potuiſſe generari divina potentia ordinem regente naturæ, necnon educi fœtum per portam corporis clauſam, quam primò reſeravit peccator Adam. Et in hoc datur exemplum, ut, quod depravavit in omnibus homo primus in ſeipſo & in matre reſtauraret homo Chriſtus duntaxat & ſolus. Sed fortaſſe quis diceret, hoc fuit ratione unitæ divinitatis. Sed corpora glorificata poſſunt ingredi quælibet ſolida corpora, quibus non eſt unità divinitas. Ergo erit beatitudo jam in corporibus antequam reſurrectio fiat. Non fuiſſet reſurrectio corporum, ubi non fuit conditio mortuorum, nec mors habuiſſet in homine dominatum, ſi nón præiſſet peccatum, nec etiam dicenda fuiſſet illa æterna beatitudo hominum, ſed naſcendi quædam felicitas & humanæ naturæ quædam nobilitas, ſi non abſtuliſſet iniquitas. Adam namque ſine corruptione alicujus elementi à Domino eſſe ſuſcepit, Eva ſine corruptione accepit ab iplo conſiſtentiam ſuam, ut ex omnibus hanc valeas elicere profectò ſententiam, ut ſi peccatum non præceſſiſſet, aut non fuiſſet corruptio, & fuiſſet hominum generatio, aut id, quod corruptionem dicimus, dicta fuiſſet integritas, & naturæ honeſtas, cúm ſervatus fuiſſet ordo naturæ, atque divina voluntas. Ut audeam dicere, in multis in veteri teſtamento, in quibus ſervata eſt divina voluntas, & ordo naturæ: ita placuiſſe cum illa violatione carnis conjugium, ſicut in multis à Chriſti tempore cœlibatum. O! quanta nobilitate Deus humanam naturam, quot & quibus beneficiis inſignivit, in propagatione hominum glorificandorum, cum angelis beatificandorum à potentia trinitatis. Sed quia non vidimus, & ſecuta non ſunt, difficulter credi poſſunt. Et repugnant imaginationi hominum, quæ non devenerunt in ſenſum. Sed plus eſt, quod in humana natura fecit Dominus Jeſus Chriſtus, quàm quod acceperit homo primus. Ac per hoe pro tanto dixerim, ut ad honeſtatem ejus, quod dicitur matrimonium ſive conjugium, ſecundùm Chriſtianam juſtitiam veniamus. Ut non credatur facta fuiſſe hominum generatio cum aliquo pudore, ac virtutis decore, ſive pruriente libidine, quæ ob iſtam ab æterno cauſam fuerat ordinata, ut frueretur æterna beatitudine. Quòd autem homines non ſimul fecit, ſicut & angelos, ſed propagatione ſucceſſivè reſervavit, nemi-

nem

nem commoveat, quoniam ſimul fecit totam humanam naturam, ſicut & angelicam, cùm tota humana natura fuerit in primo homine, nec eſt amplius augmentata ex ſecundo, nec enim humana natura magis & minus recipit ex naſcentibus cæteris, quæ totum ſuum eſſe in protoplaſto ſuſcepit. Nam individuorum multiplicatio ſpeciem non augmentat, nec minoratio aut paucitas decreſcere facit, ſi ſolum individuum in eſſe remaneat. Voluit tamen ad univerſi decorem homines propagari ſucceſſione traducis, ut ornaretur viſibilis orbis tota pulchritudo, atque naturalis pulchritudinis complementum in his inferioribus eſt, ut rationalis creatura præeſſet, & mundus innovaretur nova ſucceſſione hominum, donec ſortiretur ab æterno poſitum terminum, nobis ignotum, ſoli Deo certiſſimum. Et peregrina progreſſione humana natura perveniret ad angelorum conſortium merito proprii laboris, magis verò gratia conditoris, paulatim deſcederet ad loca retralia ex propriis malis meritis divina dictamente juſtitia, & miris modis ſed uſquequaque juſtiſſimis, ipſa in ſuis individuis glorificaretur in cœlo per divinam miſericordiam, & cruciaretur in inferno per divinam juſtitiam. Ipſa ſiquidem humana natura impartibilis eſt, & impræmiabilis atque impaſſibilis in ſui natura, niſi per ſua individua. Solùm divina ex ſeipſa eſt, quod eſt, individuari nequit, & deficere neque pati, ipſa à ſeipſa glorioſa exiſtens. Sed nec quæramus, quare ſic voluit, imperſcrutabilis eſt enim ipſius divinæ ratio voluntatis. Sed videamus, quod factum eſt potentia creatoris. Ecce ſuccinctè exortum & cauſam proſpeximus, progreſſum cum macula acutius eſt videre. Statim ex inobedientia merito ſubſecuta, & ſimul exorta libido, & humana eſt damnata propago. Inobedientia merito eſt ſecuta, primo in proprio corpore, In quo ipſe non obedivit authori. Nam delectatio & conſenſus, ſi non proceſſiſſent in actum, facillimè veniam repurtaſſent, ut tunc non fuiſſet inflicta multatio actualis in corpore, ſi corporis actu non fuiſſet culpa peracta. Igitur inobedientia ſurrexit in membris, ut non moverentur ad imperium rationis, ſed ad impulſum effrænaræ libidinis. Libido enim dominatur in membris, velut in re ſibi ſubdita merito prævaricationis, & commovet ſæpe membra præter arbitrium voluntatis. Et tota maſſa eſt infecta in parentibus primis ut peccatum, quod originale dicitur, ſit in naſcentibus cæteris. Sed nec propter libidinem damnatur conjugium, nec propter bonum conjugii aufertur libidinis malum. Proles enim, quæ bonum eſt conjugii, non naſcitur de libidine, ſed de bono naturæ, in qua eſt ſeminaria virtus, quæ agitur in traduce, Libido autem non eſt de bono creatæ naturæ, ſed in bono naturæ conſiſtit merito inobedientiæ, unde non turpatur bonum prolis propter malum libidinis. Quod autem homo naſcitur cum originali peccatn merito primorum parentum etiam non damnat ordinatum conjugium. Proinde ad majurem horum evidentiam accipiantur duo bona, & tria ſimiliter mala: bonum naturæ, bonum conjugii, malum inobedientiæ, malum libidinis, & malum peccati originalis. Bonum naturæ, bonum eſt creatum, & habet ſeminariam virtutem. Bonum conjugii, bonum eſt ordinatum, & habet juſtitiæ legem & ordinem. Malum inobenientiæ fuit voluntariè in parentibus primis, & involuntariè militat in membris noſtris. Malum libidinis inſurrexit merito inobedientiæ in primis parentibus, & inſurgit eo merito in cunctis naſcentibus, debita ætate fungentibus, ſolùm ſanctificatis quomodolibet exceptis. Malum peccati originalis non accedit voluntarie, neque militat involuntariè, ſed tantum contrahitur ex quocunque naſcente, ut diximus Deiparà præſervatâ & ſanctificatis in utero duntaxat exceptis. Omnia verò iſta mala non ſunt creata, neque ordinata: ſi eſſent creata, non eſſent mala neque peccata: ſi eſſent ordinata, eſſent quieta. Omne ordinatum quietum atque pacificum & irreprehenſibile penitus eſt. Pruinde bonum creatum & bonum ordinatum iſta mala non protegunt, ne mala dicantur. Mala verò iſta bonum naturæ atque bonum conjugii in aliquo non accuſant, quia nec ſunt cum buno naturæ creata, nec ſunt cum bono conjugii ordinata. Sed cùm homo naſcitur, de malo inobedientiæ, libidinis & peccati originalis non naſcitur, ſed naſcitur de bono naturæ per bonum conjugii ordinati. Et naſcitur homo nun de inobedientia, quia inobedientia non habet ſeminariam virtutem: nec concipit, aut ſecundùm naturam concipitur, ſed aut accedit, aut pœnaliter manet: nec naſcitur libido, cùm naſcitur homo, nam libido non habet etiam ſeminariam virtutem, nec concipit, neque per naturam concipitur, quamvis inſurgat in eo, qui jam conceptus atque natus eſt. Similiter peccatum originale non naſcitur, cùm homo naſcitur: quia nec ipſum habet virtutem ſeminariam in natura, nec concipit, neque concipitur, ſed contrahitur

tur merito peccati primorum parentum, ut, cùm de juſtitia Dei tractavimus, declaravimus. Igitur manent bona naturæ, manent ſimiliter & maculæ, niſi fuerint per ſacramenta purgatæ aut per virtutem refrænatæ. Proceſſit conjugium in lege naturæ, ut fieret poſt protoplaſtos inter ſorores & fratres uterinos atque geminos. Inter patrem & filiam, & matrem & filium nunquam ordo naturæ permiſit. Deinde multiplicata humana generatione, ſubintravit quædam honeſtas, ut contra propinquitas in conjunctione hujuscemodi vitaretur. Et uſque ad Moyſen pervenit conjugium in lege naturali fundatum. Deinde aliquam regulationem accepit, quam in lege naturæ non ſervavit, & ſic pervenit uſque ad evangelicam legem & tempora Chriſtianitatis, ſecundùm quam juſtitiam hujusmodi ſtatum decrevimus pertractare. Chriſtiana profectò juſtitia, quæ omnem ſalutis ſtatum ſua linea dirigit, hunc ſtatum infra ſua retinacula frænat, atque ſua ordinatione diſponit, qui, niſi teneatur, aut dirigatur, pro ipſo aut paganiſmo, ſive judaiſmo,
1, Cor. 8. aſciſcitur. Pro cujus directione, inquit Apoſtolus ad Corinthios. Propter fornicationem autem unusquisque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat. Præſupponebat Apoſtolus conjugium à Deo mandatum in lege naturæ atque in Moſaica lege, ſed in novo teſtamento ſeu in lege gratiæ noverat in ſua ordinatione ſine præcepto manere. Non enim in Chriſtiana juſtitia ſub præcepto matrimonium cadit, alioquin multorum ex impoſſibilitate aut ex voto non nubentium certa eſſet damnatio. Prævaricatio præceptorum damnationem nanciſcitur, niſi correptio ante vitæ terminum ſubſequatur, & conſilium ſubderetur præcepto,
1, Cor. 7. quod de juſtitia Chriſtiana pro perfectione præfertur. Dicit ergo Apoſtolus: Unusquisque habeat ſuam uxorem propter fornicationem. Sed Deo gratias, quòd Spiritus Sanctus fuit in lingua ejus, quod non dixit, ducat. Nam uxor ad devitandum fornicationem non eſt ducenda, ſed habenda, ducendam verò Deus ſtatuit tantummodo propter prolem. Hæc enim hujus ſtatus tota & principalis eſt cauſa, ut uxor ducatur non propter devitandam fornicationem, ſed propter prolem. Et inde matrimonium dicitur, ut mater omnino velit fieri, quæ traditur nuptui, & vivit lege conjugii. Nec conſennit divina atque Chriſtiana juſtitia, ut id, quod expedit devitare ſit priùs ordine atque dignitate illo, quod expedit agere, & devitatio fornicationis ſit cauſa prolis. Magis verò proles, pro qua ſuſcipienda matrimonium agitur, ſit cauſa, qua fornicatio devitetur: nam ſi duntaxat pro fornicatione vitanda uxor duceretur, tunc maximè fornicatio ageretur, quia ibi non eſſet intentio prolis, ſed in certo vaſe atque determinato propoſitum explendæ libidinis. Sed ſi hòc intentione præfertur, quod proles habeatur, hoc permittitur: quod fornicatio per conjugium & uxorem propriam, aut virum proprium caveatur. Sed ſolerti ſermone Apoſtolus uſus eſt, cum dixit, ſuam uxorem: ſuam, ut excludat alienam: uxorem, ut excludat ſcortum & ſolutam à lege viri, & ſtuprum & omnem aliam, niſi legitimo matrimonio copulatam honeſtè traductam. Et eadem lege mulier habeat virum ſuum. Sed quid dicam de illis, qui tantùm in ardore, atque propter ardorem concupiſcentiæ fœtentis luxuriæ conjuguntur, qui conditionibus omnibus penſatis, nunquam aliter jungerentur, atque ſi conjuncti forent, libenter divortium paterentur, nec propter conjugium intentionem habent aliquam filiorum, ſed delectationem carnalium, quàmvis oriantur ordine naturæ in virtute ſeminis, qui fortè naſcerentur ex ſcortis. Ubi aliter me niſi comprimat ſanctiſſimæ matris eccleſiæ authoritas, audacter dico, quòd ſi matrimonia ſunt in foro, ſcorta ſunt in occulto atque divino judicio. Quæ igitur conjugia ſunt in Chriſtiana juſtitia, quæ facta & procurata ſunt ex vanis aſpectibus, & oculorum nutibus, & multoties interpoſitis non paranymphis, ſed lenonibus? Quæ conjugia ſunt, aut quomodo Chriſtiana, quæ fiunt clandeſtinè, ubi propter ardorem luxuriæ alter decipitur & permittit omnia, dum à libidine incenditur, ubi obruitur ratio, cæcatur intellectus, alienatur memoria, deordinatur affectus, ubi nulla ſunt ſana conſulta, ubi omnia vadunt in præceps, ubi Deus æternus inſtitutor conjugii offenditur, Chriſtus redemptor ſpernitur, peccatum committitur, & uxor non cognoſcitur, niſi ut fornicaria, nec vir aliter quam fornicarius ex libidine amplexatur? Eſt ne iſta Chriſtiana juſtitia, ubi ordo confunditur, honeſtas nulla ſervatur? Hæc breviter pro Chriſtiana juſtitia declamabo ad emendationem eccleſiæ cujus membrum me eſſe profiteor. Quod ſi poſt illam inflammatam igne funeſto corporum conjunctionem, firmatam promiſſis omnibus, anulis datis conſenſionibus in conjugio mutuis factis, altera partium pœnitentia ducta ſtatim aſpiraverit in cœlibem vitam, votoque firmaverit, nec ad funeſtam conjunctionem deinceps fecerit recidivum, aut ad ſimilem quantumcun-

tumcunque altera renitente, illam dixerim non teneri, ut nec magis obliget illa conjunctio, ad quam vocavit diabolus, quàm caſta vita & cœlebs, ad quam revocat Chriſtus. Quid dicam de conjugiis in propatulo celebratis ſine reſpectu prolis, ob affinitatem magnam, ob avaritiam, propter dotem nimiam, propter delectationem carnalem, propter pulchritudinem, ob rem penitus aliam, quàm propter prolem? Quid de illis, qui uxores ſteriles quærunt? Quid de illis, qui habent, & non quæſierunt? Quid de illis, qui propter paupertatem filios plures nolunt, & aut uxores non cognoſcunt, aut uxoribus abutuntur? Sed de illis aliud quàm eccleſia non dico judicium, ſed in malis intentionibus, & abuſibus penitus non dico deeſſe peccatum. Et licèt tolerentur in matrimonio multi actus impuri & impertinentes, nunquam tamen excuſantur, ſi non cortigantur peſſimæ intentiones. Ad quid igitur in matrimonio quæruntur, quæ de jure matrimonii non eſſe noſcuntur? Ad quid pulchritudo quæritur in uxoribus, quæ magis eſt meretricibus expoſita, quàm uxoribus apta? Fœcunditas in uxore, non pulchritudo quærenda eſt. Multis malis ſe onerat, qui pulchram petit uxorem. Aptior eſſet ſapienti viro, uxor turpis & fœcunda, quæ cuſtodia non egeret, quàm pulchra, quæ indiget. Iſta nanque à multis appetitur, & difficile fit cuſtodire. Illa non appetitur, & eſt à turpitudine cuſtodita. Peccant, qui uxores volunt ſteriles, quibus præter carnis delectationes matrimonii nullus eſt fructus. Utinam caverent conjuges à concubitu poſt experientiam certam. Nam carnis delectationem habent, fructum conjugii non habent, quibus nulla fiat adulatio, quod propter prolem excuſatur carnis delectatio, dum poſſent abſtinere propter virtutem caſtitatis, quos delectat concumbere ob delectationem carnis, nullo reſpectu habito prolis. Ac per hoc juſtitia Chriſtiana à matrimonio velut regula fabrilis, omne impertinens, indecens, indecorum, inhoneſtum excludit. Omnem cauſam malæ delectationis devitat, amplexus venereos, oſcula turpia, omnem immunditiam procul pellit. Noſcant nempe omnes Chriſtiani, quoniam Spiritus Sancti virtus habitat in membris noſtris. Non enim eſt caro noſtra pecorum, non avium, non piſcium, non pura humana, ut in paganis atque Judæis, ſed baptizata eſt, chriſmate ſignata eſt, cœleſti ornamento inſignita eſt. Non decent immunditiæ, non fucamenta immunda, ubi eſt munditia tanta in baptiſmate prærogata, & ornamenta cœleſtia Chriſti bonitate donata. Sit intentio agentis in matrimonio cum inſtituente conformis, ſint actus matrimonii, ut vult juſtitia Chriſti. Nam quicunque aliquid præter id, ad quod ordinatum eſt, in toto vel in parte ad aliam partem inflectit, in toto vel in parte delinquit. Cùm bonum ſit matrimonium, ſed ſæpe abuſus committitur, bona ſunt quæcunque creata, ſed amor ſæpe pervertitur, ex quo perverſus uſus exoritur. Igitur matrimonium propter prolem, & habeantur vir & uxor ad devitandam fornicationem, non quod ducat uxorem, qui poteſt continere, nec qui conjugati ſunt neceſſario copulentur, ſi communi conſenſu caſtè vivere volunt. Fragilitatem humanam & diabolicam ſurreptionem Apoſtolus præcavens, debitum 1. Cor. 7. matrimonii non ad imperium, ſed ad indulgentiam allegavit, dicens: Uxori vir debitum reddat. Si ſcilicet Verbo vel ſigno petiverit, aut ſi vir aliter cognoverit uxorem ſuam ab ipſo debitum velle, quod ob verecundiam, qua mulieres frænantur, nec Verbo vel ſigno velint expetere, præcepit non incongruè, ut debitum reddat, quoniam qui potior eſt in ratione, magis & prius obligatur ad debita, ſi qua ſunt reddenda. Similiter & uxor debitum reddat viro ſuo expetenti. Nam uxor quamvis ligata lege mariti, ſi amatrix eſt caſtitatis, virum non ſolicitet per blanditias, nec curet eum actionibus prævenire ob verecundiam ejus. Inverecundi enim ſunt communiter præcipuè cum uxoribus viri. Ecce quod factum eſt in matrimonio quoddam corporis debitum, quàmvis matrimonium non ſit in Chriſtiana vita præceptum, ſed debitum factum eſt ad evitandam fornicationem, conjugium ordinatum extitit propter prolem. Ad prolem autem non debitum eſt, neque præceptum, ſi ad caſtitatem propter Deum ſervandam mariti & uxoris fuerit concordia voluntatum. Neceſſitatem debiti reddendi Apoſtolus per translatam corporum 1. Cor. 7. poteſtatem oſtendit, cùm neuter ſui corporis habet poteſtatem. Ait enim: Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, ſimiliter autem vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Solertiſſima intelligentia opus eſt, ut Verborum claritas pateat. Neuter conjugatorum habet ſui corporis poteſtatem retinendi corpus in ſe, & ad ſe propter caſtitatem, aut ob aliam rem, nec denegandi, ubi expetitur debitum, nec poteſtatem alterius tribuendi aut conjungendi ob aliquod placitum. Ac per hoc non eſt hic

facta translatio poteſtatis in voluntatibus, ſed in corporibus, ut unuſquiſque caſtitatem diligere, debitum verò per corpus, cùm expetitur, reddere teneatur. Ut ſi communiter non quæritur caſtitas, corporum ſit translata poteſtas, quàmvis unius caſtitatem non velit omnino unius partis voluntas. Sed omnis juſtitia libera poteſtate concedit, ut unuſquiſque plenæ rationis capax, voluntariè, non coactus poſſit juri ſuo abrenunciationis dare libellum. Unde ſi vir caſtitatis amore perfuſus, juri ſuo renunciaverit in uxore, non petat debitum, quod renunciavit, ſed reddat cum expetitur, quod altera pars non voluit. Similiter & uxor faciat in marito. Si verò ambo renunciaverint adducere quieta & deliberata concordia, nihil in matrimonio Chriſtiano ſanctius dixerim quàm ſit caſtitas, & corporum tanta libertas, & animarum in libertate tanta jucunditas, quàmvis contrarium ſentiant, qui caſtitatis altitudinem non viderunt, Qui verò illam cognoverunt, omnino poſtpoſuerunt prolem & corporum conjunctionem. Et ſæpe fit, ut una partium ex certa culpa jura corporis perdat in altera, ex commixtione propinqui ſanguinis, quæ nunquam debitum exigat, ſed cùm exigitur, reddat. Si verò altera ſimile fecerit, & ambæ partes deliquerint, ad idem dixerim, ut aut tacitè ſervetur caſtitas ab utraque parte jus perditum non petente, aut expreſſè utriuſque facinus adinvicem notum fiat, & uterque pœnitentiam agat, & caſtitas moneat, ut quod non ſit ex electione voluntatis, fiat neceſſitate perditi juris. Quod ſi fornicatio interfuerit, præterquam in propinquis, altera partium caſtitatem ſervante, aut libellus repudii penitus interveniat, aut reconciliatio fiat cum emendatione fida ſceleris, & regula honeſtatis. Si verò altera partium in malo perſeveraverit, nullo modo in carnis conjunctione conſentiat, quæ fidem matrimonii & caſtitatem ſervavit. Nam ſi debitum redditur, dicente Apoſtolo, ad devitandam fornicationem, igitur ſi non devitatur, penitus non reddatur. Nec obſtat, quòd objici poſſet, quod etiam ex parte, quæ fornicata eſt, ſi cùm honeſtate in idipſum redierit, valeret ſuſcipi bonum prolis, quia Chriſtiana juſtitia, quæ nihil impuritatis admittit, magis reſpicit fidem, honeſtatem, atque virtutem, quàm, quæ poſſet egredi, prolem, nec patitur quod pars caſta, fidemque ſervans participium habeat cum parte adultera in commixtione carnis, quamvis permittat in cura & obſequio rei familiaris. Adulteram dico partem, quæ cum adultera libens in carnis commixtione ſe ſociat, niſi altera pars à malo penitus reſipiſcat, & reconciliatio fiat. Proinde non interveniente caſtitate in conjugio ex omni concordia, fornicatione verò ab utraque parte procul pulſa, & corporum poteſtate translata, ſi requiritur debitum, non fiat fraudatio corporum. Propter quod Apoſtolus dicit: Nolite fraudare invicem, ſubtrahendo corpus, cùm expetitur debitum, niſi ad tempus, ut vacetis orationi, hoc duntaxat ex conſenſu atque concordia voluntatum, ſcilicet ſubtrahatur debitum. Sed nec credendum, quòd poſt redditum debitum non ſit orandum, niſi communis intervenīat, & utriuſque conſenſus, quia poſt redditum debitum, altera poteſt orationi vacare, reliqua diſſentiente. Proinde hoc, quod dicit Apoſtolus: Non fraudare invicem, niſi ex conſenſu, ut vacetis orationi, ſic diluceſcit habentibus juſtitiam Chriſtianam, atque intelligentiam ſanam, quòd propter orationem & divinum cultum contemplativè deductum, conjuges poſſunt ſe mutuò ſeparare à conjunctione corporum, & vacare divinis, & dimittere intentionem prolis, ſi nolint conſentire fervori libidinis, quæ ſæpe diverſimodè ſolicitatur in membris per hebdomadam ſive menſem, ſive quadragenam, ſive ſemiannum, ſive totum, ſive dum vivunt. Præfertur enim cultus divinus per lectionem, orationem, meditationem, contemplationem, generationi filiorum. Beati enim in hac parte poſſent juſtè cenſeri, ſi quantumcunque fœcundi & apti propagationi filiorum, ſi ob divinum cultum conjuges à concumbendo ceſſarent, & quòd permittit fraudationem corporum non reddere debitum propagatioin filiorum, duntaxat ex communi conſenſu propter divinum cultum, & expeditum virtutis actum, tanquam propter melius in comparatione propagationis filiorum. Sed cùm vult atque præcipit, quòd fiat regreſſio in idipſum, non propter prolem, ſi ſic permanere poſſunt, ſed propter tentationem, ne deveniatur in fornicationem, aut in turpem libidinis actum, ſi continere non poſſunt ambæ, vel altera partium. Exceptionem nihilominus patitur iſtud apoſtolicum dictum, videlicet, ſi qui voto atque concordia ſanxerint de caſtitate ſervanda, tunc ſi altera partium, diabolo inſtigante, libidine carnis ſolicitante pœniteat, atque debitum repetat, certum ſiat, quòd mortaliter peccat. Reaccipere ſanè vult ſemetipſum Deo de altari munditiæ, in quo ſe obtulerat & man-

1. Cor. 7.

mancipaverat omnipotenti Deo. Altera verò nullum præſtet omnino conſenſum, ac ſi nollet perficere adulterium, quod omnino committeretur, ſi uterque copularetur. Quod ſi poſt carnalem copulam aut ante, communi & deliberata concordia ſe caſtraverunt propter regna cœlorum, jura & poteſtatem corporum mutuo unus in altera perdiderunt, unus non tenetur alteri quantumcunque petenti debitum reddere, neque pro devitanda fornicatione, neque pro prole. Et eſſent adulteri, ſi conjugerentur in ſeipſis, velut ſi commiſcerentur cum aliis, & unuſquiſque altero permittente reaccepit in ſe poteſtatem ſui corporis, nec eſt alterius juris, duntaxat ſervata cura, & ſolicitudine rei familiaris, & communis habitationis, quæ niſi regulari regulatione utriuſque non auferuntur. In primitiva eccleſia, quando virtus Chriſtianitatis tanta coruſcatione mundo intonuit, multa ſunt facta divortia matrimonii quantum ad conjunctionem corporum propter regnum cœlorum. Multi poſt conceptum ſemen nunquam adinvicem jungebantur, tantùm videlicet reſpectum habentes ad prolem. Aliqui ſtabant per menſem, aliqui ſe caſtrabant, non abſciſione membrorum, ſed continentia voluptatum per quadragenas & annum, & aliqui ſervabant totius vitæ tempore cœlebatum. Pro eo verò, quòd dicit Apoſtolus, iterum revertimini in id ipſum, cauſam ſupponit, dicens: Ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram. Sed nec hoc imperare ſe dicit, aſſerens matrimonium in Chriſtianitatis tempore de præcepto non eſſe, neque concumbere cum uxore cadere ſub mandato, niſi propter incontinentiam, non propter prolem, ſi vouerunt in animo & 1. Cor. 7. moribus caſtitatem. Unde adjecit: Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium. Ut expreſſè dicere velit: Conjugium non eſt ſub præcepto, neque concubitus, ſed voluntate contrahentium & concumbentium. Ideo non dico revertimini in idipſum, velut imperans, ut vos mandato ſubjiciam, & obnoxios faciam. Sed dico ſecundùm indulgentiam, ut ſi continere non poteſtis, indulgeo, concedo, permitto, parco, quòd adinvicem conjungamini, tam reſpectu prolis, quàm fornicationis vitandæ. Si verò altera pars connnere poſſet, altera verò omnino nollet, aut nequiret, in hoc ſupervenit præceptum, ut reddatur petenti debitum, cùm ſit voluntatis expetere, ſed debiti & neceſſitatis ſit reddere. Aſperiori autem intellectu hac litera intellecta turbabuntur plurimi pro his, quæ dicturus advenio, cùm dicit ſecundùm indulgentiam, nam ubi requiritur indulgentia, manifeſtum eſt non deeſſe peccatum, ſolùm indulgentia indiget quod probatur fore peccatum ſive delictum. Igitur omnino in illa conjunctione corporum conjugatorum, in qua intenditur, aut quæritur aliud, aut agitur præter intentionem prolis, etiam ſi omni deſiderio quæratur beneficium prolis, peccatum ſaltem veniale non deerit, quàmvis, divina gratia operante, deeſſe poſſit, quod ſi deeſt, cognoſcere non eſt de humano judicio, ſed reſervatur divino. Idcirco ſecundùm indulgentiam Apoſtolus dixit, ut ſi aliud in conjugio, præter prolem ex delectatione libidinoſa, in concumbendo aut non concumbendo, ex contactu corporum quæritur, peccatum nullo modo vitatur, quod indulgentia indiget, etiam ſi cum hoc deſiderium prolis viget, nec propter hoc damnatur conjugium, quod naturale noſcitur bonum propter propagationem filiorum, quàmvis culpabiles ſint lubricitatis & concupiſcentiæ in opus deductæ filiorum hominum. Quòd autem ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium dixerit, adjecit: Volo autem omnes homines ſicut meipſum eſſe. Virgo erat Apoſtolus animo & corpore, continens erat, caſtus erat, nec in nuptias aſpirabat. Hic omnino Paulus nuptiis prætulit virginitatem, non per imperium, ſed per conſilium, nec nuptias per imperium, ſed permiſſum ad prolis beneficium, ut etiam deviteтur fornicale periculum. Nam ſi ſub affirmativo mandato eſſent nuptiæ conſtitutæ, virginitas & continentia ſub negativo ſiſterentur. Si verò virginitas & continentia affirmativo mandato ſubjacerent, nuptiæ negativo mandato adſcriberentur. Hæc eſt enim regula mandatorum Dei, & eorum omnium, quæ mandato traduntur, quòd ſi unum diligendum, odiendum, ſciendum, faciendum mandato ſubjacet affirmativo, deſperatum contrarium ſubjicitur negativo. Et ſi unum jubetur, contrarium prohibetur, & quod dicitur, reconvertitur. Sed conjugium, & virginitas neque ſub mandato affirmativo aut negativo prima electione ſubduntur. Virginitas verò electa, votoque ſirmata, præcepto ſubditur affirmativo, ut omnino ſervetur, contrarium ejus ſubditur præcepto negativo, ut nulla ratione admittatur. Conjugium electum, ratum, & confirmatum, hoc ſolùm habet præceptum, ut reddatur, ſi expetitur debitum. Vigilanti Verbo Apoſtolus lucutus eſt:

eſt : Volo autem omnes homines ſicut meipſum eſſe, ſed hoc non eſt humanæ virtutis. Proinde adjunxit : Sed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic. Sed o ! Apoſtole Dei, Sancte Dei, electe Dei, ſi omnes te imitarentur, unde filii & filiæ, homines & mulieres naſcerentur ? Si omnes eſſent virgines, unde naſcerentur & virgines ? Unde genus humanum propagaretur, ſi omnino ab omnibus cœlebs vita ageretur? Sed utinam ab eo tempore quo Chriſti Evangelium claruit, aut nunc ſicut iſta vita decrevit, omnes homines & mulieres tenuiſſent aut tenerent perfectiſſimè cœlibatum. Quòd autem ſic compleretur numerus electorum, & finiretur iſta miſeria, ſive aliter provideretur in propagatione hominum, Deo poſſibile eſt, qui ſimul ac repente aut etiam ex nihilo eduxit militiam angelorum. O ! hominum magna temeritas & infrunita veſania, quòd imaginatur Dominum aliter homines educere non poſſe, niſi ex carnis corruptione. Unde eduxit angelos, unde ſublimiſſimos cœlos, unde multitudinem ſtellarum, magnitudinem ipſarum unde compoſuit, quatuor elementa unde produxit ? Utinam facerent homines quod in eis eſt, & implerent per caſtitatem Domini voluntatem : Fecit & faceret Dominus omnipotens quod in eo eſt, qui faciendi omnia poſſidet omnimodam & celerem facultatem, ſicut dixit, & facta ſunt, ſic ſi vellet, & fieret. Quæ inſipientia, ſapientiæ infinitæ dare conſilium, & credere, quòd deeſſet creatori potentia, unde propagaretur creatura? Quid curæ ſit hominibus de propagatione hominum, dum placeatur creatori omnium? Videbat Apoſtolus per Spiritum Sanctum, à quo intus illuminatus erat, quòd virginitas magis, quàm conjugium creatori placebat, ideoque dicebat : Volo autem omnes ſicut meipſum eſſe. Non enim hæc dixiſſet vas electionis, ſi non cognoviſſet in hoc voluntatem omnipotentis. Vide- [Matth. 3.] bat Apoſtolus in Deo non deeſſe potentiam, quin aliter humanam naturam poſſet propagare. Videbat Joannes Baptiſta, cùm Judæis dixit : Potens eſt autem Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ, quod quàmvis multi referant ad gentiles, nihil penitus obſtat, quin referatur ad lapides, ex quibus poſſent fieri homines ſupernæ civitatis hæredes. Sed quàmvis ve- [1. Cor. 7.] lit Apoſtolus omnes donum virginitatis habere, pariter novit non omnes habere. Idcirco dicit : Sed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo. Non ex homine [Sapient. 8.] donum eſt caſtitatis. Proinde Sapientia dicit : Et ſcivi, quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det. Magis autem abſque dubio tenendum eſt, quòd hoc donum Deus volenti nemini denegat, nec enim ad aliquid hortatur, quòd vellet à nobis fieri, quod ipſe præſto non ſit, petentibus elargiri. Alioqui ſua exhortatio, atque voluntas magis haberet in ſe captionis diſcrimen, quàm infallibilem largitatem. Sed alius quidem ſic, quia voluit hoc donum, & Deus dedit. Alius verò ſic, quia noluit, & Deus non dedit. Alloquitur ſiquidem Apoſtolus omnes, ad [1. Cor. 7.] virginitatem & caſtitatem, prompto Verbo & animo compellans : Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego, ut conjugari nolint, quia caſtitas ex toto in novitate vitæ præcellit. Judæus erat Apoſtolus, & ex circuncisione Moſaicæ legis & paternarum traditionum magnus æmulator, qui ante vocationem interrogatus decreviſſet pro conjugio, quanquam ipſe adhuc conjugio non catenatus, in novam vitam, quam initiavit Deus inter homines factus homo, Chriſto vocante, ingreſſus pro caſtitate decrevit, ut omnium corpora vellet ejus ſigillo muniri, quo ſe noverat, imo amabat eſſe munitum. Nec in eo, quòd dicit, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, matrimonium obfuſcat ad malum, ſed bonum pro meliori ſumitur, ut caſtitas tanquam melius bono matrimonii præferatur. Et ne omnimode præferatur matrimonium caſtitati, ſed ſubjiciatur, comparat ad peccatum, cùm adjungit, quòd ſi ſe non contient, nubant, melius eſt enim nubere, quàm uri. Videat igitur, qui legit, quale bonum eſt, quòd ſolùm permittitur devitatione peccati. Sed ſunt quidam, hoc dictum Apoſtoli perverſè intelligentes, qui hoc quod dicit Apoſtolus uri, ad tentationem referunt, ut melius ſit nubere, quàm tentari, aut quotidie ſuſtinere incendia carnis, ignem libidinis & certamina multa. Quibus in fide Chriſti audacter reſpondeo, quòd ſi libidinis incentiva & tentationes carnales, aut à dæmonibus immiſſæ, nunquam uſque ad mortem in agoniſtis Chriſtianis ceſſarent, melius eſſet illa perpeti cum propoſito caſtitatis, quàm conjugari pro talibus devitandis. Et ultra progredior, quod fortè ſanius ſilentio præterirem, ſed non dicam, ut injiciam laqueum, ſed ut oſtendam melius ſuper bonum, quod ſi quiſpiam firmum habens caſtitatis propoſitum propter Deum, ſive voto aut non voto firmatum, diabolo impellente, corruerit, dixerim adhuc conjugato præferri, ſi in veritate reſurgit. Nam ſi à

monte

monte virginitatis per corruptelam & meritum perditum irreverſibiliter omnino defluxit, nihilo minus habet, unde ſe tollat in collem continentiæ, cujus meritum ſecundùm Chriſtianam juſtitiam, excedit meritum caſti conjugii, hoc duntaxat excepto, quòd in conjugio, ſi ſervetur illa caſtitas, qua carnis conſiſtat integritas, & corporum non fiat laſcivus contactus, hujus aſſero, quòd major eſt fructus, quia nomen conjugii non admittit, quod propter Deum ſervata caſtitas in ſua virtute ſortitur. Etiamſi alter conjugum animo firmo diligat caſtitatem, & nunquam debitum exigat, ſed ſolùm cùm exigitur, reddat, quòd non perdit meritum ſeu præmium ſexageſimum continentiæ, quia fecit, quod potuit pro caſtitate in ordine Chriſtianæ juſtitiæ. At verò quoquo modo ſe habeat ordo rei, hoc, quod dicit Apoſtolus: Melius eſt nubere, quàm uri, non refertur ad urentes tentationes, ſed ad actuales corporum prolapſiones. Alioqui quomodo diceret Apoſtolus: Volo omnes eſſe ſicut meipſum. Etiam extitit, ut ipſe aſſerit, à carne tentatus. Multi ſancti, quorum ſuffragia petit eccleſia, extiterunt crudeliter à carne tentati, atque à ſatana turpiter agitati, quorum aliqui decennio, aliqui per quindecim, aliqui per viginti, aliqui per triginta, aliqui per quadraginta annos, diſpariter & pariter, magis & minus carnis aduſtiones inceſſanter pertulerunt, hoc ſibi adſcribentes ad coronam, quia vincebant libidinis pugnam. Et malebant magis uri ſic non præſtando conſenſum, quàm per conjugii copulam ſuſcipere refrigerium. Hæc omnia pro tanto diximus, ne matrimonium ſub præcepto ponamus, & caſtitatem ei præferamus, & quanta honeſtate agatur ab his, qui voluerunt in hoc mare deſcendere navibus voluntatis. Sed ad directionem ejus alio loquendi ordine revertamur, cùm omnino hoc ſit conſueta lege, quòd conjugia fiant. Talis conjugibus ab Apoſtolo indicitur forma vivendi, quòd nullum divortium fiat, niſi ſecundùm legem Chriſtianæ juſtitiæ, atque ſecundùm ordinem occultæ, vel publicæ honeſtatis, quod non ſolùm ab Apoſtolo, ſed à Domino prohibetur, in eo, quòd dicitur: His autem, qui in matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus uxorem à viro non diſcedere, quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut à viro reconciliari. Et vir uxorem ſuam non dimittat, & quòd dicitur reconvertitur, quia conjugatorum ſcilicet maris & fœminæ pro conjugio æqualis eſt una & æqua conditio, quæ verba omnino diſſuadent divortium in utroque atque in altero conjugatorum, niſi propter amorem caſtitatis, uſque ad terminum vitæ, aut pro certo tempore, ut vacetur orationi, conſenſu atque concordia voluntatis, aut cauſa prætactæ fornicationis, ita quod receſſerit ab altero, quia fornicatus aut fornicata eſt, ſive qui fornicationem dimiſerit, aut reconcilietur, aut maneat ſine nuptiis, & ſine omni alio actu alterius fornicationis, ſive damnatæ libidinis. Alterius datur in conjugibus documentum propter divinum cultum atque obſequium, ut qui uxores habent, ſint tanquam non habentes, & reconverte quod dicit. Ac ſi apertè innuat, vir non dimittat facere pro uxore quicquid faciendum eſt pro ſalute, nec uxor dimittat pro viro, quod neceſſariò exquiritur à Deo. Nec unus in hoc alteri præſter obſtaculum, ut divinum impediatur præceptum. Ac noliſ unus ab alio tantùm diligi vel timeri, aut diligatur ſive timeatur, ut fiat quod fieri prohibet Chriſtiana juſtitia, ſeu non reddatur, quod ſapientia quærit divina. In his nempe, quæ ad Deum pertinent, pro honore ſui culminis, decore honeſtatis, neceſſitate ſalutis, pro lege Chriſtianæ juſtitiæ, pro robore conſuetudinis juſtæ in pulchritudine ordinis, nec vir revereatur uxorem, nec uxor viro in aliquo deferat, & ſi timeri velit, minimè pertimeſcat. Legimus Thomaidam nobilem Chriſtianam ſuſtinere maluiſſe transverberantem mariti gladium, quàm ejus injuſtum imperium. Et conſecrata eſt per mortem in mariti gladio, pro ſervando divino præcepto. Igitur quæ ſunt divina opportunè zelantes, ſi habent uxores ſive maritos, penitus ſint tanquam non habentes. A ratione Chriſtiana juſtitia omnino exorbitat, ut ordo conjugii præpediat ordinem divini obſequii atque præcepti, cùm ipſe ſit Dominus ordinis utriuſque, qui licèt multa fecerit, varia ſive diverſa, nulla tamen fecit ad ſeipſum contraria. Nam ſicut in rebus creatis nihil ſibi creavit adverſum, ita in rebus ordinatis atque conceſſis, nihil ſibi vult eſſe contrarium. Et naturalis ordo juſtitiæ omnino ſuadet, quòd primò latriæ atque juſtitiæ cultus exhibeatur creatori, deinde inculpatè teneatur ordo conjugalis obſequii. Et cùm multa ex veteri teſtamento ſub ænigmatibus de ordine ſeu honeſtate conjugii & forma vivendi habeantur, tantummodo Apoſtolum ſecundùm juſtitiam Chriſtianam in hoc opere proſequamur. Scribit ipſe ad Epheſios totum eſſe conjugii, dicens: Epheſ. 5. Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes

tes redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Et cùm hoc intuliſſet ad omnium generalem cautelam, ſtatim ad cautelam, & formam & intentionem conjugii declinavit. Mulieres viris ſubjectæ ſint, ſicut Domino, quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt eccleſiæ, ipſe Salvator corporis ejus. Sed ſicut eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi eccleſiam glorioſam, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata. Ita viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua, quia per ſuam uxorem diligit ſeipſum. Nemo enim carnem ſuam unquam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam ſicut Chriſtus eccleſiam, quia membra ſumus corporis ejus, de carne & oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico, in Chriſto & in eccleſia. Veruntamen & vos ſinguli unuſquiſque ſuam uxorem ſicut ſeipſum diligat. Uxor autem timeat virum ſuum. Aſpicite ſacramentum in matrimonio ſignatum, aſpicite munditiam, aſpicite dilectionem, & qualiter ſint tractanda matrimonia Chriſtiana, cognoſcite. Quanto timore, atque honore, quanta reverentia, quanta honeſtate membra Chriſtiana ſint tangenda, vos ipſi perpendite, niſi fortè reprobi ſitis, ut inter Chriſtianam carnem, & Judæorum, & paganorum, & brutorum non velitis omnino diſtinguere. Qui verò diſtinguere noluerunt, ſordidè ſuis voluptatibus detenti ſunt, ſe in volutabro horrendæ libidinis immergentes. Ad honorem autem invicem ſentiendum atque tenendum & converſationem bonam habendam, ornatus formam in mulieribus omnino ſervandam Apoſtolus ad

1. Tim. 2. Timotheum ſcribit, dicens: Volo orare viros in omni loco, levantes puras manus ſine ira & diſcrepatione. Certum eſt, quòd matrimonium oratione oportet ornatum fieri, & ſine ira & quæſtione cum uxoribus viros vivere decet. Ad mulieres verò dicit: Similiter & mulieres in habitu ornato cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe. Non intortis crinibus aut auro aut margaritis, vel veſte pretioſa, ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Ornatus habitus non interdicitur mulieribus Chriſtianis, ſed faſtus & exceſſus, à neceſſitate, à ſtatu, ab ætate. Aliud eſt enim, quod vult neceſſitas, aliud quod ſtatus, aliud quod ætas. Neceſſitas refugit omne ſuperfluum in omni genere ſuo. Status enim quærit ornamentum pro ſigno. Ætas aliud parvulis, aliud adultis, aliud adoleſcentibus, aliud invenibus, aliud ſenibus, aliud decrepitis tradit. Sed in omnibus neceſſaria verecundia. Si verecundari mulieres omnino ſanxit Apoſtolus, imo DEUS atque natura, nunquam ornatus, niſi de vanitate notabitur. Nam vanitas verecundiam de moribus omnino propellit. Sobrietatem adeſſe inexcuſabiliter declarat Apoſtolus, quæ in nullo excedit præfixam à veritate menſuram. Calamiſtrari mulieribus penitus Apoſtolus interdicit. Capillorum enim contortio, contortæ mentis eſt ſignum, & obliquam mentem ad DEUM inſinuat. Aurari non decet formam Chriſtianam, ut ejus fulgore ad ſe alienos oculos provocet, ne dum conſpicitur aurum, laſciviæ fiant mutuæ ſpectantium oculorum. Dum enim radiat in oculis aurum, oculorum nutus perforat animum. Et ex aſpectibus mutuis ignis libidinis excandeſcit, & impudicitia in corporibus naſcitur. Cujus occaſionem præbuit radians aurum. Margaritæ verò minus damnoſè proijcerentur ad porcos, & utilius ad medicinalia frangerentur, quam quod collo aut capiti, aut apponerentur veſtibus mulierum. Pretioſa veſtis ornat Judæam ſive paganam, ſed deturpat omnino in moribus fœminam Chriſtianam: non enim veſtis debet eſſe pretioſa, pro quibus mors Chriſti extitit pretioſa, nec in pretio veſtimentum pro quibus ſanguis Chriſti eſt pretium. Hinc Petrus in canonica ſua dicit: Quarum non ſit extrinſecus capillatura 1. Petri 3. aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus. Capillatura extrinſeca rete diaboli eſt ad animas hominum capiendas. Et quod flavi capilli, tot diaboli laquei. Habet hoc proprium mulier, capite diſvelato intentius incitare luxuriam. Et flavitas capillorum flavum ignem accendere in funeribus, ſæpe animas induxit in funus. Nec abs re velare mulierem præcepit Apoſtolus. In primitiva enim eccleſia decreto ſummorum pontificum firmatum erat, ut niſi capite velato mulier non poſſet in congregatione fidelium introire. Circundatio auri ad idem, quòd ſupradictum eſt, refertur, ut hoc non addatur incongruè. Quia quæ poſſunt in neceſſitatibus pauperum Chriſtianorum ſuppetere, in ornatum aſſumi non poſſunt prohibente Chriſtiana juſtitia, quæ divino cultu conſecrata, in uſum converteret egenorum, ſi aliunde cœperit non adeſſe. Multo magis prohibet non ornari per aurum

rum aut per pretioſum veſtimentum, quod ſine fraude nequit fieri egenorum. Et exterior cultus ſpiritus interioris generavit incuriam, ut nec ad verum Deum animi eſſet aſpectus, nec ad Deum debitus cultus. Neceſſario enim cultus cultum impedit. Sed incedant, & ornent ſe mulieres ſicut decet, quæ promittunt pietatem per opera bona. Pietas enim theoſebia eſt, ſcilicet divinus cultus, qui fit per opera bona, non per corporis vaniſſima ornamenta.

Cap. IV.

De juſtitia fratrum & propinquorum atque amicorum.

FRatres fratribus, propinquos propinquis alio vinculo nectit, atque ab alio more vivendi Chriſtiana informat juſtitia, quam propinquitas ſive natura, quamvis omnino bona
Geneſ. 4. ſit naturalis ſive originalis juſtitia. Legimus primos humani generis fratres Cain & Abel ex uno ſemine, in uno utero, ex una porta naturæ ad lucem & habitum hujus mundi habuiſſe ingreſſum, quorum alter creatorem, ſatorem, parentem naturæ communitatem, commune obſcurum habitaculum porta egrediendi æqualem, creatoris communem participationem non veritus, invidia, deinde odio cum multis malis intermediis, cum irrogatione funeſtæ mortis exarſit in fratrem. Conqueritur hic odo naturalis juſtitiæ, aut quotiescunque ſimile factum legitur, conqueritur ordo juſtitiæ Chriſtianæ. Unus eſt qui creavit, unde diverſitas? Una animarum natura, unde diverſitas? Una in omnibus eſt carnis natura, unde diverſitas? Unus eſt pater, & una mater, unde diverſitas? Unum ſemen, unum habitaculum, una porta, unde diverſitas? Unus modus naſcendi, & una mors dominatur in omnibus, unde diverſitas? Quodlibet horum inſpectum oculo rationis, diverſitatem debuit perhibere. Sed nihil horum aſpexit, qui ſic agitabatur in fratrem. Quid ſi ſuperaddimus propinquitatem fidei, communitatem divini & effuſi ſanguinis? Quid ſi participationem ſacramenti? Quid hæc addent ſuper propinquitatem generis ſive naturæ, quas nexiones omnino inſolubiles comſideratio iſta proſpiciet, quibus vinculis vinculabuntur vinculati fratres in ordine naturæ, ſi proſpectabant irreverberatè in ordinem juſtitiæ Chriſtianæ, libet præterire ſilentio, quam diſſerere verbo. Sed iſta eſt juſtitia Chriſtiana, quæ vertitur ſeu habenda eſt protinus inter fratres, ut in his conſiderationibus maneant, quibus in eis nutritur æqualitas, & in forma vivendi communitas, & oculos erigant in actiones, ut naſcatur charitas: ex quo continuo aufertur vitioſa diverſitas. Cur Cain fraterna torquebatur invidia, ſi Deus Abel reſpiciebat & munera ejus, & ipſe non erat à DEO reſpectus neque munera ejus? Potius debuit latentem ſive occultam cauſam inquirere, quàm fratricidium perpetrare. DEUM non eſſe acceptorem perſonarum, ſed virtutum absque ambiguitate ſervandum in cordibus eſt. Quare igitur reſpexit DEUS Abel & munera ejus? Pro eo, quòd Abel reſpexit Deum recto animo, & in omnibus moribus ejus, Deumque honorabat ſine fraude de muneribus ejus. Cur autem Cain non eſt reſpectus & munera ejus? Quia perverſa agebat in animo & moribus ejus. Ut quid Cain ordinem juſtitiæ conturbas in fratrem? Quid tibi mali fecit? In quo adverſum te lædit jura juſtitiæ. Teipſum primò confode, qui ordinem juſtitiæ adverſus Deum primitus pervertiſti. Quod Deus ad te, atque ad tua munera non reſpiciat, non fecit bonitas fraterna, ſed hoc tua malitia meruit. Reſpexiſſet unique, ſi reſpexiſſes. Nam ſi diligentes ſe diligit, & reſpicientes eum reſpicit. Inæqualitatem irradiantis ſolis non fecit lucis natura, ſed corporum diſpoſitio major vel minor ad ſuſceptionem ejus. Quod ſi ad beneficia divina inſurgentia in natura, irrogata per patentes referamus, cur frater ſurgit in fratrem? Cur excitatur invidia in tam propinquum naturæ conſortem? Si videt elegantiorem, induſtriorem, aptiorem, quid cauſæ naſcitur invidentiæ adverſus hujusmodi fratrem, qui aut accepit ab omnium conditore, aut à laboribus ſtudioſis. Si accepit ab omnium conditore, non eſt juſta invidiæ cauſa. Nihil enim acceptum eſt uni, quod datum eſt alteri. Sed quare datum alteri & non uni, datoris non eſt quærenda voluntatis cauſa. Proinde nec ei, qui non recipit adverſum qui recipit, habenda invidia. Licet omnium regi regum

pro

pro velle retribuere, noſtrum verò non eſt invidere. Excandeſcens invidia in conſortem, ut ex ſuppoſitione loquar, arguat Deum omnium largitorem, quem non poteſt juſtè arguere, non invideat fratri, aut non debet invidere, qui & debuit largita recipere. Sed ex propriis ſudoribus quis excelſit? Arguat ſemetipſum exceſſus, quia factus eſt negligens, & non ſit invidus in ſolertem. Et ſi cuiquam ad bonorum optatorum copiam veniendi, nec Deus aut natura conceſſit, tamen quietus maneat, qui hoc accipere non meruit, nec etiam, quod accepit. Ubi nulla præceſſerunt munerum & denariorum merita, non accipientes pulſari nulla debent invidia. Licitum eſt facere quod velit, qui eſſe iniquus nequit, nec ſi paternus atque carnalis amor in unum filiorum avidiori ſigno, quàm in alios, ut aſſolet, ſæpe transfunditur, alter frater invidia diffunditur. Latentes cauſas ſingularitatis diligendi atque inveſtigabiles habet omnis dilectio, & emanationes infrænabiles ad objectum. Unde, qui non, aut minus diligitur, adverſùs dilectum invidia, ſeu odio aut offendiculo injuſtè movetur, cùm, qui diligitur, ſolummodo diligentis placito diligatur, ac etiam multa injuſtè diligantur, & multa juſta dilectione priventur, & ſine procuratione dilecti, ut plurimum fit, dilectio impendatur. Quid namque cauſæ poterat adeſſe omnino, ut Iſaac plus Eſau, Rebecca Jacob animo plus amaret, nec Eſau blandiebatur patri, nec Jacob matri applaudebat, & ipſum poſteriorem priorem fecit in hæreditate præire? Non ergo ex hoc debet eſſe invidia inter fratres, quia in amore non æquantur apud parentes, cùm non videant dilectionis cauſas latentes. Nam ſi fortè Iſaac præamabat Eſau ratione venationis & primogenituræ, Rebecca Jacob propter virtutis inſigne, unde removenda eſt cauſa invidiæ. Si verò Eſau habere videbatur cauſam juſtæ querelæ, ſimiliter & invidiæ, quia Jacob pacto vilis edulii eum privaverit primogenitis, potius debuit arguere voraginem ſui ventris. Si quia ſuam ſurripuit benedictionem argumento materno, magis ſtare contentus debuit decreto paterno, qui poſt cognitam fraudulentiam & ſurreptionem non mutavit benedictionem. De jure namque dignoſcitur eſſe parentum, quod pro velle diſtribuant, & hæreditatrio jure relinquant filiis ſecundùm majus & minus, quæ propriis ſunt parta ſudoribus atque ſtudiis aggregata. Decretum namque paternum in donariis, in honoribus, primationibus atque relictis cauſam invidiæ in cordibus, querelæ in lingua debet abſcidere adinvicem filiorum. Etſi non aliter, ſaltem reverentia decreti paterni fratris in fratrem quantumcunque in omnibus potiorem debuit reprimere invidiam, refrænare querelam, nec etiam debuit in opus malum erumpere. Quid oberat fratribus, quòd Joſeph à patriarcha Jacob plus cæteris amabatur, cùm ipſi ſuo modulo amarentur? Non enim amoris, ut aquæ vena violenter divertitur, nec quiſquam poteſt ad ſe amorem alterius plus quàm velit diligens inclinare, & ipſe ſæpe, qui diligit, retinere non poſſit, nec amoris vena, quin ad placitum effluat, poſſit intra retrudi. In quo derogabatur cæteris fratribus, quòd Joſeph induebatur polymita & talari? Etenim ipſi ſecundùm paternam providentiam veſtimenta ſuſceperant. Et præter figuræ myſterium aliquid placiti ſpecialis habebat pater in filio, quo ſe ad eum ſingulari ſigno urgebat. Unde fratribus cæteris non cauſa invidiæ etque odii eſſe debuit ad Joſeph penultimum in ordine fratrum, ſed potioris amoris, quia videbant ad eum inclinatum affectum paternum. Degeneres probantur filii, qui acta paterna non amant: Qui quamvis non reprehendunt patrem ex actibus, tamen ejus invidebant in filium. Magna verò derogatio eſt in parentem, ſi non diligunt filii, quem noverunt patrem diligere. Et quædam voluntaria mutatio eſt paterni decreti, cùm fratres ex his, quæ pater agit ſingularius in quempiam filiorum, invidia moventur. Quid demebatur fratribus, quòd ſomnia videbat Joſeph, in quibus ſuperferri quibuſdam divinis auguriis videbatur. Volebat enim Deus ſibi, & non aliis ſua myſteria revelare. Non enim omnibus ſunt divina pandenda. Fortè inquies: Ideo invidebant, & oderant, quòd apud patrem accuſavit eos crimine peſſimo: Sed nec accuſavit ut invidus, non ut odioſus, non machinator iniqui. Alioquin ex juſſione paterna in puritate cordis ad eos requirendos in ſolitudinibus non iviſſet. Quia verò nihil habebat verſutiæ, nihil timebat odii vel invidiæ: Sed accuſavit ut juſtus, & malorum actuum deteſtator, cupiens fratres ſuos potius habere correptos, quàm felices habere in felicitatibus peccatorum, quod potius amorem, quàm invidiam & odium merebatur. Providebatur à Deo David in regem populo Iſraeli præ omnibus filiis Iſai, ut quid æmulatio fertur in fratrem, quie ipſe, non alii, fuerat à Deo pro miniſterio tanto prævifus? Potius gratulari debebant, qui erat eorum caro, os

eorum,

eorum, uterinus eorum, conſeminatius eorum qui aſſumebatur ad regnum. Et unus eſſe poterat, imo unus rex eſſe debebat, non omnes reges eſſe poterant, atque debebant. Filii David cœperunt in ſimul invidia propulſari, & plurimi vivente patre præſumpſerunt. In regnum verò pater, quem voluit, univerſo Iſraeli præfecit. Hæc omnia idcirco dixerim, ut inter fratres, ubi ex omni parte tanta communitas geritur, quòd invidia, æmulatio mala, ſchiſma, diſcordia, & omnis actio perperam propellatur, ut inter eos Chriſtiana juſtitia vigeat, cujus vigor animos dirigit, & confortat, cujus ducatus aberrare non ſinit, & in ſuperna, quos ducit, inobliquato tramite ſubvehit. Prohibet arctiori mandato juſtitia Chriſtiana umnem invidiam inter fratres, & diligentiori cautela occaſionem omnis mali avertit, ne frater invideat fratri, aut eum inhumanè impieque pertractet, dum æqualiter omnes ſubduntur paterno imperio, nullis ſuaſionibus patrem avertat à fratre, nec ad ſe magis, quàm ad reliquos aliqua illectione inclinare conetur, etiamſi dignum ſe credat amore, atque primationibus præhaberi. Læderet enim talis rectitudinem amoris, & contra ejus naturam vellet obliquare rectum aſpectum. Inobliquabilis eſt amor, cùm ſe præfixit in placito, etſi diligendi dignitate careret. Lux ipſa inobliquabilis eſt, etiam radiat in ſtercoribus. Fraus cruda omnino reprehenſibilis eſt à fratre paternum amorem avertere, ad ſe autem inclinare peccatoris crimen, omnis criminis notam gerens. Studebit igitur bene cognatus frater amorem paternum ſervare communem, & ardentiorem in fratres, quàm in ſeipſum facere. Avertet paternam iram à fratre, quamvis juſtè fieret ultio ſuper eum. Æſtimabit ſe poſſe peccare, ut etiam fratrum interceſſionibus indigeret. Delinquentium delictum non aggravabit in conſpectu paterno, magis verò extenuabit, & conabitur paterna fulgura comminantia in pluviam miſericordiæ facere. Quoniam naturalis & Chriſtiana juſtitia clamat: Quæ vultis, ut faciant vobis homines, facite: Quæ non vultis, facere nolite. Multò magis jubet fratribus unius ſeminis & propinquis in ſanguine; Chriſtianitate ſubjuncta, ut eadem lege ligentur. Non furabitur frater paterna ſive materna in fraudem amoris fraterni, nec quomodolibet appropriabit ſibi, quæ de jure naturalis juſtitiæ atque Chriſtianæ debent eſſe communia, & parentes ad hoc nullis arctabit articulis. Raptoris & furis non effugiet nomen, magis verò rem, ſi quis frater à fratre parentum bona defraudet. Etiam prærogativas deberet renuere, licèt parentes liberè puſſint prærogare. Melius enim eſt cum communitate rerum fratrem habere concordem, quàm rem habere privatam, & perdere aut habere occultè turbidum fratrem. Perſuadebit frater fratri, quæ bona cognoverit, nec ſi bonus eſt, gaudebit quòd amentes, ſtultos, monſtroſos, aut defectu notatos habet ſecum natos fratres, aut quia ſeipſo videt inferiores, aut quia in hæreditate minores. Nec enim ex his redditur major, magis verò germanorum infirmitate notabitur, & ſæpe ob ipſorum cauſam mallet eſſe ignotus. Etſi potior in hæreditate non per æquale diviſa lætabitur, ut ſuum potius ſit ex eo, quòd ad fratrem factum eſt minus. Miſerum & errantem dixerim fratrem, qui præamavit ſenſu ac ratione carentem magis quàm ratione fulgentem, & in tanta communitate conſortem. Prohibet juſtitia Chriſtiana de propinquorum infirmitate lætari. Et nihilipendit præminentiam viſibilium, atque corruptibilium rerum, quamvis gaudere permittat de infallibili adhæſione virtutum, etiam ſi quis habeat per exceſſum. Hæc eadem juſtitia primogenituram ſeminis, partus & temporis omnino non novit, quamvis aliter fuit in lege gentilium & in populo Judæorum, atque permittatur in lege regum ſive regnorum. Nam divina ſapientia omnia prævidit ab æterno, & in ipſo, & apud ipſum nullius creaturæ rationalis temporis penſatur prioritas. Sed creaturarum omnium præcellentia per corruptibile & incorruptibile, mortale & immortale, vegetabile & non vegetabile, ſenſibile & inſenſibile, rationale & irrationale, corporeum & incorporeum, virtute fulgens, & pallidum, juſta conſiderative decernitur. Unde ſi quis inter fratres ratione primogenituræ debeat præhaberi, ſive in hæreditate partorum ex paternis ſudoribus, aut in regimine regnorum & principatuum atque terrarum, ſi propria aut ſingularis virtus non mereatur, ex Chriſtiana juſtitia non meretur, quàmvis per ipſam ex longa conſuetudine ad majora devitanda pericula tolleretur: Nam ipſa non reſpicit ordinem atque prioritatem temporis, ſed virtutis. Proinde David de filiis ſuis non præfecit antegenitum ad regimina populorum, ſed eum, quem aſpexit inſigniorem claritate virtutum, quamvis in poſteris regibus primogenituræ temporis ſit delatum. Nec Chriſtus præfecit Andream, qui primo venit ad Chriſti notitiam, ſed Petrum, quem præinſignem agnovit, quia non eſt de ordine

dine veræ juſtitiæ, ut magis deferatur prioritati temporis, quàm dignitati virtutis, ſi potior eſſet virtus, quàm in primogenito aut antegenito in naſcentibus poſteris. Sed ante aut primogeniti certo judicio præordinantur virtutibus. Dignum uſquequaque dignoſcitur, ut in participantibus præferantur, dummodo juſtis hæreditariis cæteri non priventur, quæ de jure naturæ & Chriſtianæ juſtitiæ pro æquali portione debentur. Ubi autem in omnibus eſſet æqualitas virtutis, tunc jure præfertur prioritati temporis, quia citius diſcernitur prior in tempore, quam potior in virtute. Quam ob cauſam in multis regnis, etiam ferè in omnibus ad vitandum ſchiſma regnorum præfertur tempore prior, etiam virtute poſterior, ne diſſidium oriatur, dum potior in virtute requiritur. Nec dignum eſſet ex quacunque juſtitia, ut ſi multi eſſent eadem virtute pollenes, quòd in principatu & regno, familia & domo plures principes eſſent, quia eo ipſo juſtitia gubernativa confunditur, quo per multa capita principalia miniſtratur, Sed quia hæc tractanda alibi locum habent, ad fraternam & propinquorum juſtitiam revertamur. Job enim ſe dicit feciſſe extraneis, quod de omnibus juſta lege fieri dico propinquis. Dicebat enim: Oculus fui cæco & pes claudo, ut credamus ipſum aut per ſuos ſubjectos propriis membris privatis taliter ſubveniſſe. Et quamvis ex Christiana juſtitia juvare quodlibet impotem omnibus ſit injunctum, tamen propinquos inexcuſabiliter plus aſtringit, ſi poſſibilitas adſit. Et illos magis arctat, quos major propinquitas ligat. Nam quod ex natura juſtè debetur, gratia Chriſtiana non removet, ſed confirmat & ſuperapponit noſtra juſtitia. Erunt igitur fratres atque proximi charitate unanimes, & ſine fraude, ſine dolo, ſine prælatione, ſine faſtu viventes, ſubvenientes in communitate membrorum, ut ſi unus aliquo membro careat, alter cum ſuo in opportunitate ſubveniat, non datione membri (quod fieri nulla juſtitia patitur) ſed interventione obſequii, quod debetur. Avertent ab invicem mala, communes amicitias & honeſtas quærent, inhoneſtas & reprehenſibiles devitabunt in commune, ſimiliter & pro ſe facere unuſquiſque, ne aliquando ex malis amicis experiatur dehoneſtari fratrum & propinquorum communitas, & offerre offenſiones illis, à quibus nulla prærogatur iniquitas. Si quempiam viderent diſcolum conabuntur corrigere, ne ipſe pereat, & ipſos ad pericula ponat. Si verò noverint contumacem, à converſatione reſcindent. Proſcribetur à Verbis mutuis, ut non habeatur ut frater aut propinquus, ſed velut civis iniquus, ne ſua iniquitas fiat aliis detrimentum quum participium cum ipſo ſervatur. Conſueverunt enim tales inimicitias procurare, & cum amicis diſcordiam, cum bonis quandoque habere jacturam. Nec Chriſtiana juſtitia patitur, quin in poſterum crudeliter ulciſcatur. Si tibi reputas fratrem reipublicæ corruptorem, invaſorem alienorum, ſine cauſa injurias aliis inferentem, conturbatorem amicorum, & inimicorum copiam afferentem, Dei es inimicus, cui tuus eſt frater ſive propinquus reipublicæ, atque divinæ juſtitiæ inimicus. Etſi taliter non valet celebrata correctio, corrigendus & puniendus miniſtris juſtitiæ in republica præſentetur, cum amore hominis, & odio iniquitatis. Melius eſt autem, quòd unus propter ſuam iniquitatem juſtè pereat, aut pro ſuo ſcelere certiſſimas pœnas luat, quàm multitudo fraterna ſive propinqua non merita mala ſuſtineat. Quòd ſi adhuc ex ſubortis cauſis non emendaretur iniquus, doleatur, fleatur, oretur, ut divina potentia corrigat, quem humana potentia noluit aut nequivit. Memorentur fratres atque propinqui, quòd unius ſunt ſeminis, ne ſupra rapiantur ultra condignum, magis verò Chriſtianæ virtutis, atque baptiſmatis, ut nihil inter ſe committant indignum. Et amor, qui debetur fratribus ſive propinquis, decoretur atque firmetur validius communitate baptiſmatis, nec natura ſuperaddat ad gratiam, ſed gratia ſuperaddat, & decoret naturam. Juſtitia, veritas, charitas inviſibilis & actualis, quæ ſervanda eſt inter omnes & majori audacia ſecuritatis inter propinquos & fratres, nunquam melius ſervabitur, quàm conſideratione protoplaſtorum & propinquorum parentum, conſideratione communitatis, quæ in naſcentibus ex natura conſurgit, quàm conſideratione baptiſmatis & effuſi pro nobis ſanguinis Dei, naturam noſtram aſſumentis, & ad cœleſtia regna vocantis. Cavebunt providi fratres atquè propinqui, ne præſtent aures zizania ſeminantibus, ut dividantur ab invicem animo, aut poſtmodum ſeparentur in facto. Uxoribus imponent ſilentium, ipſarum garritum audire vitabunt, quæ ſemper querulantur ad aures, ut dividantur factis, amantes potius ſingulariter vivere in egena proprietate, quàm cum multis in divite communitate. Nunquam verò communitas in ſua veritate ſervata defecit egentibus, duntaxat in ipſa viventibus dives eſt communitas: Proprietas verò in regione indigentiæ tentoria fixit. In filiis & ſervis frænabunt linguas, ne proferant implacita, docebunt reverentiam & obſequium ad placita cuncta.

Cona-

Job. 11.

Conabuntur majores ſine fraude ſervare jura minorum magis, quàm filiorum, curabunt expedientia hominis utriuſque, ſi relicti fuerint abſque patre. Si prohibetur patribus, ne ad iracundiam filios provocent, multo magis majoribus natis, ne minoribus inferant damna doli. Minores defuncto patre majoribus obedientiam præſtabunt filialem, dum in illis paternam cognoverint pietatem. Et ſiquidem, ſi omnino expedierit rerum & habitationum eelebrare divortia, dum eonjunctim animorum non ſervatur vera concordia, verba ebulliunt, ſcandala ſurgunt, tunc erit melius divortiari cum pace, quàm reſidere eum lite. Et taliter fiat divortium rerum, ut unitas maneat animorum. Nec pro vili re velit perdere fratrem, quem amare tenetur uſque ad mortem, pro quo ſæpe ponitur vita, dum ab extraneis irrogatur injuria. Abraham & Loth ſe mutuo diviſerunt jurgia devitantes, malentes corporum, & rerum, quàm animorum habere divortium. Et quia ſæpe eontingit minorem ſuſpicatum ſe decipi adverſus majorem querelam habere in animo, emittere Verbo & velut rerum ignarum, nec tantipotem earere audacia poſtulandi: Proinde ad claritatem dilectionis, quam nullus debet in animo maculare, ad pacis & unionis vinculum irruptibile perſervandum major dividet minori, & optionem præſtabit. Concedetque tempus deliberatæ virtuti, patietur habere conſilia, ne feratur in præceps: Sed eligat quod eſt melius. Et aliter major fuit ſibi de jure ſortitus, atque eligendi ſcientiam eſt largitus. Quod Abra-
Geneſ. 13. ham Loth feciſſe ſacra ſcriptura commemorat. Et exinde fuit pro jure ſuſceptum atque firmatum, ut major minori dividat, & qui minor eſt, eligat. Illegitimos fratres aliunde præterquam ſecundùm matrimonii legem ſuſceptos, quamvis reprobat atque privat humana ſeu imperatorum juſtitia, non tamen reprobat atque privat Chriſtiana juſtitia. Qui quanquam non poſſunt ingredi ſeu conſequi paternas hæreditates, non tamen eos deſpiciant, qui ſunt legitimi fratres, nec eorum bonitas fuit, quòd lege matrimonii de bona natura ſunt, nee fuit illorum iniquitas, quòd præter regulam matrimonii ſic nati fuerunt. Et licèt nati ſunt præter legem matrimonii, nati tamen ſunt de ſeminaria virtute naturæ: Nec qui dicuntur legitimi naſcuntur de regula & ordine matrimonii, nec concipiunt, nec pariunt ordo aut matrimonii regula, ſed naſcuntur de bona ſeminaria naturalique virtute ſecundum ordinem & regulam matrimonii. Unde utrorumque noſcitur ſeminis & naturæ communitas, quamvis in concumbendo defuerit conjugalis honeſtas. Nec in his, qui ſpurii & baſtardi vocantur, ſive naturales, defuit humana figura in corpore, nec ſimilitudo, & imago deitatis in mente. Ac per hoc quamvis honeſta non fuerit concumbendi conditio, pulchra tamen fuit ſecundùm naturæ ordinem ipſa conceptio. Nec ex concubitus dehoneſtata eonditione turpatur pulehritudo naturæ. Porro naturæ bonum eluxit ex omnibus elaris, quamvis ibi non fuerit regula nuptiarum. Bono naturæ in hoc nihil eſt ademptum, ſi non fuit juſtum conjugium propter libidinis ſive adulterii malum. Nec legitimi ab iſtis aliud habuerunt conceptionis initium, neque naſcendi honeſtiorem modum. Proinde non deſpiciantur, cum quibus eſt omnis natura communitas, quamvis defuerit nuptiarum honeſtas. Non deſpiciantur, in quibus divina imago æquè refulget, quos Deus non deſpicit, quos creavit & redemit, quibus æternam vitam, ſi voluerint, repromiſit, qui eandem ſortiti ſunt fidem, qui ſub eiſdem ſacramentis militant regi regum, qui præcedere poſſunt multos legitimos acquiſitione virtutum, quibus non obſtat illa inhoneſtas ad ſupernum regnum, ubi nulla diſtinctio conceptionis, ſed gloriæ atque beatitudinis. Etſi olim ex lege humana prohibebantur, nunc verò de juſtitia Chriſtiana gubernantur: Et quamvis vigor humanarum legum uſqueadeo perduraverit, quòd etiam adhuc hæreditate priventur. Non etiam hoc reprobat iſta juſtitia, ut præhonorentur filii legitimi propter legem matrimonii, & auferatur, atque refrænetur mulierum audacia laſcivarum, quæ ſe ultro viris offerrent, ut filios ſuſciperent, quos hæreditate præeſſe præſcirent. Ac multi filii darentur honoribus, quos non nunquam ex militibus ſuſceperunt. Et nulla in filiis potior eſſet eondirio honeſtarum matronarum à conditionibus ancillarum, ſi hæreditatem earum filii eommuniter ſortirentur. Et fruſtra darentur pro muneribus matrimonii, ſi uxorum & eoncubinarum filii æquarentur. Nihil attulit vicariis concubina, plurima ſolet afferre, quæ uxor eſt vera. Proinde non immerito etiam Chriſtiana juſtitia repellit ab hæreditate natos ſine matrimonio. Quam juſtitiam Sara prænoſcens, dixit ad Abraham virum ſuum: Ejice ancillam, & filium ejus, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac. Sed nec prætulit filium ſuum filio ancillæ, quia illa libera, illa aneilla: Sed quia malignitatem Iſmaelis agnovit, qui perſequebatur Iſaac ad intentionem hominis utriuſque, dum ad idololatriam eum invitabat, & tanquam animatus eum ſibi volebat habere ſub-

jectum. Ludebat enim cum eo, quia ludus deceptio eſt, ſi à majore ad minorem infertur. Sed cùm Abraham moleſtè tuliſſet, acſi eum vellet pacificare cum filio liberæ, niſi ſua malitia demeruiſſet, à Domino datum eſt de hac quæſtione decretum, ut ſecundùm quod Sara dicebat, Abraham audiret penitus vocem ejus. Nec te moveat, quòd filii ancillarum Jacob coæqualem hæreditatem uxorum filiis ſunt ſortiti, quia Jacob patriarcha tam ſanctus non acceſſit ad thorum ancillarum, niſi de voluntate uxorum. Ut quia non habebant ex ſeipſis, ſaltem ſumerent ex ancillis, qui naſcebantur, & naſcebantur uxoribus, non ancillis: Nec uxores ſic natos fovebant ut alienos, ſed velut in earum ventre conceptos, & appellabant proprios filios. Et ipſe velut Dominus in Dei populo diſpenſabat, & lex quædam erat quod ipſe mandabat. Necnon in iſta Chriſtiana juſtitia pontificum & imperatorum diſpenſat authoritas, ut his legitime detur hæreditas. Sed quod talibus non fit de jure teſtamenti paterni, fiat tamen de charitate ſupernaturalis remedii. Tenentur enim fratres inexcuſabiliter eos alere, fovere, non turpiter pertractare, diligere pro communitate naturæ, necnon & pro voluntate paterna, quam ſciunt ad hos filios inclinatam, licèt viderint legem authoritate frænatam. Magis verò iſta ſuadet Chriſtiana juſtitia, quæ non diſcernit homines in ordine ad Deum, niſi per virtutes atque peccata, quanquam in ordine hujus vitæ permittat fieri multa. Sed ad omnes fratres iſta juſtitia clamat, ut non reddant mala pro malis, ſed ſi poſſibilitas adſit, reddant bona pro ma-

Genes. 43. lis. Hoc enim & Joſeph in Ægypto fecit fratribus ſuis, & cùm omnes potuiſſet impunè pariter morti tradere, ſi eum agitaſſet ira zelotica in ultionem, quòd eum oderunt, occidere voluerunt, & ut crudele mancipium expoſuerunt commercio juſtum, innocentem & pium. Sic armavit eum pietas humana, communis natura, dilectio fraterna, gratia divina, & eos præſervavit, aluit & ditavit. Hæc eadem lex prout intereſt, ſervetur inter ſorores, ſive habeant ſive non habeant fratres. Sed inter fratres atque ſorores ſtabiliatur juſtitia, ut inter eos ſervetur omnimoda pudicitia, ne velut Amon ita præfixo intuitu frater ſororem aſpiciat, ut eam animo libidinoſæ concupiſcentiæ concupiſcat, qui agitatus à pruriente libidine concubuit cum ſorore, qui concubitorem alium occidiſſet, ſi ſciviſſet. Vide igitur, quanta cum ſororibus juſtitia pudicitiæ eſt ſervanda, ubi tantùm exagitat infrunita luxuria, ut omnis pellatur reverentia, omnis deprimatur verecundia neceſſaria. Nullus frater præſumat ſororem adultam tangere nuda carne, in eam oculum figere, nec fixum in ſe diligere, devitet omnem ictum, devitet ſecretum, renuat obſequium, unde tactus naſcitur manuum, maximè ſi formoſa, ſi juvenis, ſi apta, ſi amabilis, ſi audax, ſi procax, ſi conceptioni ſtudet. Similiter ſoror fratrem calamiſtratum, & egregia forma pompatica incedentem omnino devitet. Ubi enim ſecuritas eſt ex propinquitate, ibi diabolus infallibiliter decipulam tendit. Nulla ſuperflua eſt cautela, ubi viget natura corrupta. Nec vir aduſtus ab igne libidinis conſiderare novit ſororem, ſed mulierem, quem ſoror non cogitat fratrem, ſed æſtimat alium hominem. Non vilipendant fratres, quia ſunt mulieres, ſed honorent debitis atque honeſtis modis, quia ſunt natura ſimiles, quamvis ſexu diſſimiles. Major profectò eſt naturæ ſimilitudo, quàm ſexus diſſimilitudo. Et ſe mutuo ad aliam vitam diligant, atque dirigant, pro qua ſe norunt eſſe creatos. Ne ſint amari fratres quomodolibet ad ſorores, puſillanimes enim ſunt, & ſæpe ad ſiniſtra declinant. Ne detineant diu apud ſemetipſos à avaritia detenti, poſtquam ipſas viderint ætate ac omnimodo voluntate nubiles, conſtituerunt enim diu detentæ domum fœdare paternam. Si verò ipſas cognoverint firmo propoſito aſpirare in cœlibem vitam, tanto eis ſint chariores, quantò mundiores, nec moleſtent eorum conſcientiam, ſi volunt firmiter pudicitiam, & in hoc contemnant voces atque judicia, quæ proferuntur in contrarium caſtitatis. Dignius namque glorioſiuſque penitus eſſet, Chriſtum quàm terrenum regem pro ſorore habere cognatum. Summopere caveant ſanè germani, ne ſuſcipiant Verba uxorum ad detrimenta ſororum. Sæpe nanque uxor omnem amorem ad virum ſuum æſtimat odium, & ſuam reputat fraudem, ſi vir diligat juſta lege ſororem. Teneatur uxor gradu ſuo, & ſoror permaneat ordine ſuo. Nam lex matrimonii non excludit ſororem, lex naturæ atque Chriſtianæ juſtitiæ non excludit uxores. Miſeria & iniquitate circumfuſus eſt, qui alteram lædit ex altera. Multæ profectò ex hoc ad mala patranda viam compendii captaverunt. Itaque ſtantibus his, quæ diximus, fratres ſic ſuas tractent ſorores, ſicut ipſi vellent tractari, ſi eſſent pavidæ mulieres. Sed odium Evangelicum ad hunc amorem juxta ponatur. Quia qui non odit fratres aut ſorores, ut Salvator ait, non poteſt CHRISTI eſſe diſcipulus. Et qui non eſt diſcipulus Chriſti, diaboli eſſe ipſe convincitur, ipſo dicente: Qui non eſt mecum, adverſum me eſt. Lucæ, 14.

Quod

Luc. 11. Quod non ſolùm de moribus, ſed de doctrina intelligitur. Nam ex doctrina ſuſcipiuntur mores, & moribus doctrina perficitur. Quod odium non tendit in perſonam creatamque naturam, ſed ad id, quod frater fratri, frater ſorori, ſororque fratri ad divina impedimenta præſtaret. Exagitat me ſermo uteri mei, ut adverſus tempora funeſta declamem, in quibus pene omnia procedere videntur in tenebris. Nam omnis crudelitas omnium nationum ad propinquos & fratres, & omnis inhoneſtas ad ſorores in Chriſtianis noſcitur revixiſſe, ut retardari non poſſit à malo naturæ communitas, morum honeſtas, nec ipſa gratia Chriſtiana, qua ſolùm ſperatur
Geneſ. 4. provehi ad ſuperna. Revixit Cain, qui ob ſolam invidiam peremit proditoriè fratrem: Iſmael, qui perſequebatur Iſaac ad utrius-
Geneſ. 21. que hominis mortem: Eſau, qui abs re voluit interficere fratrem, ut impunè potuiſſet: Iſaac patris præſtolabatur & mortem.
Geneſ. 27. Invidia, ira, impatientia filiorum Jacob adverſus juſtum Joſeph, in Chriſtianis fe-
Geneſ. 37. rè ubilibet locum habet, ut nec frater fratri pacificè loqui poſſit, ut frater fratrem oderit, occidere velit, ſi poſſit, ac etiam pretio vendat more illorum fratrem, dum magis amat, quærit & vult quàm ipſum
2. Par. 21. pecuniam aut hæreditatem. Revixit crudelitas regis Joram, qui poſtquam aſſumptus fuit in regem, omnes fratres ſuos interfecit gladio, zelo malo præcavens futurum æqualem, aut ſui regni raptorem. Quotquot fuerunt in populo Judæorum atque gentilium, ut utriusque chronica ac hiſtorica facta retexunt, qui crudelitatem ob turpem damnatumque reſpectum in fratres peregerunt, in Chriſtianis ut plurimum repullulaverunt. Ex retroactis temporibus audivimus, noſtriſquè temporibus vidimus fratrem, ut tota paterna ſibi adſcriberetur hæreditas, interfeciſſe germanum aliùmque propinquum, & ut dominium domus ac civitatis ageret abſque collega, tradidiſſe crudeliter exitio uterinum, propter pecuniam fratri abſtuliſſe vitam. Necnon & ſimilia propter ita fecerunt in parentes, in quos fuerunt crudeles quia occiderunt & matres, quas ſæpe vi-
2. Reg. 13. duaverunt. Adhuc inceſtuat & ſtuprat Thamar lubricus frater Amon in lubricis Chriſtianis, ut frater cum ſorore libidinoſa commixtione concumbat, & privet pudoris lilio antequam ſit tradita viro. Abjicitur hodie inter propinquos honeſtas, & pudicitia ſanguinis jacet pulſa præ foribus. Nulla poteſt eſſe niſi cum difficultate cuſtodia, ubi eſt germana ſecuritas, ut videatur abſonum dicere, ut inter fratres & ſorores cuſtodia celebretur, qui ſororum primi deberent eſſe cuſtodes. Cui ergo cuſtodienda dabitur mulier, quàm oportet præſervare à fratre, cui committetur præſervanda extraneo, ſi ne fœdetur, abſtrahitur à propinquo? Ad nullos præterquam ad propinquos jure humano hæc cura debetur. Ex jure autem divino, niſi per violentiam non poteſt honeſtis hæc cura committi. Qui fratres ſunt & proximi, mulierum debent eſſe cuſtodes, qui ſæpe, ſi turpantur ab aliis, in gladio ſunt ultores. Sed proh dolor, qui ſorores atque propinquas ab aliis tuerentur, cum eis impunè pernicioſa ſecuritate clandeſtinè fornicantur. Proinde ſi cuſtos effodit theſaurum, & theſaurarius aſportat aurum, cuſtodiæ nullum erit remedium. Si paſtor lupus efficitur: invacuum balat ovis. Super ſuccenſam domum à proprio poſſeſſore, ubi de vicinarum periculo non timetur, nullus effundet aquam. Magis verò ſuper occultum & inopinatum malum nullus opponet medelam. Quamobrem inviſibilis hoſtis ibi pedicam ponit, unde auferri nequit. Pelliceus glorioſus Herodes rex adhuc mortalitate damnata regnat in Chriſtianis, Matth. 6. vexillificat imitabiliter, ut uxorem fratris ſubreptitiè atque incognitè accipiat alter frater, contra quos etiam nunc Joannes, ſcilicet Chriſtiana juſtitia ex evangelio clamat, ut nemo pro explenda libidine uxorem fratris accipiat, quia ipſa juſtitia damnat. Servetur igitur Chriſtiana juſtitia inter fratres, propinquos atque ſorores, depulſis vitiis, adhibitis ſubventionibus, & tolleretur omnino injuria perperam retributio, neque fiant fraudes, & doli non irruant, omnis omnimode pudicitia reſervetur. Ipſe autem Chriſtus in bonis fratribus verus eſt frater, qui nobis per carnem factus eſt frater. Et pudicus eſt in fratribus & ſororibus, qui faciunt in hoc & in aliis voluntatem altiſſimi patris ejus, & tales appellat ſuos fratres & ſorores, in quibus juſtitiam quam impleturus advenerat, ipſe implet,

Cap. V.

De juſtitia vitricorum, novercarum & privignorum.

VItricos, & novercas, atque privignos in retia ſua trahit ipſa decora juſtitia, ut omnis conjunctio præter eam omnino ſit turpis, & pœnis adſcribit tartareis omnem hominem ipſa carentem. Superductus homo à matre renupta ſuper filios alterius hominis ita tractet, ſi egent, ut filios proprii ſeminis, quibus patre orbatis matrem abſtulit, & quaſi crudelis vulnus ſuper vulnus inflixit. Ad infelicitatem humanam atque mundanam debuerat ſuffeciſſe, quòd mors præripuerat patrem, abſque quod ſuperinductus matrem per matrimonii legem in ſuo dominio vendicaret. Et quamvis divina lex atque juſtitia Chriſtiana ad devitandam fornicationem permittat ſecunda, & deinceps concubia, nihilominus ſuperinductus abſtulit ſæpe filiis matrem, conſenſit in crudelem fœminam, ſe propter libidinem filiis auferentem. Quod ſi dicatur non propter libidinem nuptias iteraſſe, ſed ut prolem ſuſciperet ampliorem, contra hanc juſtitia fulminat ſententiam, pro eo, quòd ſuſceptam atque certam relinquit, & futuram & incertam expectat. Qualis enim eſt amplior iſta prolis affectio, ut filii quærantur, & filii exponantur exitio? Expoſuit penitus quantùm in ſe fuit, feralis animæ mater mamillicos filios, & pupillaris ætatis ſua ope penitus indigentes, ſi dimiſit inalitos. Filios quærere, filios malè relinquere, neſcio quæ utilitas in utriſque. Sed nulla in affectione prolis applaudat, ſi filios alendos reliquit, non propter prolem, ſed propter incontinentiam aut aliquam violentiam fecit. Idcirco dixerim ſuperinductum ad hos privignos Chriſtiana lege teneri, quia ſi Deus per mortem abſtulit patrem, ipſe per conjugium abſtulit matrem. Sed de per fornicationem accipientibus non datur hic doctrina, quia eos non includit, ſed excludit juſtitia Chriſtiana. Hæc pro tanto dixetim, ſi privigni omnino gubernatore carent, ut probabiliter deſit illa propinquitas, cui gubernandi matre relinquente incumbebat officium. Nam vitricus privignis connexus eſt per eorum matrem, quam accepit uxorem, ut ſi ipſe cum ipſa & ipſa cum ipſo facti ſunt caro una, & mater cum filiis ſuis ſimiliter enim eſt caro una. Ex quo erit privignorum cum vitrico quadam ſecreta lege Chriſtiana juſtitiæ conjunctio magna, Filii etiam, qui naſcentur uterini, cum privignis erunt & ipſorum erit indiſſolubilis connexio, & in communi vocabulo vocabuntur fratres carnis, propter unitatem uterinam per veram legem maternam. Et quamvis unitas ſeminis deſit, unitas coagulationis in ventre uno non defuit. Etſi non ſunt ex eodem ſemine patris, ſed tamen ex eiſdem ſanguinibus matris, & per eandem portam habuerunt ingreſſum in mundum hunc, quem incolimus tenebroſum. Proſpectabit deſuper ſuperinductus homo, connectionem utramque aſpiciet, & videbit ſe debitorem, qui eis abſtulit matrem. Ingredieturque aulam Chriſtianæ charitatis, ut ibi ſe induat viſcera charitatis, & orbatis utroque parente, uno per mortem, altero per hanc legem, ſe conſtituet curatorem, authorem, tutorem. Et privignorum non per naturam, ſed per paterna officia ſe faciet dulcem patrem, & eorum bona curabit, augmentabit, fovebit, quia matrem abſtulit, quæ feciſſet. Necnon & privignos zelabit zelo propriorum filiorum, ſi ſibi zelandi aderit opportunitas, nec alios zelatores habebunt, quibus zeletur honorabilis caſtitas, nec in ea aliquid inhoneſti tentabunt. Prohibet divina juſtitia turpitudinem filiæ uxoris ſuæ penitus revelari, & ſi fieret, puniretur, & ipſe perderet jura propria in uxore. Ipſi verò in omnibus venerabuntur vitricos more patrum, ubi ab eis paternam curam ſuſcipiunt. Si bona paterna non aderunt, providebit ipſe facultatem librante juſtitia, quibus inexcuſabiliter ex quadam divina & occulta juſtitia pro tanto tenebitur, pro quanto damnum intulit auferendo matrem. Nam ſi crudelis mater virum non inveniſſet, inveniſſet amaſium. Ego verò inquam certiſſimè, quòd hæc cura non erat à Deo tibi commiſſa, ut hujuſcemodi matrem acciperes, ut fornicationem ipſa vitaret, de ſe ſolum, non de alio ubi occaſialiter coram Deo unuſquiſque tenetur reddere rationem. Si autem privigni ex matre relinquente nihil pertulerunt incommodi, liberi erunt vitrici, tamen inter eos ſervabitur Chriſtiana juſtitia, & illa morum honeſtas & obſequiorum exhibitio, præventio in honoribus, prout dictat iſta connectio & antiqua conſuetudo, & ſicut poſtulabit moralis fides, quæ noviter fundata eſt in unius ſingularitate perſonæ, in

lege

lege conjugii ſecundas aut deinceps nuptias ipſa tenente, in lege naturæ matre manente. Ad novercas verò æquè vel amplius iſta juſtitia loquitur, ut privignos, ut proprias filias atque filios ſi dum habent, aut ſi haberent, vero amore, ſedula cura, ſolerti cautela diligant, foveant, atque cuſtodiant. Cujus genere ex milleſimo fere una reperitur irreprehenſibilis, quæ hujus infauſti vocabuli non habeatur ipſa peractrix. Nam novum principatum ipſa exercet in eos, quos invenit apud virum, bus melius ſæpe, ſi urſa captis filiis adventaſſet. Conſueverunt ferè ſemper maledictæ mortem antequam filios ex viris ſuſcipiant, terminare per privignos, & inceſſanter querulam emittere vocem, quod aut deſpiciuntur, aut minus debitè præhonorantur. Adſcribunt privignis maſculis prodigalitatem, furta, rerum diſſipationem. A fœminis verò removent honeſtatem, & ad iram conantur inflectere contra eos pium in filios patrem, nec ſufficit pro illorum & illarum miſeria, quòd privigni ſunt, niſi earum malitia privigni fiant. Et neſcio quæ majora damna noverca poſſit inferre, quàm à filiis patrum amorem avertere. Cùm autem filios genuerint, extolluntur ſuperbia, & vigore natorum crudelius renovant novercatum. Accenduntur zelo invidiæ præ filiis ad non filios, avaritia tenentur ad alios, ad proprios ſuperflua largitate deſcendunt, latrocinantur bona communia, exercent furta pro filiis, zetas obfirmant, pro archivis novas ſeras inveniunt, ut nil pateat illis, ſuos verò nihil lateat. Et erit privigno eum ut plurimum facies ſqualida, ſuffuſa lachrymis, cæſaries inculta, lacera veſtis. Filiorum verò ſuorum nitida cutis, ſplendidus vultus, caput lotum, contorta cæſaries, bona ſuta & polymita veſtis. Statuent ad viros verborum inexpugnabile bellum, ornatum lachrymis, ſuffultum ſuſpiriis, fulcitum amplexibus, & ſæpe oſculis, ut ipſos avertant à recordatione præmortuæ conjugis, ad hoc devenire tentantes, ut ipſæ amentur ardentius. Quod ubi factum cognoverint, novam illico exordiuntur telam, quam imprætermiſſè contexunt, novitate verò magis an veritate dicam, ut à prioribus filiis patris avertant amorem, ad poſteroſque convertant. Tenat mala noverca ordinem mutare rationis: cùm in amore paterno filios nititur pervertere. Ordo eſt naturalis juſtitiæ, ut prior natus prior ſit in amore. Hoc dico, ut filii ſunt, niſi poſteriorem prior probitate virtutis exceſſerit, quæ juſta cauſa eſt amplioris dilectionis, quia tunc dilectio non pervertitur ad filium, ſed ad probitatem virtutum. Non frænabitur animus malefidæ novercæ, quin in hæreditate pervertere velit ordinem legalis juſtitiæ, cum ſuos filios poſteriores, petit fieri hæreditate priores, natu priores petit eſſe poſteriores. In hoc allegabit infantiam, allegabit debilitatem membrorum, ineptitudinem ad lucrandum, & matre privatis non amore, ſed odio, non animo diligendi, ſed verſutia decipiendi, adſcribet eloquentiam, peritiam, fortitudinem dicit adeſſe membrorum, lucrandi aptitudinem didiciſſe, relevandos eſſe maternis conſanguineis, etiamſi perirant, extollit illos, ut deprimat, ſuos infimat, ut extollat, non ceſſabit cum verbis, ac lachrymis ſæpe loquetur, donec adhibeat alios, quos à viro noverit eſſe dilectos, donec ſuos filios eis, quos noverca odit, quomodolibet anteponat. Etſi retunditur verbis, quòd abſonum eſſet complere jure legali, & ſcandala & ſchiſmata eſſent inevitabiliter inter fratres, & præceptum eſt in lege Domini, quòd vir diligens uxorem ſecundam magis, quàm primam, filios dilectæ anteponere non poterit filiis non dilectæ prioris, & quod dicitur, eadem juſtitia reconvertitur, tunc noverca enim omni fera crudelior, omni ſerpente aſtutior ſe ad callida commenta convertet, ut fiant antedonationes, pecuniæ, prærogationes matre privatis inſciis, & ipſa ſe offert, cuſtodire ſpondet omnino ſecretum, adducit charos, quos habet conſorores, ut ſi velit depoſitorios faciat, & res in poſterum lateat. Sed væ miſero patri, ſi tali novercæ ſic nequiter ſuggerenti pro re petita præſtabit aſſenſum. Probaretur enim amiſiſſe rationabilem, & proprium ſenſum, & perverſor eſſet ordinis naturalis, juſtitiæ legalis turpator, amoris & legis ejus deſtructor magis conſentaneus blandienti fœminæ, quàm divinæ juſtitiæ. Ipſis vero novereis ſubdolè ſic agentibus, juſtitia poculum damnationis propinat, niſi errata corrigant. Et quicquid furto, dolo, ſuggeſtione matre privatis eſt ablatum, juxta poſſe reſtituant, ac ordinatione contraria ad id redeant bona, unde ſunt nequiter derivata. Magna miſeria noverca comprimitur, ut vicinos filiorum atque amicos diligat, ad ipſorum verò fratres infauſtis æmulationibus agitetur. Unde plerumque filii paternam domum dimiſerunt invitè, proceſſerunt in peregre, per longa exilia perierunt, aſſociaverunt ſe latronibus, cum prædonibus expoliaverunt inſontes, & cum furibus patibula pertulerunt, non valentes ferre tyrannidem, imo fraudem inceſſabilem

novercæ,

novercæ. Privignas ſine culpa inculpaverunt ad patrem, infamaverunt verbis, & apud notos famam pudicitiæ abſtulerunt, & diverſimode intendentes in cauſam, ex qua propria ſæpe corpora lubricarunt. Quis ergo medebitur novercis iniquis, quis earum expiabit delicta, quas lachrymas perimere, lachrymis confodere, interimere Verbis dixerim? Sæpe in multis ultimum genus infortunii noverca eſt, cui iratus eſt Deus, incidet in eam. Sed aſpiciat in animo generoſo noverca ordinem naturæ, legis juſtitiam, & nihil eorum ſua ordinatione permutet. Seminis communitatem omnino conſideret, ex quo ſui poſteri cum prioribus ſunt exorti. Appellet Verbo filios, opere verò pertractet ut proprio corpore natos. Quæ filiis optat amicos, diligat conſeminatos. Nam quo jure noverca probabitur diligere virum, ſi non diligit filium? Quomodo diligit patrem, ſi ejus non diligat filium? Quomodo diligit, quem aluit in proprio ventre, ſi ejus non amat fratrem communem in ſemine? Adjungit his pia noverca gratiam Chriſtianam, & ea lege procuret, qua ſuos, ſi ad hanc venirent miſeriam, optat ab alia procurari. Et nomen novercæ vincat materna virtute. Mater fiat miniſterio, quæ pariendo non fuit. Intueatur acutius alio, quàm oculo corporali, quoniam imago & ſimilitudo Dei in ſuis & privignis æquè refulget, prout à Domino ſunt creati, uno ſanguine ſunt redempti, una fide ſignati, unam verò vitam, quæ vocatur æterna, pariter expectantes. Privigni verò novercas venerentur ut matres defectibus indulgentiam dantes, & ſi non meretur earum conditio, deferatur tamen honori paterno. Honeſtas ſervetur ad eas, velut ad proprias genetrices, quia improperatus eſt defectioni adſcriptus Ruben, qui paternum cubile maculavit. In lege verò prohibetur. Abſalom verò, qui contra fecit, interemptus eſt eo merito aliiſque adjunctis. Quid ergo dulcius in communi habitatione poſt mortem patris, matriſque diſceſſum, quàm, quòd, qui non ſunt parentes natura, fiant parentes gratia, qui pater non eſt in ſemine, fiat in gubernatione, quæ non genuit, fiat chariſſima nutrix, qui concepti non ſunt in fœtore libidinis, fiant filii veræ dilectionis, ut eo ſit glorioſior & jucundior pater, quo habet filios ſine corruptione carnis, & mater læta congaudeat, quia filios habet, partus non experta dolores, & nova ſit materia exultandi, cùm habeant filios ex corruptione carnis, & ſimiliter habeant filios caſtitatis. Sæpe multi ſine aliquo præcedenti connexu filios adoptarunt. Et filia Pharaonis adoptare voluit ſibi pro filio Moyſen filium ex Hebræis. Uxores Jacob voluerant habere omnino filios ex ancillis. Omnipotens Deus nos omnes voluit habere filios per gratiam, qui eſſe poteramus minimè per naturam. Animalia terreſtria alienos nutriunt natos, ſimiliter ipſæ fecerunt & aves. O quàm pulchra paternitas cum caſtitate, quàm decora cum honeſtate maternitas, quàm laudabilis filiatio, ex qua pater non eſt ſucceſſus in carne, mater non anguſtiata in ventre, omnis impletur Chriſtiana juſtitia. Dabitur meritum bonum bonis vitricis & novercis, ſimiliter & privignis, & mala malis retribuentur, digna dignis.

Exod. 2.
Geneſ. 30.

Cap. VI.

De amicitia.

HOnorabile, amabile, deſiderabile nomen amicitiæ diu quæſitum, raro verò inventum, realiter difficillimè ſervatum. Chriſtiana juſtitia excedens ſuper omnem juſtitiam ipſam amicitiam partim cum aliis, partim per exceſſum exornat. Sed antequam applicemus ad ipſam juſtitiam errorem venantes, flumen, rivulos, mare, in quo ſe colligit, videamus. Cujus veritatem nunquam videre atque intelligere potuerunt ſapientes mundi, neque philoſophi naturales, neque qui unius Dei atque creatoris fide caruerunt, ſeu non intellexerunt legem datam populo manu Moyſi. Ab eo autem tempore quo altiſſimo placuit mundum renovare doctrinis, & per ſuam corporalem præſentiam per aſſumptam carnem in unione divinæ humanæque naturæ ſe hominibus exhibere, quotquot in eum non crediderunt, Evangelium ejus non receperunt, de amicitia neque de aliqua virtute veram potuerunt proferre ſententiam, quia nec virtutes diſcendæ fuerunt, nec in præſenti diſcendæ ſunt, quæ ſub creatore ſecundùm varietatem temporum ſua intelligibili lege in hominum mente conſiſtunt, atque ſub eadem lege æterno fine præciſo, in actus exteriores perſiliunt. Et quamvis hoc abſonum ſciolis videatur, Chriſtianis ſpeculativis in Chriſti vita & doctrina fundatis, luce clarius patet. Sed væ! ſemel & iterum qui hanc virtutem & reliquas ſecundùm Ariſtotelem, Socratem, Ciceronem,

nem, Varronem, Senecam legunt, allecti ſtylo rhetorico, ſubtilitate differendi, & ſcire contemnunt ſecundùm legem aut ſcripturam veteris teſtamenti, dictatam virtute Spiritus Sancti, & ſecundùm Evangelium eructatum per Verbum incarnatum, quia ſolùm cor ejus per linguam carnis eructavit Verbum bonum, & qui ejus virtute ſimiliter ſunt locuti. Cæteri verò, ſi non per ipſum, & ad ipſum Verbum, de hac virtute deficiunt, imo abſque profectu inanes facti ſunt. Proinde ad lumen hujus veritatis pandendum, eſſe amicitiæ oportet oculo intellectus inſpicere. Amicitia cuſtodia eſt amici, magis verò cuſtodia eſt amoris, necnon & animi animæque dicitur eſſe cuſtodia, hoc enim eſt eſſe amicitiæ, prout ſub hoc nomine fertur. Cuſtodire oportet amicum eo amore, quo cuſtoditur placitum, ſuper quo mens ſe accidentali delectatione fundavit, ne aliquid irruat, quo deſtruatur viſibile inviſibiliter habitaculum mentis. Cuſtoditur ſæpe corporis habitaculum humana peritia, & firmatur diligentia, quam requirit. Animæ habitaculum eſt amicus. Sæpe imo inceſſanter habitat anima in amico, & in abſentia inviſibiliter apud eum ſedulò hoſpitatur & requieſcit in eo velut in lecto corpus. Magis verò amoris cuſtodiam dixerim amicitiam. Semper ad ubera pendet amor, quem ſemper expedit lacte nutriri, non proſilit ex faſciis, velut infans oportet conſtringi, in balneo expedit interdum immergi, etenim improviſè plerunque turpatur. Nunquam coaleſcit amor, nunquam ſuis pedibus graditur, nunquam firmatur quin cito pateretur ruinam, niſi animorum prout corporum certiſſimus eſſet aſpectus, ut quanta, quæ, qualis eſſet amicitia utriuſque, poſſet eſſe animus certus. Semper ſuſpectus eſt amor ne minus diligatur, quàm diligat, aut non diligatur, ſicut diligit, & à tertia lingua concutitur, deficientibus interdum ſignis æſtimat diſſolutionem. Interdum faſtiditur ex nimio, aliquando ex modico torpet, deficeret omnino, niſi gubernetur à fide, aut ſignorum & nutuum fomenta ſuſcipiat. Quæ igitur erit amoris cuſtodia, ſi ex hoc amicitia nuncupatur. Fide omnis tenetur amor, quatuor verò virtutibus cuſtoditur, ut infra cancellos prudentiæ, juſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis includatur, & nulla ipſarum à plaga, quam tenet, ad campeſtria præſtet egreſſum, & velut diſcipulum doceat unaque rudimenta doctrinæ. Nunquam verò à doctrina deſiſtant: Ipſæ verò diſcere nunquam ceſſent. Non enim doctor effici poteſt amor, nulla ſibi niſi ad objectum eſt actio, neque tantùm diſcere, ut ultra non egeat, quia puer ſive infantulus ſemper eſt, nunquam ſenio appropinquat, fertur enim cæcus & ſurdus, cùm placitum habet objectum. Et cùm ſe firmum videt in placito, fere non ſuſcipit diſciplinam. A ſeipſo caret amor cuſtodia. Expedit omnino à virtutibus cuſtodire, quarum ad eum actio aliter infra patebit. Animi & animi cuſtos eſt amicitia, animorum non corporum dicitur amor. Quis enim amat cadaver, quis vellet ex turpi amore commotus, cum ex animato corpore tentare commercia? Igitur inter animum & animum prima effuſio eſt amoris, poſtmodum ad adjecta. Proinde oportet intendere quo jure amicitia eſt animorum cuſtodia. Nam ſi animi non ſunt ad invicem cuſtoditi, non erit amicitia animorum cuſtodia. Duo autem animi ſe mutuo diligentes, duo ſunt ſpecula viva, & quod eſt in uno, reſultat in altero, & iterum reſultatum reſultat, ſi ad invicem apponantur. Unum verò in altero ſuam fracturam oſtendit. Nubilum autem exiſtens recipitur in oppoſito ſpeculo, ſed oppoſitum ipſum non recipit. Ambobus albuginem habentibus, neutrum reſultat in altero, nec imago, quæ ante in utroque apparebat. Erunt igitur duo animi, duæ inſignitæ imagines ſerenitatem habentes, quarum una per amorem in altera apparebit, & alterius recipiet apparitionem in ſeipſa, cum ſeipſa apparebit in alia, & erit mira & mutua reverberatio ſpeculorum & ſerenarum imaginum, ſic & animorum. Nam animus dilectus reſultat per amorem in animo diligente. Si verò animus diligens rediligitur, reſultabit in dilecto cum ipſo dilecto. Cuſtodia porro erit ad invicem ſe amantium animorum: Non quod animus ſe cuſtodiat in ſeipſo, ſed quod ſe cuſtodiat in amante amato. Nam in amato, non amante difficillimè ſe cuſtodit. Sæpe certè frangitur non compenſatus amor, ut amabit animus, aut reamabit. Si primò amavit, aut irrationabiliter, & tunc ceſſet, omnino brutalis eſt amor, à juſta ratione deficiens, aut rationabiliter, & tunc omnino ſe cuſtodiat in amato. Quod enim ſemel rationabiliter placuit, nunquam placere non debet, quod ſi diſplicet, erumpit in crimen. Et per rationem ſe cuſtodiat in eo, quod per rationem ſibi fuit acceptum, & amanti animo gratum, ut præter rationem non moveatur. Circa dilectum animum autem ratio ordini ſe conſociat, ordo verò cauſa eſt permanendi.

Si verò animus reamavit, fortè volebat cauſari ſuperbia, ſi non reamaret amatus, aut quia generoſitate gratitudinis voluit inſigniri, rependens vicem ad amantem, aut extollentiam omnino cognovit in eo, qui amorem initiavit. Et fortè ad eundem ſe inferiorem aſpexit, unde dignum duxit amorem rependere, aut fortè amori ab aliquo inſigniri quærebat, & præventus eſt à neſciente quæſito aut juſta ratio exigit, ut non ſolùm reametur amorem initians, ſed quieſcens meretur, ut ad eum initiaretur amor. Quodlibet horum ex lege amoris cogit, ut animus in amato rationabiliter, ut ex ſuppoſitis juſtis cauſis ſe in reamato cuſtodiat, dum ſemper teneatur moderamen ab animo ad animam, ut ſit ſerenus, non caliginoſus amor, caſtus, non impurus, honeſtus & irreprehenſibilis, ut libera facie, aperta fronte poſſit ad judicium rationis juſtæ declarationis, inverecundè atque impavidè convenire. Proinde amicitia cuſtodia eſt animorum. Ratione amicitiæ velle inveſtigare in excelſis animam tolleret, & tranſcendit intellectum negantium creationem ex nihilo, & novitatem animarum, quas fides puriſſima profitetur. Ratio amicitiæ tota prima & ſumma, ultra quam nulla, ipſe Deus eſt, ratio exemplaris omnium rationum exiſtens, qui amicitiam non ſtatuit inter irrationabilia, quamvis quidam naturalis ab eis non cognitus amor ſit in eis, aut ratione ſimilitudinis, quia ſimile ſimile appetit, aut ratione generationis. Nec inter ipſa & rationales creaturas amicitiam copulavit, propter incapacitatem creaturæ irrationalis, ejus quod à creatura rationali procedit. Sed inter rationales creaturas, quas etiam ſui diffuſivi amoris ſtatuit eſſe capaces, poſuit, & eſſe voluit amicitiæ dulce nomen. Nam Dei providentia infallibilis ordinavit decrevitque mandato, ut homines ratione fulgentes invicem amici eſſent in terris, quibus ipſe amicus erat de cœlis. De lege fertur juſtiſſima dominorum, ut omnes ſervi mutuo ſe diligant, qui ab uno Domino præamantur. Et dilectio, quam ad creatorem omnis rationalis creatura tanquam à Deo in amore præventa tenetur rependere, cogit ad conſimiles amicos eſſe, quia tali ratione diligendus eſt Deus, ut diligatur omne quod diligit. Et hujuſmodi ratione amor, qui agitur inter homines, ſecum ſtet, ut cum dilecto diligamus ab ipſo dilecta. Signatio vultus Domini ſuper omnes, & imago & ſimilitudo ejus, quibus ſunt homines inſigniti, adducunt inexcuſabiliter omnes invicem amicos eſſe. Una omnium animarum natura, carniſque traduce nos ad amorem invitat, una materia, ex qua facti ſumus, una forma humanitatis in omnibus, una naſcendi & moriendi conditio, una terra, per quam gerimur, unum cœlum, quo tegimur, una lux, qua perfundimur, debent jure inter homines indiſſolubilem amicitiam copulare. Sed nunquid inter omnes æqualem? Omnino ſic dixerim, niſi virtus præter iſta in aliquo plus apponat, ad quem tantò intenſior ſit amicitia, quantò eum virtus præ aliis fecerit clariorem. Attrahit ſecreto animos virtus ad id, quod à Deo gratis collatum noſcit, & firmat quod amicum invenit, & vinculat arctius mentes. Proinde virtus perfecta ratio eſt amandi, nihil enim habet reprehenſibile virtus. Quod reprehendi ratione non poteſt, eadem ratione diligitur, quod reprehenditur, diſſonat à virtute, nec meretur amorem. Igitur, qui non amat, caretque in ſplendoribus ejus. Et virtus eſt dilexiſſe virtutem. Qui ad irreprehenſibile non afficitur, reprehenſibilis conſtituitur. Profectò cogentem rationem habet virtus annexam, ut ad poſſeſſorem ejus plurimi, magis autem omnes differentes ab animalibus ratione habituali & practica veritate amicitiæ copulentur. Amici ſunt ſane dæmonibus, qui non amici ſunt virtutis alumnis, & fœdera tenent cum vitiis, qui ſe virtute pollentibus non aſciſcunt. Aurea tuba in ſilentio ſonat, & ad omnes florida loquitur virtus, & ad ſui amicitiam ſine clamoribus trahit. Nam poſt omnium creatorem rationabilior ratio amicitiæ dicitur virtus. Nam ſi virtus non habet amicum, cui amicus erit homo? Etſi homo puro homini amicus eſt, amicitia eſt naturæ, ſuper quam amicitia virtutis volitat aquilina. Multi ambulaverunt ad lumen facularum, ſimiliter & ſtellarum. Plures ad lumen lunæ ſurrexerunt, conjunctim agentes negotia. Exceſſerunt hunc numerum, qui ſe in auroræ rutilationibus aſciverunt, plures omnibus his, qui ſe conglobaverunt ad ſplendidiſſimum lumen ſolis, ut Deus & virtus ſit potior ratio amicitiam inter homines generandi. Non habet tædium converſatio amicorum, ubi virtus eſt medium, nec faſtidium generat, quæ reſpectu agitur creatoris. Idcirco dixerim, Deum & virtutem rationes potiſſimas amicitiæ, quia, ſi tenemur omnibus ex ſuprapoſitis rationibus propter Deum amici eſſe, amicitia in hominibus virtutis poteſt eſſe defectus, à quibus amorem avertit creator omnium Deus, à quibus expedit, ut avertat & proximus. Si autem aderit hominibus virtus, ſervatur ad eos, qui divinus eſt amor. Et nos amorem noſtrum amori divino conjungere omnino

juſtitia

juſtitia cogit, ut cum ipſo amor noſter gradiatur, & cum ipſo quieſcat, & cum ipſo, quem diligit, diligat. Superi nempe cives quorum nunquam hic fuerit peregrinatio corporalis, in hoc æterno Deo maximè ſunt conformes, non ſolùm, quòd Deum diligunt propter ſeipſum, ſed quòd diligunt & odiunt, quem ſciunt ipſum diligere vel odiſſe. Palmaris ſiquidem amicitiæ ratio eſt, quæ ſumitur ex juſtitia Chriſtiana, ſecundùm quam juſtitiam non amicum eſſe amariſſima mors eſt. Nihil amarius, quàm non amare Chriſtiano dixerim aſſuiſſe, quia vita ejus in amore conſiſtit. Et dulcedo animæ ſugitur ex amore, & amicitiæ ratio ſic altè intelligentibus patet. Poſt has omnes ſuadetur nobis ex Chriſtiana virtute dilectio. Omnibus indicitur amicitia in carne degentibus. Etenim Verbum caro factum eſt, ut monſtretur ſigno viſibili, quantùm Deus dilexerit creaturam, pro qua voluit incarnari, ut exinde omnes amici eſſent novo amicitiæ genere, quibus Dei Filius ab æterno amicus, novum amoris ſignum oſtendit in aſſumpta carne. Si filii hominis ex patre uno transducti amici ſunt amplius, quàm ex diverſis parentibus geniti, maximè amici erunt ad invicem filii Dei. Dedit enim Chriſtus hominibus poteſtatem Filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, non ex voluntate carnis aut viri, ſed ex Deo nati ſunt. (Joan. 1.) Effici debent ex amicitia inexcuſabiliter inter homines, qui filii novogeniti ſunt per fidem, ut quantò nobilior eſt pater, tantò ſit ſtrictior amicitia filiorum. Etenim filiorum paternitas jure filios in amore ſtrictius nectit. Generandi modus etiam impollutus, ſegregatus ab omni alia ſerie producendi, ſupra naturam, ſupra rationem, ſupra uſum, ſupra modum, ſuper omnem hominis intellectum, in hos Filios Dei gratiæ ac adoptionis tenacius vinculum amicitiæ ac dilectionis effudit. Necnon & Chriſti primogenitura fraterna, quæ facta eſt non ex traduce humani ſeminis aut ex communi habitaculo ventris, ſed ex incomprehenſibili potentia deitatis, in oſtenſione infinitæ benignitatis, homines juſtiſſimè in amicitia ligat, à qua ſe pœnaliter quiſque diſſoluit. Primogenitus enim eſt Chriſtus in multis fratribus, & ipſe (Rom. 8.) nobis omnibus nobilior frater. Hæreditatis etiam mortalibus oculis inviſa communitas, quam omnibus volentibus per Dei gratiam promiſſum eſt poſſe ſortiri, ad amicitiam indicibilem ligat hominum animos, ut tantò charius ſe ament ad invicem, quantò noverit divinæ hæreditatis ſe fore conſortes. (Ibidem.) Ad quod inquit Apoſtolus ad Romanos: Ipſe Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quoniam filii Dei ſumus. Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Solent ſpecialius homines invicem amici eſſe, ſi habent communem hæreditatem omnino indiviſibilem, & qui poſſeſſionem poſſident in eadem regione. Qui verò eadem porta egrediuntur, & ingrediuntur, qui perambulant eandem viam, concives, & compatriotæ, niſi avaritia dividat, & ſcandala interponantur, aut vitium turbans eveniat, quadam etiam conſueverunt amoris ſingularitate conſtringi. Multò ardentius in ſupernam hæreditatem anxiè aſpirantes, ſe amori ſingulari convincient, ad quam his omnibus ſchematibus peragramus, quam avaritia nulla turbat. Quod enim ibi eſt uni, non minuitur ex conſorte, & vitia ſiqua quietem illam ineffabilem nullo interuentu perturbant. Mandatum Chriſti datum hominibus de amore, ſicut Evangelii textus eloquitur, rationem inſolubilem amicitia procuravit, ut non diligentibus, velut Chriſti mandata contemnentibus damnatio procuretur. Sunt & aliæ infinitæ rationes, ex quibus amicitia ſumpſit originem. Ipſe quidem inviſibilis amor, qui ſemper venatur extra ſeipſum placitum, ut in illo amando quieſcat, ratio eſt amicitiæ initiandæ. Accidentalis quædam complacentia generatur expunctaliter viſu ab oculo corporali, quæ animæ renuntiata per miniſtrum ſenſum, qui ab extra percepit, facta eſt in amore ſine reſpectu mercedis. Proprium eſt amoris amare, mercedem quærere omnino non novit. Quæſtus eſt, non amor ubi merces exquiritur. Sufficit amanti ſolùm pro pabulo amoris habere, quod jure poſſit diligere: Nam ſi non amat ex jure, non amor, ſed affectus deordinatio dici debet. Neceſſitas ſæpe facit amicitias innumeras. Non enim datum eſt homini in ſua natura per ſeipſum vivere, nam & ille, qui condidit, ſtatim decrevit non eſſe bonum hominem eſſe ſolum, & factum eſt ſimile adjutorium. Et ut eſſent omnia, Deus non fecit omnia æqualia. Et ut eſſent omnes homines, non fecit omnes æquales. Aliquis plus, aliquis minus habet, & ſufficientia naturalis unius, nec propter habentem ſolum eſt conceſſa, ſed ut in alium diffundatur. Et alius inferior in una ſufficientia, in alia fortè potior erit, qua & ille in ſua ſufficiens erit, atque in converſatione grata tempore quo dominatur neceſſitas. Grata converſatio & ſubventio eſſe non poſſet, niſi amicitia interiora. & viva ſpecula copulaſſet, & vera eſſe poteſt amicitia, quæ ex neceſſitate contrahitur, quam-

vis de amicitia ſolertiſſimi contrarium dixerint tractatores, volentes amicitiam omni neceſſitate carere, ſed à libertate procedere voluntatum. Sed aliud eſt neceſſitas, aliud eſt libertas. Neceſſitas eſt ex re, libertas eſt ex voluntate. Sed nec rerum neceſſitas voluntatis libertatem annihilat, aut in ſervitutem redigit alterius voluntatis. Voluntaria porro libertas, nunquam neceſſitas eſt, ad amicitiam faciendam proprio motu & à ſeipſa movetur. Rota enim eſt, quæ non patitur ab extra violentum motorem, niſi conditorem, qui ſic liberam fecit à ſeipſa & in ſeipſa, ut ad alia ſua ſponte moveretur. Proinde neceſſitatem non eſt ponere voluntatem, ſed ad aliquod removendum moleſtans, aut ad perfectibile aliquid inducendum, unde cauſabitur ratio & cauſa, unde amicitia contrahatur, quæ magis declarabitur, ſi abundans effundat in vacuum, vacuum à pleno ſuſcipiat, & plenus in uno vacuus in alio, refundat in alio ex eo, quod plenus, accipiat à pleno in eo, quod vacuus. Et erit videre decorum ſub ordine amicitiæ, ut duo ſunt carnales ad perſonas duas appoſiti, unus per quem infundatur, alter unde debitè refundatur. Creator etiam omnium Deus, qui in ſua diſpoſitione non fallitur, ita diſpoſuit ad univerſi decorem, ut in omnibus ſit ex qualitatibus præfectura, ut cùm ſit collatio in alterutrum, generetur inter homines amicitia, quæ vera & pulchra erit, quæ non turbat, imo quod ſuum eſt confert ad ordinem univerſi. Hujus enim plura ſunt exempla, quàm dicta. Ipſe ordo vivendi ab arte ſuffultus amicitiam generat, aut quia non poterat ſine ſocio ars deduci ad actum, unde cogetur in qualibet arte peritus invenire collegam, qui animo & corpore ſibi ad artificium educendum ſine contradictione conſentiat, quod eſſe nequibit, niſi amicitia fuerit mediatrix, aut quia indigentes operibus artis oportebit cum artificibus amicos eſſe. Omne autem commercium quandam amicitiæ habet cauſam. Ornamenta regionum, quæ divina providentia ſunt non omnia omnibus, ſed ſingulis ſingula diſtributa, homines à diverſis mundi partibus ad contrahendam amicitiam fecit convenire in unum, & docuit homines per marina divortia poſſe alteros ad alteros tranſire per rates. Erunt autem amicitiæ tantùm durantes, quantùm converſatio durat, quantùmque neceſſitas & alterius ſubventio perſeverat, quantùm commercii tempus, quantùm emptio & aſportationis ordo, quantùmque adeſt tempus in placitis. Similiter & uſque ad finem vitæ hominum eſt invenire plures, qui poſt mortem diſpari cauſa, diſpari cultu perdurant. Ad cujus majorem evidentiam cum Chriſtiana juſtitia pertractemus, non derogantes veris ſententiis quantumcunque veteribus atque infidelibus dictis. Primo inſpicientes, cum quibus eſt amicitia chriſtianicè devitanda, deinde cum quibus jubetur aut permittitur copulanda, non ſecundùm philoſophos mundique ſapientes, qui quamvis multa dixerint de natura, veritatis fontem & originem penitus ignoraverunt, nec illam inſpexerunt ſcripturam & legem, quam Spiritus Sanctus ſuis fidelibus inſpirabat. Ad quam pro eliciendis ſententiis animus noſter intendit, in qua jacebat obvoluta veritas & juſtitia Chriſtiana. Omnia enim in figura contingebant illis. Devitanda nec con- 1. Cor. 10.
trahenda fœderibus amoris & converſationis amicitia cum illis, qui ſignantur in filiis Canaan. De quibus Dominus dixit ad Moyſen, ut promulgaret ad populum.
Cave ne unquam cum habitatoribus terræ Exod. 34.
illius ſcilicet Canaan jungas amicitias, quæ
tibi ſint in ruinam. Legimus libro Gene- Geneſ. 9.
ſis Cam reprobatum à patre, pro eo, quòd eum nudatum in tabernaculo habuerat in deriſum. Ex quo exortæ ſunt gentes, quas præ cæteris Deus odio habuit, quibus poſt longa tempora terram abſtulit & tradidit in poſſeſſionem filiis Iſraelis ſub ducatu Joſue ſucceſſoris Moyſi, cum quibus prohibitum eſt amicitiam copulare. Ut autem audacter affirmem, nemo angelorum, aut hominum novit à quibus cavendum, cum quibus converſandum, quam infallibilis & æterna veritas, nec melius ordinare hominum mores, ſed humana hominum ſapientia, quæ ſtultitia eſt apud Deum, prætermiſit ſæpe divina, cum aſſertione atque
ordinatione ſuorum. Primogenitus verò Geneſ. 10.
Canaan Sidon fuit, à quo egreſſæ ſunt gentes ſuo nomine nominatæ. Sidon interpretatur venatio triſtitiæ aut commotio iniquitatis. Cum talibus hujuſmodi nullo modo eſt amicitia fœderanda. Eſt enim amicitia Chriſtiana læta dilectio animorum. Læta dilectio eſſe non poteſt, ubi venatio eſt triſtitiæ. Porro triſtitia dicitur à trina diviſione, quam venatur, quæ falſitatibus & vanis rumoribos præſtat auditum, unde intellectus confunditur. Qui memor eſt injuriæ, quærit unde triſtetur, perditorum irrecuperabilium memorator, cauſam triſtandi habet præ foribus. Qui ad aliena bona ſuſpirat, triſtitiam ſæpe nanciſcitur. Qui appetit quod nequit habere ſemper in cruciatibus manet. Hic nemini lætus erit amicus,

amicus, quia ſibi non adeſt animus Chriſtianus, qui ſolùm illa intelligit, memoratur & vult, unde in Chriſtiana juſtitia licitum ſit gaudere. Chriſtiana nempe juſtitia nil aliud, niſi peccatum judicat dignum triſtitia. Commotio iniquitatis Sidon, cum quo amicitia non eſt ferenda. Nam aliud eſt ab iniquitate commoveri, aliud commovere iniquitatem Primum ſæpe atque pluries ſine peccato, & interdum cum peccato peragitur, ſecundùm verò ſine peccato nunquam. Commovetur quis ab iniquitate alterius, propulſatur, concuitur, agitatur, cui ſi patria non deeſt, absque peccato manet, ſi non rependit, juſtus in eo eſt, ſi verò rependit cum inculpata tutela, adhuc iniquus non eſt. Si autem commovetur ab iniquitate inviſibilis hoſtis, ſi ab iniquitate ſenſibilis & fragilis carnis, ſi non conſentit, & quod antequam agitaretur erat, id manet, imo fortè præmium eſt virtute reſiſtentiæ acquiſitum. Tunc verò ab iniquitate commoveri peccato aſciſcitur, cum animus frangitur, aut malè conſentit. Commoveri iniquitatem impoſſibile dixerim fieri absque peccato. Iniquitatem commovet, qui alteri absque cauſa injuriam infert, & damna: qui ſeipſum in carne ſolicitat, ſeipſum dæmonibus obviam facit, & prævenit non tentatus, agitatus tamen à propria voluntate corrupta. Proinde cum his omne participium amicitiæ devitetur. Non eſt vera amicitia, quæ vertitur inter malos. Neque quis palliet, quòd alter ſit bonus, quin eoipſo malus efficitur, quo ſe cum malo conſociat. Lætis & puris animis aſſiſtit amicitia ſana. Filii alii quàm plures fuerunt, cum quibus præceptum fuit populo electo Dei, ne amicitiam quoquo modo firmarent. Quod præceptum nobis ſervabatur, nunc autem in veritate clareſcit, quorum iſta ſunt nomina, Ethæus, Jebuſæus, Amorræus, Gergeſeus, Evæus, Arathæus, Phereſæus, Aradius, Samarithen & Amatheus. Genus igitur hominum aliud in amicitia devitandum in Ethæo ſignatur. Stupidus enim dicitur. Quæ amicitia eſſe poteſt cum ſtupido, qui quaſi lapideus eſt & ſtolidus, & uxorem habet inertiam? Eſt enim amicitia ſenſus inviſibilis potiſſimus animorum. Quid enim tanquam id, quòd amatur, ſentitur in animo. Nam ſi ſentitur in animo, quod ratione caret, cùm diligitur, multo magis ſentitur homo ratione fulgens, ſi amatur. Sentitur aurum, ſentitur argentum, lapides pretioſi, domus & prædia, & animalia ratione carentia, in amantis animo ſentiuntur. Sed certum eſt, quod amari ſeipſa non ſentiunt, pro eo inter hominem & ratione carentia quantumcunque diligantur ab homine, non tamen dicitur amicitia, quoniam ipſa fit ab animo ad animum, non ab animo ad aliquod inſenſibile, ſive equum. Et aliud eſt diligere, aliud amare. Diligere quippe dicitur cùm animus ad aliquod rationale, aut irrationale, ſenſibile ſive inſenſibile colligatur. Amare verò, ſive amicitia ſolùm eſt rationabilium animorum. Proinde cum ſtupido, qui amari ſe neſcit, neque ſentit, aut amare neſcivit, qui amoris humani rationabilis atque Chriſtiani penitus jura non novit, nulla eſt amicitia contrahenda, barbarus eſt. Diſcretus amator ei, cui amare non ſapit, non intelligitur Chriſtianus amator, eo quòd Chriſtianus non novit amorem apponere ſtupido. Epulæ apponuntur ſepulchro, margarita pretioſa projicitur inter porcos, honeſtum canibus datur, aſcenditur ſuper mortuum equum, quieſcitur cum cadavere, locutio fit cum muto, ſurdo irrogatur ſcientia, parabola dicitur ſtulto. Ut quid perditio hæc? Amor animi non debet in vanum effundi. Prohibet alibi ſapientia cum ſtulto amicitiæ fœdus, dicens: Fatuo non eris amicus. Vigent multi pulchritudine corporis, eloquentiam videntur habere inſignem, pollent divitiis nobili proſapia ſunt exorti, quos, ſi poſſes introſpicere, ſtupidi ſunt, & ſtolidi, rationem amoris penitus ignorantes, ejus non intelligentes virtutem. Honeſtatem verò amoris, qua ornandus eſt amor, quæ perſeverandi dat cauſam, exilio tradiderunt. Hi cum inertia foventur in lecto, tempus irrecuperabile exponunt perditioni, ſubvenire in neceſſitatibus neſciunt, qui aliorum non ſentiunt paſſiones. Compati non noverunt, quorum amicitia melior eſt ſæpe notitia beſtiarum. Et tale noſcitur cum ſtupidis amicum eſſe, quale cum ſtatutis velle fœdus inire, quæ membra videntur habere, ſenſus virtute carentes. Habet amicitia delicatiſſimum ſenſum in animo amicorum, ut alter alterum ſentiat, & affectiones ſimiliter & paſſiones unius ab altero ſentiantur. Et præventiones ordinat fieri amicitia, & providentiam acuit ad decentia, & jure competentia neceſſitatibus amicorum. Non enim expectat auditum, ipſa inveſtigat, non expectat verbum quærens, ipſa tribuendo prævenit, ſi adeſt optata pro amico facultas, ſi verò deſit, gemit & compatitur, & magis ſæpe in animo punitur, quàm in corpore, aut in animo ille, qui patitur. In his maximè, quæ ſunt chriſtiferæ latriæ, bene ſentientem oportet habere amicum. Et amicitia Chriſtiana nititur ad hoc copulare bene ſentientes quandoquè verò facit, ſi non ſint inſenſibiles.

 Refu-

Refugit omnino ſtupidos & indociles, dociles ſi docti non ſint, etiam quandoque devitat, ſi noverit eos aliunde poſſe doceri, & ſe teneri non noverit aliquu debito, vel mandato inferre doctrinam. Non quærit docere amicitia: impetuoſa eſt amicitia, & ſtatim fertur in frui, frui verò non poteſt inſcio, quamvis aptitudinem habeat omnino adſcire. Docere autem ſupereminentia eſt. Æqualitatem amicitia quærit, quamvis non imprimatur doctrinaliter amori, tamen ſe, niſi ad cognita non extendit. Oportebit igitur omnino eſſe in utroque cognitionem, amandorum ipſorum, & extra ipſos poſitorum. Amicus eſſe volens non vacabit ſciolis imprimere, ſi poteſt invenire provectos, inter quos ſtatim oritur frui, & fit illico reverberatio animorum. Ubi verò non invenerit provectos ſcientia, charitate diffuſa in cordibus hominum, quæ amicitia vera eſt, ſuſcipit indoctos dociles, & pro poſſe ad profectum inducit, ut amicitia debita eſſe poſſit. Sed Æthæos quaſi ſtupidos, ſtolidos, inſenſibiles, inertes devitabit omnino. Eſt quoddam genus hominum velut ſumma peſtis ab omni amieitia removendum, ſi aderit, ſi autem non aderit, nullo modo initianda. Quod monſtrat filius alius Chanaan nomine Jebuſæus, qui reproba interpretatione præſepe meum dicitur: Præſepe locus eſt, in quo beſtiæ ſeu animalia rodunt. Sed væ! qui fecit ſuum pabulum beſtiarum, & vitam ſuam animalibus aſſimilavit, dejectus enim eſt à dignitate naturæ, quam habebat ex ſimilitudine ad eum. Vita hominis non ideo dicitur brutalis, quia ex his ſæpe fovetur, ex quibus aluntur & beſtiæ, ſed cùm feruntur motibus voluntariis abſque decreto rationis in placita, & aguntur ab animalibus more brutorum, ad aliud ſemetipſos non ordinantes, niſi ad corporum vitam, & omnis labor ipſorum in ore illorum vertitur, epicuream ſequentes doctrinam, ad ipſam animam & effectum operis dantes, omne damnum inviſibiliter accedens comparaverunt flabilem auram, moleſtationem verò corporis extremum periculum putaverunt. Qui corporalibus placitis atque carnalibus delitiis dediti ſolùm his ſimiles, atque talibus dantes operam noverunt amicos. Veritatis verò & virtutum inviſibilium ſcrutatores in amicitia fugerunt, pro eo, quòd ſobria eſt veritas, & virtutes corporum deliriis contradicunt. Nunquam virtutum cultores præter fragilem neceſſitatem corporum curaverunt, & ſæpe attenuaverunt corpora propter vigilem ſenſum. Nunquam ſociabitur amicitia veritatis cum delicatè foventibus carnem, quorum enim venter eſt Deus, nullus verus erit amicus. Suſpirabit ſedulò ad Deum ſuum, & de ipſu velut fidelis cultor ipſius ſæpe loquetur, & cum amicis quæret de cultura conſilium, magis verò auxilium. Tabe infecta eſt amicitia, quæ contrahitur cum cultoribus ventris, & eorum loquela deſinit in fœtorem. Et inviſibilis amicitia, & inter inviſibiles agitur, & propter inviſibilia initiatur atque perdurat. Incorruptibilis eſt, & incorporea, & propter horum contraria nunquam fiet. Guloſus devitetur, venereus depellatur, qui ſtudet calicibus epotandis, amici nomine non eſt dignus. Quærit amicitia plerumque ſecretum, nullum autem ſecretum, ubi regnat ebrietas. Si verò ſimilis habitudinis ſunt amici, nomen quidem amicitiæ habent, ſed lupi rapaces & oves ſunt convenientes ad eſcam. Pejori autem articulo devitandi ſunt, qui præſepe meum dicunt, pro eo quod eſt præſepe homini pro ſuis animalibus nutriendis. Tutus eſt mundus in commune atque pro communi utilitate creatus. Qui verò commune per hoc vocabulum meum, in proprium reduxerunt aut reducere conati ſint, lucem intellectualis, atque communis amicitiæ non viderunt, neque cognoverunt excellentiam ejus. Et nemo in amicitia tanta ſolicitudine devitandus, quàm qui proprietarius cenſetur. Sine re nulla poteſt eſſe amicitia, ubi repugnat proprietas, & proprium diligens nemini amicus eſt Cui amicus erit, qui vellet omnium bona in proprium vendicare dominium? Cui amicus erit, qui naturam fertilem odit, præterquam ad ſeipſum? Imo inimicus eſt, qui omnium bona vellet auferre. Et ſi nollet aliorum bona vendicare in proprium, liberalitate carens, jure non habebit amicum. Propriè proprium eſt amicitiæ, libens liberalitas. Et qui effundit libenter amorem, quod exterius eſt, retinere non novit. Qui aperit animum, aperit & theſaurum. Relativum nomen eſt, quod dicitur amicus, eſſe verò relationis totum ad aliud eſt. Nihil igitur habet, qui ex Chriſtiana juſtitia eſt àmicus ad ſeipſum, ſed ad amicum. Nemo niſi impropriè ad ſeipſum amicus vocatur, cum amicitia duorum requirat cunſiſtentiam amicorum. Ad ſeipſum homo quilibet eſt, ad alium refertur amicus. Proinde proprium ſuo damnato jure omnem abjecit amicum. Jure alio altiori proprietarium, & non liberalem omnis amicitia maximè Chriſtiana condemnat. Etenim quia reipublicæ crudelior noſcitur inimicus, nihil tantum reipublicæ adverſatur, quàm in rebus aut honoribus & dominationibus retenta

ſive

ſive quæſita proprietas, & incommunicabilitas eorum, quæ à ſummo proveniunt, aut eorum, quæ in ordine vivendi atque gubernandi republicam ab hominibus conceduntur. Hoc ſæpe conſtituit tyrannos, & reipublicæ deſtructores. Quo igitur jure quis amicus erit ei, qui reipublicæ adverſatur. Inimicus omnium eſt,qui huic amicus efficitur. Inter proprietarios amicitia eſſe non poteſt, quia non eſt relatio animorum, & rerum, quæ ab amicitia ipſa ſtatim, cùm incipit, generatur. Nam ſicut eo ipſo, quòd eſt paternitas ſive filiatio, eſt pater, & filius, & realis relatio inter eos, ſic illico, cùm eſt amicitia, amicus eſt, & amicus, & ea lege, qua ſunt, ad invicem referuntur relatione reali, & rerum juſta liberalitate. Ac per hoc non dixerim amicitiam viſibilium & corruptibilium rerum glutino conſtrui, ſed atteſtatione firma deſanctio, ut nullus ei amicus eſſe velit, qui amicus eſſe non vult. Penitus ſanè amicitiam negat, qui ſua non communicare contendit. Amicitia jubet amicos juſtè invicem revelari. Juſtitia Chriſtiana lucidius clamat, ut indigens ab habente requirat. Nam ſicut largiri amicabilis eſt voluntatis, ſic expetere ob indigentiam eſt juſtæ neceſſitatis. Æqualiter igitur in amicitia, ſi aderunt, tollerentur donatio libera, & expetitio juſta, ut quos delectat donare, non pudeat expetere, cùm indigentia premit, & quos juvat expetere neceſſitate premente, libeat dare, cùm alter petit, & dandi copia ſuppetit. Proinde qui præſepe meum dicunt, in ſpeculum amicitiæ non aſpiciunt. Et cujus propriè proprium eſt communitas, ei adverſatur deteſtanda proprietas; Igitur cum avaris nulla amicitia eſt contrahenda. Inter avarum & largum converſatio eſſe poteſt, nulla amicitia vera. Et ſi proprietarii atque avari amicitiam inter ſe fovere videntur, advertat, qui novit, quoniam talis eſt ipſorum amicitia, ſicut latronum, atque prædonum, qui unanimiter in prædam inſiliunt, qui dum dividunt, gladio ſe confodiunt.

Cap. VII.

De ira, quam juſtitia Chriſtiana excludit.

JUſtitia Chriſtiana, quæ ab omni virtute ſeu actibus ejus avertit impertinens, omne amarum velut impertinens reſecat. Quod ſignificatur in eo, quòd cum Amorræis prohibitus eſt Dei populus amicitiam aggregare. Nihil enim Deus prohibet, niſi quod eſt virtuti ac moribus ejus adverſum. Amorræi amari interpretantur. Amarum verò prout inolevit in uſu,eſt guſtui diſſuave,quod adverſus dulcedinem bellum habet. Sed accommodato vocabulo amarum dicitur, quod invitè ſenſus corporis patitur,& noſtræ opponitur voluntati. Homines ſiquidem eo ſenſu dicuntur amari, quo eorum converſatio eſt, ſive cognoſcitur diſſuavis, & importuna hominibus fit, aut irrogant, unde hominum animi amareſcant. Amari ſunt omnes, qui naturæ ſuavitatem, humanitatis dulcedinem in ſeipſis inficiunt, & impoſſibilitate detinendi ad alios ſæpe transfundunt, & propter improbos mores diu tolerari non poſſunt, & tolerari volunt, ſed tolerare neſciunt, & multa inferre, pati nulla noverunt. Omnes vitioſi ratione dictante amariſſimi ſunt, & privantur virtutum ſaporibus. Neceſſariò enim ſic agitur,ut ubi vitium ſapit, virtus deſipiat. Sed cùm multa ſint amaritudinis genera ſive hominum amarorum, ad perſtringendum ſolùm aliqua ſuſcipienda tractavimus. Amarus eſt omnis homo, ſuper quem ira ſeu furia dominatur. Ira eſt animi noſtri abſinthium, venenum verò, ſi fuerit pertinax. Et cùm infecerit quempiam, ad ſodales, aut aſſiſtentes reddit amarum, ut nihil ſuave in animo habeat, nil molle in verbis eluceat, nil in moribus mitte ſplendeat. Amicitia enim eſt ſuavitas animorum, & mollitiem non labefactam prætendit in verbis, mititatem in moribus habet. Cui ergo ſuavis in animo,verbo dulcigena, moribus aptus, qui ſibi amarus exiſtit? Iræ turbulento appetitu in animo reſidente, amicitia patietur exilium. Ira & amicitia, ut ignis & aqua ita conveniunt. Sed objectabilis ira in alium, amicitia in amicum. Contra naturam agitur, ut duæ contrariæ paſſiones animum hominis eodem momento poſſideant, nec in diverſitate temporum paſſionis & affectionis facta diſtributio excuſabit, ut uno tempore ira in alium, alio ſit amicitia in amicum. Qui ex priſtina conſuetudine ſæpe areſcit in iram, obventu aliquo ad amicitiam non aſſiſtit. Etenim, cùm accenditur, amicum neſcit intueri, quod juſta conteſtatione clareſcit. Nemo alicui magis, quàm veritas debet eſſe amicus. Sed tali caligine animus ex ira plerumque involvitur, ut verum à falſo, honeſtum à turpi, utile à damnoſo,

mnoſo, nulla ratione cernatur. Hinc pro devitatione per Salomonem dicitur: Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambulis cum homine furioſo, ne fortè diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ. Unde ſatis apertè colligitur, quòd nemo amicus iracundo fiat, & ſi à te omnem ſervaret amicitiæ regulam, & quòd ad tuam viſionem ab omni ira miteſceret, in uno penitus inevitabiliter te offendet. Quia iracundus ſemper agitatur ad malum, quos offendit, alios, ſi ſibi amicitiam ſervare volueris, tibi faciet inimicos. Jus eſt infallibile in ordine amicitiæ: ut amicus amici tibi fiat amicus, & inimicus ejus tibi pariter inimimicus. Recuſabitur omnis iracundus ex ſolito, ne in amicitiæ gratiam veniet. Quòd ſi venit, aut tolleretur, ſi ſperatur correctio, & levis eſt furor, aut devitetur, ſi deſperatur, & eſt pertinax. Ubi verò adverſùs teipſum amici furor deſæviet: aut patientiam adhibe, ſine utriusque damno chriſtiferam: aut aſſumpta cauſa, reſcinde. Nec dictum Salomonis ſemper accipiatur in malum, cùm dixit: cauſam quærit, qui vult diſcedere ab amico, quia quærere debet, ut diſcedat bonus à malo, verus à falſo, pacificus ab inquieto, patiens ab iracundo, ſuavis ab amaro, ſi correctio non ſequatur ad tolerantiam, & decor amicitiæ non reſurgat, qui improborum eſt morum. Eſt quoddam aliud amarorum genus, qui turpibus intendentes ad hæc amicos exquirunt, & quos habent gravare præſumunt. Sed diabolica non Chriſtiana eſt amicitia, ubi aſſiſtitur turpitudo peccati, ubi morum honeſtas polluitur, ubi vera innocentia condemnatur, aut ſi conturbatur juſtitia publicæ honeſtatis. Alius amarus, qui memoriam injuriarum fixam in animo tenet, beneficiorum immemor factus, & calculat ſæpe damna ſive impenſa. In catino amaritudinis pabulat injuriæ calculator, & illatæ malitiæ memor jacet in lecto ſpinarum. Omnium verò amariſſimus eſt, qui Deum peccando reliquit, & in peccatorum pace quieſcit. Unde Jeremias ad Jeruſalem dicebat: Scito, & vide, quàm malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem ejus apud te. Sed pejus eſſe omnino refertur, in pace quieſcere peccatorum, propter quod Deus relinquitur. Hinc Iſaias verba Ezechiæ regis recitans: Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Omnium amaritudine amarior penitus pacem habere in vitiis, cum quibus omnino expedit habere divortium, & adverſùs ſtuprum duro & inceſſabili bello conſurgere, donec vitia depellantur. Devita omnes amaros, ne cum eis amicitias jungas: ne ipſorum conſortio tuus oculus in amaritudinibus commoretur, ut aut cogaris videre, quod placet, & ſi non arctaberis ad malorum conſenſum, penitus non effugies ſenſum peſſimum. Etiam amaritudinis genus eſt, Chriſtianum chriſtianicè non amare. Vitalis animæ in virtutibus radix eſt amor, & ditiſſima vita honeſta dilectio, quæ non reperitur præterquam in campis Chriſtianæ juſtitiæ. Proinde, qui non diligit Chriſtianum, amariſſimæ mortis eſt vaſculum, & Chriſtianum non diligere chriſtianicè Chriſtum atque Chriſtianum amariſſimæ vitæ ferunt in exilium. Et deflentur damna, usquequo regrediatur anima in patriam, ubi amoris plantulæ vigent, germinant, florent, fructusqúe parturiunt in odorem ſuavitatis, vitæqúe perennis,

Jeremiæ 2.

Iſaiæ 38.

Cap. VIII.

Quomodo vera amicitia omnem extraneum à fide excludit.

AMicitia ſanè omnem advenam, & in opere tædioſum devitat. Cujus devitationis edictio in alio filio Chanaan, nomine Gergeſeus vel Gergeſan deſignatur, qui interpretatur propinquans advena, ſive ejiciens colonum. Advena propinquans eſt, qui de ſuo loco recedit, & in terris moratur, aut diſcurit alienis. Colonus verò terræ cultor dicitur, cujus actus absque nimio labore non geritur. Et quamvis poſſint interpretationes nominum plerumque ad bonam, aut malam partem tem reflecti, hominum verò reprobatorum à Deo nunquam debent nomina in ſanam partem converti. Certum enim eſt, ut præmiſimus, Deum Moyſi præcepiſſe, cum talibus amicitiam non jungi. Qui vero conditor omnium eſt, atque liberator, non niſi malum diſſuadet hominibus. Proinde penitus expedit hujus nominis & ſimilium interpretationem ad reprobum ſenſum convertere. Juſtum enim eſt, & regula præfixa eſſe debet tractatoribus ſacræ ſcripturæ, ut illorum nominum interpretationem in ſanam partem non vertant, quorum

quorum eſt reprobata perſona, quia reprobatæ perſonæ fruſtra interpretatio novit in bonum morale converti, quamvis interpretatio bonum ſonet. Veruntamen pro myſterio, & in varietate temporum atque morum una & eadem interpretatio diverſum habuit applicatum intellectum, ſicut divina ſcriptura in littera ſimpla manens, ſenſum habet quandoque diverſum, quod ſacræ ſcripturæ perſpicacibus tractatoribus luce clarius patet. Idcirco ex hac interpretatione percipiendum eſt cum amicitia cum Gergeſanitis ſeu Gergeſeis, velut cum aliis prohibitus eſt Dei populus omnino contrahere. Idololatra enim erat tota natio illa, & plura nefanda commiſerat. Sed quia nos qui moraliter in tempore noſtro loquimur, oportet illam interpretationem in ſiniſtram patrem deflectere, ut devitationis cauſam in amicitia contrahenda poſſimus facilius invenire. Advenæ propinantes ſunt omnes infideles, qui nobiſcum in converſatione propinquant, cum quibus oportet amicitiam abhorrere. Infideles omnes advenæ ſunt, qui non habent proprium incolatum. Proprius incolatus eſt cujuscunque hominis, ut id agat, quod Deus mandat, & id teneat, quod ipſe commendat. Id enim eſſe debet proprium rationalis animæ, ad quod invitat, accedere. Invitat omnes ad fidem venire, renuunt. Quia ergo fideles non ſunt, advenæ ſunt. Scribebat Apoſtolus Epheſiis, gentilibus baptizatis, ut non exiſtimarent ſe advenas, dicens: Jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſcilicet non eſtis advenæ à Deo vel ab eccleſia, ſed eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei, ut à contrario ſenſu firmiter teneatur infideles eſſe advenas, propinquantes verò, qui nobiſcum converſatione aut inter nos habitatione, ut Judæi diſperſi aut aliqua morum ſimilitudine: cum his omnino amicitia præcavenda. Nam omnis vera & rationalis amicitia colligatur aliquo ſacrificio, quo colatur, qui ab omnibus creditur ſummus unus & verus Deus. Pagani idola colunt, nec nobiſcum in unius Dei cultura conveniunt, ſacrificium noſtrum ſpernunt, nos verò ipſorum immolationes deteſtamur. Quomodo ergo erit amicitia, ubi animo diſparitas ſentiendi, cum in amicitia paritas ſentiendi de ſacrificio & de uno Deo penitus requiratur? Diſſentiunt intellectus, quia Chriſtianus aliter, diverſè paganus intelligit. Diſſentiunt affectus, nam aliter Chriſtianus, aliter paganus afficitur. Diſſentiunt memoriæ, quia Chriſtiani memoria circa unum Deum, pagani verò memoria plures Deos meditatur. Nulla ergo erit amicitiæ veritas ubi animorum tanta diverſitas, cùm amicitia ſit animorum æqualitas, non ſoſùm, quòd ſe diligant mutuo, ſed quòd omnino conveniant in quocunque tertio. Intellectus hominum aut conſentiunt aut diſſentiunt. Si conſentiunt, aut in vero, aut in falſo. Si conſentiunt in vero, nulla concertatio, facta eſt eſt amicitia intellectuum, qui in veritate conveniunt. Si verò in falſo conſentiunt, omnes errant. Errantium autem amicitia nulla vera. Qui ſibi errat, alterius non erit rectus amicus. Si diſſentiunt, verum & falſum, diſſenſionis adduxerunt cauſam, quod diſſenſio intellectum aliter cauſat, & non poteſt niſi quòd unus verum, alius ſentit falſum. Et non ſolùm in fide, ſed in omnibus intelligibilibus, & in omnibus intellectibus hæc ſententia locum habet. Inde ſcripturæ contrariæ, inde quæſtionum pertinaces pugnæ, quia in vero aut falſo diſſentiunt intellectus. Igitur omnino inimici ſunt fidelium & infidelium intellectus, quod aut nos verum, ipſi verò ſentiunt falſum, aut nos falſum, ipſi verò ſentiunt verum. Sed de ipſorum falſitate non vertit in dubium vera multitudo fidelium. Similiter affectus hominum aut conſentiunt, aut diſſentiunt in amore relato. Si diſſentiunt, non eſt amicitia. Si conſentiunt, facta eſt amicitia in ſeipſis ad ſeipſos, quia ſe mutuo diligere volunt. Sed adducatur illud, quod veram amicitiam probat, ſi in tertio illo conveniunt. Si diligimus Deum, illi idolum: ſi nos unum Deum, illi ad plures afficiuntur: ſi nos unum verum ſacrificium affectu fideli peragimus, illi ad infauſta ſacrificia convertuntur: quæ igitur amicitia inter animos erit, ubi affectuum tanta prænotatur diverſitas? Etenim non ſolùm in divinis, ſed etiam in humanis oportet in tertio convenire. Sæpe namque videmus, quòd unus tertius dilectus ab uno amicorum, ab altero exoſus fomitem diſcordiæ miniſtravit. Et veros ſervos oportet in amore Domini fideles amicos eſſe. Et ſæpe diſſenſiones fiunt ex diverſitate affectiva propter dominum tertium, vel amicum, multò magis in divinis affectuum debet eſſe conſenſus. Sin autem, nunquam verus erit amicus. Memoriarum verò diſſenſio vel conſenſio eandem ſententiam reſonabit. Ad veritatem amicitiæ omnino exigitur, prout fundatur in animis hominum, quòd conſenſio intellectuum ſit in vero, affectuum in bono, memoriarum in honeſto. Et primo quidem expedit, quòd harum potentiarum conſenſus fiat in ſummo vero, in ſummo bono, in ſummo honeſto. Nulla erit omni-

omnino amicitia veritatis, ſi de uno Deo vivo & vero, & ejus cultu per omnes animæ vires non bene usquequaque ſentitur. Judæorum verò & Chriſtianorum non erit amicitia recta, quia ſi de uno Deo', quod nos ſentimus, ſentiunt, ſi de ſuo cultu atque ſacrificio in eorum tempore benè ſentiunt, tamen de redemptore noſtro Chriſto utique malè ſentiunt, & ſenſerunt, ſuper quem inflexerunt zelum legis, ut eum morti traderent, & veri ſacrificii renovationem non credunt, ſed derident. Proinde ſi de Domino noſtro atque redemptore malè ſentiunt, nullo jure nobis amici erunt. Servus amicus inimici Domini : inimicus eſt Domini. Chriſtianus paganorum atque Judæorum amicus, Dei conſtitutus eſt inimicus. Nam ſi amicitia illorum, quæ Deum non offendunt, neque amare poſſunt, Dei inimicitias generat, multò magis amicitia offendentium, & de ipſo indebitè ſentientium. Inde Jacobus inquit in canonica
Jacobi 4. ſua : Quicunque voluerit eſſe amicus hujus ſæculi, inimicus Dei conſtituetur. Amplius verò, qui amicus inimicorum fuit. Nec excuſat, quod homo eſt, ſi malè aut non debitè ſentit de Deo. Sed iſti advenæ ſunt, & ſæpe propinquantes nobis in aliquo, aut quadam ſimilitudine morum. Propinquatio magna fit in commerciis. Propinquatio Judæorum habitantium inter nos, converſationes mutuæ, Amicitia fieri nequit, niſi eorum conſenſio fiat. non, quòd qui benè ſentit cum malè ſentiente, ſed qui malè ſentit, cùm benè ſentiente conſentiat, Chriſtiano ſentiente cum pagano atque Judæo, amicitia vera non gignitur, pro eo, quòd ab utroque de Deo malè ſentitur. Ab eo ſiquidem tempore quo Dei Filius pro humana generatione dignatus fuerit carnem ſuſcipere, atque innotuit evangelium ſanctum ejus vera amicitia inter fideles atque infideles profectò non potuit reperiri. Non ergo velit, qui titulum Chriſtianitatis agnovit, cum infidelibus amicus eſſe. Converſationem autem, niſi propter inevitabilem cauſam omnino declinet pro loco, tempore atque rebus, ne fortè quodam humanitatis intuitu & morum aptitudine, obſequendi liberalitate cor noſtrum in ipſorum amore molleſcat, & cùm cœperimus amare pauliſper judicabimus Deum, quare ipſe ſic damnat. Vult enim appoſitus amor ſæpe divinum in amato mutare judicium, etiam ſi non mutatur delictum. Qui verò imperitiores ſunt, poſſent audire ab illorum ore verbum, quod credentibus generaret aliquod dubium. Qui verò habent legis Chriſtianæ peritiam, ſimiliter converſationem avertere debent, niſi compulerit juſta neceſſitas, magis verò, cúm aderit charitas, ſi poſſent quempiam infidelem ab infidelitate divertere, convertereque ad fidem, ut primò eum Dei amicum conſtituant, deinde ipſi efficiantur amici, quia gehennali dignus eſt pœna, qui primo ſui antequam Dei aliquem vellet amicum, ſive ad ſuam amicitiam Dei receperit inimicum. Advenæ propinquantes etiam eſſe feruntur, qui nulla præeunte notitia, nulla præhabita experientia, velut advenæ provenerunt. Sed cum ignotis' non eſt amicitia copulanda, neque cum illis, quorum nulla experientia probabilis anteceſſit. Amicus ſecretorum aperiet oſtium vero amico. Quomodo ergo nota ſecreta faciet ei, cujus perſonam ignorat ? Notiſſima res amicitia eſt, mentis notos peragit. Si omnia ſunt amico tractanda, de ipſo primum oportet habere notitiam. Et antequam tuum animum amico committas, experientia præcedat probatæ virtutis. Non emuntur equi, niſi probentur, nec animalia, quæ ad uſum quæruntur. Non dantur pretia ſive arrhæ pro eo, quod emitur, aut emptio quæritur, niſi experientia probabilis antecedat, ſi experiri conſuetudo permittit, aut ratio quærit. Nemo vult incaſſum inexpertè projicere pretium. Pretium verò nullum amore pretioſius eſt, amore verò ſolùm comparatur amicus. Proinde nobilem theſaurum non effundas in ignotum, aut experientia non probatum. En, fortè dicetur : Quem inveni, omnibus eſt perfectus amicus, nemo de ipſo conqueritur, omnem novit amicitiæ regulam, quàm omnibus ſervare didicit veram. Adhuc verò palpitatio reſtat, fortè copulat tecum novam, qui veterem amicitiam prætermiſit. Qui veterem dimittit amicum, de novitate aut inſtabilitate cauſatur. Vir vanus amicus eſſe alicui non eſt dignus, aut præmortuus eſt ſuus amicus. Nolens ſine amico vivere, cum aliis fœdus amicitiæ quærit. Nec te moveat, quod alteri placuit, tibi fortè omnino diſplicebit. Non eadem ratio, quæ alteri, tibi hominem reddit aptum. Præter communes rationes amicitiæ aliquid in hominibus latet, unde ſingularior amicitia redditur, ut etiam virtutis probitas poſtponatur placito ſingulari. Propinquantes advenæ, ſimulatores ſunt, qui mores moribus noverunt, ferunt autem in animo, quod ore non proferunt. proinde autem expedit cum talibus derogare amicitiam, aut probare,

ante-

antequam corde, atque moribus profiteamur amicum. Hinc Jeſus filius Sirach dicit: Si poſſides amicum, in tentatione poſſide illum. Tentatio probatio eſt rerum, & eorum, quæ requiruntur ad uſum, ſimiliter & hominum. Probetur homo, qui ad familiarem amicitiam quæritur. Honeſtius eſt non jungere, quàm ſegregare conjunctam. Amicum verum probavit anguſtia, hoc Salomon aſſerit; Frater in anguſtiis comprobatur. Virtutis amicus ob preſſuram à virtute non decidet, quia dupliciter læderet, perderet rem, & famam, nec divitaret quandoque preſſuram. Qui amicus eſt homini amore virtutis, non dimittet eum in anguſtiis atque preſſuris. Nam ſi periret corpore amicus, virtus ipſa non perit. Qui verò ex corruptibilibus initiavit amorem, ipſis pereuntibus amicitia perit. Proinde dicitur: Non cognoſcetur in bonis amicus. In bonis temporalibus atque corruptibilibus omnis velatur amicus. Ipſis abeuntibus, apertè cognoſcitur, quale fuerit amicitiæ fundamentum. Avertunt ſæpè faciem amici corruptibilium ab oppreſſo, & quaſi non fuerit, à memoria removetur. Ex hoc Job dicebat de amicis, qui eum videbant oppreſſum: Fratres mei me præterierunt, ſicut torrens ex repentinis & niviis fluviis aggregatus: cujus naturalis vena non extitit, ſtatim defluit, & alveus remanet inhumectatus: ſic repentè tranſit, qui ex vena veræ amicitiæ non fuit amicus. Propinquant & adveniunt multi amici more torrentium ex aquarum inundantium multitudine, ſed in anguſtiæ tempore amicitiæ ac amicorum alveus remanet deſiccatus. Non emas aurum aut argentum ex colore, habent enim ſimile falſum, materiam, pondus potius require & imaginem, & ſuperſcriptionem, ſi ad curſum ſunt devoluta monetæ. Non reſpicias in homine blandam faciem, non mores ex arte facetos, non forinſecam dolaturam, ſed quæ moneta metaphoricè in homine amico perquire. Qui verò prudentes ſunt, noverunt ſæpe quod in Proverbiis Salomonis dicitur: Quomodo aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.

Eccleſ. 4.

Proverb. 17

Cap. IX.

Acedioſi excluduntur ab amicitia vera.

Omnes firmiſſimè acedioſi ſunt in amicitia reprobandi, quod ex alia interpretatione Gergeſan apertè colligitur. Eſt enim ejiciens colonum. Cultor terræ colonus dicitur, qui operando laborat, qui eum ejicit, abrenuntiavit laboribus. In tentorio quieſcens, latitat in caverna pigritiæ, ſub umbra dormit, in ſecreto damnatæ remiſſionis. Delicatus amicus nemini gratus, quærit omnino amicitia in eventibus æſtuoſos. Amicitia delicata propter homines indigentes non cadit, non enim ſurgit, cùm indigentia premit, quòd premat eos neceſſarium eſt, qui mundi hujus habitant incolatum. Habitatio terrena miſera eſt, & ſemper agitatur adverſis, labores, dolores, defectus habet certiſſimos, quietes incertas, ſuavitates dubias, profectus inſtabiles, ex quibus oportebit actu evigilare amicum Dei, qui patitur, & ſtudio animi, aptitudine corporis ſubire labores, & non ſolùm rerum, ſed corporum communitatem amicitia facit, ut ſi pede unus deficiat pro ipſo alterius ambulet pes amici: ſi manus, alterius altera officium debitum agat: ſi oculus eruetur, aut cæcabit, qui videt oculus erit amici, auri ſurdæ audiens omnino ſubveniet: elinguis factus indigebit: amici prædominante infirmitate in uno, alter pro ſubventione diſcurret: uno quomodolibet carceri tradito, alter pro remedio vigilabit ad oſtium: uno ſuſtinente injuriam, alter propulſare conabitur. Hæc penitus actuoſum quærunt amicum. Nulla namque juſtitia Chriſtiana concedit, ut pro his eventibus relinquatur amicus. Non enim relinquendus, quouſque deſierit eſſe homo, & rationis, composque virtutis. Sola enim mors hominem ſolvit, quæ animam alienat à corpore. Cum exanimato corpore nulla eſt amicitia retinenda, excepto quòd Chriſtianicè tradatur debitæ ſepulturæ. Rationem ſolvit fatuitas ſive contrarius error, quæ ſi incurabilia ſunt, amicitia omnino ſolvatur. Cum fatuis atque errantibus juſtitia prohibet amicitiam habere, & firmatam jubet diſſolvi, virtutem vitium ſolvit

¹ B. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang. Pars II.

ſolvit, & de finibus hominis pulſat. Ab animo prorſus exulet amicus, à quo exulat virtus. Si verò pro quibuscunque communiter in corpore accidentibus, non eſt relinquendus amicus, niſi ſpe correctionis expectaretur interdum: igitur ab amicitia repellatur ſine exceptione omnis otioſus, ſimul in animo ſe amore foveant, corpore verò quieſcant. Duntaxat qui potior eſt corpore aliis amicis ſive ſubſtantiis, minus valenti ſe atque ſuos accomodet. Colonum ejicientes etiam ſunt, qui de ſuis laboribus vivere nolunt, ſed per turpia & violentias, furta ſive rapinas fallacitates atque uſuras media vitæ captant. Horum ſicut mala, quæ faciunt, eſt amicitia fugienda, etiamſi ad iſta turpia non requirant.

Cap. X.

Feri, crudeles excludendi ſunt ab amicitia vera.

Aliud genus hominum in amicitia devitandum, in alio filio Evæo nomine deſignatur, cujus interrogatio plenitudinem mali portat. Evæi namque interpretantur feri, feroces, peſſimi colligentes lapides, Feri crudeles uſitato vocabulo, & poteſtate mali agendi dicuntur. Et feruntur more ferarum motu, omni ratione privato. Ferus eſt, qui ab omnibus animo & moribus diſſidet, magis verò contradicit. Proinde Iſmael appellatus eſt ferus homo, quia manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum. Feri ſunt omnes homines, qui efferato animo vivunt, quibus melius eſſet corpore fieri efferato. Multi natura ſunt homines animo ferali viventes, & moribus alio id agentes. Ferus animus indulgere non novit, ſæpè fingit pacem, ut exoſum incautum infallibiliter trucidet. Ferus non placatur muneribus, acquieſcere precibus neſcit. Ferus gaudet ſanguine in certamine fuſo. Gaudet, cùm audit homines in homines ſævientes. Ferus ſemper nova machinatur tormenta, & non ſaturatur cruciatorum pœnis, & nihilipendit hominum vitam. Ferus ſemper animo ferit. Ferus ſine cauſa litem inquirit. Ferus feritur, & contabeſcit animo, ſi non ferit, & non cruciante cruciatus eſt illi. Ferus ſocius dæmonis, qui lapſis requiem non concedit. Ferus nunquam ſe ad pericula obicem, ſed prævium facit. Ferus dolet, ſi ab homine mala caventur. Ferus maledixit omnem percutientem incaſſum, benedixit autem, qui ſignanter transverberat. Ferus expeditè non niſi ad malum conſulit, ejus ligatur lingua in conſilio bono. Ferus non removet iram, ſed accendit in paſſo. Ferus omnes occidit in lingua, in animo verò tam altè percutit, atque flagellat, quod ſi decem millium hominum vires adeſſent in corpore, non poſſit tam altè ferire. Ferus benignus crudelibus, piis autem omnino crudelis. Ferus autem afflictionem afflicto, deſolationem deſolato delectatur inducere, viduarum, pupillorum, egenorum, expoliatorum, injuſtè paſſorum cauſam videre renuit, compati neſcit, & lachrymis placari atque inclinari omnino negavit, utitur irremedabilibus armis, & cùm tangit, vellet transfodere. Ferus naturæ, atque ſacramento contemnit deferre. Ferrum ſemper portat & innovat ferus. Crudelia ſunt viſcera feri, ferum animum fert ſemper, feritur ferus, fera verba fert in lingua ferus, ſed interdum ſuavia, ut ferius feriat ferus, vitam feram, feroſos mores fert ferientibus ſe ferus. Ferus furens generis propinquitatem abhorruit. Ferus non ſubvenit, ferrus horrea tempore neceſſitatis claudit, ferus innocentiam odit, ferus dilaniat, ferus percutit, ferus expoliat, ferus occidit, ferus in occidendo conſentit, ferus cum feris dæmonibus ſociandus erit, nunquam cum hominibus amicus erit. Subjicitur beſtiis homo à feritate devictus, non natura, ſed animi pertinacia & immanitate morum. Ferus libentius ad mala facienda, quàm ad convivia pergit, ad turpia, quàm ad eſcas. Sanguiſuga inſatiabilis eſt, ex ſanguine procul odoratur bellum. Ferus ſolùm ſuſtitur ab omnipotentia, & ab impoſſibilitate ad mala ſuſtinet moram. Hujus feritatis in veteri teſtamento, & in hiſtoriis gentilium multa ſunt exempla, ſed nulla pejora, quàm quæ à Chriſtianis facta ſunt tem-

tempore Chriſtianorum. Tyrannides, partitialitates, ſectæ, latrocinia, avaritia, dominandi libido, ſi circumſpiciantur, & interrogentur, nullum feritatis genus invenitur non actum. Novi dæmonum præ omnibus eſſe feros, feriores atque ſimiliores collegas, quorum amicus ſciat, quia dæmonum eſt amicus. Igitur cum feris hominibus ſicut cum feris eſt amicitia ſocianda. Quoniam amicitia initium eſt animorum, & manſuetorum amabilis qualitas. Amicitia animi refugit feritatem, velut totius ſuæ conſiſtentiæ omnino contrariam, & ſui regni atque dominii æmulam. Amicitia non novit injuriam, proinde nec rependere novit. Amicitia non hoſpitatur in dæmonibus feritatis, pacatum eſt hoſpitium ejus, abhorret amicitia truces, nec aſſiſtit animis efferatis. Amicabilis in viſceribus pius, & mores habet jure tractabiles. Pius & ferus, hoſtis & hoſtis. Inter hoſtem & hoſtem amicitiæ ſella ſubvertitur. Mors tractabilis & furens vita, ignis & aqua. Inter ignem & aquam, quæ ſit conventio, experientia loquitur. Ut brevi ſermone perſtringam, ad ferum vera amicitia eſſe non poteſt, imo penitus eſſe non debet. Feroces referuntur ad corpora tantùm, ut feri ſint animo ſemper, quandoque verò & corpore feroces intelliguntur, ſed magis amicitia habenda eſſet cum fœtentibus infirmantibus corpore, quàm cum ferocibus malis. In illis corpora, in iſtis mores infeſti penitus ſunt horrori. Nefandiori per omnia interpretatione ſunt Evæi, in amicitia declinandi, peſſimi namque interpretantur. Peſſimus eſt, qui in malo non poteſt deteriorari. Peſſimus eſt, qui aſcendit turrim nequitiæ, qui attingit apicem mali. Peſſimus eſt, qui ab ea qualitate bona, qua defecit, perfecit extremum, & ad eam, qua diſpoſuit infici, totum totè ſe dedit. Peſſimus eſt, qui pro poſſe nullum malum dimiſit inhauſtum. Legitur, quòd Sodomitæ peſſimi erant. Peſſima res erat, quòd magis inſaniebant in juvenes homines, quàm in pulcherrimas mulieres. Sed pœna oſtendit qualis eorum nequitia fuit. Peſſimus eſt, qui ſeipſum violentat ad malum. Peſſimus eſt, qui adinventiones & novitates adinvenit in peccatis. Unde populus Dei commınationem accepit à Moyſe in deſerto, quòd propter adinventiones peſſimas in peccatis eſſet perdendus. Adinventiones peſſimæ in peccatis ſunt, cùm quis præter alveum malorum inſurgentium à natura corrupta, per ſubtiles & ſedulas adinventiones ad malum conatur, ut plus velit facere, ac invenire ſuaſus à malitia propria, quàm commotus à fragilitate aut corrupta natura. Peſſimus igitur, qui ſemper ad extrema vitiorum accedit. Peſſimus eſt, cui ſi ad aliquod malum agendum deſit aliquando facultas, ad nullum tamen deeſt iniqua voluntas. Peſſimus eſt, in quo non eſt aliquod rectum in animo ſive moribus invenire. Peſſimus ſpondet faciliter fidem, ut majorem inferat fraudem. Horum docebat Salomon cavere amicitiam, [Prov. 2.] nequitiam eorum declarans: Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas. Qui verò lætantur, cùm malèfecerint, & exultant in rebus peſſimis. Nam qui exultat in malo, malus, in pejore pejor, in peſſimo peſſimus eſt. Et inter ſeptem, quæ Dominus odit, hoc numeratur: [Prov. 6.] Et cor machinans cogitationes peſſimas. Meditatur atque machinatur cogitationes peſſimas, qui circa Deum humanum aliquid atque impertinens, excepto quòd carnem aſſumpſit machinatur, & adverſus Chriſtum humana ratione conſurgit. Ille machinatur peſſimum, qui ſine cauſa, omni dolo ſubvertere nititur proximum. Ille machinatur peſſimas cogitationes, qui ſemper cogitat, quoquo ſtatuatur iniquitatis thorus, & virtutis ſolium & juſtitiæ cathedra ſubvertatur. Cum his omnino amicitia non eſt ferenda. Neceſſe ſit penitus, ut hic aut alibi deprimantur, qui ad peſſimos amicitias copularunt. Legitur Paralipomenon, quod Joſaphat rex Juda poſt multa bona opera inivit amicitias cum Ochozia rege Iſrael, cujus opera [2. Par. 19.] fuerunt peſſima. Et particeps fuit, ut facerer naves, quæ irent in Tharſis, feceruntque claſſes in Aſiongabat. Propheravit autem Elieſer Filius Dodaim de Mareſa ad Joſaphat dicens: Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſſit Deus opera tua, contritæque naves, nec potuerunt ire in Tharſis. Ecce deſuper omnium inſpector demonſtrat, quantùm ſibi diſpliceat cum peſſimis amicitia jungi, qui non ſolum peſſimi, ſed etiam deſtruxit opera confœderati amici. Sed hic aliquali mora ſiſtitur animus, ut notus fiat peſſimus. Et in quo eſt penitus amicus peſſimus Ochozias, refertur: Quia ſecutus eſt peccata paterna, ſimiliter & materna. Peccatum grande inter cætera fecerat Achab pater ejus, qui vineam pauperis volebat auferre, & cùm aliter nequiret, conſenſit in mortem ejus, atque poſſedit, adoravitque idola. Mater verò ejus ſuo tempore inventa eſt peſſima mulicrum, perſequebatur enim prophetas [3. Reg. 2.] [3. Reg. 19.] Domini, & falſos prophetas fuebatur, atque

que fovebat, quorum impietatem Ochozias animo & operibus ſequebatur, adoravit Baal, irritavit omnium creatorem, quod eſt iniquitas maxima. Sequebaturque veſtigia illius, qui prævaricationem & idololatriam per authoritatem regiam & iniquam induxerat primo in populo Iſrael, cujus Joſaphat factus amicus, extitit punitus in navibus navigantibus in Tharſis pro auro Ophir. Tharſis exploratio Gaudii interpretatur. Naves ſtudia ſunt ad aliquod arduum operandum. Proinde illorum omnium ſtudia qui peſſimis amici ſunt, divina vindicta franguntur, ne in explorationem veniant infallibilium gaudiorum. Idcirco nulli vertatur in dubium, quin peſſimus peſſimum faciet amicum, ut ejus participio prematur animus, ne figatur in regione illa, ubi vera ſunt gaudia. Igitur omnimode peſſimorum amicitia repellatur. Optimum eſt in moribus amicitia. Optimum & peſſimum non habent legem glutini. Optimum & peſſimum nulla juſtitia nectit. Amicitiæ proprium eſt intrinſecum eſſe ad animos amicorum, non extra manere. Sed contrariorum nulla intrinſecatio, eorum ſubſtantia & qualitate manente. Non intrinſecus eſt ignis aquæ, nec aqua igni. Non intrinſeca nox diei, aut dies nocti. Lux in tenebras non ingreditur, nec tenebræ in lucem: Oportet, quòd unum maneat, alterum abeat, & alterum depellatur ex altero. Habentia ſimilitudinem aliquam commiſcentur, ut aqua & vinum, & quamplures liquores, & aliqua genera metallorum, & horum ſimilium, quamvis neque habeant ſimiles qualitates. Contrariorum verò nulla commixtio, in talibus natura reſpuit, magis verò in intellectualibus virtutibus atque bonis Chriſtianis moribus divina juſtitia contradicit. Nam intrinſecatio contra naturæ ordinem inquietudinem ſæpe parit. Vapor intrinſecus terræ, contra ordinem ſuæ naturæ, terræmotum generat, cùm erumpit, in aere verò denſitate nubium interclusus, aut tonitruum aut coruſcationem parit. Peſſimum ſi includatur in optimo, ſi optimum includatur in peſſimo, aut unum convertetur ad reliquum, aut parturient inquietum, quoniam ordo hæc non patitur. Ubi ordo, ibi quietem eſt neceſſario adeſſe. Colligentes lapides eos inſinuant, qui Verbis duris alios dilapidant, ac animi duritia perſequuntur. Colligunt lapides, qui lapidare volunt. Colligunt lapides, qui ædificare in mundo iſto concertant. Ædificatio lapidum ſignum eſt ſuperbiæ, indejectabile quærit ædificium facere. Colligere ad ædificium lapides, negatio eſt mortis. Difficile mon credit, qui ædificat. Colligere ad ædificium lapides, rebellionem fecit. Qui verò ædificando exceſſit, conturbavit rempublicam. Collectio lapidum, inſenſibilium aggregatio, & ad duritiam fit acervus. Colligit namque lapides, qui ſe materialibus atque prementibus oneravit. Fertur in profundum aquæ lapis projectus, ne colligas ſubmergentia mentem. Ad hæc ſcriptura dicit: Qui projicit lapidem in volatilia, dejicit illa. Collegit quiſque lapides, ſi Eccleſ. 11. quis in animo Verbum durum emiſit ore, in volatilia, id eſt, in homines contemplativè viventes, qui niſi tantùm pro eſca declinant ad terram, & perſecutus eſt eos, atque propellit de propriis finibus. Cum his nulla ſit fœderatio amicitiæ, ſi autem fuerit, abrogetur.

Cap. XI.

Cavendi ſunt in amicitia, qui ſolùm norunt temporalia, & non æterna.

GEnus aliud fugiendum in amicitia, in filio nomine Arathæo comprehenditur, qui longitudo conſulens interpretatur. Eſt æternitas, eſt & longitudo. Æternitas in alia vita, longitudo in iſta conſiſtit. Si æternitas conſulit, conſideretur pro æternis. Longitudo pro longis temporalibus, atque temporibus conſulit. Plura ſunt utique conſilia, quomodo vita trahatur in longum: Profuit, ſi poſſit protrahi in æternum. Conſilia multa fiunt, quomodo vivatur in vita beata. Invenitur conſiliarius ad avadendum temporales pœnas, rarus ad evadendum æternas. Invenitur pro uxore, non pro virtute: Pro lucro rerum, non meritorum: Pro honoribus perfunctoriis, non pro æternis: Pro ſanitate corporis, rarus pro ſanitate mentis. Cavendus eſt omnis, ne ad amicitiam aſciſcatur, qui ſolum novit pro longitudine temporum dare conſilia. Etenim avertet hominis mentem ab his, quorum penitus non eſt finis. Qui ſolùm temporaliter conſulit, non pro æternis, ſed pro temporalibus quæſivit amicum. Idcirco dixerim nullorum

rum veram fuiſſe amicitiam, qui non tradiderunt aut quæſierunt æterna. Nempe juſtitia Chriſtiana reſpectu æternorum maximè ligat amicos, ad hoc enim jubet diligere inimicos. Proinde ſæpe accidit inſpecta lege credulitatis Chriſtianæ, interveniente amore charitatis Chriſtiferæ, ut amicus de amici morte non doleat, credens ipſum in æterna deduci, & ipſo in æternis pariter in Domino frui. Necnon amicus amat bonum amici, quamvis ad ipſum bonum aliquando non poſſit. Multoties & procurat, & ad Deum gradum provehit, ad quem non poſſet, aut vellet attingere. Non curat amicitia graduum altitudinem, dum animorum credat æqualitatem. Proinde Chriſtianus amicus non gaudet hic amicus eſſe, ſi amicitiam Dei ſperat æternam, nec multipendet præſentiam, ſi præmortuus illuc ingreditur, ubi erit libera in omnibus amicitia in præſentia creatoris. Devitabitur omnino tibi duntaxat terrenorum conſultor, quæratur omnino, qui ſciat & valeat ad æterna conſulere, ſimiliter & præſtare auxilium. Inde
Eccleſ. 6. dicit JEſus Filius Sirach: Pacifici ſint tibi multi, & conſiliarius ſit tibi unus de mille. Pax cum omnibus eſt habenda, ſed conſiliarius amicus ſit unus de mille, ſit unus electus ex mille. Millenarius numerus eſt, ultra quem non progreditur, niſi replicetur. Sit unus qui ad unum Deum conſulit, qui ad æterna te dirigit, qui te poſſidere poſſit in Deo, in quo non perditur, ſi moritur amicus homo, ſed rarus eſt, ſingularis eſt, ſicut unus in mille. Iſta multitudo conſulit pro longitudine valde brevi, hujuſmodi amicus, qui pro æternis conſulit, omnis boni medicamentum portat. Unde ſcriptum eſt: Amicus fidelis, Ibidem.
medicamentum vitæ, & immortalitatis. Et qui metuunt Dominum, invenient illum. Ecce qualis eſt fidelis amicus, medicamentum vitæ. Ordinat iſtam vitam, officium aſſumit medici verus amicus, diætam à nocivis imponit, purgat Verbis, & aſper ſæpe videtur, dulcis in malis ſemper amicus non dicitur verus, quia dum adhibet curam in moribus, etiam ad immortalitatem præordinat. Qui verò pro tempore periturorum longitudinem conſulit, amicus eſt temporis, & non permanebit, ſi nubilum tempora paterentur. Hinc di- Ibidem.
citur: Eſt amicus ſecundum tempus ſuum, & non manebit in tempore tribulationis. Amicus igitur temporum in hoc tempore devitetur, ne fortè ad æternitatem beatificam a tempore infelici pervenire non ſinat. Temporales amici ad æterna ire retardant, & multo impedimento fiunt, ne cœleſtia capiamus. Quorum vox de humo, & cor terrena inſultat, neſcit conſulere pro æternis. Nec quis dabit alteri conſilium, quod pro ſeipſo non accipit. Etſi Verbo dicit, contrarium oſtendit operibus. Operum autem mutativa fit in hominibus amicitia.

Cap. XII.

Apoſtatæ veri amici eſſe nequeunt.

INiqua phariſæorum generatio non recipiatur ad amicitiam. Dominus enim jubet, imo prohibet, qui novit iniquam. Interpretantur enim phariſæi ſeparati ſive diſſeminati. Unit amicitia, non ſeparat. Separati atque diſſeminati ad amicitiam non conveniunt. Et quamvis poſſit utrunque in bonam partem reflecti, nos verò cogimur omnino in malam, pro eo quod reprobatus eſt homo, cujus nominis agitur interpretatio. Separati, cum quibus amicitiæ non tractandæ, ſunt omnes, qui à religione Chriſtiana receſſerunt, & apoſtataverunt à fide, in omnibus eſt inutilis factus. Salomon dicit: Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & in omni tempore jurgia ſeminat. Huic extemplo veniet perditio ſua, & ſubito conteretur, nec habebit ultra medicinam. Separatus à fide Chriſtianæ religionis nihil nobiſcum debet habere commercii. Seceſſit in contrariam partem, qui fidei abrenunciavit Chriſtiferæ, repudiavit & Chriſtum amicitia iterum repudiat ipſum. Separatus à Chriſtianis ſolus non manſit, ergo ad adverſarios acceſſit. Adverſariis amicus, nobis inimicus erit. Qui à fide catholica erraverunt, nulli ſervabunt debitam fidem. Sunt ſeparati apoſtatæ profeſſionum. Cum quibus velut cum falſariis amicitia denegetur, quoniam ipſi Deo, hominibus, ſibimet amicitiam negaverunt, & maledictioni ſubjacent, niſi ſpe correctionis & converſionis omnino inevitabile participium habent ad eos, ut etiam ave non offeratur eis. Separati ſunt, qui actioni ſcripturarum intellectu dividuntur, finxerunt tales ſectas, & ſecti ſunt. Se-

para-

parabantur malitioſi in veteri teſtamento, donec adeſſet purgatio legalis, manebantque ſæpe foris domos & extra caſtra. Proinde quos ſeparat omnino amicitia, recti non ſunt, donec juſtitia Chriſtiana judicet eſſe purgatos, cum quibus amicitia ſit ferenda. Separati appellantur, omnibus moribus ſingularibus incedentes, qui non verentur perturbare mores publicos & privatos. Qui etiam propter aliquod inſigne virtutis aut ſcientiæ, quam habere ſe credunt, ab aliis rectè viventibus intentione, converſatione, moribus ſeparantur, viciſſitudinem amicabilem non merentur, ſeparati enim ſunt. Omnes verò ſeparati ſunt inæquales & impares, etenim ab æqualitate atque parilitate receſſerunt. A ſeparatis igitur omnino expedit ſeparari, nec amicitiam fieri ad eoſdem. Aſpexi, & probatum eſt, quòd propter aurum & argentum homo ab homine propinquo vel remoto ſejungitur, ſeparatur ſæpe propter rem vilem, etiam & turpem. Et magis dilexit irrationalibus & inſenſibilibus atque turpibus aſſiſti, quàm reſervare cum homine juſtum fœdus. Multi ſunt uniti ſub tecto animo autem ſeparati ſunt. Oſtenderunt plerique magnam unionem Verbis, intentione dividebantur. Sed de intimis quis judicabitur? Amicitia in credulitate peragitur. Quomodo fiet amicitia, niſi amari ſe credat. Quid mihi de intimis judicare, ſi ſeparatus aut unitus? Quis introſpexit hominum viſcera? Interiora quis novit? Libet quod dicitur, ſed regulam infallibilem adverte uniti & ſeparati. Amicus eſt alter amicus, ſicut quidam interrogatus, quid tibi eſt amicus? Reſpondiſſe fertur: Alter ego. Si amicus alter tuus eſt, nunquam allegabit accuſationes in petitis, in ærumnis, in laboribus, in tribulationibus pariter ſuſtinendis, ſicut tu contra teipſum non allegabis. Quem videris invenire ad iſta ſuffugia, excuſationes inquirere, lætanter non exponere corpus & res, ſeparatus eſt animo, amicitiam ſolùm Verbis, amore vel opere non fovebit. Expedit omnino cum ſeparatis non amicum eſſe, & amicum ſeparatum fieri. Hujus enim inſolubilis eſt ratio, quia melius eſt non confidere, quàm poſt confidentiam decipi. Multi ſæpe amici multa fecerunt, pericula non timuerunt, relevari credebant, ſi affuiſſet oppreſſio, tempore verò, quo amicitia per opera debuit clareſcere, palluit, & indigenti melius fuiſſet proviſum, ſi talem non habuiſſet amicum. Voraginem deſperationis paruit, quia amico in neceſſitate defecit. Diviſit Dominus multo miraculo ab Ægyptiis Iſraelitas, pro eo, quòd quamvis eſſent in eadem regione, religione verò & cultu ſeparati erant. A nequiter igitur ſeparatis recede, amicitiam nun conjungas, diſiungeque conjunctam. Cum diſſeminatis expedit idem agere. Diſſeminati diſperſi ſunt in omnem vanitatem atque vanam doctrinam, quorum amicitiam oportet neceſſario devitare: Quoniam qui ad ſeipſum non colligatur, nunquam colligatur aut colligabitur ad amicum. Diſſeminatus ad ſe conveniet nemini. Collectus ad ſe, onera juſtè portabit amici.

Cap. XIII.

Mali conſiliarii veri amici non ſunt.

EOrum verò, quæ ſignantur in Aradio, qui de numero malæ ſobolis fuit, ab amicitia jubemur atque præmonemur averti. Aradii deponentes conſilium, aut deſcendentes feſtinanter interpretantur. Septem hominum genera deponunt malè conſilium. Alii qui audire contemnunt conſilium, alii qui audiunt, & abjiciunt, alii qui ſubitò & improviſè conſulunt petentibus, conſilia deponunt, alii qui ob rem conſilium porrigunt, alii qui perperam conſulunt, alii qui bonum aliorum conſilium parvipendunt, & qui, ut non fiat, impediunt. Qui contemnunt audire conſilium, falli non-poſſunt, quod ſolius Dei eſt per naturam, & confirmatorum per gratiam, quod ſolùm in ſuperis agitur, aut cum viatoribus Deus illuxit, & inviſibili luce inviſibilem perfundit animam tanto certitudinis argumento, ut omne dubium ſit amotum. Quod pauciſſimis datum legitur, illis ſuccedunt aliqui excellere intellectuali lumine, & totius veritatis ſplendere fulgoribus, ut non indigentes ſibi ſolis appareant. Quibus, ut ſopore preſſis evenit, qui vident in ſomno lumen ſolis, fulgentem meridianam lucem, & perambulare multa loca tramite recto. Qui cùm evigilaverint, aut in profunda nocte, aut cella obſcuriſſima dormiunt. Hi ſunt deponentes conſilium, qui audire penitus nolunt, ſibi omnes ſufficientias adſcribentes. Et ſæpe nonnulli reperti ſunt, atque reperiuntur,

qui

Digitized by Google

qui ſe cognoſcunt indigere conſilio, & inſufficientiam autumant, qua premuntur: Sed quia penitus reputari inter homines volunt, conſilium non petendo deponunt, ne inferiores his, quos conſulunt eſſe videantur, ut eo ipſo aliquid eſſe appareant, cùm aliorum conſilia non pertractant, ſapientes in eo videri ſe credunt, quo aliorum conſilia refugiunt. Hi penitus ad amicitiam non quærantur, qui in propria virtute confidunt, aut aliorum conſilia
Iſaie. 30. ſpernendo deponant, de quibus per Iſaiam dicitur: Væ! filii deſertores ait Dominus, ut faceretis conſilium, & non ex me, & ordiremini tela non per Spiritum meum, ut adderetis peccatum ſuper peccatum. Qui ambulatis, ut deſcendatis in Ægyptum, & os meum non interrogaſtis. Os enim Domini eſt, quicunque novit Dei ſcientiam & veritatem agendorum, & poteſt & ſcit præſtare conſilium, à quo eſt antequam fiat aliquid, requirendum. In lege Dei eſt conſilium agendorum & cavendorum verius, quam in lege hominum. Multi verò legem Dei omnino au-
Zach. 7. dire contemnunt, contra quos Zacharias clamat: Poſuerunt cor ſuum adamantem,
Prov. 1. ne audirent legem. Et per Salomonem ſapientia dicit: Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoqne in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo, cùm vobis, quod timebatis, advenerit. Contemptores ergo conſiliorum ſibiipſis paraverunt ruinam. Cum ruinoſis aſciſci, aut amicitiam contrahi velle, ruere eſt cum ruentibus. Multi audiunt conſilium & abjiciunt. Audivit ſanum & ſeniorum conſilium Roboam rex, Filius Salomonis regis, quod nimirum, dulciter & leniter reſponderet populo alleviari petenti. Qui eorum contempſit conſilium, adhærens perverſo & infelici conſilio juvenum, unde ſecuta eſt diviſio regni ſui. Quæ quamvis deberetur merito paterni delicti, potuiſſet ſiſti ordinatione ſani conſilii. Multis enim malis obviant conſilia ſana. Et ruptis habentis inconſulta bona non conveniunt aut ruunt. Audiverunt multi conſilia prophetarum, & depoſuerunt, id ſolùm agentes, ad quod ex voluntatis impetu fere-
3. Reg. 22. bantur. Ut in Regum volumine legimus, reges Iſrael & Jeruſalem congregati atque parati ad prælium, prophetam quendam Michæam nomine, juſtum & ſanctum pro conſilio propheticæ viſionis interrogaverunt. Qui adjuratus reſpondit eis, prout acceperat à Domino veritatem. Ipſi verò proprio impetu agitati, aliorum ſuffulti conſiliis, contra prophetæ conſilium, quo decreverant, aſcenderunt, ſuſtinentes interitum, quem propheta prædixerat ante conflictum. Non igitur ſunt hi ad amicitiam evocandi, magis verò ſunt reſpuendi, qui conſilia ſana deponunt. Amicitia verò ipſa proceſſus cautos inquirens, ſemper conſiliativa eſt, & ſana conſilia quærit, & adinvicem conſiliativos amicos, ut unus ab alio conſilia quærat, ut cautior in omnibus ambulet, & alteri conſulat, ſi præeſt conſulendi virtute. Si verò in erogando conſilio deficit, inquirat ab alio, ut amico fidenter & ex amore petenti conſilium, in fide atque amore conſulendo reſpondeat. Proinde conſilium deponentes, carent amicitiæ virtute. Deponunt quidam conſilium, videlicet irrogando petentibus, ſed conſilium aliis inferendo deponere eo vitium eſt, atque deponentes vitioſi redduntur, quod faciliter & improviſè deponunt. Non enim expedit improviſè inferre conſilia, ubi ponderoſa res agitur, maximè his, qui non habent certam ſcientiam aut expertam negociorum & agibilium. Tales ſunt, qui conſilia improviſè conferunt, quales canes in incertum latrantes, aut aves ad incerta volantes, ſive aves nutritæ juxta humanas voces, quæ aliqua humana Verba ex audiendi frequentia didicerunt, non intelligentes cùm proferunt. Conſultor improvidus ruina eſt populi, magis verò amici, ſi in ipſo confidit. Qui ſubitò conſulit in re dubia, vanus aut amens eſt. Multi ſubitò dederunt ad interrogata conſilium, ne ſuperſedentes haberentur ignari. Quos garilitas in loquendo deludit, nunquam dominati ſunt Verbo. Poſſent multi ſana præſtare conſilia, ſi prævidiſſent, & ſubita reſponſio induxit errorem, paravit atque periculum. Non omnibus ſcientia, & omnium memoriam ſuppetere conſuevit extemplo. Quibus ſapientius adſcriberetur ignorantiam allegare, aut tempus proviſionis, quàm Verbum proferre incaſſum. Unde ſcriptum eſt: Antequam loquaris diſce. Et
alibi: Ne temerè quid loquaris. Subverſio Eccleſ. 18.
audientium non deliberatum conſilium.
Melius enim eſt, & amicitia tutior, ami- Eccleſ. 5.
cum habere ignorantem, & digitum apponentem ori ſuo ſuper his, quæ non novit, quàm qui importunè conſulit, & ab ignorantia temporanea ſive à ſemper inſita detinetur. Non omnium eſt inferre con-
ſilium, ſed plurium eſt indigere. A tali- Coloſſ. 3.
bus taliter conſilia deponentibus caveat, qui amicus quærit eſſe ſecurus. Merces fecit conſilia multa deponere, interdum verò non pauciora pervertere. Mercenarius conſiliarius nunquam erit fidus amicus, aſpicit ſemper ad manum cupidus ocu-

lus ejus. Manus vacua munere, vacua redibit ſæpe conſilio, aut reportabit impertinens: Plena verò dabit conſulenti materiam conſulendi, & non ad amicum conſilium ſed ad datum. Amicitia hoc proprium habet, ut non ſolùm de rebus, ſed de viſceribus velit amico ſervire, quod fit, dum amico conſulendo ſervitur, & hoc excepto, quòd amicus verus nollet amicum ab aliqua indigentia premi. De nobilibus tamen, cùm obſequitur, vellet habere materiam obſequendi. Nulla dona nobiliora, quàm ſapientia Verba, ſive conſilia, quæ ab animi virtute procedunt. Quæ dona deturpat, qui ob rem amicitiam, conſiliaque deponit. Etſi congruum interdum noſcitur ab aliis quippiam expetere pro conſilio, nunquam tamen dignum geritur in amico. Honeſtius in amicis rerum permutatio adinvicem toleratur, quàm conſiliorum venditio, quæ nunquam præterquam inhoneſtè agitur. Si à dilecta & pia matre omnium natura præcondita inſit alicui beneficium atque ſcientia conſulendi, omnino quæſitus gratis conſulat, & non vendat. Si verò à ſtudio multo tempore conquiſito expenſis atque ſudoribus, licitè venditur, quod eſt expenſis, laboribus atque ſudoribus acquiſitum, amico autem nunquam. Nam hoc licitum eſt ſcientiæ atque laboris acquiſiviſſe amicos, quibus gratis ſe donat generoſa voluntas. Proinde, qui venaliter deponit dando conſilia, ab ami-
Matth. 10. citia ſecludatur. Gratis accepta, gratis dare jubemur à juſtitia Chriſtiana, laboribus parta gratiſſimè gratis amicis. Sunt quidam perperam conſilia deponentes, qui anfractuoſè quærentibus conſultum, ſerpentino more anfractuoſis greſſibus incedunt, conſilia infauſta emittunt, dolum ſemper adverſus quempiam in conſiliis includentes. Hoc fecerunt filii Jacob, volentes ulciſci de Sichimitis, dederunt conſilium circuncisionis, & eis amici eſſe ex animo videbantur, imo per nuptias arctiora fœdera contractare: Quo facto, irruerunt ſuper eos torquente dolore circuncisionis, & quos voluerunt, in ore gladii occiderunt. Contra quos & propter quod Sanctus patriarcha Jacob, cùm filiis benediceret poſi-
Geneſ. 49. tus in Ægypto, dixit: Simeon & Levi vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non veniat anima mea. Semper enim perperam conſulunt, qui prodere volunt. Hoc perſimile etiam funeſtum conſilium Aman dedit regi Aſſuero, ut omnes Judæi uno pariter die interficerentur, ob invidiam & indignationem animi, quam adverſus ante ſe non inclinantem conceperat Mardochæum, quamvis divina bonitas ejus diſſiparet conſilium. Sæpe conſilium iniquum promit, qui ab impietate animi detinetur. Unde Salomon dicit: Vir impius lactat Prov. 16.
amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam. Infinitus eſt enim impiorum numerus, qui conſulendo dulciter, nequiter amicum decipiunt, & rationibus ornant conſilia, ut fidelia videantur, à quibus difficile atque raro cavetur, dum more materni lactis in pueri ore transfunditur. Et iterum dicitur: Conſilia impiorum fraudulenta. Erumpit in illa, qui gerit in ani- Prov. 15.
mo fraudem, & decipit conſulendo, quem vocat amicum, qui fert animum vipereum. Et vir iniquus decipit amicum ſuum. Unde in Eccleſiaſtico dicitur: A conſiliario malo Eccleſ. 37.
ſerva animam tuam, prius ſcito, quæ ſit illius neceſſitas. Malus conſiliarius aut infidelitati aut ignorantiæ ſubjacet. Malus conſiliarius, humanus diabolus, qui ſemper dum conſulit, venenum infundit. Interroga protoplaſtos, ut tibi hujus annuncient veritatem, ſuper quos fraudulento conſilio mortis induxit imperium. Conſiliarius verò malus ad pericula exponit amicum. Conſiliarius malus in ſeipſo lapſus, ad nullum manſit erectus: Felicitatem ſe dixit habere, ſi viſibiliter atque inviſibiliter habeat infelices. Sed quis cavebit? Subjunge antequam amicitiam copules, id quod Sapientia dicit: Prius ſcito, quæ ſit illius neceſſitas. Si ad amicitiam mali hominis, aut cujuſcunque noviter fueris requiſitus, vide prius, qua cauſa movetur amicitiam copulare: qua præcognita, conjunge ſive devita: Si tu verò quæſieris, cauſam præſtringe tuam, inevitabilem aut levem. Motus ad aliquid ex levi cauſa, levem animum monſtrat. Qui autem inevitabiliter ſtringit, & quadrigam damnorum trahit à tergo, abſque probatione tamen, non amicitia, ſed quædam converſatio pro tempore permittatur. Nunquam malus conſiliarius eſt aſciſcendus amicus. Proinde conſilia perperam deponentes, in amicitia devitentur ut dæmones.

Cap. XIV.

Multiplices conſiliarii.

SUnt & nonnulli, qui conſilia bona prolata in judicio pro Republica, ſive pro re privata contendendo deponunt, eisque adverſantur Verbis, factiſque ſubvertunt, aliosque ad ſubvertenda ſubmittunt, quorum conditio eo periculoſior noſcitur, quo præterquam propriam omnem ſubſtantiam deſtruunt, qui Rempublicam pro qua, & in qua conſulunt, non amant, ſed propriam firmare ſententiam certant. Quid periculi, quidve damni eveniat ab eis in cura non agitur, dummodo eorum firmetur conſilium, & alterum deſtruatur. In hoc mercantur umbraticam gloriam, quòd eorum aliis ſunt prælata conſilia. Et quo plura ſubverterunt, amplius extolluntur. Et prout, ſi adverſariis dediſſent bello conflictum, ſic infauſtè lætantur, ſi bonorum civium conſilia diruerunt, qui prius movent Verborum bella civilia, quàm armis aggrediantur ad hoſtes, quos ex ſubverſione conſiliorum ſuper eos fecerunt ſæpe victores. Et mutiera mala in Republica eveniſſe cognoſcimus, cùm ab improbis bonorum conſilia diminuuntur. Confunditur Reſpublica, ſi pro ipſa vexillum veritatis inflectitur, aut ipſa veritas tremefacta in hominibus prægnante nequitia, non loquitur aut tremula lingua balbutit. Sed pejor uſquequaque conditio, cùm ſanum elucescit conſilium, & abrogatur poteſtate malorum, quo abrogato, ſtatuitur quod eſt malum. Evenit plerunque, ut conſilium deponat conſilium, & ſapiens ſtultum, ut ſtultus ſapiens reputetur. Depoſuerunt potentes inferiorum conſilia, quibus nihil irreprehenſibile competebat, aut ea nihilipendentes, aut ſuffulti verecundia, ſi tenerent conſilia dejectorum, aut exiſtimantes, quòd, quibus deeſt facultas & apparatus exterior, etiam deſit ratio interlucens, ſed prius eſſet èxaminanda, quàm dejicerentur conſilia plebejorum. Multi æmulatores agitati ab ipſa rabie invidendi conati ſunt deponere eorum conſilia, quibus Reſpublica ſive civitas quæque tuta manſiſſet. Perhorrebant ènim tales ſupra ſe illorum exaltationem fieri, quorum firma tenerentur, ſi felix ſequeretur eventus. Qui verò alios inaniter anticipare concertant libidine apparendi, ab ipſa deficientes potentia, qua nec virtus ſuppetit conſulendi, juſtorum atque verorum ſubdolè nituntur conſilia depravare, timentes abjectiores fieri, quio amplius aliorum conſilia in Republica refulgerent. Et aliorum fulgor cæcat oculos illorum, qui fulgere appetunt, & non poſſunt, ſeu nequiter poſſint. Ex hoc enim in publicis conſiliis atque privatis ortæ ſunt rixæ, ſeditiones & ſectæ, bella civilia, civitatum deſtructiones, exilia civium, plaga Reipublicæ inſanabilis, irremediabiliſque fractura. Hi omnes quotquot ſunt, pro placito rerum abjiciuntur, & tanta ſæpe pertinacia detinentur, ut potius velint cum pereuntibus tolerare jacturam, quàm patiantur alios anteferri. Proinde ad amicitiam nulla ratione perveniant, qui aliorum conſilia rectè deponunt. Qui veris conſilüs quomodolibet adverſatur, velut peſtis corrumpens in amicitia refutetur, etiam ſi tibi ſanè conſuleret: Aliis verò conſiliis factus hoſtis. Nemo enim veritatis amicus & inimicus exiſtit, ad alteram omnino partem oportet affigi. Nemo veritatem & falſitatem ſimul habebit amicas, reliquam illarum expedit repudiare libello. Igitur in homine, qui tibi bonus, aliis malus exiſtit, amicitiam non requires, fortè captato tempore tibi etiam pedicam ponet, & ſi nunquam tibi, tamen noveris amicum eſſe hominis, & non veri. Non enim ad amicitiam colligandus eſt homo, qui tibi & non veri voluerit eſſe amicus. Quædam alia mala hominum natio in iſto Aradio deſignatur. Dicuntur Aradii deſcendentes feſtinanter. Deſcenſus ut plurimum in ſcriptura vitium ſonat, ut recedamus à ſenſu corporeo, qui ſemper ad inferiores gradus, atque partes attenditur, deſcenſum mentis in his potius inquiramus. Deſcendere id dixerim defectum meliorum ad bona, & bonorum ad mala proclivium. Qui verò feſtinanter deſcendunt à ratione, à virtute in vitium feſtinè proſiliunt. Ad malum irretardato gradu deſcendunt, à veritate in falſitatem faciliter inclinantur, qui continuò in rumorem falſum opinione nequam deſcendunt. Qui relatoribus facilè, atque feſtinè relationibus credunt, ab amicitia fiunt omnia anathema. Caret honeſta atque laudabilis amicitia feſtinatione ad malum, & relationes, quæ poſſint illam adimere longè pellit, nec leviter præſtat aures relationibus diverſorum, quod eſt totale amicitiæ detrimentum atque veneum.

Cap. XV.

Innodati variis vitiis ab amicitia repelluntur.

SAmarithæi ſignificant perverſam hominum ſobolem, ab amicitia penitus divertendam. Interpretantur enim lanæ. Lanæ à laniando dictæ feruntur, quòd à dorſo ſeu corpore ſuper quo natura produxerat, dilaniatæ atque divulſæ ſunt, propter quod neceſſario in partem malam interpretationem reflectentes, propter reprobatum hominem ſeu populum ab amicitia populi Sancti Dei eos intelligimus, qui avulſi ſunt à dorſo conditæ naturæ ſenſibiliter ac inſenſibiliter ſe ornantes variis coloribus vanitatis, & inſeparabili tinctorio tinguntur, ut nulla ſit lavandi acrimonia, qua laventur. Quamvis enim natura corrupta ſuam in nobis tyrannidem teneat, & ſemper nos verberet in hac valle miſeriæ, in quam ſic projecti ſumus, tamen condita natura extincta non eſt, ex cujus bonitate penitus nati ſumus, à qua propria voluntate non deberemus laniari, moribusque avelli, quamvis in membris noſtris militet natura corrupta. Sed quidam atque plurimi velut lanæ à corpore ovium inſenſibiliter pro parte lanarum auferuntur: Sic quoque à dæmonibus atque vitiis inſenſibiliter ſe permittunt. Quot ſunt? Innumerabilis eſt multitudo hominum & mulierum, qui lanæ ſunt hoſtis antiqui, quos ipſe violento tractu dilaniavit à dorſo mitis & ovinæ naturæ, & eos malo artificio lanificandi in multam enormitatem diſtraxit. Væ! omnibus, qui diabolico lanificio ſunt ſubjecti. Tinguntur ſæpe colore tetro invidiæ, ut videlicet pœna ſit eis aliorum videre felicia. Tinguntur flammeo colore iracundiæ, ut uſque ad extinctionem in alios inardeſcant. Perfunduntur ſæpe ſanguineo, ut etiam feſtinent effundere ſanguinem. Immerguntur colore cœleſti, ut ab importabili ſuperbia, quæ falſo appetitu homines fa it eſſe cœleſtes, & velut cœlum omnibus, ita velint mali tincti omnibus ſuperferri. Albo colore albantur, non ad puritatem, ſed ad abolitionem omnium gratiarum. Viridi colore multos infecit, qui virent in putrida carnis actione, cùm plus debito replentur, aut laſciviter effunduntur, ut tauri ſuper herbam malæ delectationis. Necnon diverſitate colorum rubricaverit hominum corda, ut in veſtibus laneis monſtretur varietas vani cordis. Quem igitur videris vanitate atque varietate colorum depingi, vanum & varium ex corde judicare non dubites, perperam enim aguntur veſtimenta multicoloria in corporibus affectantes. Et Jeruſalem in typo reprehenditur, eo quod ſumpſerit veſtimenta multicoloria, & veſtita eis fuit præter Domini voluntatem. Quid tinctæ lanæ varietate infelicium colorum ad amicitiam admittuntur? Quid homines varii, malis conſuetudinibus tincti, ad quorum lavamen nulla videtur valere induſtria, firmato conſuetudinis more, velut natura quadam ad amicitiam requiruntur? Cur ſi venire in amicitiam volunt, non repelluntur exemplo? Cur eis applaudit læta hominum facies? Cur cum eis per viam conſerta graditur manu? Cur mutua obſequia ſive convivia inter eos, quibus indelebiliter adhæſit tinctura malorum, quibus mos firmatus iniquus præcipit ut natura? Quædam lanæ ſunt homines mali, quorum moribus converſans ut indumento ſe induit. Et pallium inhoneſtatis efficitur ſocio malus homo. Propter quod contra eos, qui proprium naturæ colorem abjiciunt, aliisque coloribus tinguntur, omnipotens clamat: Nunquid avis diſcolor Jerem, 18. hæreditas mea mihi, nunquid avis tincta per totum? Diſcolor proculdubio dicitur, qui proprio colore mutato, alium impertinentem aſſumpſit. Unde ſubjecit, aut avis, ſcilicet malis coloribus tincta per totum. A proprio namque colore naturæ creatæ atque decentis virtutis permutant colores, qui à diabolo ſunt lanæ tinctæ. Proinde tu, qui in hoc mundo ſub timoribus degis, non ineas amicitiæ fœdus cum his, de quibus conqueritur, qui novit omnia Deus, & qui taliter tincti ſunt malis, ut omnino impermutabilis ſit tinctura. In- Jerem, 13. quit alibi per prophetam omnipotens: Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, & pardus varietates, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. Sed quod impoſſibile ſit hominibus, à divina potentia non trahamus. Omnia enim quæcunque voluit, fecit. Sed quouſque noveris ſuper malis coloribus tinctos per impotentiam diluendi divinam illuxiſſe potentiam, cui ad lavandum nihil reſiſtere poteſt, non jungas amicitiam, quæ cum malis pertinacibus eſſe non debet.

Cap XVI.

Similitudo virtutum & morum amicitiam jugit, diſſimilitudo è converſo disjungit.

ALii nequam ſignantur in Amathæo filio Canaan, in cujus interpretatione colligitur populus reprobatus. Interpretantur enim Amathæi populi peccantes vel indigantes rigidi. Alii nempe ſunt peccatores, alii peccantes. Peccatores dicuntur, qui peccaverunt & ſubſtiterunt. Peccantes verò, qui ad mala more fluminum ſemper fluunt, & mala malis adjiciunt, quos non terret irremediabilis pœna gehennæ, amor ſupernæ patriæ non refrænat, rationabilis ordo juſtitiæ non deterret, nec trahuntur amore ſocietatis honeſtæ, nec pudore perfunduntur in libello malorum adſcribi. Effluunt & defluunt & profluunt, & non refluunt, umbroſis rebus ſatiari quærentes, quos malè agendi accedit iterum rabies. Et quamvis quandoqúe videatur adeſſe ſatietas ex quadam impotentia plus agendi, non tamen eſt correcta voluntas, quæ ſtatim perficit malum, dum reſurgit in membris nefanda facultas, qui ab omni amicitia ſunt ſaparandi, & ſi credunt amicitiam copulaſſe, falluntur. Ac per hoc aliquali diſſertione opus eſt, ut pateat his, qui de amicitiæ natura notitiam quærunt, ſi agi poteſt inter peccantes & peccantes, ſi inter peccantes & juſtos. Et multi quidem hinc argutè multa locuti ſunt, aſſerentes amicitiam eſſe ſimilitudinem animorum, & unus finis intentionem. Peccantes verò ſimiles ſunt his, unde amicitia ſine cunctatione agitur inter eos. Sed lumen veritatis non circumfulſit illos, qui talia dixerunt, nec divinam atque Chriſtianam juſtitiam inſpexerunt. Quibus abſentibus velut præſentibus loquor, quod autem neceſſarium eſt amicitiam denegare omnino eſſe virtutem, vel ſi virtutem ipſam dicimus, inter peccantes eſſe poſſe omnino negabimus. Virtutem eſſe veram amicitiam nullus verè ſapientium negavit aliquando, quòd ſi quis negaret eſſe virtutem, altiori ſcientia vinceretur. Aliqui autem opinati ſunt eſſe quid indifferens ac convertibile ad bonum & malum pro voluntate illam habentium. Sed his veritas amicitiæ non eluxit, & ratione veriſſima refelluntur, malum verò nullus hominum auſus fuit amicitiam nominare. Sed omnes hos oportet refellere, noſtramqúe aſſerere veritatem. Bonum eſſe amicitiam ſua origo declarat à condita natura, non enim à corrupta inſurgit. A condita natura non vitiata nunquam niſi bonum procedit, atque proceſſit. Alioqui cogemur infamare creatorem & creaturam, & ſcripturam divinam aſſeverare mendoſam. Inquit enim: Vidit Deus cuncta inviſibiliter viſibiliter, & erant valde bona. Ubi laudare neque vituperare poſſumus materialem rerum cauſam. Non enim erat materialis cauſa. quod philoſophantes præterit. Nam creavit Deus omnia ex nihilo. Et bonus creator, quem ut Manichæi negare non poſſumus, nec debemus, bona cuncta creavit, igitur bonum eſt amicitia. Et omnes cauſæ originales, quas ſupra prætulimus, præoſtendunt amicitiam eſſe bonum, ſed multa ſunt bona, etiam lapides & ligna, & his ſimilia: bonum autem amicitiæ ſupergreditur corporalia & ſenſibilia bona. Eſt enim bonum animorum & morum agibilium, ſine quibus politica vita & Chriſtiana conjuncta non agitur. Sed multa ſunt bona inviſibilium animorum atque agibilium morum, quæ velle numerare iret in longum. Sed bonum amicitiæ ut audacter affirmem, dicam bonum virtutis, imo bonum, quæ virtus eſt animorum & agibilium morum æterno regi acceptum, ſine quo adinvicem animi non referuntur, & confunditur tota moralitas, & ſine quo etiam acceptus Deo nemo fieri poteſt Virtus igitur eſt amicita vera, quæ non ſolùm inter homines, ſed inter homines & Deum contrahi poteſt. Inquit enim Jacobus in canonica: Credidit Abraham Deo & reputatum eſt ei ad juſtiriam, & amicus Dei appellatus eſt. Et Judith octavo legitur: Abraham probatus, amicus Dei ſactus eſt. Nec quis autumet, quòd vocabulum amicitiæ velim appellare virtutem, nullum enim vocabulum virtus, ſed veram amicitiam dico eſſe virtutem. Nam luce clarius hominibus intellectu patet, Deum neque in veteri neque in novo teſtamento præcepiſſe niſi virtutem. Et quamvis crudæ noſtræ imaginationi repugnet, abſonumque videatur, nihilominus tamen omne, quod præcipit, virtus eſt, virtuſque feciſſe. Ipſe ſiquidem præcepit homines adinvicem amicos eſſe, dicens: Diliges amicum tuum. Levit, 19. Quod præceptum amicitia facit & generat inter duos. Cùm enim dicit, diliges amicum tuum, intelligitur quod

amicus jam erat factus, aut ex præcepto aut ex alio. Et qui diligere jubetur amicum, amicus eſſe neceſſario cogitur. Et de ipſo firmum ſtabit præceptum, ut etiam diligatur. Igitur divinum præceptum clarè intellectum, amicitiam ſaltem dunrum facit & generat. Et in Evangelio hoc idem Salvator aſſeruit cum annexo, ut diligeretur etiam inimicus. Et alibi conſulit:
Lucæ 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Et ſuos Apoſtplos appellavit amicos. Proinde nullum indifferens ſub præcepto divino concluditur, & nihil à Deo & à Chriſto filio ejus, niſi virtus. Amplius autem, ſi contrarium amicitiæ convincitur peccatum, erit amicitiæ virtus, & pro æquali trutinando fit aſcenſus atque deſcenſus, ut pro quanto amicitiæ contrarium deſcendit in vitium, amicitia in virtutem aſſurgit, & quod dicitur, reconvertitur. Amicitiæ autem contrarium non eſt indifferens, ſcilicet non amicum eſſe, ſed odium. Odium quidem ad homicidium
1. Joh. 3. ſpectat. Canonica dicit: Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Igitur amicitia prout in ſe agitur, virtus vivifica eſt, qui non diligit, manet in morte. Porro ſi aſpiciamus mentis quaslibet qualitates, non omnis qualitas virtus, ſed illa, quæ divinam perficit legem atque præceptum, & inter homines gubernatur injuſtitia illa moralitas, ſine qua non bene vivit noſtra mortalitas. Jubet ſanè juſtitia Chriſtiana, ut inter ſe vivant homines inculpatè, quod juſtè fieri nequit, niſi amititia copulet animos, moreſque diſponat. Et ſi quiſpiam fortè juſtitiæ timore perterritus innocenter ſe geſſit ad proximum, non implevit juſtitiam ex amore, quo ſolo, non timore perficitur. Nam qui timet, vellet auferre juſtitiam, ut læſionem poſſet inferre fortaſſe, ſi non lædit timore juſtitiæ, tamen expedientia bona amico non contulit, ſi amicitia caret, quæ omnia expedientia confert. Et ſi adhuc timore ſolo agitatus conferret, ſarcinam portabit invitus. Amicitia vera in ſuis affectibus & moribus libera, juſtitiam Chriſtianam inter homines hoc duplo perficit, ſcilicet ut non læderet, & juvaret. Virtutem ergo indubitanter eſſe amicitiam veram credatur, quæ Deo placet, animos hominum, moresque ordinat, ut inter eos inculpata fiat juſtitia Chriſtiana. Quæ ſiquidem virtus inter peccantes eſſe non poteſt. Quoniam qui ad peccata more fluminum defluunt, virtutem ſervare non poſſunt. Nec aliquos fallat, quod ſi ad alia ſunt, nequaquam in amicitia vera poſſent eſſe veraces, quoniam omnis virtus talis conditionis exiſtit, ut ab omni inhærenti vitio ſuſtineat detrimentum. Nec fluenter peccantes poſſent in bono aliquo amicabiliter convenire, quamvis utiliter ſæpe poſſint ad ſe, vel ad alios extra ſe. Unde ſtatuamus duos homines, ex quibus ad plures procedat animus invectivus, quorum uterque ſit plenus vitiis & depravata voluntate, actuque perverſo, & unusquiſque pro poſſe labatur in nefas. In quo bono iſti convenient ſecundùm amicitiæ jura? In ſuperbia & actibus ejus, in avaritia, in accedia, in gula & luxuria, & eorum nefariis actibus, in invidia, in ira, in ſuperbia, & eorum peſſimis incentivis. Dixeris fortaſſe in cuſtodia unius ad alterum, in ſubventionibus mutuis, non inhoneſtis & turpibus, ſed in his, quæ jure decent vitam hominum. Audeam reſpondere, nemini veraciter amicum eſſe, qui ſibi crudelis exiſtit, quomodo in amicitia vera Chriſtianæ juſtitiæ amicus erit proximo, qui per iniquitatem inimicus eſt Deo? Duorum certè peccantium unuſquisque inimicus eſt ad ſeipſum, & quod execrabilius, uterque inimicus ad Deum, cuſtodiæque & ſubventiones non ſunt de veræ amicitiæ, quæ omnino eſt virtus, ſed de quadam conſuetudinaria & retranſitiva opitulatione, aut ex emanatione quadam, quæ vocatur humanus inſtinctus. Ad majorem horum evidentiam faciendam, illam differentiam oportet inducere, per quam actus diſtinguitur à virtute. Unde aliud eſt virtus, aliud actus ejus. Actum quippe virtutis propemodum habere non poteſt voluntariè malus. Actus ſiquidem virtutis eſt ex corpore, in corpore, de corpore, pro corpore, virtus omnino inviſibilis eſt in corpore, conſiſtens in anima. Proinde amicitia virtus haberi non poteſt à voluntariè vitioſis. Actus autem ejus à multis habetur iniquis. Eadem igitur lege, qua peccantes inter ſe veræ amicitiæ fœdera tenere non poſſunt, ad bonos & juſtos nequiverunt amici eſſe: nam quod non fecit ſimilitudo, peccati ſimiles ſunt, quamvis non ſemper per omnem modum peccantes, nec tamen veritatem amicitiæ ſortiuntur, & cùm diſſimiles ſint à bonis multò minus in veritatem amicitiæ fiant ad eos. Similitudo poteſt eſſe inter bonos & bonos, & inter malos & malos nulla ſimilitudo. Diſſimilitudo autem ſit, quæ non naſcitur ex eo, quòd bonus recedat à malo, ſed ex eo, quòd, cùm quis malus appetit fieri, recedit à bono. Bonum quippe naturam habet

habet poſitivam atque ſtabilem. Malum verò nullam naturam habet, quamvis in aliqua natura ſiſtat, privationem habet, & fluxum. A privatione nullus poteſt eſſe receſſus neque diſſimilitudo, non enim eſt natura neque poſitio id, à quo receditur, aut à quo diſſimilitudo cauſatur. Igitur diſſimilitudo ſemper iniquitatem ſonat, ſcilicet diſſimilari à bono quòd naturam habet, & quod eſt, aut à vero bonitatem habente. Bonus nunquam verè dicetur diſſimilis à malo, ſed malus diſſimilis dicetur à bono, quia eſſe non poteſt diſſimilitudo ab eo, quod non eſt, ſed ab eo, quod eſt. Quia non eſt diſſimilitudo inter homines ex bono, quod homines ſunt, ſed in hoc ſimiles ſunt, quamvis in figura ſimiles non ſemper exiſtant, ſed ex eo eſt, quod unus agit bona poſitionem habentia, alter verò in privationem operibus aut ruina tendit. Bonus verò à malo non propriè dicitur diſſimilis, quamvis ita ſæpe dicitur, ſed veriori modo dicitur liber, ſive à malo in genere aut ab homine malo. Diſſimilitudo receſſum dicit à bono. Quomodo ergo amicus erit malus bono, qui per diſſimilitudinem inceſſanter recedit à bono, animi pravitate ac perverſitate morum? Obſequi corporaliter poteſt, amicus eſſe non poteſt. Bonus autem ſic exiſtens, ad malum amicum fieri non tentabit, ſi malus fieri refugit. Indignatores rigidi ad amicitiam non ſunt apti. Mala res eſt indignatio, omnino moribus hominum devitanda, ſed peſſima rigiditas, quæ ubi aſſiſtit emendabile malum, fit inemendabile. Indignatio eſt, cúm quis ſenſu mentis, aliquo ſenſu corporis aliquid percipiens, aut ruga frontis, aut verbo oris, contra illud agitur & movetur. Rigiditas verò eſt poſt indignationem aut iram implacabilitas animi. Difficilè quis noſcitur, qui aliquando indignatione quantalibet non pulſetur. Sed niſi accedat rigiditas, facilè ad manſuetudinem revertitur animus indignatus, ſi poſt indignationem ipſa ſequitur, firmatur indignatio, quæ obrepſerat, amplius accenditur, ſi de manſuetudine rogatur. Nam rigiditas eſt algor mentis, durities animi, torpor ſpiritualium virium, horror animi, & ſæpe in vultu monſtratus, turbatus rationis etiam nimius rigor, qui uſque ad intemperatum zelum ſæpe pervenit. Sed natura & inſignis amicitia, indignationem non habet nec indulgentiam. Amicitia vera non indignatur amico, nec indulget, quia offenſionem non recipit, quam oporteat indulgere. Si verò recipit, & indulget, magis amicitia erit de genere reconciliationis, quàm de ſuæ generoſitate virtutis. Nam in indulgentia uterque amicus convincitur deliquiſſe. Primus, quia fecit injuriam quampiam: alter, quia recepit injuriam, quamvis cito præſtiterat veniam. Malè amicitiam novit, qui cognoverit etiam tantillam injuriam. Malè firmatus erat, qui hujus facilè ſuſceptibilis erat. Proinde, quia difficilè indignatio, ut interdum non accidat, præcavetur, ob quam non eſt amicitia reſecanda, ſi ex priſtino more ſumpſerit firmitatem. Rigiditas propellanda omnino à foribus amicitiæ, penitus more ſuo enervat amicitiam jam firmatam. Ubi verò amicitiæ nondum ſunt fœdera celebrata, indignatores rigidi, ſi prænoti fuerunt experientia ſive fama, caveantur, poſt fœdera verò tollerentur, niſi rigiditas cognoſcatur, qua cognita per ſeipſam amicitia ſe ſubvertit, Nam indignatio non decet, præterquam ad vitia, & propter vitia. Impatientia eſt, qua homo minus convincitur eſt doctus. Et tolerantia caruiſſe videtur, qui ab indignationne devincitur. Se ſingulariter reputat, qui animo indignatur. Indignatio animi ſæpe nauſeare fecit, & rugas contraxit in facie, ſemifactus verbis & tortis fecit proferre ſententias, & linquam balbutire fecit præ ira. Linguam diſertam & trementia labia excitavit ad verba, quæ à mentis dominio non exibant, necnon ſæpe improvidè loqui ſuaſit verbum conturbans amicitiam, aut ſemper reddens in futuro ſuſpectam. Exhaurit indignatio à corde verbum abſconditum aut ſubitò generatum, quod alter amicus nunquam credebat audire. Ignisque tepefactus eſt aut extinctus, qui ante flammabat. Latet ignis in lapide, nec comburit approximantes, inceodit portatus manibus aut ſinu, excuſſis ex chalybe ſciotillat ignem ſufficientem ad multam materiam ſuccendendam, & educentem fumum ſanis oculis æmulum. Latent multa in corde hominum, ipſis & extra poſitis omnino ignota, interdumque nota. Indignatio verò excuſſit à cordibus latentia mala, deſtruentia placitos mores, & æmula oculis rationis. Rigiditas verò iræ atque indignationis eſt robur, & ſtabilivit accidentia mala, ut quod erat ſeparabile per naturam, fiat inſeparabile per rigiditatem nequam. Aſpiciant igitur in regulis & juribus amicitiæ Chriſtianæ, ſi quo modo poſſunt indignatores rigidi ad amicitiam convenire, nempe uſus refugit, ratio diſſuadet.

Nam

Prov. 29. Nam in Proverbiis dicitur: Qui ad indignandum facilis eſt, erit ad iraſcendum proclivior. JEſus verò adverſùs ſcribas & phariſæos loquebatur, quia ſibi pro ſalutiferis operibus indignabantur, nam indignatio germen eſt invidiæ. Quo genere indignati ſunt apoſtoli adverſus mulierem Matth. 26. Magdalenam, dicentes: Ut quid perditio hæc? Potuit iſtud unguentum venundari multò, & dari pauperibus. Quæ omnino virulentæ invidiæ noſcitur planrula, pro eo, quòd indignatio quandoque eſt adverſùs opera bona. Fit etiam indignatio adverſùs opera bona. Fit etiam indignatio adverſùs alterius prærogativam abſque proprio detrimento qua indignatione indignati ſunt primi operarii adverſùs patrem familias, quòd æqua proviſione omnibus providiſſet. In quo nemini derogabat, aut faciebat in aliquo detrimentum, quàmvis præhonoraret, aut eis æquaret indignos. Decem verò apoſtoli indignati ſunt adverſùs duos, qui potiora in ſuperis petiverunt, ſed nec eis adimebatur aliquid, etiam ſi duo fuiſſent juxta vota ſuſcepti. Matth. 21. Fruſtra eſt indignatio adverſus aliquem præhonoratum, ubi nihil demitur indignanti. Nec juxta vocabuli propinquitatem, indignatio aliud ſonat, quàm aliquem eo bono quod habet, reputare indignum, aut pœna dignum, qui non deliquit, aut ſi deliquit, in eum plus debito deſævire, vel per odium, & non per amorem juſtitiæ excandeſcere contra eum. Rigiditas algor vel aquilo, congelavit fluxibilem aquam.

Cap. XVII.

Simulatores & negotiatores ad veram amicitiam incompoſſibiles ſunt.

Horum omnium filiorum pater infauſtus ſua interpretatione genus peſſimum hominum monſtrat ab amicitia ſecretorum, qui dictus eſt Canaan, interpretatus negotiator, aut æmulator. Simulatores ſive negotiatores ad veram amicitiam omnino incompoſſibiles ſunt. Et ſi aliquando compoſiti ſunt, non ut ſic exiſtentes. Cùm verò ad hanc notam devenerint, propellantur velut amicitiæ deſtructores. Negotiatores omne otium negaverunt, hoc enim vocabulum infauſtum ſonat. Sed eſt otium ſanctum, quo mentis religioſitas exercetur, & conquiruntur illa, quæ ipſam imperfectam perficiunt. Imperfecta eſt anima, cujus imperfectionem omnium habentium animam experientia ſana demonſtrat, illa duntaxat excepta, quæ ab inſtanti ſuæ creationis inſeparabiliter unita fuit ad Verbum. Continuò namque, cùm vult, ſuſcipit virtutum honorabiles qualitates, & per ſtudium ignorantiam, per exercitium ignaviam longè pellit, & gradu inviſibili de tenebris feſtinat in lucem, quæ niſi quieta fuerit à procellis, non adipiſcetur veritatis ſplendores, ſine quibus ſemper tenebras patietur. Abſque ſapientia nulla converſatio peragit viam rectam. Congregatio eſt taurorum, qui per otium in aula ſapientiæ non ſederunt. Et qui pro curis temporalibus otium negaverunt, non viderunt decorem atque conſiſtentiam domus ejus. Negotiatores otium negant, ut diſtracto corpore animus diſtrahatur, cui nulla ſit requies ad capiendum inviſibiles elucidationes. Et eo eſſet delectabilior amicitia, quæ à ſapientia foveretur. Tutius eſt amicus pauper & ſapiens, quàm dives indoctus, & quietus fultus ſcientia, quàm negotiator ignarus. Quietus omnino ad petita facilis. Scientia fulgens citò dabit conſilium, liber à negotiis tripliciter reſpondebit amicis. Semper idem erit ad amicum devitans negotium. Negotiatorem amicum eſſe ad quempiam veritas contradicit. Gerit animo aurum, mente condit theſauros, copulat agrum agro, domum domo conjungit. In corde verò ejus niſi materialia non verſantur. Et aut avaritia plus habendi, aut ſolicitudo quærendi, non ſinet eſſe amicum. Qui negotiis animum dedit, habens pelago ratem à fluctibus agitatam, terris amicum à periculis circumſeptum, hunc permittit exitio, ut liberet ex pelago navem. Semper valedixit amico pro rebus importunè negotians. Seipſum tradidit modis variis moriendi, qui ſe tradidit negotiis variis. Qui pro ſeipſo non devitat periculum peracturus negotia, nec devitabit pro tempore in amico. Omittet rationabilem amicitiam deperire, dum timet deperire theſauros, & dum augmentum quærit inſenſibilium atque irrationabilium, amicitiæ patienter ſuſtinebit eclipſim. Sed nec omnis negotiator ab amicitia abſcindendus eſt. Nam ipſa negotiatio in amicitia fecit amicos, dum habita eſt contractio, & mutua viſio, & frequens locutio pro rebus atque negotiis,

gotiis. Mundus verò poſtquam fuit natura corrupta, indiguit, ut negotiatio fieret, ſine qua vita hominum voluntaria & placita non ſubſiſteret. Veruntamen negotiator importunus, ad amicitiam opportunus omnino non erit. Importunè agere negotia dicitur, qui excuſabilem atque juſtam cauſam & irreprehenſibilem in negotiando non habet, ſed ſequitur impetum appetitus inordinati, atque culpabilis, qui eſſe cognoſcitur marinæ receptionis, quòd claudit oſtia ingredientibus fluviis. Sed quantò plures ingrediuntur, plures ſuis hiatibus ſuſcipit. Non poteſt convenire in lege amicitiæ Chriſtianæ, qui ſolùm congregare didicit, diſtribuere verò non novit. Hanc ſanè novimus habere amicitiam gratiam, ut non tribuere credat eſſe jacturam. Et Chriſtianorum amicorum noſcitur proprium, amicitiam negotiis, non negotia ſuavibus amicitiis anteferre. Si more loquendi negotiari ad avaritiam ſcribimus, avarus profectò nemini erit amicus. Et rei veritate inimica ſunt nomina, quorum unum avaritiam, alterum amicitiam ſonat. Amplius verò ſine convenientia oppoſitum homines contrariis ſtudiis animo & opere intendentes, ut unus urbanitatem amicitiæ noverit, aut velit, alter deſoſſum habuerit animum in terrenis.

Cap. XVIII.

Æmuli ad amicitiam non admittantur.

ÆMulatores autem tantò cautius in amicitia declinentur, atque ſi conjuncta cum illis fuerit, celerius abrogetur, quantò ſolùm ipſorum hæc irremediabilis pœna ſuorum proximum videre felicia, & in hoc gaudet ſerenitas amicitiæ, cùm amicos in bonis conſpexerit eſſe felices. Æmulator inimicus felicium, amicus verò felicem quærit & optat invenire amicum. Triſtatur animo invidus de felicibus, & triſtatur verus amicus de infelicitate amici, reputat enim ſuam, quia velut alterum ſe reputavit amicum. Deſperatè adverſantur amicus, & æmulator, in affectionibus atque paſſionibus mentis. Gaudet amicus in proſperitate amici, æmulator lætatur in adverſitatibus. Dolet amicus pro his, quæ amicum mala contingunt, æmulator vulneratur animo, ſi viderit quantalibet amœnitate florere. Invidus ſemper in clauſtris amicitiæ claudicat, neque loquendo pacificum aut rectum poteſt proferre ſermonem. Sæpe verò, ne detegatur, ſibimet violentiam facit, & mentitur ore lætitiam in contingentibus bonis, cujus cor pertulit invidiæ venenatas ſagittas. Ridebit interdum ſimico more, nam verè minimè poteſt, cùm non procedat ex corde lætitia. Et totus ſimulatus incedet, & ſerpentinis anfractibus gradietur. Pullulabit invidia jucunda facie, quam viribus, non amore ad amici oculos hilaravit, & ſtabit ſæpe attonitus in ſecundis rebus amici, & collaudabit fallaciter cuncta opera ejus. Domum dicet bene dimenſam, quam vellet eſſe ſubverſam. Agrum fertilem, quem ſterilem plus affectat. Filios facetos, quos inſanire gauderet. Uxorem caſtam, quam ſecum aut aliter vellet conjugii fœdera dirupiſſe. Præfert ſupellectilem Verbis, quam ignis incendiis cremari libentibus aſpexiſſet. Dilectum ab omnibus falſo dicit, aut verè ſic credit, quem odioſum fieri omnibus plus exoptat. Et ſi aliquando caſus in eventibus eſſet, clanculo & poſſibiliter decipulam perditionis prætenderet. Sæpe autem oſtendit ſe dolentem de illa, quàm ſecretò procuravit ipſe jacturam. Nihil penitus eſt in æmulatoribus rectum, nihilque ſanum habent, unde debeant in amicitia convenire, aut ſi convenerint retineri. Moritur animo æmulator, unde amicorum eſt vita jucunda. Et unde naſcitur occaſio pluris gaudendi, flendi acedinem carpit. Igitur penitus invidus ab amicitia reſecandus, qui bona in amico ſuam fecit miſeriam. Nec poſſet, neceſſitate cogente, in amici bonis intendere, de cujus jucundis eventibus ejus ſimulationis proprium eſt dolere. Si verò referre volumus æmulationem ad inimicitiam, ſicut ad mala, ſic poteſt ad bona referri, de qua nullus ſermo, niſi quòd malos imitatur certiſſimè malus. Habes malam ſobolem, divino præcepto in amicitia devitandam. Habes patrem malæ ſobolis genitorem, ut ex avaritia & invidia omnium malorum hominum genera in amicitia devitanda naſcantur.

Cap. XIX.

Teſtimonia novi teſtamenti de amicitia.

PRæter iſta teſtimonia quæ de veteri collegimus teſtamento, contra eos, cum quibus eſt amicitia devitanda, & disjungenda conjuncta, ex novo teſtamento aliqua ſimiliter aſſumamus, ex quibus multa peritia miniſtrabitur, cum quibus amicitia denegetur. Aliquos in Evangelio Salvator deſpectivè appellavit amicos, quia fœdera in amicitia non ſervaverunt, quorum unus appellatur amicus erroneus atque moleſtus, alius amicus ineptus & inverecundus, tertius proditor pertinax & domeſticus. Sunt quippe aliqui homines præter rationem infeſti, qui plura expetunt voluntate, quàm merito, largitatem omnem ad alios, quàm ad eos reprehendunt, & injuſtitiam dicunt largitatem benigniſſimi porrectoris. Re- [Matth. 20.] fert ſanè hiſtoria evangelica, quòd, cùm paterfamilias operarios induxiſſet in vineam, aliquos ex pacto, aliquos ex juſto merito pro diverſitate temporum, & horarum. Cùm verò ſerotina hora eſſet in retributione mercedis, omnes acceperunt tantundem, murmurantibus operariis primæ horæ conductis ex pacto adverſùs patremfamilias, & arbitrantibus plus recipere, paterfamilias inquit: Amice non facio tibi injuriam. Nonne ex denario conveniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade. Volo huic noviſſimo dare ſicut tibi. An non licet mihi facere, quòd volo? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Ex patrisfamilias reſponſionibus oſtenditur, quantus hic fuerit infeſtus atque moleſtus in amicitia. Amice non facio tibi injuriam. Hoc pro tanto Salvator parabolicè dixit: Quja illi primi exiſtimabant injuriam Domini libertatem atque liberalitatem, & alterius bonum homines infeſti atque moleſti propriam injuriam reputabant. Ad injuriam etiam ſibi proveniſſe concipiunt, ſi non ſupergreditur pactum, in quo voluntariè conſenſerunt. Multi enim pacto ſe aſtringunt, peracto miniſterio plus pacto injuſtiſſimè cupiunt. Juſtitiam pacti volunt excedere, atque pervertere debitam æquitatem. Non convenit amico, qui non convenit pacto. Non novit amicitiam, qui pactum injuriam reputat. Non erit amicus, qui conventionis fœdera odit. Si plus reciperet, ſupererogatio eſt, de largitate proveniens largientis. Si ſecundùm conventionem & pactum juſtitia eſt, proveniens de actione rectiſſima utriuſque partis, ejus qui meruit, & qui retribuit. Si minus, aut operarius deliquit in opere, ut convenrio frangeretur, quia defectus operis in pacto deducti frangit fœdera pacti, aut operarius perfecit impoſitum, & in retributione defecit conductor. Huic fuit prout dictabat conventio retributum, & indignabatur velut injuriam paſſus, quod plus aliis non accipiebat in præmio, cui, quod juſtum erat, dedit Dominus, quamvis ex ſua largitate aliis voluit providere pacto tantundem qui largus eſt Dominus. Proinde ad amicitiam recipi non meretur, qui conventionem vertit in voluntatem, & pactum deducit in placitum. Quis amicitiæ modus erit ad eum, qui adverſùs pacta ſervantem animo & ore murmurare non ceſſat? Omnis enim amicitia conventionem, & pactum habet. Amicitia penitus non eſſet, niſi homines in aliquo convenirent, aut pacto moralis & divinæ juſtitiæ in aliquo firmarentur. Convenrio verò totius veræ amicitiæ hæc eſt, ut ſervatis legibus juſtitiæ, atque honeſtatis, & animo & corpore quis fiat ad alium, quo alium véllet fieri ad ſeipſum. Pactum verò eſt ipſa pax, quæ inter hominum agitur mores, qui ex obſequiis, & converſationibus & rerum commutationibus oriuntur, interdum Verbo, interdum ſcripto, interdum teſte firmata, ſæpe verò his omnibus & pœnis appoſitis aut datis obſidibus atque aliquando fidejuſſoribus, plerunque oblans pignoribus roborata, etiam non perturbaris legibus honeſtatis atque juſtitiæ. Qui ergo pacto non ſtetit animo quietus, perturbavit & pacem, pacis perturbator amicitiam traxit exilio, quoniam in ipſa pace fundatur. Amplius arguuntur infeſti, erronei atque moleſti, pro eo, quòd uni nomine omnium dicitur, tolle quod tuum eſt, & vade. Si quis autem pro tolerato labore ſupra meritum vellet & pactum concupiſcere alienum, propterea huic dicitur correctivè, tolle quod tuum eſt, quaſi dicat, eſto amicus in pacto, & noli concupiſcere meum. Si autem plus quis ſupra conventionem & pactum receperit de bonitate donantis, non erit in crimine juſtæ reprehenſionis. Nam licitum eſt ſupererogatum recipere, non concupiſcere aut murmurare, ſi non recipit ſupra pacta. Veruntamen ſupra pacta recipiens à benigna largitate datoris, non recipit velut alienum,

num, quod juſtus poſſeſſor benignusque largitor dando voluit eſſe ſuum. Non eſt recipienti alienum, quod benignè de juſto poſſeſſore datur, grateque capitur, nec quod ex pacto ſervato tribuit, ſed id penitus dicitur alienum, quod quærit ſupra pactum & meritum, aut quod invito Domino contractatur, quocirca huic moleſto amico dicitur, tolle quod tuum eſt, & vade, videlicet recede tibi pacto ſervato ab improbitate penitus plus petendi. Nam improbus exactor amplioris quàm debiti, nunquam ſtabit amicus. Velut etiam ſupra ſuum meritum, quod omnino eſt alienum. Violentiam inferens enim alterius voluntati ex igne cupiditatis, omnino fregir, aut amicitiam denegavit. Si ſolùm tolleret unuſquiſque, quod ſuum eſt, nec à debitoribus negaretur, nunquam ex rebus inter homines amicitia palluiſſet. Nemo ſibi debet ad injuriam retorquere recipienti ex pacto meritum, ſi Dominus aut quiſpiam abſque pacto alicui vult tribuere ſuum. Vellet quippe alterius impedire voluntatem, atque donandi dominium, qui murmurat, aut injuriam putat, quod alii ſibi merita conferantur, quamvis illi ex pacto, alteri abſque pacto, & quod plus eſt dicere abſque merito tribuatur, & quanta ſit hæc perverſitas, ipſa ratio docet. Quæ hominum major perverſitas ſive moleſtia, quàm murmurare ſive ſuam reputare injuriam, ubi in largitionibus non turbatur ordo juſtitiæ? Nam ſi recipit quis ex pacto, quod meritus eſt, ſervatur ordo juſtitiæ ex actione impoſiti operis. Si verò quis præter pactum æquè receperit, etiam ſervatur ex largitate poteſtativa datoris. Ex hoc ad improbationem murmurantis paterfamilias intulit: Volo autem
Matth. 20. & huic noviſſimo dare ſicut & tibi. Quid adverſus me animo & ore declamas? Voluntas mea libera eſt, iniqua non eſt, mei ſunt juris, quæ poſſideo, tibi dedi meritum ex opere tuo, huic merenti, aut non merenti ex mea largitate tribuo, cui de tuo non tribuo, ſed de meo, tolle quod tuum eſt, & vade, meum verò in mea poteſtate dimitte. An non licet mihi, quod volo, facere? Quantò plura Verba paterfamilias adverſus hunc multiplicat, tantò magis nequitiam ejus accuſat. Omnino non pertinet ad amicitiæ ordinem, qui licentiam juſtam in alio reprehendit, atque impedire conatur ſive moleſtat. Nequitia eſt rationis inordinatæ, quòd quis benignitatis opera reprehendit, ac ſibi neminem æquari vellet in bonis. Unde adjungitur: An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Nequam oculus, nequam ratio eſt. Oculus cujuſlibet hominis eſt aſpectus interior rationis. Sed eo quis nequam dicitur, quo reprehendit irreprehenſibilem bonitatem. Et qui bonum reprehendit, malus eſt, qui juſtum iniquus, qui ſanctum ſuperbus, qui murmurat de benignitate, eſt omnino malignus. Cum talibus penitus amicitia non eſt ferenda, & conſtructa funditus enervatur. Alius eſt inverecundus atque ineptus, ut etiam in Evangelio publicè iterum dixit ipſe Salvator: Amice quomodo huc intraſti, non Matth. 22.
habens veſtem nuptialem? Inverecundus præſumptionis alumnus omnia putat ſibi poſſe competere, locum, tempus, homines non veretur. Ineptùs, qui publicis bonis moribus atque hominibus non concordat. Hic enim talis erat, non veritus locum, tempus & homines, conventum invitatorum ingreſſus, non habens veſtem nuptialem, ſcilicet aptitudinem ad publicos mores hominum. Secerni quippe à publicis, magnæ ineptitudinis eſt, & verecundiæ. Veſtis enim nuptialis, de cujus carentia reprehenditur, qui acceſſerat invitatus ad nuptias, intellecta pro moribus, eſt convenientia ſtandi & converſandi cum illis, qui digni ſunt in conventibus reſidere, atque in conſpectu regum & aliorum hominum acceptè, necnon irreprehenſibiliter vivere norunt. Sicut enim veſtis ornamentum eſt corporis, & tegumentum turpitudinis, & protectio frigoris, ſic convenientia converſandi ornamentum eſt vitæ, defectusque operimentum & defenſio à nocivis. Converſandi enim aptitudo multos ſibi benevolos fecit. Nec patietur jure diſcordes, qui cum omnibus jure concordat, quamvis etiam omnino innocentes ſæpe lædat iniquorum improbitas. Sed in veritate Chriſtianæ juſtitiæ lædi ab improbis abſque culpa, ſupernum nanciſcitur præmium. Etſi pacatè ſuffertur, apud homines laudis præconium habet, ac etiam juſtè in ſui compaſſionem animos, & linguas intuentium vertit. Proinde decentem rationabiliter fieri eſt quædam felicitas ſuper terram, & quædam ſecuritas prodeundi. Sunt autem nonnulli, qui de carentia honorabilium morum nulla verecundia ſuffunduntur, non verentur conventus ingredi diſcretorum, improbè aſſiſtere ſapientibus non formidant, loqui præſumunt ubi nulla neceſſitas poſcit, tacere neſciunt, cùm depoſcit, ex improbitate atque audacia ſimulant apparentiam, & à virtute deficiunt, inverecunda facie ſe ſociant virtuoſis, aut fingentes ſe habere, quod non habere cognoſcunt, aut decepti, aut præſumentes, quod non habent, habere

habere ſe credunt, non conſiderant, quòd ab aliis diſcrepant, ſed ex ſingularitate ſe reputant notiores, ex qua certum eſt fieri deſpectiores, nam in nuptiarum convivio cæteris acceptis veſtem nuptialem non habent, ſcilicet competentem convivio, & convivis extitit reprobatus atque regis judicio projectus in pœnas. Impoſſibile omnino eſt excuſare, quem juſti regis juſta condemnat ſententia. Non enim fuit auſus aliquis pro eo interpellare ad regem ſicut nolentes, imo non valentes juſtam regis impròbare ſententiam. Et velut ſe reputantes offenſos, quòd ab eis diſſimilis venerat in conventum. Ipſe autem mente confuſus obmutuit, delictum ſuum taciturnitate confeſſus, non enim juſtè poteſt excuſationis Verba perferre, quem conſcientia vitæ torquet. Inverecundi ſunt de numero ebriorum, qui madefacti animo inhoneſta pro honeſtis perficiunt. Et per frequentia Verba inhærentem ebrietatem excuſare concertant, quibus tremulis plus accuſant. Sic & inverecundi, & inepti polita reputant, quæ perficiunt, & magnæ peritiæ, quæ loquuntur. Necnon, ſi ſociantur inſignibus, opinantur inſignes poſſe decerni. Sed quamvis virtus poſſit eſſe communis, virtus verò propria non transfunditur in ſodalem. Unusquiſque enim flos proprio colore refulget. Etſi poſſibile foret, quod virtus unius transfunderetur in alium, ſed hujus transfuſionis non ſunt receptibiles carentes verecundia & inepti. Inverecundos appello, quos præſumptio decipit in his, quibus illus gratia, ingenium, ars, potentia, natura privavit. Inverecundi ſunt, quos audacia excitat bonorum honorabilium carentia nun refrænat, perditionem virtutum incendium reputant palearum. Exultant, cùm mala committunt, & in perditis moribus gloriantur, qui proprio impetu, non ratione loquuntur atque feruntur, & quod nefandè ſonat, turpitudines dicunt jocos, ac in infrunita turpia quæque raptantur. Et in conventu procerum atque ſapientum reſidere nulla conſideratione deſiſtunt, ac etiam nihili pendunt turbare publicos mores. Sic iſte, qui amicus vocatur, acceſſit, unde confuſus omnino receſſit. Inepti verò ſunt, qui aptis moribus non ſunt apti, nec conveniunt cum aliis, qui ſe juſtis moribus aptaverunt. Etiam ſunt inepti ſecundùm tempus, ſive inepti ſecundùm locum, ſunt & ſecundùm virtutem & actum, ſunt & ſecundùm publicos mores, & ſecundùm eos, qui licitè ſingulatim aguntur, Primi quidem non conveniunt, nec concordant cum tempore, quod per naturam viciſſitudines recipit, atque ſumit impreſſiones in aere ad utilitatem, atque decorem. Plerunque ad incutiendum terrorem, & oſtendendam divinam & ineffabilem poteſtatem, ſive naturæ ordinem. Hi non recipiunt tempus, quod omnia habent, ut ſuis ſpatiis tranſeant univerſa ſub ſole, nec recipiunt placidè tempus, quod variis accidentibus in hominibus variatur, ſed tempus ſibi, non ſe volunt tempori coaptare. Mutatione verò temporum, quæ à cunctis accidentibus in hominibus provenit, abhorrent. Et ipſi mutatione renuunt ſe animo, & effectibus conformare, ut ſaltem oſtenderent pro ſtatu temporis affici ad amicos. Secundi verò à primo conditore diſſentiunt, atque cum arte atque hominum prudentia non concordant. Tertii habent ſimilitudinem pecorum aut dæmonum. Quarti rempublicam in animo vilipendunt, & ſunt velut rami inutiles, qui ſunt à communi vinea abſcindendi. Quinti nemini amici ſunt, ut nec ſibi ſingulariter provideant de amico. Proinde cum verecundia & aptitudine amicitia foveatur, nec poterit recta conſiſtere, niſi ſuper his baſibus fuerit ſituata. Si verò perſpicacius intendere volumus, columnam quandam rotundam & erectam amicitiam utranque dixi, quæ neque ſiniſtrum neque dextrum oſtendit. Tota & eodem modo inviſibilis eſt, cui velut quædam baſis ſubſternitur verecundia, & velut epiſtylium ornatius ſupponitur aptitudo. Baſis amicitiæ verecundia delinquendi, aptitudo ad optima epiſtylium ejus. Hæc ſiquidem ſunt aliter diſſerenda. Sed incunctanter inverecundi atque inepti, pulchritudinis & convenientiæ veſte carentes non recipiantur in amicitiæ habitaculo. Amici proditores, pertinaces & domeſtici deſignantur in eo, qui prodidit per pacis oſculum verum omnium regem regum. Cui rex omnium Dominus & Salvator ait: Amice ad quid veniſti? Oſculo filium hominis tradis? Converſabatur cum Salvatore Judas, & cum mundi ſpiritualibus ſenatoribus, quos elegerat, ad quem Salvator, ut ad cæteros idem erat, ſed cum cæteris ipſe non idem. Et eandem cum aliis ſuſcipiebat aure doctrinam, & in miraculis poteſtatem, cui omnium commiſſa erat cura vivendi, quæ ſpectabat ad corpus, ad quem quanta benignitate Salvator deſcenderat, evangelica non tacet hiſtoria. Qui non ſolùm Salvatorem tradidit, ſed diſperſit & gregem, inevitabiliter enim grex læditur

læſo

læſo Paſtore. Domeſticus amicus difficile devitatur, ſi voluerit inferre jacturam. Condit enimin eo cor ejus amici, & in ſinu ejus velutin materno quieſcit. Cautelam non adhibet in periculis contra amicum. Quem credidit adverſus inimicum firmum habere cuſtodem, quanquam potuiſſet cavere Salvator, quia cor ejus ante prænoverat. Sed ab iſto malefido, & proditore, & pertinaci amico domeſtico, qui authorem vitæ tradere præſumpſit, ad ſimile loquendi materiam aſſumanus. Eſt amicus domeſticus, amicus interpolatus, amicus ſemotus, amicus inviſus eſt, quem ſolùm fama virtutis portavit ad aures. Amor verò virtutis & boni, ſedem amicitiæ paravit in corde. Amicus ſemotus eſt, qui aliquibus intervallis diſtat, inter quos fuit aliquando viſio corporalis & obſequium, ſi poſtulavit eventus, cujus elongatione facta, perſonæ amor remanet in promptudine amicitiæ regulatæ. Interpolatus eſt, qui vices temporum & opportunitatum, & rerum & negotiorum obſervat, & intermittit converſationem, ne amicitiæ crebritate vileſcat. Solet hoc aliquando amicitiæ inhærere, ut ſi converſatio nimis intenditur, amicitia faſtidio nauſeatur. Etſi diſcretè intermittitur, avidius ſæpe redoleat. Optima res in amicitia noſcitur, converſatio intermiſſa. In hoc convenit proverbiorum vera ſententia: Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne fortè
Prov. 23. ſatiatus oderit te. Bonum igitur eſt cauſam ſatietatis abſcindere, ipſa enim ſatietas ſæpe diſciplicentiæ fomitem miniſtravit. Hæc omnia prælibavimus, ut ad amicum declarandum proditorem domeſticum veniremus. Omnis amicus domeſticus eſt inviſibiliter cordi, aliàs namque amicitia copularetur. Sed de inviſibili domeſtico amico non intendimus ad præſens. Amicus viſibiliter domeſticus eſt aulæ, menſæ, crumenæ, arcæ, viæ, & peregrinationis comes, & in lecto ſæpe ſocius. Et nihil clauſum reperit, qui domeſticus vocatur amicus. Hic, ſi voluerit læſionem inferre, nemo cavebit, niſi ſupra humanitatem noverit hominum corda, ſive mala futura. Proditor eſt, qui benedicit ore, ſed maledicit, aut odit in corde, cui lingua eſt aurea, cor verò ferreum manet. Proditor laudat in præſentia, in abſentia infamias loquitur. Proditor eſt, qui in amico vitia laudat, ac eum extollit favoribus, ut præparet ad ruinam. Proditor eſt, qui ſub virtute palliat iniquitatem, quàm amico ſuadet. Proditor eſt, qui ſecundùm amici placitum converſatur, & non ſecundùm juſtitiam. Proditor eſt, qui ſingillatim moribus concordat amici, publicis perturbatis, dum enim quiſpiam alicui conſentit in placito derelicta juſtitia, eum ordinat ad gehennam. Et qui privatis moribus alludit amici, eum reddit publicis odioſum, ſi ex privatis turbantur. Proditor multum promittens, ut amicus in non bona præſumat, ſive perfecerit, aut non ſi qua promiſſa. Proditor eſt, qui relatione turpi ab amico avertit amicum. Proditor eſt, qui ſibi ſoli tentat hominem vendicare, ab aliis melioribus, aut æquè bonis avertens. Proditor eſt, qui verba loquitur involuta, quæ ad utramque partem poſſunt inflecti, ut poſt peracta ex verbis cœpta negotia, ſi malum provenit, verba vergat in dexteram, ſi bonum, in ſiniſtram partem omnino deflectat, acſi proditor in poſterum loqueretur, dextrum dedi conſilium, ſed tua incautela malum conſtat exortum, ſiniſtrum tibi oſtendi, ut velut improvidus devitares, ideo tibi amice hæc bona proveniunt. Proditor eſt, qui tacendo amicum perire permittit, poſt periculum verò dolere ſe ſimulat. Proditor eſt, qui tempore proferendi conſilii atque remedii allegat ignorantiam, & impotentiam fingit. Proditor eſt, qui ea in abſentia non perficit, quæ in præſentia perficeret pro amico. Proditor eſt, qui placidè amici abſentis vidit blaſphemias ſibi ab aliis irrogatas. Proditor eſt, qui contra quæ in amicum fuit male commenta, etiam ipſo inſcio non inſurgit. Proditor eſt, qui amico impoſturam aliquam facit, ut ipſe inculpatus appareat, maximè autem in his, quæ in ſimul patraverunt ſive dixerunt. Proditor eſt, qui cum inimicis delectatur amici. Nec ſumendum eſt hujuſmodi vocabulum à prodendo, aut traditor à tradendo, quamvis Judas amicus domeſticus ideo proditor ſit appellatus, qui Chriſtum Judæis prodidit: aut traditor, quia eum in eorum manibus tradidit. Sed proditor aut traditor actione maligna dicitur, non contracto vocabulo, vaſculum exiſtens omnis malignitatis ad proximum. Unde proditor aut traditor decipularum cenſor, pedicarum abſconſor, ſimulator boni & honeſti, corde contraria diligens, opere verò perficiens, Proditor deceptiva figura, blandus inſidiator, & incognitus, & inviſus, pacifica verba loquitur, ſed in dolo. Proditor eſt, & impius, cui ſuppetit cauſa. Proditor eſt, qui ſe conformat ei, quem lædere optat, & tamen ejus conformibus in patulis moribus ſe coaptat. Pertinax eſt, qui amore, beneficio, prece, dono non revocatur à malo, nec inno-

centia ejus, quem diſpoſuit lædere, à perditione avertit, nec eum timor pœnarum, ne conceptum nefas peragat retrahit. His enim malis Judas peſſimus urgebatur, quibus patet domeſticus & proditor pertinaxque amicus, qui ab imagine amabilis amicitiæ, velut color impertinens non ponendus, & velut pulcritudinem amicitiæ turpans, modis omnibus abolendus, quamvis difficillimum ſit cognoſcere proditorem, cùm aliquando facile ſit cognoſcere pertinacem. Ad horum notitiam veniendum, prout in amicitia ſunt cavenda, prædiximus, non ut omnem proditionem & pertinaciam ſatagerimus vacuare. Quæ quidem omnia, & ſi qua eſſe poſſent ſimilia, non recipiat vera amicitia in juſtitia Chriſtiana, quanquam multa mala in amicitia iniquorum atque infidelium tolerentur. Sed nec ita in amicitia deteſtanda ſupra poſuimus, quin & multa convenientia poſuerimus. Non enim poteſt profectò ſermone atque ſententia ſic contra malum incendi, ut etiam bonum differendo non luceat, qua diſſertione malum in ſua turpitudine verius condemnetur. Nunc autem ad compoſitionem amicitiæ velut cujuſdam pulcherimè & ſpecularis imaginis veniamus, duntaxat ſecundùm juſtitiam Chriſtianam, nulla enim vera fuit aliquando, eſt, aut erit, niſi fundamentum in illa ſuſceperit. Veruntamen intelligamus juſtitiam Chriſtianam in pluribus hominibus veteris teſtamenti fuiſſe realiter, quamvis ex novis temporibus hujuscemodi vocabulum fuerit ipſa ſortita, in quibus eſſe potuit amicitia vera. Imago quædam eſt egregiæ formæ amicitia Chriſtiana, aptiſſima membra poſſidens perfectamque juncturam membrorum, in quam omnes bene vivere cupientes delectantur aſpicere. Quam verè cognoſcens in contubernium duxit, quam ignorans, neſcivit inter homines converſari, aut manenſoſè converſatus, quam præeuntem comitem ſubſequentem habens, converſationem duxit inter homines immaculatam, & irreprehenſibiliter ad domeſticos ambulavit. Chriſtiana profectò amicitia ſupponit æternam in initio, medio & in fine, & quod temporaliter agitur voluntate aut neceſſitate, ad æternorum ordinat aſpectum. Quæ, ſi disjungantur interdum pro moribus diſſimilibus aut vitioſis temporibus aut ſpatiis, ſemper in animo manet eadem, cum tædio contrariorum, & amore animorum. Chriſtianus non ſic dolet ſeparatus ab amico corpore aut animo derelictus, ſicut dolet, quia offendens Deum, ab ipſo derelictus eſt Deus, à quo judicio juſto deſertus eſt amicus, ut præter id, quòd derelictus eſt Deus, major cruciatus accedat, quod amicus ſua nequitia eſt derelictus à Deo, quàm quod ipſe derelictus ſit ab amico, nec tanti appendit, quòd ipſe ab amico, ſi quam accepit offenſam, quanti quòd offendit amicitiæ cauſam, quam ſciebat eſſe æternam. Nam nunquam vera eſſet in ſuis limitibus amicitia temporalis, niſi cauſa prima & æterna eſſet, quæ ipſam copulat pro æternis. Temporalis enim pro temporalibus & in tempore amicitia infallibiliter, & inconſolabiliter, & omnino deficiet, niſi poſt hujus mundi egreſſum recompaginem in æternis firmiter prævideret. Quæ namque dulcedo eſſe poteſt amicitiæ, quæ ſubjacet timoribus finis? quæ amœnitas hanc perfunctoriam amicitiam fulcit, quæ gladio diviſionis terretur? ut ſæpe quo dulcior amicitia fuit, diviſio amarior ſubſequatur, & tanto neceſſarium eſt, ut fiat amarior ſeparatio, quantò amicitia fuit amœnior. Amicitia verò Chriſtiana nullum amicum Chriſtianum, nullum charum amittit, quia omnibus amica eſt propter æternum Deum, apud quem nihil deperit etiam nobis. Amicitia Chriſtiana, quæ propter Chriſtum animos copulat, ac etiam mores facit eſſe communes, nihil in amico pertimeſcit amittere, niſi virtutem, qua jure amicitiæ pollet. Amicum verò aliter poſſe perire non credit, niſi adempta virtute. Nam ſi ſpacia dividant præſentias corporales, nihil de veritate demirur amicitiæ animorum manente virtute. Corporales enim præſentiæ veræ amicitiæ cauſa eſſe non poſſunt, turpes enim ſunt, ſi aliquando fuerunt. Vera penitus non eſt amicitia, quæ cauſas corruptibiles habet. Quæ enim videntur corruptibilia ſunt, ex corruptibilibus autem corruptibilis amicitia generatur. Nec timenda ſunt in amicitia Chriſtiana locorum dividentia ſpatia, nam animus præſentior ſit dilecto quàm corpori ſuo. Si ſeparat mors amabiles præſentias corporales, manet adhuc per integritatem veritatis amicitia Chriſtiana. Quid enim abſtulit mors in amico, quem privavit umbratica vita, anne abſtulit ipſa amicum? Suſtulit amicitiam, ſecum reportavit amicitiæ cauſam? Ut audacter pro veritate reſpondeam, minimè, privavit nempe mors vita corruptibile corpus. Quod ut corpus neque amicitiam fecerat, neque facere honeſtam cauſam in amicitia potuiſſet: Quod ſi ſic, & omnia corporalia, ſenſibilia & ſenſu carentia, poſſent in amicitiam quam veram dicimus, devenire, quod nefas eſt opinari, animam verò vita ſua,

quia

quia immortalis, omnino privare non poteſt cum qua contrahitur ab alia anima, illa de qua loquimur amicitia Chriſtiana. Utraque nempe anima, inter quas erat amicitia, vivit illa in corpore, illa extra corpus. Et fortè tantò nobilius, quantò eam non aggravat corruptibile corpus. Illa verò tantò vivit miſerius, quantò eam premit corruptibilis corporis pondus. Proinde mors non privavit vita ſua id, quod amicum erat, videlicet animam immortalem, ſed fortè fecit illam liberius vivere, cùm ſuo bello exemit à corpore. Cui poſt corporis egreſſum magis amica erit, ſi ante corporis mortem non ſe virtute privaverat. Ineffabilia enim ſunt animæ dona poſt hanc vitam, quæ ab aggravante corpore cum virtute receſſit, quæ cauſam non modicam porrigant remanentibus amplius amicitiam colendi. Ecce enim ex hoc ſancta mater eccleſia, quos credit receſſiſſe majore virtute clarentes, ampliores illis exolvit gratiarum debitas actiones, & pro eis acceptiſſimas Deo laudes. Non ergo abſtulit mors amicum, cujus corpus vita privavit, animam vero dimiſit intactam. Nec privavit animam virtute, quam non potuit vita privare. Non enim moritur, niſi quod naſcitur quamvis omne, quod naſcitur, non moriatur. Virtus verò non naſcitur ſed infunditur, ſuper quam mortis non regnat imperium. Et nedum quod niſi regnet, ut ipſam virtutem poſſit interimere, ſed nec ab ipſa poteſt ipſam auferre. Mors enim incorruptibilia & immortalia & inviſibilia ab invicem ſeparare non poteſt. Incorruptibiles enim ſunt anima & virtus, & nunquam marceſcit ſapientia, qua decoratur anima. Cauſam amicitiæ mors auferre non potuit, æterna enim erat, ſi Deus erat, aut ſi virtus pro æternis conjunxerat, adverſus quæ aculeus mortis retunditur, ut neque Deo neque virtuti aut æternis bonis ipſa dominetur. Luce clarius claret, quòd amico Chriſtiano nihil deperit de amico, neque per intervalla locorum, & momenta temporum, neque per mortem, quæ ſolùm ſuper corpora tenet imperium, ut cùm venerit, adimat ſenſum, quo adempto anima corpus velut hoſpitium dimittit diruptum. Hoc enim tantùm adimitur de amico, cùm mors vita privaverit, ſcilicet præſentia corporalis. Sed corpus non eſt amicitiæ locus. Inviſibilis enim & incorruptibilis eſt amicitiæ ſedes. Ac per hoc multis amici ſumus ex fama virtutis, quorum nunquam habita fuit præſentia corporis. Et his, qui de hac vita piè atque fideliter fideles receſſerunt, amicitiam ſervamus, ſive ipſorum cognitionem habuerimus, ſive ad aures adhuc viventes ſolùm fama portaverit, aut quoquo modo deceſſerint, dum ipſos regnare credamus in ſuperis. Fidem de his authoribus facit, quia multos veneramur obſequio, & eorum auxilia & patrocinia imploramus, pro quorum honore multa vocibus, & luminibus, & aliis votis pluribus exſolvuntur. Tolerantur incommoda corporum pro amore ipſorum, conſtruuntur templa, exſculpuntur figuræ, atque pinguntur, ornantur monumenta, eriguntur altaria, margaritis ornantur, & in aere inſtrumenta metallica reſonant. Et quamvis hæc mereatur dignitas, propter tamen aliquod inſigne virtutis. Hoc eſt, quod dicere geſtiebam, quia ſi dignitas collata eſt propter inſigne virtutis, ergo virtus in aliquo fuit, non in corpore, quod incinerandum remanſit, ſed in anima, quæ cum immortalitate receſſit, quæ licèt poſt mortem virtutum actibus non inſiſtat, poſſidet tamen virtutum promiſſa trophæa. Non ergo dicitur anima privari per mortem virtutibus, ſi privatur corpus virtutum actibus, cùm ipſarum ſuſcipit finalia præmia, in quæ virtus ordinata cognoſcitur. Pro quibus amicitiæ amplius latior cauſa datur, quia ſi amici erimus his, quos credebamus in animo virtuoſos, in corpore verò laudabiliter actuoſos, qui etiam hæc omnia ſubintrante malitia poterant perdere, ac privari cauſa, qua inter homines amicitia Chriſtiana diſſolvitur, multò magis cum exemptis à mundo in cœlo repoſitis, de quorum gloria, quòd auferri aut perdi poſſit, non dubitatur. Hæc omnia pro tanto dixiſſe voluerim, ut ſuper cæteras extollam juſtitiam Chriſtianam, qua ſedente in ſedibus ſibi aptis, amico Chriſtiano nihil deperit de amico, niſi amicus ſibi ipſi, & amico per abjectionem virtutis pereat. In hoc ſolùm per mortem amico Chriſtiano totus perit amicus, ſi eum poſt mortem in tetralibus locis incluſerit inimicus antiquus, qui nullum adultum poteſt violenter includere, niſi privatum virtutibus propria voluntate, qui merito deſtitutus, ſibi traditur includendus. Sed qui poſt mortem à diabolo eſt incluſus, in omni vita ſua ſive morti appropinquans à virtute fuit excluſus, ac per hoc eſſe non potuit verus amicus pro eo tempore, quo extitit virtute privatus. Sed cum incluſus deſtruitur amicitia, ex eo, quòd ipſius eſt cauſa ſublata, non enim poſſunt recipere nec referre. Superi verò recipiunt & rependunt, & pro amicis in mundo relictis inceſſanter & infatigabiliter intercedunt. Utrum verò virtus veraciter inhæreat in

tempure,

tempore, quæ in tempore depent, & redit, aut quæ nunquam reditura perit? Ut iſta quæſtio aliam generet: Utrum damnatus, ſi dum vixit, eſſe putuerit verus amicus? Sed hæc præſentis diſſertionis non ſunt, quoniam ad alia nos tractanda compellunt, ut ipſam Chriſtianam amicitiam modis quibus poſſumus declaremus, quam etiam fere de mundo deploremus abolitam, ut vix in paucis & incognitis ipſa remanſerit. Amicitia Chriſtiana eſt quædam imago virtutis, rationabiliter animata intrinſecus & extrinſecus laudabiliter vivens, in nullo deficiens, quod ſuam exprimat perfectionem. Non velut imago depicta parietibus, vita, ratione, ſenſu & membris interioribus carens, quæ deficientem ſimilitudinem exprimit, non proprietatem, cujus cor pyramidalem figuram & proprietatem quandam ſemper in amore deferuet, & quaſi extinctionem reputat tepeſieri. Cor quidem hujus ſpecioſæ imaginis, ſemper amoris ignibus calet, & ligna ſupponit, ne deficiat verus amor. Et non amare æſtimat ſævam mortem. Proprium eſt ignis, ſurſum ferri, & nunquam ſua levitate ad inferiora devolvitur. Amor à corde hujus imaginis exiens diligit propter ſuperna, nec pro terrenis alicui ſe commodat. Proprium eſt ignis ſui natura æqualiter calefacere omnia æque comburere vel purgare. Sed non æqualiter agit propter inæqualem diſpoſitionem corporum objectorum, in quorum aliquibus magis, aliquibus minus exercet proprias actiones. Sic amor Chriſtianus omnia diligenda æqualiter diligit. Sed omnia æqualiter diligenda non ſunt. Et præter ea, quæ in amicitiam venire non poſſunt, quamvis ab omnibus diligantur etiam, rationales inter ſe in amicitia præferuntur, ut ſolum ille in igne aut ex igne amoris reddatur calidior, qui potior fuerit in virtute. Neque potentiæ, neque ſapientiæ, neque præminentiæ, neque eloquentiæ, neque alicui conditioni vel ſtatui ſicut virtuti Chriſtianus debetur amor, ut, velut plurificatur, atque inclareſcit virtus in homine, amor intentior ſit ad Deum. Nam virtus meretur amari, modica modicum, magna magnè, major magis, maxima maximè, tota totè, quæ ſola Deus eſt. Idcirco totius animæ, cordis atque mentis, omniumque virium ſibi mandavit referri amorem, velut ſumma perfecta totaque virtus. Feruet in amore hujus imaginis ſanctæ cor, ut quos inferiores recipit, digniores amplius replet. Et quamvis ad omnes æquè non ferueat, ut æquè in omnes ſuum amorem diffundat, tamen ad receptionem contrarii æquè feruet, ut nullius hominis odium appropinquet. Nam aliud eſt æqualiter omnes diligere, aliud non æqualiter omnes amare, aliud æqualiter omnes odire, aliud inæqualiter neminem odire, aliud inæqualiter omnes odire. Omnes æqualiter diligere lex eſt diligentis animi ex propria emanatione. Cui licet conſentiat Chriſtiana juſtitia pro parte diligentis, non tamen conſentit pro parte ſuſcipientis. Nam quamvis ſol æqualiter luceat, non tamen corpora æquè ſunt apta recipere ipſam lucem. Et quamvis æque irradiet, non tamen ſub ipſo æqualiter æſtuat omne corpus. In qua æſtuatione non tantùm attenditur virtus caloris, quantùm diſpoſitio ſuſcipientis corporis. Proinde Chriſtiana juſtitia permittit amorem à ſeipſo æqualiter effluere, ſed dignum nun judicat ipſum omnes æquè ſuſcipere, aut permittit inculpabiliter inæqualitatem fieri in pluribus. Siquidem permittit præferri ordine naturæ parentes, & natos, atque cognatos, ordine converſationis domeſticos, & amplius benefactores ordine ſubventionis, ſed omnino jubet, & vult præferri omnibus virtuoſos. Æqualiter ergo non amare juſtitia tolerat in natura, jubet in gratia. Ex hoc nempe claret, quod juſtitiæ non derogatur, præferendo in amore remotis propinquitatem ſive perſonam propinquam, ſed derogaretur, ſi non præhonoraremus in amoribus gratiam Chriſtianam. Omnes æqualiter odire nulla juſtitia patitur, nec concedit, nam odium non debetur naturæ, ſed vitio. Neminem ergo odire permittitur in natura, in vitio verò nec omnes æqualiter, quia neque ſunt omnes æqualiter vitioſi. Æqualiter neminem odire approbat ſana juſtitia, quia in criminibus diſpar conditio, diſpar meretur odium. Proinde inæqualiter diligere, in diligendis ſive dilectis virtus aſſiſtens afficit inæqualis. Inæqualiter autem omnes odire, inæqualis iniquitas afficit, & juſta ratione amoris & odii aliqua tolerat, aliqua jubet, pro inæqualitate regulæ Chriſtianæ juſtitiæ. Cor in homine rationali receptaculum eſt virtutum. Sic cor iſtius rationalis imaginis earundem hoſpitium eſt, necnon & iſtius pulcherrimæ imaginis anima ſuas potentias habet in imagine iſta, ſolum & bonorum & omnium, quæ validiorem ad amorem animum proprium faciunt. Et memoratur temporis, & locorum, & rerum & opportunitatum, pro quibus, & in quibus fuit facta tributio. Nec intermittit dulce Verbum, aut jucundum aſpectum, etiam ſi præter cum alium poſſedit, aut acquiſivit amicum, aut ſi quem habebat grataneer aliquando receperit

perit præter eum. Et altius appendit exiſtimatio conjuncta memoriæ, quantò fuerint dona tributa ſeu irrogata ſubſidia. Et nihil parvipendit in acceptis memoria, cùm omne, quod in re fuerit parvum, magnum reputat, ex quo fuit ex amore collatum. Et cùm nubilum nunquam in hujuſmodi patiatur ſerena memoria, in hoc verò ecliſim patitur ad profectum, quòd contrariorum omnium non recordatur, ſed quod magis eſt, nunquam tenuit in ſeipſa veſtigium. Magnum profectò eſſe cognoſcitur injuriarum atque diſplicentiarum oblivisci, & eo magis, quo celerius. Sed id maximum dixerim, nunquam ſuſcepiſſe characterem, quod ſpectat ad amicitiam Chriſtianam. Fixa memoria de amico ipſum fovet in ſinu mentis præſentem, corpore verò abſentem. Inde excogitat ſuper eum bona & mala, ut illis inhæreat, ab illis caveat, illa conquirat, iſta devitet. Et Spiritus ejus dulciter anxiatus moleſtè tolerat tenebras noctis, expectat ut ſtatim aſpiret dies, ut eructet, quæ in animo excogitaverat pro amico. Et moram abſentiarum velut jacturam quandam graviter portat. Fecit hoc in pluribus amici memoria, ut inter alios illius ſimilitudines amoris igniculum reinflamment, & fiant ad illos amabiles, in quibus amici aliquam ſimilitudinem agnoverunt morum ſive perſonæ, geſtuum ſive loquelæ. Fertur quidam quæſiviſſe inter viventes ſimilitudinem aliquam amici præmortui, ut poſſit illius vivam habere indaginem ad ſui ſolatium, aut copulare amicitiam. Qui cùm paululam inveniſſet, paululam amicitiam fecit, quia non totam ſimilitudinem prioris expreſſerat, quem ob ipſius amorem de vicino periculo, quod inevitabiliter ſibi imminebat, eripuit. Vide igitur quanta erat in ſuperſtite præmortui amici memoria, ut etiam ſui ſimilibus non amicis, Verbis & operibus deſeruiret. Amicitiæ memoria ubique memoratur, in tribulationibus & conſolationibus æqualiter ſecum portat, ſed non vult ipſum illarum æqualiter eſſe conſortem. Nam tribulationum ſuarum nolet eſſe participem, velut perhorreſcens ipſarum augmentum, ſi ſecum torqueretur amicus. Nam non eſt vera amicitia, ſi ſicut ſeipſum, quis in pœnis affectaret amicum, quamvis etiam ſit de amicitia vera, in tribulationibus cum amico velle percipere participium. In proſperis verò ita ſecum inevulſibilem memoriam portat, ut etiam tædeat eſſe in gaudiis ſine ipſo, & in guſtu unius delectabilis boli velit ipſum habere conſortem. Et tunc proſperá cuncta rident, cùm in participio fiat amicus. Et duplicabitur rerum delectatio atque incunditas, cùm amicus amicum præſentem bonorum ſuorum ſciverit eſſe participem, ſuis qualitatibus omnia videntur augeri, cùm ab utroque eſt participatio bonorum, & propriis videntur privari muneribus ea, quæ participantur ab uno, altero non præſente. Condimentum ſuper appoſitum & perficiens eſt, in communicabilibus rebus alterius amici præſentia. Dicebat quidam in amicitia vera factus, torqueor inter bona. Et cùm dicti cauſa quæreretur, adjecit, quia his indiget, aut non habet amicus, eſſet mihi plena jucunditas, ſi ubique ſic his aut melioribus mea ſcientia potiretur. Amicitiæ Chriſtianæ memoria inevulſibiliter amicum hominem fixum tenet, ut etiam pro ipſo diurnis atque nocturnis horis ignitis precibus interpellet ad omnium regum regem. Et ſi à virtute deficit, dolet amplius pro amico quod regi ſuæ non fuerunt accepta preces, & ſeipſo vellet ſecuri fieri meliorem, ut in eo amici animus ſecurius pro aptatis omnibus requieſceret, cujus propriis vellet reſpondere omnibus votis. Hæc memoria triſtitiam facit, & gaudium, pro amici contrariis atque ſuis unlitanbus aptis. Et quoniam bona & mala memoria continet, ex quibus lætatur aut patiatur, id agit, ne patiatur amicus, cum quo factus eſt animus unus. Et temporaliter nititur, ſed maximè ſatagit, ne in æternum patiatur, nec acriter confligitur, ſi corpore torqueretur, aut in rebus labentibus infelicitatur amicus, ſi ſpiritualia ſalva ſunt omnia, & ſi non minuuntur internæ virtutes, quæ in amicitia præſtiterunt maximam cauſam. Nec mœrore contrahitur, ſi temporalium plumis depilatur amicus, dum ſibi æterna in fidem chirographo & virtutum inſtrumento ſervantur. Signa magna memoriæ de amico ſunt frequentia ſomnia, & allocutiones, & confabulationes, & peregrinationes, & ſimilia, quæ apparent in eis, & relationes geſtorum ejus, quæ interponuntur in aliis pleriſque condictis, & nominatio nominis ejus in abſentia ejus, etiam cùm ad alios ſermo dirigitur, ut ſæpe nomen amici nominetur in perſona præſentis, & præſens, ad quem ſit verboſa locutio, amici nomine proferatur abſentis. Sunt etiam ſigna optativè de bonis affectiones, & frequentia Verba, & inventiones utilium, & ſæpiſſimè interrogationes de ipſo in denegata præſentia, cùm præſto fuerit interrogandi materia. Fecit ſæpe hanc virtuoſam memoriam & omnino inevulſibilem ex virtute amicina Chriſtiana, in his, qui hujus utilia cognoverunt, ac ipſam acceperunt individuam ſponſam, ut ab his,

ab his, quæ prohibita fuerunt inter eos ſecundùm juſtitiæ regulam, ſe abſtinuerunt in amici abſentia propter ipſius memoriam. Et velut tribunalis judex, prohibuerit vetitum fieri, memoria Chriſtiana amici. Necnon & plerunque magis veritus eſt amicus inviſum & abſentem amicum, quàm inviſum & præſentem in omnibus Deum. Et plus fecit ad mali cautelam memoria terrens amici amabilis, quàm pœnarum terror horribilis. In his etiam, qui ſecundùm altiſſimi, & bonorum atque laudabilium morum legem firmaverunt, honeſto decreto præventi ſunt ſæpe amici memoria plusquam Dei, ut ab ipſorum excitati memoria, excuſſerint negligentiam, promptitudinem ſumpſerint & ſolicitudinem ad agendum. Nec hujuſmodi ad defectum amicitiæ adſcribantur, ſed profectum, ſi ſæpe quis magis amici portaverit memoriam, quàm Dei, cùm Deum nunquam viderit, ſed amicum, cum quo tenet amicitiam propter Deum, quem etiam in malis devitandis agendisque bonis reveretur in omnibus propter ſeipſum. Nec mirandum, ſi novitios homines ad amicitiam atque virtutes, amici hominis magis, quàm Dei memoria ſæpe tenet. Nam prædominatur incipientibus ſenſualitas, & magis occurrit memoriæ, quod ſenſu percipitur, quàm quod fide apprehenditur, velut diſcipulus novus, qui nondum novit dignitatem atque virtutem ſcientiæ, magis commendat memoriæ id, quod diſcit timore ſenſibilium verberum, & blanditiis, aut ſponſione ſeu oſtenſione donorum, quàm amore aut fide ſcientiæ, qua docetur. Senſualium & novitiorum memoria, excepta operatione Spiritus Sancti, quæ in hominum mentibus operatur, repentè impreſſiones niſi per ſenſus non recipit, & magis vivæ voci, quàm ei, quod dicitur, tribuunt. Sed in his omnia excuſantur, cùm amicitia copulata fuerit propter Chriſtum, quamvis amicus mereatur, quem ſenſu percipit amicum, cùm non poſtponat in illa intima ratione & deliberato ſecreto judicio, verum omnium Deum. Corrigitur paulatim in proficientibus, correctum verò expedit eſſe penitus in perfectis. Laus autem eſt hujus imaginis, quod ejus interna memoria tantùm facit, ut caveat infauſta, honeſta perficiat. Intelligentia verò ſive ratio hujus admirandæ imaginis eſt aſpectus ad verum, & ab omni fucamento amicorum animos liberare. Neſcit enim ratio veræ amicitiæ aliquid palliare aut fucare fictitiis, neque angulos quærit ad deliteſcendum in defectum aut præjudicium amicorum. Primo porro hujus proceſſus fit ad ſanctiones & decreta condenda, quibus cœpta perficiatur, & ſtabiliatur perfecta. Prima verò decreta ſive ſanctiones ſunt, ut quantùm ſe protendit, aut extendit virtus humana, & deſuper creata per gratiam, quod repugnantia magna ſive parva Chriſtianæ juſtitiæ devitentur. Chriſtianæ amicitiæ cauſa eſt juſtitia Chriſtiana, cujus omnino expedit cavere contraria, ſi diligitur amicitia, nam ipſa cauſa per ea, quæ ſibi adverſantur, aufertur, unde cauſata inter homines amicitia neceſſe ſit, ut etiam auferatur. In omni etiam genere amicitiæ honeſtæ atque inhoneſtæ eo, quo conſtruitur, ſuſpenſo deſtruitur. Nec amicitiæ veræ pura intelligentia negligit, ſi qua ſunt devitanda intelligere, ne incidat in laqueum offenſionis, & in ſcopulos diſplicentiarum, velut navis docto proreta carens impingat. Ratio autem hominibus inſita diſcutit rationes, & probabiliter depingit in talibus inviſè dolatis, & ſi qua poſſunt huic imagini contumeliam facere, in horum foribus non propinquat. Diſcernit præſertim juſto judicio non tantùm devitanda cognoſcere, quæ poſſent turbare amicitiæ imaginem, quantùm devitare contendit, quod turbare poſſet cauſam, maximè primam & ſummam. Prima & ſumma cauſa omnium bonorum, & veræ amicitiæ Deus eſt, qui pro nobis in tempore homo factus eſt, atque redemptor appellatus eſt Chriſtus, à quo vocabulum ſumpſit populus Chriſtianus, unde nuncupatur amicitia Chriſtiana, quæ optima eſt in moribus virtus. Proinde primum atque ad primum atque apprime Chriſtianam amicitiam ſervare cupientes, præ omnibus caveant divinam offenſam, ut non ſolùm ex multis aliis ſuborientibus cauſis ad peccandum moventibus, quamvis cauſæ dici non debeant, quæ ad peccandum inclinant. Sed ſi ex amico aut propter amicum ſubintraret cauſa delicti, antequam offendatur Deus, turbetur, aut dimittatur amicus. Non enim eſt amicus cauſa Dei, ſed extat cauſa Deus amici. Nec juſtitia Chriſtiana judicat turbationem dici, aut quod agitur eſſe peccatum, ſi ſi amicus quamvis magnus offenditur propter Deum, imo nequam eſt judicandus amicus, ſi ſcandalum ſuſcipit de actibus comparis ejus, dum ipſe caveat, aut faciat, quod jubet ſeu gratum recipit Deus. Omnem quippe juſtam & veram excuſationem habet annexam, cùm amico ab altero dici poteſt: Hæc omnia quamvis ad tuam diſplicentiam arrogaveris, feci tamen ea ipſa propter Deum, ſed nullam habet excuſationis cauſam, ſi Deo diceretur, te

offendi propter amicum. Tegit enim Deus delictum ab amico, ſed amicus amici delictum in Deo penitus excuſare, aut operire non poteſt. Si Deus eſt finis omnium, homo amicus juſtè relinquitur propter Deum. Et omnis vera copulanda eſt amicitia propter ipſum, homo verò finis hominis eſſe non poteſt. Non perditur amicus, ſi placitus remanet Deus. Et ſi ex hoc turbatus recedit, non fuit verus amicus, quia ſe Deo voluit præferri, cùm debuit in omnibus ſubjacere. Quæ turbatio eſſe poteſt, ubi homo non relinquitur; aut offenditur propter homines, ſed propter omnium creatorem? Inſolubiliter atque irrevocabiliter ſanxivit Chriſtiana juſtitia, ut pater & mater, frater & ſoror, filius & uxor, ac ipſemet homo à ſeipſo relinquatur propter omnium regum regem. Proinde ſi ſeipſum propter Deum debet homo relinquere, non turbetur homo peccator, & ſubditus, ſi fiunt imperatoris ſummi præcepta per eum, qui amicus eſt ejus. Alioquin ipſius Dei convincitur inimicus, inimicus verò Dei nemini fit amicus. Et ex hoc clarè intuetur noſtræ rationis aſpectus eum, quem habet, ſi amicus eſt verus. Si contentatur contemni ab altero amico in his, quæ præcipit Deus, aut in his, in quibus apertè cognoſcitur placitum voluntatis ejus, ut in hoc ſit ſumma ratio amicitiæ conquiſita, quod amicus ab amico velit amoris vinculo præſervato inconturbatè mortem ſuſcipere, ſi Deus mandaret illum per illum ſic tranſuerberari, ac etiam inferri, ſi quid fuerit ſenſualitati ac voluntati adverſum. Ab ipſa enim ratione Chriſtianæ amicitæ cogimur, ut quempiam amicum ſuper nos, ſi Deus juſſerit ſive permiſerit, velut inſtrumentum ſuæ infallibilis juſtitiæ inconturbato amico toleremus. Nam ſi quiſpiam reus ſuper ſe à juſto judice juſtam, & ultricem ſententiam pro malefactis acceperit, ſi de ſatellitibus non conqueratur, aut de ferro ſecante, aut igne urente, aut de fune, quo eſt in patibulo ſuſpendendus, aut de quolibet inſtrumento illativo pœnarum, non enim ſatellites authoritatibus propriis truncant ferro caput, avellunt à corporibus membra, ligant collo funem, trahunt ad patibula reum, uſtivum ignem accendunt. Nec iſta inſtrumenta pœnarum motibus ſuis aguntur, ut inferant cruciatum, ſed ſedentes in tribunalibus judices hæc fieri juſtè decernunt. Igitur non de his, ſed de ſententiarum latoribus, ſi poſſunt, rei rationabiliter conquerantur. Cùm verò de juſto judice, juſtaque ſententia, niſi falſam & injuſtam querimoniam proferre non poſſunt, non ambigitur, quod neceſſe ſit, ut de malefactis propriis conquerantur, & laudent judices, & executores, ac etiam inſtrumenta juſtitiæ. Nam ſcriptum eſt: Benedictum lignum, Sapien. 14.
per quod fit juſtitia. Idcirco hæc dicta cognoſcat inſpector, ut videat, quo vinculo copulatur amicitia Chriſtiana, quod ſi amicus ab altero dictante divino judicio, manifeſto ſive occulto, ſuper ſe ſenſerit pondera tormentorum, & omnino incuſſum ſervet amorem, nec rumpatur amicitia ob illatas & toleratas pœnas, ubi Deus eſt judex, virtus manet, amicitiæ cauſæ non ſunt motæ de ſitibus. Poſſet tamen juſtè conqueri, ſi amicus inferret injuriam. Sed aliud eſt pœnam, aliud injuriam irrogare: Non enim omnis inferens pœnam, inferre dicitur injuriam, ſed omnis, qui alicui facit injuriam, infert & pœnam. Pœna nanque ex juſtitia eſſe poteſt, quæ non eſt reputanda injuria, cùm infertur. Injuria verò eſt, quæ omni remota juſtitia, nequiter alicui irrogatur, nec ex hoc dicat injuriam paſſus, quod poſſit juſtè reprehendere, ubi reipublicæ regnat authoritas, quæ habet de injuriis judicare, cùm nec authoritas reipublicæ dimittat inultum, etiam quod ab homine fuerit vindicatum. Maximè autem nemini paſſo injuriam rependere licet, præſcribente ſibi ſacro ſancta ſententia Domini: Mihi vindictam & ego Deut. 32.
retribuam. Rom. 12.
Procedat ulterius hujus imaginis intelligentia ſive ratio, ut ſi qua fieri poſſunt ad ornatum atque firmamentum ejus, juſto & immutabili decreto perquirat, rerum enim relatio atque morum in amicitia verior, quàm nominis. Nihil verò amicitiam ſic ornat, & firmat, quàm ad primam cauſam totis viribus condigna referre, atque polinormis firmatis, indefeſſo animo conſummare certamina. Et agones multos abſugere, pro ſupernis leges factas ſervare, pro imminentibus caſibus de novo, ſi expedit concedere, ut juſtitia, qua proficimus, qua profectuum noſtrorum palmiferum attingimus culmen, propter quam Deus terrenos aſpicit nos, inconcuſſa permaneat. Non enim niſi in legibus juſtis amicitia vera conſiſtit. Juſtitiæ quippe lex eſt, ut prima cauſa ſuorum creditorum exactiones primas, atque honores priores ſuſcipiat. Deinde perſolvantur credita, ſive offerantur placita, cæteris in amicitia conjugatis, ea lege vel pacto, ut nihil de debito atque honore cauſæ primæ omnium auferatur. Et ſi quid offertur eis, qui cum amicitia fœdus habent à Deo nihil debet habere diverſum. Sicut enim turpis eſt pars, quæ ſuo toti

non convenit, ſic omne quod agitur, turpitudinem habet annexam, ſi non convenit rerum omnium creatori. Quòd verò aliqua turpitudine tingitur, pulcherrimæ huic imagini convenire non poteſt. Turpitudo verò nulla deterior, quàm quæ ſummam juſtitiam non veretur. Proinde ſi conſtans & perſeverans inter homines amicitia quæritur, innitantur quærentes legibus juſtis, juſtitia prorſus dat conſtantiæ baſim, & perſeverandi miniſtrat materiam & fulcimen. Occurrit juſtitia cum panibus ſuis in omni termino amicitiæ gradientibus viam, & ſua ſolamina & fomenta præſentat, ne deficiant qui cœperunt. Nulla penitus decipiendi aut deficiendi cauſa, cum quibus juſtitia graditur, occurrit autem his, qui promiſerunt amicitiæ ſacram juſtitiam, ſiquidem præeminentiam rerum facit atque oſtendit, & cogit ſub interminatione pœnali omnium actionum inviſibilium atque viſibilium primitias meliores, atque electione primum primo reddere præeminenti. Et ſicut in devitatione malorum ad primum præeminentem ſuum habet aſpectum: Sic in actione bonorum ipſum primo ponit ante ſuum conſpectum quoniam illum oportet eſſe omnium finem, qui omnium extitit cauſa prima bonorum. Delectatur ſiquidem ipſa omnis ratio in roſariis rationis, ſic & ratio hujus imaginis in rationis viriditate ſe paſcit, ut non ſolùm in ordine ad primam omnium bonorum cauſam condecentia quærat, ſed etiam ad ſecundas. Nec iſte eſſe debet ſubſiſtentiæ gradus, ſed perquirat ſemper amicitiæ ratio, quod novit eſſe in moribus & mentibus verius, atque utilius, ut cognitione philoſophica, imo præeunte pro duce illa ſolùm eligat, quæ ſecernere poteſt à malis. Et in plura ſe omnino extendat, ut à bonis eligat meliora, & à melioribus optima. Si maſum habet amicitia, ergo non vera, nulla enim veritas, ubi malitia, præter illam veritatem, qua conſtat veram adeſſe malitiam. Non ergo de malè cognito, cum quo & ſuper quo amicitia non eſt fundanda ſermo præſens eloquitur, multa enim novimus eſſe præmiſſa, ſed de malo incognito & accidenti malum contingens præter intentionem adveniens in amicitia, & etiam incautela & improvidentia. Cautela quippe ſemper oculum direxit ad malum, ad bonum autem nunquam. Nemo enim ratione utens intendit bona cavere, ſed mala. Incautela cujus ſemper oculus eſt ſopitus, malis omnibus quouſque evigilaverit, præſtitit ingreſſum. Providentia ad utrunque direxit aſpectum, ad malum, ut caveat, ad bona, ut faciat. Improvidentia penitus nihil horum fecit. Opponuntur omnino cautela & incautela, providentia & improvidentia, illæ bonæ, iſtæ malæ conſiſtunt. Ratio verò amicitiæ ſe conjectat in medium, & ſecernit, atque eligit bona pro captu potentiæ, malis juſto judicio reprobatis. Accidunt etiam ſæpe ſuſpiciones aſſumptæ, immiſſæ à dæmone, guſtus, nutus, delaturæ, verba, digreſſiones, averſiones facierum & oculorum, itinerum prohibitiones, celationes, relationes, ſubſtitutiones in tempore obſequiorum tepiditas aut denegatio improviſa aut iracundia ſermonis, aut majores oſtenſiones amoris in alium, aut ineptæ ſeu implicitæ reprehenſiones. Bonum omnibus his oppoſitum eſt firma credulitas utriusque, quòd neuter ferat animum commutatum, nec ex ſignis mala, ſed cordis bona dijudicet. Si autem horum ignis animo incendium fecerit, ſolùm reſtat remedium, quòd amicorum animi per Verba ad ſeinvicem declarentur, ut qui patitur ſuam, exprimat, & de quo patitur paſſionem. Alter enim ſereno Verbo conformi corde declaret. Sæpe namque fit, ut quis patiatur ex inculpatis geſtis aut Verbis amici, aut adſcribuntur ad culpam, quæ innocenter fecit, aut dixit amicus, & ſilentium paſſi nubilam mentem tenuit, & innocentia geſta damnavit in corde, quamvis haberent ab amicitia obliquum aſpectum, non enim immutabilis eſt homo, ſed affectionibus, paſſionibus & extrinſecis accidentibus variatur. Periculoſum penitus eſt tacere, non enim ceſſat ab his, ex quibus non credit inferre gravamen. Cùm verò paſſus, quæ gravabant patefecit amico, aut à gravaminibus eſt ceſſatum, aut reſponſionem apologeticam is, qui gravabatur accepit. Progreditur ulterius ratio ut etiam meliora ſecernat à bonis, non reprobatis bonis, ſed potioribus electis judicio rationis. Melior eſt in ordine converſandi & converſationibus hominum æmulus manifeſtus, quàm fictus ſeu duplex amicus. Ille cavetur, ille difficillimè declinatur. Et melior eſt vicinus prope, quàm frater aut amicus procul. Quia vita noſtra ſæpe angitur periculis pro eventibus & opportunitatibus hominis utriuſque, per propinquum celerius ſubvenitur. Melior eſt manifeſta correptio, quàm amor abſconditus. Amicus placitus timens fieri amico in Verbis aut moribus gravis, ſæpe tacendo perire permittit. Sed taboſus eſt amor abſconditus, qui corrigendi tempore non procedit in publicum. Fruſtra moratur in conclavibus etiam vehemens amor, ſi amicus in foveam labitur

labitur re tacente ſcienter, & non compeſcitur verbo duro, aut ſi verbis correptionis non corrigitur, cùm firmiter fecerat caſum. Proinde meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oſcula. Qui diligit, vulnerat verbis amicum, factiſque, cùm expedit, ne labatur in nefas. Et potius decernit ille, qui verè diligit, amici percutere corpus, quàm peccatis percutiatur inviſibilis animus. Qui diligit obviat opportunè & importunè damnis amici. Qui non corrigit, odit, & fraudulenta oſcula imprimit. Et odii ſignum eſt prætermiſſa correptio. Vulgo ſæpe refertur: Qui me odit, ad riſum, qui me diligit, provocat ad lacrymas. Unde dicitur, qui corripit hominem, gratiam poſtea inveniet apud eum magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Judicat, & eligit pars prudentiæ quæ novit eligere, & ſtabilit in animo ſententiam Salomonis: Melius eſt humiliare cum mitibus, quàm dividere ſpolia cum ſuperbis. Sed ut breviter edicam, melius ſuper bonum in amicitia noſcitur patientia in tempore, quo comprehenditur alteratus amicus, ut poſt omnem ebullitionem fiat correptio ejus: zelantis amici melior eſt patientia, quam tempore incongruo verba proferre. Et melior eſt ad amicum temperatus zelus, quàm zelus acutus, dummodo non intermittatur, qui dicitur temperatus. Temperatus enim zelus verbo aut ſigno monſtratus, abſterſit amico plagam, & induxit cataplaſma tolerabile ſuper vulnus, acutus verò iterum vulneravit: & rarus eſt inter homines, qui aſperam velit ſuſtinere medelam. Melius eſt ad amicum in omnibus temperatum fieri, quàm ipſum impatientia zeli aut amoris importunitate converſandi, obſequendi corrigendi tractare. Omnia in moderamine ad amicum, & liberate fiant. Teneri enim ſunt animi hominum, & in bonis & malis citò franguntur. Difficultas maxima amicum invenire veracem, major verò cuſtodire inventum. Inſtrumentum quoddam reſonans eſt amicus ad amicum, ad cujus ſonitum oportet ſaltare amicum ſecundùm varietatem morum, atque naturæ, dummodo funeſtum ſonum, aut turpem non reſonet cantilenam. Melius eſt in amicitia, quàm donationibus colligatam amici ſuſtinere naturam, & tractim ad bona ducere, quàm feſtinè: feſtinatio enim cauſam ruinæ ſæpe feſtinis appoſuit. Ad amicitiam vero ſana ratio ſolùm illos pro melioribus novit aſſiſtere, quos viderit potius moribus fulgere, quàm rebus, aut gemmis aut quibuslibet ornamentis. Melior eſt & verior amicitia pauperum, quàm divitum: illos enim virtus, iſtos rerum claritas manifeſtat. Dives, ſi amicus erit in veritate pauperibus, nobilius eſt, quàm ſi diviti pauper erit amicus. Ille de virtute laudabitur, iſte non poterit de neceſſitate cauſari. Melior eſt & verior ſuperioris ad inferiorem amicitia, quàm quæ in reconverſione agitur. Superior libera voluntate, inferior fortè umbra timoris conſtringitur. Amicitia inæqualium ſi vera eſt, à potiore nobilius nomen ſortietur. Æqualium verò omnino illam præcellit. Æternè Dei ad nos ab æterno amicitia ordinata omnem dignitatem, & honorem, atque perfectionem ex ſui parte, non ex noſtra ſortitur, ſed æqualem dari non invenit, cui amica eſſe poſſit. In hominibus autem invenitur æqualitas, ut ex utraque parte amicitia poſſit ſuum perfectum laudis ſortiri præconium. Amicitia inter æquales inclytos poteſt æquè verſari, & naſciſci profectum. Inter æquales plebejos tendit in idem. Inter ſub & ſupra nunquam cadit amicitia vera. In omnibus his dictis ſimilibuſque dicendis amicitiam excipimus Chriſtianam, quæ propter annexam gratiam, conditionem, eventum, ſtatum fortuitu acquiſitum vincit, atque natura Chriſtianæ gratiæ, ſacramenta, & pura juſtitiæ, & de ſuperis à Chriſto declarata doctrina non permittunt in Chriſtiana fieri amicitia ſublime vel altum, infimum vel depreſſum, ſed omnem æqualitatem conſtituit animorum, rerum, temporum & locorum, in qua nihil judicatur potius, niſi potior virtus, quæ eo ipſo eſt potior, quo in alta non ſe tollit, & ſe per humilitatem omnibus animo, vita, moribus æquat. Sed ut latam loquendi materiam coarctemus, ſi me interrogarent ex animo linguæ nationum omnium, quid eſt in amicitia melius? reſponderem, juſtitia & veritas. Quid autem optimum? dicerem, his virtutibus fretus, amor. Hæc enim tria multa miniſtrant materiam eloquendi. Sed hic intermittimus, ut alibi requirantur. Si autem à me ulterius quæreretur, qui ſunt meliores amici? reſponderem, illi cum quibus melius iſta ſervantur. Et ſi quæreretur, qui ſunt optimi amici? reſponſionibus utique affirmarem, qui veritatem juſtitiam & amorem ſuper eos invicem magis quàm ſeipſos, aut propriam vitam diligunt, ut magis velint finire crudeliter corporis vitam, quàm prætermittere amorem, veritatem atque juſtitiam, & tempus breviare quod poſſunt prorogare inſiſtentes in eis, quàm videre

longævum terminum ſine eis: His amici, ſuis in omni honeſto genere amicitiæ nunquam deficiunt. Qui hujuſcemodi virtutibus deficere nolunt, nonquam talium converſatio fertur in dubium, quorum mentes illuminat virtus, juſtitia dirigit, & fovet, & nutrit ſedulus amor. Inhæſitanter anima, corpus & res, uxor & filii talibus commendantur, qui ſacramenta veritatis charitatis atque juſtitiæ juraverunt. Fertur, & in ſanctorum libris legiſſe me memini, quod quidam ſui peregrinantis amici ejus precibus commendatam ſuſcepit uxorem, quam ſedula, & diligentiſſima cura fovens, ſua pulchritudine tentabatur, qui timens urgeri valde ab aſpectu decoris ejus, & ſuam præcavens fragilitatem, acuto gladio abſcidit ſui corporis cum dolore verenda, notans diem & abſciſionis horam, ne amico poſſet etiam tentatus fidem frangere in uxore, necnon & murmurationem adverſus commendatam veritus, quæ facilè ſurgit in vulgo. Si accidiſſet, paratus erat fidem facere revertenti marito, aut vulgo in ventrina truncatione, quòd ipſam ſervaverat illibatam. Pro his exponuntur meritò corpus & res, & mors intentata ſuſcipitur. Et nihil in hac ſelicius pro relativis moribos, quàm cum talibus vivere invenitur. In multa fertur intelligentia ſive ratio hujus imaginis, quàm diſcurrendo perquirere deficit mens & manus. Voluntas hujus mirandæ figuræ, ad ſuam perfectionem ſe obſidem facit. Et nihil valent, quæ ad amicitiam poſſunt ordinari, virtutes, geſtus aut patuli mores, niſi voluntatis aderit promptitudo. Voluntas receptaculum eſt inviſibilium impreſſionum. Voluntas in amicitia, executio aptitudinum inviſibilium eſt imperatrix, ut ſit compoſitio juſta exterius exhibita, Imperio enim ejus membra moventur ad actus, ac etiam omnia conferentia conquiruntur. Voluntas amicitiæ Chriſtianæ habet idem velle, & nolle, ſceptrum & damnationis virgam tenente juſtitia Chriſtiana, ſine qua in præceps labitur quæque voluntas. Et in his ſolùm agendi firmat imperium, quæ ipſa decernit. Hoc tamen firmum habet iſta voluntas, ut velit penitus ſecundùm iſtam juſtitiam amicitiam inire, & ad hoc ſe invariabilem præſtat. Cætera verò firma non tenet, ſed variat animi atque corporis motum, ſicut juſtitia Chriſtiana variat modulamina præceptorum. Nec enim aliter vult fieri ad amicum, niſi prout ipſa diſponit. Habet à Deo quendam actum mediante natura voluntas, ut velit, qui actus volendi terminatur in bonum, quod à ſeipſo penitus ipſa non novit. Nam voluntas non influit in ſeipſam volitum, aut quòd jure volendum, ſed volendi actum ab alio influxionem ſuſcipit, ut quod volendum eſt, velit. Non diſcurrit inquirendo voluntas, ſed repente fertur in id, quod bonum vel tanquam bonum oſtenditur ſibi à potentiis ſuperioribus luminoſis. Quæ potentiæ quamvis errare poſſunt, voluntas tamen in actu volendi errare non poteſt: ſemper enim motu proprio fertur in bonum, vel quaſi. Quocirca ſi aliæ potentiæ luminoſæ ſive ſupernaturalis luminis & infallibilis ſuſcepturæ, ut puta ratio, intelligentia, appropinquant foribus juſtitiæ Chriſtianæ, ſuiſque ſplendoribus illuſtrantur, nunquam voluntati renuntiant, aut influunt, niſi quod certum eſt, & infallibile bonum, ſeu melius, aut optimum atque perfectum. Et quæ ſui cauſa non errat, merito ſplendoris Chriſtianæ juſtitiæ fertur in debitum. Proinde voluntas Chriſtianæ amicitiæ in his ſua volendi agilitate rectificatur, quæ ſibi à virtutibus à Chriſtiana juſtitia illuſtratis ſuum ponuntur ante conſpectum. Mandat ſiquidem ipſa juſtitia iſta velle, atque permittit in concupiſcentiam provenire, quæ divinis perſonis omnino conveniant, & ſuperno concentui, qui non dormit, proſpectans ſuper his, quæ aguntur à viatoribus vitæ hujus, & quæ omnino expediant ad fidem & actionem indeclinabilem eorum, quæ accepimus ſacro mandato ſive juſto conſilio, & ſubſerviant publicis juſtis moribus, quos perturbari à quoquam divina cenſura inultè non patitur. Talem præordinat Chriſtiana juſtitia in amicitia voluntatem, ut unam bene præeuntem altera ſubſequatur: obliquantem verò deſerat rediens ad ſeipſam, ut talem velit eſſe amicum, non qualis ipſe eſt, ſi bonus aut malus, ſed qualem eſſe vult juſtitia, quæ neminem malè ordinat ſive diſponit, nec velit in ſeipſo intranſitivè aut ad ſeipſum tranſitivè aliter fieri, præter id, quod licitum eſt ex moderamine Chriſtianæ juſtitiæ. Ac per hoc omnis amicus amicum prius intentione, animo, voluntate, fide, vita, moribus, ad juſtitiam & in juſtitia, quàm ad ſeipſum fieri velit. Nullus quempiam ad ſeipſum prius, quàm ad juſtitiam fieri velit amicum. Non enim eſſe poteſt homini verus amicus, ſi ante juſtitiæ amicus veræ non fuerit. Habet etiam in intimis ſuis hæc formoſa imago quandam nominabilem trinitatem. Iraſcitur defectibus, perfectionem in profectibus cupit. Omnia ratio, ſi recta eſt, ſine reprehenſione componit, habet affe-

ctiones

ctiones contra falſo philoſophantes. Gaudet de præſentia, dolet de abſentia, ſperat ſanctum terminum, timet ne fiat divortium, gaudet, ſi placet, dolet, ſi diſplicet. Sperat placere, timet diſplicere, gaudet de proſperis, dolet de adverſis, ſperat prodeſſe timet prodeſſe non poſſe, gaudet, ſi gaudet, dolet, ſi dolet, ſperat, ſi ſperat, timet, ſi timet. Et toties & taliter hæ affectiones variantur in cordibus amicorum, quoties rerum viſibilium & inviſibilium variantur eventus. Et eo ferventius in amicitia Chriſtiana, quo in adeptione ſeu perditione rerum ſpiritualium & virtutum quàm temporalium rerum Chriſtiana juſtitia plus accenditur. Sed nec mirum, quoniam ſi animorum verè amicorum diverſa eſt ſubſtantia, voluntas tamen & affectio eſt una. Eſt enim amicitia, ſenſus verus alterius amici. Et ubi animorum facta eſt unitas, ſenſus proſperi vel adverſi factus eſt unus. Et æquè generantur in animis à rebus contrariis paſſiones, & affectiones à placitis utrumque cruciant, aut perfundunt lætitia, velut unum. Specie ſua & pulchritudine ſua iſta imago dilecta intendit proſpere, atque procedit, ut regnet. Specie videlicet inviſibilium virtutum, pulchritudine verò irreprehenſibilium morum, his velut gemmis ornata placet, patiturque omnes cum ipſa in fœdere conjugalitatis aſciſci. Nempe ſpecie virtutum proſperè ipſa intendit atque procedit, ut ipſam prudentia præeat, ſagaciter devitans contraria, quæ amicitiam turbant, aut ex toto confundunt, & eligit, quæ juſtæ amicitiæ dent augmentum, & ducit per ſemitas æquitatis, ut in neutram partem ſe flectat, ſed via regia gradiatur. Comitantur à lateribus temperantia & fortitudo, ne procedat in nimium, & ut procul pellat, aut patienter ferat adverſum. Juſtitia quandoque ſequitur, quandoque præcedit quandoque collateralis eſt, quandoque ſupervolitat. Verba ſymbolica ſunt, qui legit, intelligat. Imago, quæ amicitia vera eſt, non eſt depicta parietibus, nec metallo, aut lapidibus ſculpta, ſive præminens deducta figura, ſed in cordibus hominum ſcribitur, in moribus verò præminet, & omnem aptitudinem compoſitionis habet. Qui invenit amicum, dicit ſcriptura, invenit theſaurum. Audeo dicere amicum eſſe ſuper omnem viſibilem theſaurum. Nam ſæpe theſaurus furibus patet, multipliciter perditur, verus amicus non niſi per æternam mortem, nequaquam verò per temporalem ac corporalem perditur ſi propter Deum diligitur, qui amicus eſt. Subvenit amicus tempore indigentiæ, atque ſi novit amicitiæ veritatem amicum, ut ſe pro æquali parte gubernat, & propria commodat membra, ſi perdidit ſua. Verus amicus melior, quam theſaurus, nam furibus non patet, neque prædonibus. Amicus ignitus eſt carbo, & prope poſitum reaccendit extinctum. Amicus verus magis ſtudet amicitiæ, quàm perſonæ, cum qua diſpoſuit amicus eſſe. Etenim perſona ſæpe fallit, amicitia verò ſemper eſt eadem. Si amicus aſpexit in amico amicitiæ altiſſimam cauſam, nunquam novit divortium facere, quamvis meruerant malè acta perſonæ, ſed expectabit, ut corrigatur, aut detrudatur, ubi malè acta meruerunt. Amicus verus lectus eſt, in quo animus amici alterius inviſibiliter portat & portatur amicus, & mirum eſt videre, quòd ex duobus duo portatores, & duo portati conſurgunt. Nam eodem momento uterque portatur, & portat. Amicitia verò hominum Chriſtiana, quæ ſola eſt vera, corona inclyta morum eſt, & vitæ confidentia, & tutela, & baculus ſuſtentationis, etiam his, qui defecerunt, indubitatum refugium, & juxta pelagus portus, redemptio de carceribus, à ſervitute libertas, divinæ imprædabilis domus protectionis, turris ſecuritatis, vinea lætitiæ, ager ſemper fertilis, viridarium conſolationis, aromatum apotheca, promptuarium plenum, apiarium mellis, mammilla indeficiens lacte juſtæ dulcedinis, claritatis ſpeculum, & viſio intellectualis, collateralis ſponſa, cum qua ſumuntur ſolatia vitæ, pia mater, pediſſequa obſequens, ancilla parata, ſtipatorium communitatis opportunitatis balneum, fons aquarum viventium, cuſtodia non dormitans à malis, providentia in bonis vitæ. Quæ per ſingula velle diſcutere, potius deficeret tempus, quam loquendi materia, necnon ex his omnibus cognoſcitur, qui amicus eſt verus. Habebit enim pro amico ſuppetente potentia, omnia officia Chriſtiferæ amicitiæ. Chriſtiana juſtitia fundans amicitiam Chriſtianam atque perfectam, inimicum diſſuadet omnino, & inimicitias prohibet, tamen ad id, quod poſitione caret, amicitiam non exhiberi. Naturam & Chriſtianitatem oportet præſervare ab odio, & ſolum vitium in odio fieri. Amicitia Chriſtiana latiſſima generalitate, ad omnes enim ſine exceptione extenditur, & cum quibus non poteſt in via convivere, in patria magis perfici ſperat. Intenditur etiam ipſa per ſcientiam certam & frequentem converſationem, aut per præcellentem virtutem. Ipſa ſiquidem vir-

tus

tus eſt ſolo diverſa nomine ab illa, quæ virtutum eſt maxima, videlicet charitate. Charitas & amicitia perfecta ſive Chriſtiana ſolis nominibus diſtinguuntur. Virtus enim eſt, ex qua rex regum voluit nominari, ac etiam ſuos Apoſtolos, quos mundi principes fecerat ſpirituales. Dicit enim ſcriptura: Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum, habet amicum regem, æternum ſcilicet Deum, omnium regum regem. Amicus ab amicitia dicitur. Ecce univerſorum dominus ſibi amicus efficitur, qui ab amicitia vocatur, & amicus relationis eſt nomen. Unde Salvator Apoſtolis dixit: Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis. Ex iterum: Non vos dixi ſervos, ſed amicos. Amicus enim eſt, qui habet amicos. Et amicus eſſe vult, qui quærit amicos, nomenque ſortitur amici. Proinde eſt amicitia, qua Salvator omnium nominatur, amicos habens, & quærens amicos, & ab eo quæſiti & habiti vocantur amici. Virtus eſt in corde hominum ſedem habens, in exterioribus mores. Virtus omnium virtutum participium habens, atque ipſarum officiis digna ſemper manet. Nam ſi non eſſet fides, tota in hominibus amicitia deperiret. Utilitas fidei, qua non viſa credimus, conciliatio eſt amicitiæ, atque vinculum, quo unita manet, & retinaculum, quo non proſcinditur. Non aliter ſcimus nos diligi, niſi per fidem. Signa verò exterius monſtrata, non tantùm conferunt ad ſcientiam, velut fides. Opera, ſi qua ſunt oſtenſa forinſecus, ſigna ſunt amicitiæ, non amicitia, quæ ſolùm in cordibus hominum regnat, quam credimus per fidem. Non enim per revelationem ſpiritualem atque divinam, quæ ſunt in cordibus hominum, aliter quàm per fidem hominibus innoteſcunt. Ac per hoc ſæpe fit, ut magis dilectio rependatur ex eo, quod amicitia inviſa creditur, quàm propter munera, quæ largiuntur, aut propter ſigna, quæ oſtenduntur, ſi non amicitia crederetur. Et hoc maximè propter fidei bonum in amicitia præcavetur, ne minor quàm ſit, aut nulla credatur dilectio. Nam deficiente fide, illico amicitiæ alveus in altero amicorum ſiccaretur, aut in utroque deficeret. Proinde bonum fidei ſtabilitas eſt amicitiæ, ſine qua eſſe amicitia nequaquam poteſt: bonum verò amicitiæ fidei eſt pulchritudo. Cum fide, per fidem, & in fide initiatur hominum amicitia, quam initiatam fides etiam nutrit & fovet. Habet etiam amicitia indubitam ſpem, ſub cujus umbraculis ſecurè quieſcit amicus. Sed ipſa partita eſt, ut divina ſit, & humana ſiquidem pro eventibus novis, ſi uti amico in contingentibus opus eſſet. Nam fruſtrata ſpes neceſſitatis tempore in amico in poſſibilibus & honeſtis, jure amicitiam abrogaret: quia, quod credebatur, evanuit. Divina verò eſt ſpes veræ amicitiæ, qua ſuperna ſive divina ſperantur, quorum reſpectu maximè culpari debet amicitia Chriſtiana, quæ ſola eſt, quæ ſi evulſa de cordibus fuerit, amicitia vera non ſtabit. Non enim amicitia ineunda eſt cum his, quorum vita deſperatur pro ſuperis atque divinis, tales enim ſunt æternæ mortis mancipia. Charitatem nempe ſibi aſciſcit in ſociam, imo, ut verius loquar, ipſa charitas eſt, nec aliter interrogantibus reſponderem. Sed quid eſt amicitia vera, niſi charitas Chriſtiana? Nam ſi vera vertitur amicitia inter Deum & nos, inter homines & angelos, inter homines & homines, ergo amicitia vera eſt charitas. Aliter quam per charitatem Deo & Angelis & hominibus honeſtè homines non amici ſunt, quod ſi aliter quàm per charitatem, homines hominibus amici ſunt, amicitia vera non eſt. Quatuor autem virtutibus, quibus diſponuntur hominum mores, ſupra deſcripſimus ipſam fretam procedere. Cætera ſiquidem virtutes, humilitas, patientia, obedientia, honeſtas, caſtitas benignitas, oratio, ſilentium, pax & his ſimilia ſe penitus congregant, reperiuntur enim non ſemper actu, ſed ſuis temporibus omnes, habitu verò mentis ſemper oportet eſſe paratas. Nam & ſupra monſtravimus à contrario ſenſu in his, qui ſunt in amicitia devitandi, quot & quantis aut qualibus virtutibus veram amicitiam decet eſſe ſtipatam. Nec in iſta diſſertione prætereundum eſt, unde in amoris actu ſit amicitia verior, quia pro amicitia vera nunc noſter ſermo concertat. Nulla eſt amicitia, ubi nullus eſt amor, etiam ſi totius mundi dona conflarem, Nam redduntur cenſus, & debita, ſolvuntur pedagia, & his ſimilia: &. per commercia multa fiunt, ubi ſæpe amicitia omnino non eſſe dignoſcitur, ſi cordis amor de medio tollitur, aut ſi inter hujusmodi homines non aſſiſtit. Erit nempe amicitia vera, ſi quiſpiam diligatur non dilectus: hic amicitia eſt, ſed non vera. Poteſt amor verus impendi abſque reprehenſione ſeu amari ſcientia. Sed amicitia vera ſemper agitur unius ad alium, quæ verior eſt ex parte diligentis, quàm ex parte dilecti. Semper enim amicitia non in dilecto, ſed in diligente pro ſua virtu-

virtute fundatur, Nam ut ſupra fati ſumus, virtus eſt amicitia : diligi autem virtus non eſt, ſed felicitas quædam : Chriſtianè verò diligere quempiam, eſt certiſſima virtus, ad quam virtutem omnes homines totius ſacræ ſcripturæ robur invitat. Profectò veriſſima erit, cùm fuerit reamatio vera per æqualè aut per exceſſum, ut ſemper amicitia ex eo ſit verior, quo major impenditur aut rependitur, non ex eo, quo ſuſcipitur amor. Nedum verior, ſed certior eſt amicitia ex qarte diligentis, quàm ex parte dilecti. De inviſibilibus certior eſt agens, quàm patiens, & is qui effundit, quàm ſuper quem effunditur amor. Sed de ſenſibilibus ſecus eſt diffinire : Nam aut æque dans & recipiens, aut animo certior patiens eſt, prout in donis placitis claret, quod dans & recipiens certitudine pari penduntur, quod ille dedit, ille recipit. In moleſtiis verò patiens in certitudine antefertur, velut vulnus inflictum certius patiens ſenſit, quàm ſenſerit, qui inflixit. Sed in dilectione amicitiæ certior eſt diligens, quàm dilectus, effundens amorem, quam amore alieno perfuſus : ille in ſcientia, iſte verò manet in fide : ille ſcit, iſte verò credit. Necnon præmium virtutis viaticum etiam patriæ, quod ex divina juſtitia debetur veræ amicitiæ, non ex eo, quòd quis diligitur, ſed eo, quòd diligit, firmè tribuitur. Viaticum præmium cujuſſibet virtutis verum & proprium eſt tantummodo feciſſe, quòd competit feciſſe virtuti, amicitiæ verò virtutis ſive amicabilis dilectionis viaticum premium eſt diligere aut dilexiſſe, quod ſolum ei, qui diligit; non ei, qui diligitur, adeſt : nam ille impendit, ille recipit : ille fecit, ille ſuſtinuit. Similiter & præmium patriæ donetur non dilecto, ſed diligenti, pro eo, quòd ab illo actus intrinſecus virtutis effunditur. Si verò amor rependitur, his præmiis rependens præmiatur, non quia dilectionem diligentis ſe ſuſcepit, ſed quia dilectionem rependit : nam ubi erat recipiendo patiens, rependendo factus eſt agens : taliter nempe agenti virtutis præmium utrumque debetur, & ipſe nanciſcitur. An reciprocari poſſit amicitia nulla ratione vertatur in dubium, quæ quamvis ſit ad alium, ad ſeipſum velut ad alium eſſe poteſt, & ad Deum, & ad angelos, & ad homines eſt. Qui ergo ſeipſum diligit, hominem diligit : qui ſeipſum odit, hominem odit : qui ſeipſum occidit, hominem occidit, & homicidium contra præceptum domini facit. Sic & qui ſeipſum diligit, homini amicus eſt, & hominem diligit, & præceptum domini facit. Nam ſicut qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam : ſic & qui diligit bonitatem, amicus eſt ad animam ſuam. Et ut audacter affirmem, niſi amicitia fuerit reciproca, nunquam in veritate ad alios eſſe poterit tranſitiva. Nam ex eo, quòd quiſque in veritate atque virtute ſe diligit, ad alios veræ amicitiæ ſacramenta cuſtodit. Et diligit ſecundùm Chriſtianam & veram amicitiam proximum, ſi primo dilexerit in veritate ſeipſum, & ſecundùm interpretationes amicitiæ primò poſitas ad ſeipſum debito naturæ quilibet eſt amicus, debito verò gratiæ multò multo magis eſſe debet. Omnis namque virtus ſuo modo prius ad poſſeſſorem ex actu refertur. Proinde utroque debito reciprocatur amicitia, & velut inter duos reciprocatione peragitur, & veritate gaudet, & certitudine fulget, & præmium utrumque complectitur, viaticum atque patrium, ſi ſecundùm juſtitiam Chriſtianam ad ſeipſum fuerit effuſa dilectio.

Cap. XX.

De prima vena amicitiæ, unde naſcitur ratio diligendi.

AMicitiæ autem vena, eſt ipſa ratio diligendi, ſive amicitiæ, quam in principio hujus tractatus multipliciter diſſeruimus, ſed nunc alio loquendi ordine reſumimus diſſerendam. Ratio quippe diligendi, quæ vena eſt amicitiæ, aliquando naſcitur ex excellentia rei, quæ ſua bonitate, atque perfectione dilectionem meretur, nec amplius viſa, nec inviſa minus, præſentia non addit, & in nullo abſentia minuit. Hæc intellectus humanus ſiquidem inveſtiget, quæ in abſentiarum atque præſentiarum tantundem merentur amorem. Quæ etiam bonitate propria nanſciſcuntur, necnon, & ſi nihil ſperetur ad commodum, partitionem, aut diminutionem non merentur amoris. Ratio alia diligendi eſt præcepti certiſſima inevitabilitas, quanquam ſit usquequaque difficilè, quòd amor præcepto ſive violentia exigatur, aut impendatur, libera eſt enim actio mentis amor, & itinera coercionis ignorat, nec ab agente dari, aut auferri poteſt invitè. Sed animus cui adſtat actio diligendi ratione prædoctus, juſtum diligit præceptorem, & conſequenter diligit, quod

jubetur, maximè verò, ſi nec juſſum ratione, atque juſtitia, & honeſtate caret. Nam præceptor juſtus juſtè diligitur, & præceptum juſtum etiamſi injuſtus Dominus eſt, amplius unum, & reliquum, ſi utrunque pollet. Habet nempe ipſa juſtitia Chriſtiana amicitiam colere penitus ſub præcepto, quod ſi negligitur, tenditur in gehennam, ſi non perficitur, ſi verò perficitur, progreſſus eſt ad ſuperna. Protinus expedit facere de neceſſitate virtutem. Quod omnino faciet animus, qui ſibi novit in ſalutem conſulere, & de amicitiæ vena potabit aquam à tali ratione coactus. Porro nullum præceptum ſub cœlo nobilius, quàm Chriſtianicè amicitiam colere; ad quod omnis rationalis animus, ſi ſibi timet, & conſuilt, ſe coaptat. Ad finem autem beatitudinis ordinatur amicitiæ præceptum, etiam cum illo bono, quod amicitia in moribus hominum præſtat. Qui verò finem beatificum diligit, ex neceſſitate oportet diligere illa, quæ ordinantur ad finem. Proinde beata neceſſitas nos inevitabiliter ad amicitiam compellit. Eſt etiam amicitiæ vena non ſolùm ratio diligendi, ſed virtus in cordibus hominum inſita diligendi, quæ vena omnino erumpit, & ejus aqua derivatur foras; ut ex inſita virtute naturæ aliud aliquid, quàm ſeipſum cum ſeipſo noſter animus diligat. Similia ſimilibus copulare opus eſt naturæ, & in animalibus dicti veritas claret, quia omne ſimile appetit ſuum ſimile. Omnis verò appetitus præcedentem aut ſequentem amorem habet ad aliquid propter ſe, ſive ad aliquid propter aliud. Si verò amicitiæ vena præintendit aliquid aliud, quàm honeſtum, corrupta erit, & non benedicta. Veræ amicitiæ vena, quæ ſolum eſt ratio diligendi, omnino eſt de irreprehenſibili ratione. Virtus verò diligendi de ſe irreprehenſibilis eſt, nihil enim Deus indidit reprehenſibile rebus à ſe creatis, alioqui excuſarentur juſtiſſimè maleacta. Vena ipſa fluit & refluit, & labilem derivatur in amnem. Præter hæc de veræ amicitiæ vena ſenſu altiori tractantes, dicimus illam æternam atque ineffabilem rationem, qua DEUS voluit omnia rationabilia in unum per amorem cordium convenire, ac etiam dicimus fontem ubertatis, & delectationis, circa quam caſtramentantur omnes, qui conglobatim atque delectabiliter tranſire volunt vitam umbraticam hujus mundi. Vena hæc appropriatione quadam eſt fons ille, qui ſcaturit in medio paradiſi ad irrigandam univerſam terram, qui dividitur in capita quatuor, id eſt, in quatuor fluvios, quorum uni nomen Phiſon. Ipſe eſt, qui circumit omnem terram Evilath, ubi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum. Ibique invenitur adellium & lapis onychinus. Et nomen ſecundi Gihon, ipſe eſt qui circumit omnem terram Æthiopiæ. Nomen verò fluvii tertii Tigris, ipſe vadit contra Aſſyrios. Nomen fluvii quarti, ipſe eſt Euphrates. Sed ut hæc clarius innoreſcant, interpretationes fluviorum atque terrarum ad quas fluunt, intento animo videamus. Phiſon interpretatur caterva, nam virtus quædam egreditur de amicitiæ vena, quæ habet omnes coacervare ſeu cateruare in unum. Qui huic fluvio appropinquaverunt, condiderunt civitates, terras, villas, & caſtra, & habitare inſimul elegerunt, atque unus acceſſit ad alium, hoc amicitiæ amne potatus. Quid autem eſt civitas, terra, villa, quid caſtra, quid habitatio quælibet, niſi quædam amicitia hominum catervata ſeu catervatorum hominum delectabilis amicitia? Unde homines diverſi generis, quos nec unit linea ſanguinis, ad habitandum inſimul acceſſiſſent, unde cinxiſſent ſe muris, unde ſe firmaſſent ad rectè vivendum legibus & ſtatutis, niſi aquam habuiſſent ad bibendum de flumine amicitiæ, de fluvio ſcilicet Phiſon, quæ caterva interpretatur, illam ſignanter virtutem, quæ novit homines diverſarum regionum, diſparium morum, diverſi ſanguinis inſimul catervare. Quam virtutem non immeritò concordiam appellavi, quæ nihil aliud eſt, quàm convenientia cordium. Niſi enim corda prius inſimul conveniſſent, nunquam corpora in eodem ſitu ad habitandum, ad convivendum fundamenta jeciſſent, neque modica in magna creviſſent aut aucta ſteuſſent, niſi concordia imperaſſet, niſi catervans fluvius per medium pertranſiſſet. Iſte fluvius de amicitiæ vena veniens, dicitur primus, quia hominibus ad convivendum & rectè vivendum neceſſaria eſt primò concordia, quæ catervat & corpora. De paradiſo egreditur fluvius iſte cum aliis. Paradiſus locus eſt ad orientem Indiæ, quia in loco prioris luminis ſuſceptivo & pleno deliciarum, amicitia vera naſcitur, imo ejus vena exoritur. Orietur nempe verus oriens Dei filius, his qui concordiam & veram amicitiam ſervaverunt. Et abſque dubio ipſa concordia ſive amicitia lumen eſt, & delitias habet vitæ præſentis, pariter & futuræ magnalia præſtolatur. Hæc quippe catervans virtus diſtinxit in originali mundo filios Dei à filiis perditionis, & in ſubſequenti ſimiliter fecit. Sed multi ſub hoc nomine contra Deum & juſtitiam caterVati

vati ſunt. Et plurimæ ſunt conditæ civitates, quæ deditæ cultibus idolorum, Dei omnipotentis juſtitiam negaverunt. Virtus bona, quæ unit, & congregat. Mali verò, qui malo fine ſe congregant, & perditis moribus vivunt. Infauſto fine ad Nemroth fuit hominum facta caterva. Conabantur enim quamvis invanum, ædificium tale conſtituere ſuper terram, quo cœli alta conſcenderent. Sed Deus juſtè diviſit per linguas, qui ſe malis cordibus catervaverant, ut vocis & linguæ non eſſet intellectus, quamvis eſſet auditus, quibus ante fuerat intellectus ad ſuperbiam damnatam unitus, & juſtam pœnam luit injuſtè catervata caterva. In omni populo, & in omni ritu fluvius iſte diſcurrit, & diſpari fine bono & malo corda hominum catervavit, & corpora. Quotquot enim ſunt conditæ civitates ſub unius Dei cultu & reverentia, aut veneratione idolorum, aut à tempore, quo Chriſtus generi humano illuxit in his, qui fidem ejus etiam ſuſceperunt, ab interpretatione hujus fluminis ſumpſerunt principium. Ab ubertate fluvii hujus inebriantur, qui catervas ad juſta ſive injuſta bella fecerunt, ad inculpatam ſeu culpatam tutelam, ad juſtam ſive injuſtam offenſam, Claret in populo Hebræorum atque gentilium, elucet in gente Latinorum atque Græcorum, in omni natione habitante Europam, Aſiam & Africam, quorum omnium intentiones perfectè ſolùm de ſuperis novit atque proſpexit altiſſimus, & loro providentiæ ſuæ frænavit, ut voluit, malas hominum facultates. Et irreprehenſibili modo, quibus & quantùm voluit laxavit habenas, ſæpe ſuo imperio non turbato, bonos permittens à malis peſſundari, malos à bonis plerumque terreri, Et juſto fine ſibi ſoli cognito terminavit aliqua regna, finivit imperia aliqua, innovavit aliqua, prorogavit, quæ in catervam domini legum atque morum vivendi convenerant. Et ſimile de innumeris civitatibus fecit, quæ multitudine hominum fuerant catervatæ, quarum aliquæ devenerunt ad ſolum, & vix apparent modicæ reliquiæ, aliquæ in modicis & paucis civibus manent, aliquæ bello inteſtino ſe collidunt, & ædificia minantur ex omni parte ruinam, aliquæ de novo conſurgunt, aliquæ ob ſui augmentum vicinas pro poſſe diruunt. Hæ ſiquidem varietates eveniunt decurrente à fluvio deſiccato catervante, ſive procul pulſa, ſive magis aut minus adſtante concordia. Ab abundantia & ab unda fluvii hujus altiſſimi, miris virtuoſiſque modis potati ſunt, qui cœnobia magna in ſolitudinibus, & nemoribus, atque urbibus conſtruxerunt, catervati ſunt altiſſima diſciplina, ſub inflexibili cenſura, mundo mortui, Chriſto viventes, inter ſe moribus optimè conviventes, coarctantes ſe mutuò ad occultas & inviſibiles luctas, & ad ſenſibiliter devincendum carnem & ſanguinem in promptitudine ſpiritus ad opera ſancta Dei, eo contenti, quo deſpecti, eo læti quo abjecti à ſeipſis & ab hominibus habebantur. Horum caterva tanto conſtringebatur affectu, & adhuc conſtringitur ab his, qui fluminis hujus dulcedinem guſtaverunt, quod uno infirmato, cæteri ex compaſſione animo infirmantur. Membra exponunt propria pro alienis languidis membris, ut lecto decubans, membrorum valetudine deſtitutus, ut propriis ſe foveat alienis. Hi diebus & noctibus ad divina officia ſe catervant & pro poſſe hymnos, pſalmodias & orationes & poſtulationes & gratiarum actiones & obſecrationes, animo & ore omnipotenti Deo perſolvunt. Horum catervæ amabiles, eadem hora & tempore per ſignum datum ad paſtum conveniunt, ne pro cibo ſumendo poſſit oriri diſcordia. Conveniunt ad correptionis locum humiliter delicta præſidenti pandentes, tundentes pectora, & ſæpe Dei & patris indulgentiam, fuſis lachrymis, poſtulantes.. Hæ catervæ taliter catenatæ noſcuntur, ut catervati potius mortem eligant, quam fieri extra catervam, quam dirimit abſentia corporum, ubi tanta noſcitur concordia inviſibilium animorum, Ad iſtum fluvium realiter & myſticè, differenter & variè acceſſerunt quotquot in animo & corpore, in aliquo, pro aliquo, & ad aliquid convenerunt. Omnibus autem dicitur divinitus, velut ſi de lumine vox egrederetur, dicens: Appropiate indocti, & congregamini in domum diſciplinæ. Aquam iſtius fluminis prægustantes, congregari expedit ad diſciplinarum domum utilium doctrinarum De quibus Iſaias: Ego dominus Deus tuus, Iſaiæ 48.
docens de utilia. In ſcholis Chriſti fiat omnium congregandorum ingreſſus, ut diſcamus utilia. Utilia enim ſunt, quæ inculpatè vitam iſtam expediunt, & ordinant ad futuram, quæ ſolùm docentur in domo diſciplinæ domini Salvatoris. Et apprehendere omnino cogimur diſciplinam, intimante ſcriptura omnibus ratione utentibus: Apprehendite diſciplinam, Pſalm. 2.
ne quando iraſcatur dominus & pereatis de via juſta. Niſi nos in hac vita didicerimus, quæ nuſquam diſcuntur, furor domini in nos deſæviet, & ita ejus ad in-

ferna deſanciet. Loquitur in ſuo curſu nobis catervaticus fluvius, & ad congregationem alti præmii ex verbo Domini nos [Matth. 18.] invitat: Ubicunque duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum. Et exauditiones peritorum promitit juſto animo & intentione catervatis. Et verè atque ſine exceptione con- [Pſalm. 138.] fitetur domino, qui cum juſtis animo & moribus ſe catervat: Inquit enim Pſalmiſta: Confitebor tibi domine in toto corde meo, in euncilio juſtorum & congregatione. Nemo enim in toto corde atque præter exceptionem confitetur domino, niſi animo & moribus bonis hominibus juſtis fuerit catervatus. Hic ſiquidem per Indiam vadit, quæ nutus dilucidus interpretatur. Sanè amicitia vera quærit lucidas voluntates, inter opacas atque objectas aliqua nube amicitia vera eſſe non poteſt. Velut lumen in lumine ſe reverberant veræ amicorum mentes. Nihil geſtat ſecretum in corde amicitia vera, omnia denudat, omnia pandit amicus amico. Facit etiam ipſa nutus dilucidos, cùm advenerit, ut ex eo ſint lucidæ voluntates, quo ſolùm appetuntur honeſta. Nutus dilucidus charitas eſt ſignorum, ut in amicitia vera ſigna oculorum & geſtuum virtutibus inclareſcant. Expedit enim perlucida ſigna monſtrari, ſi veritas amicitiæ regnat in cordibus, quia ſolus Deus, & cui miro modo conceſſit, cordium intuetur arcana: quæ foris verò apparent, tantùm homines vident: niſi lucidè nutus appareant, plurimorum amicitia removeretur & à baſibus. Et majeſtates ſplendentes & mundi poteſtates, qui nutus dicuntur, ſæpe hic fluvius adaquavit & convenire fecit in unum, propter omnium dominum unum. Hi verò mundi poteſtates, honore mundano fulgentes, ad quos is fluvius amicitiæ non pervenit, diſcatervati adhuc ſunt, armis hoſtilibus certant, quærentes dividere cornu elementorum catervam, & vendicantes in proprium, pro eo, quòd de catervatico fluvio aquam non hauſerunt. Ad intellectualem hauſtum & regionem circumit fluvius iſte nutuum dilucidorum ſcilicet præceptorum, nutus enim præcepta eſſe quandoque noſcuntur. [Pſalm. 18.] Sed unum eſt præceptum lucidum, & quæ ſub ipſo jubentur. De quo Pſalmiſta dicit: Præceptum domini lucidum illuminans oculos. Ut luce clarius pateat concordiam præterquam inter dominica præcepta ſervantes, eſſe non poſſe. Nam de vena veræ amicitiæ fluvius egrediens, qui concordiam ſonat, ad eos decurrit, qui lucida domini præcepta cuſtodiunt.

Vide ſedulo, quam terram circuit veræ amicitiæ primus amnis. Hæc omnia menti, non ſenſibus credita ſunt. In regione quam fluvius iſte circuit, ſacra referente ſcriptura, invenitur optimum aurum. Aurum à ſplendente aura nomen accipit. Ecce quoniam omnia veniunt in concentum, ut in lucida regione rutilans aurum inveniatur & optimum. Ubi omnia lucida ſunt per intentionem & mores, ubi pura & lucida eſt obſervatio ſplendentium præceptorum, aurum optimum invenitur. Optimum eſt quod meliorari non poteſt, quia in comparationibus non eſt altior gradus, cum ad id, quod eſt optimum, pervenitur. Caput ſponſæ, ut habetur in canticis, eſt optimum aurum. Caput ſponſæ, ſcilicet totius eccleſiæ Chriſtus eſt, nihil in creatis melius Chriſto. Creatus eſt Chriſtus ex carne, increatus deitate, qui ſemet ipſum præmium fecit, & voluit eſſe virtutum. In lucidicis mentibus & voluntatibus, majeſtatibus, poteſtatibus atque præceptis invenietur optimus Chriſtus. Necnon invenitur gratia, qua ſibi placetur, quæ aurum optimum eſt. Inquit enim [Hebr. 13.] Apoſtolus: Optimum eſt gratia ſtabilire cor. Optima res eſt gratia, quæ miniſtrum regi facit acceptum, & Chriſto Dei filio comparatum exhibet Chriſtianum. In hac etiam regione ad quam fluvius iſte bedellium invenitur. Bedellium eſt arbor in India, cujus robur & folia nigra eſſe feruntur, cujus lachryma lucida, eſt & amara guſtui, odorifera olfactui. Connectitur amicitiæ Chriſtianæ abſque vitio quædam obſcuritas, ut non ſemper fiat albeſcentibus moribus & in claritate verborum. Detinent enim in exterioribus hominem & ad interiora ingredi plerumque non ſinunt. Nam non in converſationibus & verbis amœnis, ſed domi & in penetralibus ſolidantur amicitia & amicus. Rugata facies, & obſcura præ moribus, animum probavit amici. Et horridum verbum idem quandoque fecit. Si ſemper in adulationibus & blanditiis albeſcunt amici, neſcitur quanta firmitate amicitia polleat. Nigrum hujus arboris robur, firmitatem amicitiæ abſque humana complacentia eſſe oſtendit, qua etiam deficiente, amicitia firma manet. Foliorum verò nigredo, verborum adulationem excludit. Non adulatoris, ſed vera ſunt verba charorum, necnon firmitatem amicitiæ, ſi expedit, oportet nigreſcere ad delinquentem. Diſſuadet omnino juſtitia Chriſtiana, ut læta facie occuratur ei, qui divina mandata contempſit, aut perturbavit publicos bonos mores, quamvis ſit

pietate parcendum, ſi perficere volet emendam, nec verborum folia in id tendant, ut ad reum allocutio blanda fiat, ne nocens ſibi arroget innocentiam non repreſſus. Conſultius actu, verbo nigreſcitur ad amicum exorbitantem, quam ad periculum leviter foveatur. Gutta vel lachryma emanans, amoris eſt claritas. Firmitas amicitiæ amœnitate ſenſuali dejecta, & verborum veritas lenitione depoſita, lachrymam ſeu guttam lucidam ſcaturire fecerunt, morum nempe ſinceritas atque verborum claritatem amoris eructuat. Quod nigrum ſæpe forinſecus noſcitur, interius albet. Et ſponſa æterni regis dicebat in Canticis: Nigra ſum, ſed formoſa, ut nigredo exterius, albedo interius
Cant. 1. referatur. Idcirco ſubjungit: Nolite conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decoloravit me ſol. Multa videntur exterius horrida, abjecta, non delectantia humanum aſpectum, quæ interius à ſole veritatis atque juſtitiæ illuſtrantur, & emittunt exterius lachrymam verè ſanam. Amara eſt iſta lachryma guſtui, olfactui verò grata, ſæpe namque contingit, quòd ſimpla res diverſimode ſe objicit ſenſibus, aliis ad gratitudinem, aliis ad horrorem. Typicè verò multa ſunt horrida moribus, quæ diſcretioni ſunt grata. Et præferendum eſt, quod ſanæ diſcretioni, non quod moribus placet, niſi mores fuerint ex toto diſcretioni difformes. Ac per hoc quod amicitia vera ſcaturit, lucidum eſt & verum, ſi interdum moribus diſſipit & diſcretioni delectat. Amara guſtui ſæpe noſcitur potio bibentium illam, ſed ratio imperat guſtul, & illam cogit bibere pro ſalute. Ad diſcretionem ſpectat olfactus, ad mores refertur guſtus. Igitur quod eſt ſimplum, ſæpe horret in moribus, & diſcretioni placitum fit.

Cap. XXI.

De ſecundo rivulo amicitiæ, qui luctatio dicitur.

SEcundus verò rivulus, qui ab amicitiæ vena procedit, vocatur Gihon, cujus interpretatio eſt luctatio vel arena. Sed mirum, quòd ab amicitiæ vena luctatio procedat, cum ipſa lætitiam & quietem gignat cordibus amicatis, & cauſa pacifici gaudii, doloris abjectio cum effluxerit. Veruntamen ſi acutè diſcutitur, luctas proprias imo congruas amicitia profert. Et quanto verior eſt amicitia, certiores ex eventibus poſſidet luctas. Atque ſemper ipſæ naſcuntur de pia ſuſpicione dilecti, ne minus, quàm diligatur, diligat, aut ne ſurrepat id, quod dirimere illam ſolet. Et pugnam expedit imprætermiſſè tenere adverſùs linguas doloſas, quæ ſeminant inter fratres & propinquos atque inter diutinos amicos ſæpe diſcordiam. Multos & multa commovit tertia lingua, ſed magnifici animi eſt, qui novit & potuit linguas repugnare doloſas. Supponit enim amicitiam linguam doloſam cum diſcordiis parat, ſecus enim non præſumeret ad detrahendum verba formare, niſi quia dilectionem ſolidæ amicitiæ oſtenderet ad eum, quem ab aliquo vult avertere, aut ab ipſo quempiam ſegregare. Inquit enim: Amicitia firma commotus & tua charitate compulſus, & pro honore tuo ſolicitus hæc tibi pandere obtentavi, & inter dulcia verba venenoſa commiſcet. Qui verò ab hoc fluvio hauſerit aquam, primo luctabitur clandeſtinè in ſeipſo, deinde adverſùs doloſam linguam, ſagittas potenter recompungentes opponet. Dura res eſt & magnanimitatem ſonat luctari adverſus eum, qui ſe dicat amicum, & ejus zelo zelatus loquitur. Sed inclyti amici eſt, non præſtare auditum. Nam ſi amicus eſt qui loquitur, & amicus eſt ille adverſùs quem ſchiſma depromitur. Si vero audit conſulentem aut quomodolibet loquentem adverſùs amicum, non videtur amicus. Si vero adverſùs abſentem amicum loquentem faciles præbet aures, opus faciet inimici, ac ſi alter non eſſet amicus. Sed expedit omnino ad utrumque amicitiæ jura ſervare, ad abſentem ſimiliter & præſentem. Hæc nempe luctatio ſæpe contingit, & luctatorem expedit fieri eum, qui vult ſacramenta veræ amicitiæ cuſtodire. Quid ergo faciet animus inter has neceſſitudines conſtitutus, præbebit aures loquendi, aut fidem ſervabit abſenti? non de crimine quod indifferentiam habet, providentia luctatio muniatur, ut omnia ſecum penſet, ſi cum ratione conveniunt, aut ab ipſa diſſentiunt. Et luctator providus noverit præſtare audientiam, & dare repulſam, audire verbum, & ſervare aut increpare amicum, ac in ſacramentis amicitiæ proprium animum cuſtodire. Alia etiam ratione luctatio in amicitia naſcitur, cum adverſùs inimicum amici pro variis eventibus loco & tempore, perſonam, verba, res & arma expediat quandoque moverè, quod in temporalibus & pure humanis amicitiis

fieri ſæpe contingit, etiam in his, qui non ligantur vinculo rationis. Secundùm verò Chriſtianam juſtitiam colligatis, multo magis hæc fieri juſtitia concedit. Nam eo ipſo pro amico hujusmodi juſtè moventur, quo juſtè amicitia colligatur. Et eo juſtè amici expugnatur inimicus, quo ab ipſo injuſtè impugnabatur. Nam omnis injuſtitia juſtè retunditur, & ex æquo jure reprobatur iniquitas, & mala facultas per aliam potentiam juſtiſſimè refrænatur. Non tamen dicimus, ut hoſtilibus armis aut convitiis & verbis infauſtis amicus tuetur, amicum ejus interpretans inimicum. Sed publica juſtitia ſub alis ejus apprimè protegit & gubernat. Superflua ſunt duo auxilia læſo, ſi unum habet ſufficiens, nec duo reprimentia competunt ei, qui plenè ab uno reprimitur; & injuſtum eſt, ut unus idem quantumqúe perverſus à ſingularibus & à publica juſtitia damna ſuſtinuerit, ac etiam ipſius turbaretur penitus ordo juſtitiæ, ſi ubi ponit ipſa remedium, alius apponat antidotum, & ubi ſua virga caſtigat, quod alius ſuo gladio laniet, & quod communis juris, vindicetur propriis. Ubi autem juſtitia publica qnomodolibet deficit amicus modis omnibus ſi valet juſtè afflicto aut oppreſſo amico luctetur. Fecit hoc Moyſes, qui Ægyptium injuſtè opprimentem unum de filiis Iſraël occidit & abſcondit arena. Et ſcriptura dicit: Frater qui juvatur à fratre, quaſi civitas firma. *Proverb. 8.* Multi luctationes & pugnas pro amicis horribiles aſſumpſerunt, cum expoſitione proprii corporis atque rerum. Hoc experientia magis clamat, quàm diſſertio ſcripturarum. Per arenam verò intellige innumerabilem quandam gravedinem, ſive multiplicia pondera, quæ jubet amicitia tolerare. Et qui de hoc fluvio bibit, facilè tolerat omnia pro amico. Circumit iſte fluvius Æthiopiæ regionem, quæ interpretatur caligo vel tenebræ. Vera luctatio adverſus caliginem ignorantiæ depellendam animo prompto ſe munit, & contra tenebras peccatorum de juſtæ juſtitiæ vena procedit lucta firmiſſima, ut caligo auferatur de cordibus amicorum. Peſſimum eſt ignorare amicitiæ jura, & per ignorantiam ſacramenta ipſius omittere nefas. & inter ſciolos aut ignaros veritas amicitiæ non ſubſiſtit. Proinde autem expedit, aut amicitiam aut poſt contractam caliginem ignorantiæ procul pelli. Et ut ſæpè diximus amicitiam veram fieri non permittunt tenebræ peccatorum, aut factam divortiant, adverſùs quæ velut fluvius luctatio continua luctare non deſinat ut depellat. Ut autem alio ſenſu loquar, amicitia Chriſtiana non deſpicit caligatos ſenectute aut corpore fuſcos, mentes approbat, non ætates, corpora non conſiderat, ſed virtutes, & mundialium rerum tenebris involutos non abjicit, ſi divinis chariſmatibus fulgeant. Sed magna eſt omnino luctatio, & vincere triumphus non modicus, hominem mundo abjectum, deſpectum undique foris ſquallentem corpore, ſenectute compreſſum, paupertate & infirmitatis tenebris obvolutum, propter inhærentem virtutem non abjicere, ſed in animo placito omnia reſervare. Lucta duriſſima eſt occulta, & conatus laudabilis ſeparare in homine abjecto atque plebeio, pretioſum à vili, animam à corpore virtutem ab humana caligine, Chriſtianitatem à deſpecta humanitate, inviſam veritatem atque rationem à tenebris mundi, ut propter id quod refugit ſenſus exterior, inviſibilia bona ſenſus interior non relinquat. Juxta hunc fluvium Æthiopiam circumeuntem caſtramentati ſunt omnes ſervientes infirmis corporibus, leproſis, aridis atque cæcis, aut à quacunque infirmitate detentis, non abjicientes pauperes domo carentes, nudos, inedia preſſos atque captivos, ſubvenientes animo, corpore, compatientes propter rationalem animam intus latentem, atque Chriſtianitatis participationem, & naturæ communitatem. In omnibns his eſt aſpera lucta, quæ inter has caligines tranſit & tenebras, & ſuo curſu humectat & rigat. Hæc ſiquidem virtus animi generoſitas meritò appellatur.

Cap. XXII.

Tertius amicitiæ rivulus, qui feſtinatio dicitur.

TErtius rivulus, qui de amicitiæ vena procedit, Tigris nominatur. Interpretatur autem velocitas ſive velox. Velocitas celeritas, aut feſtinatio, aut agilitas in agendis eſt. Amicitia verò facit feſtinare ad opitulandum amicos, ut tanta celeritate unus alteri neceſſitate urgente ſubveniat, quanta ſibi vellet in articulo ſubveniri. Amicitia verò tarda molimina neſcit, procraſtinare non novit, tempus prorogare non patitur, celeribus pennis occurrit,

nihil

nihil jugo pigritiæ ſubjicitur ibi, & in his ſolùm contrahit in neceſſitatibus atque placitis morum, cum facultas non ſuppetit. Vellet, qui amicus eſt fidus tam celeriter placitum amici perficere, quàm percipit auditus, aut intelligit animus, & tanta velocitate parere profectibus, ſubvenire defectibus, ut nulla eſſet diſcretio inter placitum & effectum, nulla dilatio inter adjutorium & defectum. Aliquid quæſitus præſtare amicus non dixit, expecta, ſed ſtatim obtulit, ſi poſſedit, perſonaliter expetitus proſilivit velociter, & ſæpe ad quæſita proceſſit ineptus, moram facere in aptando devitans. Requiſitus ſubitò non inquiſivit cauſam; ſed plerumque feſtinè ad periculum acceſſit incautus. Velocitas libertas eſt diligentis animi, & verè amici hominis, in cujus aula nutritur amicus. Qui de veloci flumine bibit aquam, nihil novit excipere aliquid agere inquiſitus, niſi turpe aut impertinens iuſtitiæ Chriſtianæ. In turpibus & à juſtitia Chriſtiana damnatis tardus neque feſtinus præſtandus eſt aſſenſus. Nam Job contra ſe imprecatur, ſi feſtinavit in dolo pes ejus. Qui enim ad turpia inquirit amicum, nomen non veritatem habet amici. Si amicum habes, de aqua hujus fluminis bibe, Salomoniſque tene ſententiam: Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, quæ dupliciter eluceſcit. Feſtina & ſuſcita, quomodolibet comprimitur, qui veraciter eſt amicus. Animam ejus ſuſcita, ſi quieſcit in fecibus peccatorum, aut ſi fuerit collapſa. Modicùm hac in re pigritia detineri, periculum indicibile generat, & inexplicabilem nodum. Suſcita feſtinanter in virtute collapſum, ſuſcita feſtinanter eum, quem opprimit ſarcina vitiorum, etiam feſtina ſuſcitare corpore jam proſtratum. Alio enim ſenſu iſtorum verborum elucet ſententia, ut ſi te cognoveris in aliquo infauſto articulo, in utroque homine aut in altero detineri, amicum tuum, ut te ſuſcitet ſuſcitare feſtina. Nullus enim tibi ocyor ad levamen, quàm fidus & Chriſtianus. Non enim tardabit, ſi abrogare poterit omne lædens, & tibi proſtrato manum porriget levatricem. Non in omni re amicitiam convenit eſſe velocem, ſed in his removendis, quæ mores turpant, & mentem, & illis, quæ opprimunt pœnaliter noſtrum corpus. Ad hæc omnis mora diſcrimen, & jactura gravis omnis tarditas, amicus piger, pes lapſus tempore ambulandi. Qui velociter ſubvenit, erectio mortis. Ad requiſita opportunè tardus amicus, fruſtra fidutia feſtinè adveniens, ſtabilimentum vitæ, opitulandi & levandi velocitas probavit amicum, tarditas verò latentem detexit amicitiæ maculam. Nihil velocius in homine, quàm affectus, non enim in ſua objecta tam citò & proſperè feruntur intellectus, & viſus, ſicut in amicum fertur affectus, qui ſi omnino eſt verus, nihil habet præterquam impoſſibile tardum. Amnis iſte ad Aſſyrios fluit, qui facturæ interpretantur domino vigilantes. Facturæ Dei ſunt cuncta creata, ſed domino non omni aeodem modo vigilant, quamvis omnia ſibi vigilent. Vigilant domino cuncta inſenſibilia & irrationabilia neſcienter, Dei enim voluntatem & ordinationem perficiunt, & non ſentiunt, aut ignorant, quid in illis agat ſublimis illa majeſtas. Vigilant domino cœlum & terra, ignis, aer & aqua. Vigilant ſol & luna & cunctæ ſtellæ lucentes, & Dei voluntatem in lege poſita complent. Vigilant animalia, indita in natura ſervando, & conſiderationem in mentibus hominum & ſæpe aliqua corpnribus coram domino corporeum uſum præſtant. Sed ad has facturas velocem fluvium amicitiæ dicimus non decurrere. Non enim iſta recipiunt amicitiam neque cognita ratione rependunt. Facturæ domino vigilantes, boni & mali ſpiritus ſunt, qui domino inſopitis oculis vigilant. In gloria boni, & in pœna mali perdurant, divinum imperium vigilanti animo facientes. Sed nec de ipſis noſter ſermo contexitur. Nempe facturæ domino vigilantes, ad quas ſermo noſter dirigitur, & ad quas velocitatis defluit amnis, homines ſunt in hae vita degentes, quorum aliqui coram domino bonitate, aliqui verò vigilant pravitate. Profecto velocitas amicitiæ & ſubveniendi facturas ſcilicet homines domino vigilantes. Qui domino non vigilant, omnia maniter agunt, & vigilantes aliter dormiunt. Vigilare domino, eſt ad ipſum de luce veritatis tota intentione converti, & ad ipſum omni fiducia erigi. Hoc enim modo vigilabat David, cùm eſſet in deſerto Idumææ, dicens: Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Vigilare domino, eſt ad ipſum omni deſiderio ferri. Propter quod ſequitur: Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Domino igitur vigilat, qui ad ipſum de luce fidei atque veritatis ſuſpirat, & ad ipſum tota intenrione ſe tollit. Domino vigilat, qui omnem animæ atque corporis batitudinem in ipſo ſitit habere. Domino ſolùm vigilat, qui propter ipſum ſegregatur à mundo, & animæ ſimiliter & corporis ſolitudinem quærit, & devitat humana conſortia, ne vigilia præpediatur divina. Hoc enim

Job. 31.

Prov. 6.

Genes. 1.

Pſal. 62.

enim dicebat David orans oratione pauperis, dum ejus anima anxiaretur coram domino: Vigilavi, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Quod ſive dicatur Pſalm. 101. pœnaliter, ſive agibiliter, idem ſonat. Vigilare ſiquidem expedit Domino ſoli, ſolum, & alienum fieri ab his, qui præſtant impedimenta vigiliæ. Qui Domino non vigilat, ſibi dormit, nec Dominum habet vigilem ſuper eum: Qui Domino vigilat, ſuos ſæpe ſuſcepit affatus, & cum Domino loqui eſt Domino vigilare. Nulla prorſus locutio dignior, quàm cum Domino loqui. Ad ſapientiam vigilare cogitur, qui recta gradi vult via, & qui ſapientiam, qua regimur, & beatificamur, dederat invenire. Scriptura enim de ſapientia dicit: Qui manè vigilant ad me, invenient me. Mecum enim ſunt divitiæ & gloria, & opes ſuperbæ & juſtitia. Et paulò Proverb. 8. poſt ſubditur: Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei. Qui me invenerit inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Ineffabilia & incorruptibilia ſunt dona, quæ vigilia contulit. Ne verò incauto fine claudamur, inceſſabili vigilia opus eſt, dicente Domino: Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam. Oppido cogi- Matth. 25. mur Domino vigilare, ne nos imparatos ejus adventus inveniat. Ideo alia ſententia dicit: Vigilate itaque, quia neſcitis Ibidem. qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et multa excitatio ibi agitur, ut ſervus Domino ſuo vigilet, cùm ſervus non vigilans reprobationem, vigilans verò beatitudinem æternam ſuſcipiat. Idem alius evangeliſta dicit: Beati ſervi illi, quos cùm venerit Dominus invenerit vigilantes. Neſcio quid Lucæ 12. aptius inveniri poſſit ad agendum in virtutibus vitam, & ad captandam æternam, quàm quòd facturæ rationales Domino vigilent. Nihil reprehenſibile habet, ſed omnem decorem poſſidet talis actus, quòd factura factori, creatura creatori, ſervus Domino, filius patri, diſcipulus magiſtro, homo Deo, mortalis immortali ſedula mente invigilent. Necubi & nemini melius, quàm coram proprio factore factura conſiſtit. Reſpectus fiant mutui, & accipiuntur à Deo excedentia ſenſum, & directiones inobliquabiles vigilanti animæ à Domino prorogantur. Ac per hoc amicitiæ velocitas & ſubventio velox ad facturas Domino vigilantes juſtè decurrit. Nullus in amicitia eſt aſſiſtendus velocius, quàm qui vigilat omnium regi regum. Amicus eſt regi miles eidem invigilans, & ſervus domino. Amicus nullus ocior atque velocior tibi occurrat, quàm æterni regis amicus. Et velocitatem amicitiæ Chriſtianæ nemo aptius recipit, quàm qui Chriſto vigilat Domino dominorum. Ad neminem pro quopiam expedienti & congruo velocius eſt currendum, quàm ad facturam Domino vigilantem, novit enim iſta conſulere cautius propter divinas quas ſuſcepit in vigilia theorias. Ad nullius conſilium acceditur tutius, quàm ad ejus, qui vigilando ſtudet ſub Domino. Et vellet in periculis melius orationibus, quàm rebus ſenſibilibus ſubvenire, quibus etiam validius, quàm armis tuetur confugientem amicum. Habet protinus talis vigil aſſiſtens Domino angelorum choros in amicos. Amici ſunt enim ex eorum bonitate naturæ, ac etiam, quia diligunt, cui aſſiſtunt ei, quem noverint Domino vigilare. Amici verò ex jure amici juvant & protegunt amicum, alium juvantem & protegentem amicum. Vide igitur quàm ſit pulchra concordia, ut ſæpè dicta velocitas ad facturas currat Domino vigilantes. Si verò aliam interpretationem ſequi tentabimus, in eandem pulchritudinem concordiæ redundabit. Interpretantur etiam Aſſyrii directi ſive dirigentes, dilecti ſive diligentes. Directi quippe, quorum viæ à Domino diriguntur, à quo dirigi petebat David dicens: Dirige in conſpectu tuo viam meam. Verè directus eſt, cujus via Pſalm. 5. coram Domino, & à Domino eſt directa. Directi ſunt, quos in veritate ſua Dominus dirigit. Quod etiam Pſalmiſta petebat: Pſalm. 24. Dirige me in veritate tua. Inobliquabilis eſt veritas Dei, qui diriguntur in ipſa ſunt omnino directi. Omnis profectò via tendit in obliquum & tenebras, præterquam illa, quam Dominus dirigit, & ſcripturæ ſuæ, aut ſua ſpeciali revelatione oſtendit, & omnia ſubjacent falſitati, niſi quæ veritas divina perluſtrat: qui verò in viam Domini, & in ipſius veritate diriguntur, directi ſanè vocantur. Et in Proverbiis dicitur: A Domino diriguntur greſſus viri, non ab alio ſeu à ſeipſo. Et Jeremias di- Proverb. 20. cit: Non eſt in homine via ejus, neque eſt viri, ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos. Viri directio etiam in altiſſimis virtutibus eſt, quam directionem pro ſuis charis optabat Apuſtolus, dicens: Dominus autem dirigat corda & corpora veſtra in charitate Dei & patientia Chriſti. In charitate directi procedunt directè, quia in ſuperna gradiuntur. Patientes ſunt perfecti, quia patientia opus perfectum habet. Dirigentes autem ſunt, qui alios theoria & actu dirigere in omnem juſtitiam atque in ſuperna noverunt. Dilecti & diligentes hi vocantur, qui à Domino diliguntur, & ipſum

ipſum ut traditum eſt ſancto mandato totis viribus diligunt, & à proximis ſecundùm virtutem diliguntur, & ipſos diligunt velut ſeipſos juxta mandatum Domini, ad quos fluvius velox de paradiſo amicitiæ juſtæ decurrit. Virtus verò, quæ in hoc fluvio præſignatur, prompta libertas animi appellatur.

Cap. XXIII.

Quartus amicitiæ rivulus, qui frugifer dicitur.

QUartus Euphrates dicitur, qui creſcens vel frugifer interpretatur, cui nulla regio attribuitur ad rigandum. Aut quia notam habebat ſecundùm ſcriptores, aut univerſalis fertur eſſe circuitus. Si notam habebat, hæc ſiquidem erat regio Chaldæorum. Si verò univerſalis, profundior eſt intellectus. Sed notam dimittamus, ad id, quod ad circuitum ſibi regio non attribuitur intendentes, videntes primò, quid ſit tropologicè iſte fluvius in ſeipſo. Omne quod creſcit ſupra id, quod eſt, facit augmentum, & ab eo, quod eſt, in aliud, quod nondum eſt, tendit. Augetur aliquid, & ſenſu percipimus, quantitate continua vel diſcreta. Similiter & dolores in corpore & amœnitates, & ſenſuales potentiæ intenduntur & remittuntur. Inviſibiliter autem affectiones animi magis & minus quandoquè ſuſcipiunt, necnon & naturales animæ vires augmentum proceſſu ætatis habent. Virtutes verò ſecundùm gratiam, & menſuram donationis Chriſti inamplius ſæpè procedunt. Porro & Apoſtoli augmentum fidei quoddam ſemel à Chriſto Domino petierunt, dicentes: Adauge nobis fidem. Fluvius, qui egreditur de amicitiæ vena, qui creſcens interpretatur, eſt rationabile amoris augmentum. Supra enim diximus, quòd de amicitiæ vena eſt ratio diligendi. Nunc verò id, quod in amicitia creſcit, & rationabile amoris augmentum, rationabiliter namquè additur per augmentum plus amoris, ubi pluris noſcitur eſſe virtutis, ut ſi præter id, quod prius in re diligebatur amicus, invaleſcit in homine virtus, ſic ad eum amor invaleſcat amplius. Nam quod eſt pura ratio diligendi, ſi creſcit, erit vera ratio plus amandi. Ac per hoc amor patris ad filium creſcit, ſicut eum videt per molem corporis, ætatem temporis, per probitatem aliquam animiquè virtutem augeri. Et dominus ſervum, magiſter diſcipulum, rex militem diligunt ampliùs, & augmentant amorem, ſi eos in ſuis decentiis ſupra priſtinum morem viderint augmentatos: quoniam ſi ad rationabile juſtum & verum cujuſpiam virtutis augmentum pro poſſe non fieret amor vehementior, deſtrueretur ratio diligendi: quia quod eſt ratio ſimplicis, eſt & magis: quod eſt magis, ſimiliter ſit & maximi. Ad id tantùm una & invariabilis & inviciſſitudinalis ſit ratio diligendi & augmentabilis atque indeclinabilis amor, quod in ſe nulla ratione detrimentum ſuſcipit, vel augmentum. Et hoc ſolùm Deus eſt, quem ſemper diligendi ratio manet ſimpla, & augmentandi amorem nulla eſt ratio. Impræter miſſè atque ſine exceptione, omniquè jure, omniquè diligentium ſibi totus debetur amor: Supernæ verò virtutes & angelicæ poteſtates, & cœleſtis patriæ ſancti, cives immutabiles facti ſunt per gratiam, non per naturam, quia confirmationem à Domino acceperunt. Ad eos tamen diſpariter, quàm ad Deum invariabilis eſt ratio diligendi, & augmentandi amorem, quamvis unus magis, quàm alius meruerit diligi, & hic, & in cœleſti patria honorari. Homines verò degentes in valle miſeriæ, qui variabiles ſunt, ſicut in virtutibus detrimentum ſuſcipiunt, & augmentum, ſic jure ad eos remittitur & intenditur amor. Rationalis & juſta eſt amoris intentio, vel remiſſio & augmentum & detrimentum, ſi hujuſmodi qualitatibus variatur ratio diligendi, Succreſcunt rivi ſub originalis fontis augmento, & ſub ſuo detrimento decreſcunt. Sic ſi prima variatur ratio diligendi, augmentum ſive detrimentum juſtè ſuſcipiens, ſic fiet intenſio vel remiſſio in amore. Hæc ſiquidem ratio exceptionem non patitur, etiam ſi Deum invariabilem rationem dicimus diligendi. Frugifer eſt amicitiæ fluvius, multum non fructum affert his, qui noverunt Chriſtianè amici eſſe. Fructus eſt jucunditatis, quia, qui invenit amicum, invenit theſaurum. Jucundatur enim mens inveniens pretioſa defoſſa. Nihil profectò jucundius in moribus conveniendi, quàm ſimilitudo diligentium animarum. Gaudent ſæpè homines, ſi vident ad eos affici animalia, quæ nutriunt, aviculas, quas propriis manibus paſcunt, in quibus omnino eſt diſſimilitudo naturæ. Nec animorum poteſt ſimilitudo cognoſci, ubi altera pars humana ratione privatur. Quantò magis humanus ſpiritus exultat, ſi ſpeculum ſui habet. Hujus jucunditatis fructum fluvius iſte portat, etiam de his, quorum nulla fuit viſiva notitia neque mutua converſatio. Multorum enim memoria usque in præſens virtutibus pollet in ſulcatis characteribus, aut relationibus antiquorum, quibus amicus eſt animus audiens, ſi fuerit virtutis amicus, &

& exultat in his, quæ dicta ſunt ſibi, quoniam digna ſunt, ut tradantur amori, ſive aboliti ſint à vita, ſive locorum ſpatia dividant virtute fulgentes. Eorum autem, cum quibus linguæ diverſitas converſari non ſinit, fructum jucunditatis accipimus, ſi quomodolibet cognoverimus virtute clareſcere, atque lætabitur animus in eorum aſpectu, etiam ſi morum nulla participatio fiat. Amica eſt natura humana, & ordinatis, & pulchris, & his, quæ aliqua inſignitate reſplendent, etſi ratione ſenſuque careant: decentius autem his, qui lumine rationis inſigniti procedunt, amplius autem, ſi coruſcant virtutibus Chriſtianis, quia ad hos etiam ſive converſatione ab impoſſibilitate prohibita, ſive adverſitate linguæ negata, fieri amicum Chriſtiana juſtitia jubet, & fructum jucunditatis reportare de rectis. Qui enim de omni laudabili & virtuoſo bono non gaudet, non recipiatur in amicitia Chriſtiana, non ſecundùm Chriſtianam juſtitiam fieri, quia deceptus eſt. Non uſum hominum in exteriori ſenſu, ſed virtutem inquirit Chriſtianus amicus. Uberiorem verò profert fructum venæ benedictæ atque amantiſſimæ fluvius, ut qui de ſeipſo ſitientem impleverit animam curſu terminato vitæ præſentis cœleſtia regna ſuſcipiat, cœleſtium civium in ſuperis factus fruitivus amicus. Hujus fluvii typo æquitas deſignatur, quæ omnibus eſt ſervanda, quæ amorem augmentat, & minuit, ſicut ipſe vocatur. Et fructum affert præſentis vitæ pariter & futuræ, cui nulla ſpecialis tribuitur regio ad rigandum, quia ipſa omnibus eſt communis, omnibus debetur, neminem excludit, juxta dignitatem inhærentem magis & minus omnibus ſe coaptat. Mare autem ubi ſe colligunt amicitiæ flumina, pulchritudinem dixerim univerſi, non ex eo, quòd amarum ſive procellis navigantibus minatur, & efficit ſæpè naufragium, nec eo, quòd aliquid confert incommodi malè cautis, terret ex eo, quòd ſpacioſum eſt, quòd imperſcrutabile, quòd immenſurabile, quòd terram cingit, & per ejus venas fluit, & ex eo ipſa terra fundata dicitur, quam eſſe mare intelligentia & experientia & ratio dubitare non ſinunt, ex eo, quòd omnia flumina recipit, & remittit, ſed nec augetur recepto, nec remittendo minuitur, ex eoque dicitur æquor ab æqualitate, quam fluctibus & ventis quieſcentibus oſtendit. Verè in æqualitatem, imo æquitatem Chriſtianæ juſtitiæ flumina veræ amicitiæ ſe colligunt, & ab ipſa refluunt ut decurrant, & primo exierunt, ut fluerent. Non ſic amicitiæ vena, quæ eſt ipſa ratio diligendi, quæ vena per flumina diſpartitè decurrit. Ratio autem diligendi vera in juſtitia Chriſtiana fundatur. Et nihil ipſa juſtitia æqualius, imo æquius invenitur, cujus fabrili linea omnia coæquantur, aut reſcindendo ſuperfluum, aut intendendo remiſſum. Mare dicimus ex authoritate ſcripturæ congregationem aquarum, nam in Geneſi legitur: Congregationes verò aquarum appellavit maria. Congregationes aquarum, congregationes ſunt populorum. Unde in Apocalypſi dicitur: Aquæ multæ populi multi. Ac per hoc iſte protinùs eſt totius Chriſtianæ amicitiæ finis. Et in hoc mare ſui amnes defluunt, ut congregatio ſub Chriſtiana juſtitia fiat omnium populorum, etiam hominum ſingulorum, non tantùm corporibus, quàm moribus, non tantùm civitate quàm mente, non tantùm converſatione, quàm directione virtutis, ut ſub ſceptro juſtitiæ Chriſtianæ dirigantur hominum mores, ſub potatione fluminum progredientium de amicitiæ vena & ingredientium in congregatione populorum, & hominum ſe amantium in amore infallibili propter Chriſtum, & vinculato tum nexu inſolubili propter Deum, tenentium intentiones & regulas & rationes, quas amicitia Chriſtiana ſub Chriſtiana juſtitia tradit, ut confirmato mundi myſterio, peregrinus in carne populus cum ſpirituali ſemper populo congregetur in regione vivorum, in lucifera patria ſub conditore omnium, atque ſub eo, qui nobis factus eſt amicus, carnem aſſumens, degens in mundo, traditus voluntariæ morti, ab inferis reportans antiquiſſimam tetralium prædam, penetrans cœlum, reſidens in ſupernis, à quo beatitudo eſt hominibus optata, quæſitaque à multis, à paucis inventa procedit, ſolumque ab illis adultis obtenta, qui Chriſtianam juſtitiam, vel quaſi animo & moribus tenuerunt, ſeu in illa diem clauſerunt extremum, ſeu ab illis quos mors adhuc virtutum & vitiorum ex animo incapaces, ſub innocentia baptiſmali ab hoc ſæculo in alıud tradidit, nec non & ab illis, quos ante Chriſti adventum ſuis juſtiſſimis, & occultis modis divina providentia ſalvos eſſe decrevit, ſive quos ab æterno prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ejus, & ſalvos eſſe miſericordia ſua, remotis propriis meritis vel adjunctis. Hæc modica ſermone inculto de amicitia Chriſtiana conſcripſimus ad veritatem amicitiæ oſtendendam, cui tractatui in domino finem damus.

Geneſ. 1.

(†)

TRACTA-

TRACTATUS DE JUSTO JURE DOMINII, ET MORIBUS DOMINANDI.

Cap. XXIV.

Quod juſta ratio dominandi variè mundo diffuſa, non ſit ex hominibus, ſed ex Deo.

IPſa, ut ante noſtro loquendi genere protulimus, juſtitia Chriſtiana dominos cum ſervis, ſervos cum dominis, reges cum populis, populos cum regibus ordinare conſuevit. Sed nec veros dominos dixerim ſive reges, qui præter domini omnium voluntatem ſubjectis populis aut hominibus ſingularibus præfuerunt: nec veros ſubjectos, ſi præter illam talibus ſuperioribus paruerunt. Nam reprehenſioni ſubjacet, & ultrici pœnæ tradendum eſt, quod in univerſo agitur in dominis atque ſervis, regibus atque populis, contra vel præter voluntatem omnium domini dominorum, qui mundum à ſe conditum, ſui novitiatus tempore ſecundùm regulam originalis juſtitiæ regi voluit, quam miris & occultis modis in cordibus hominum inſeruit, inobedientibus paucis. Tempore verò, quo à ſe mundus ætatem ſuæ pueritiæ novitiatus excuſſerat deceptionibus tarditus corruptivis, quaſi petulans adolnſcens interiit. Quoniam ſacra teſte ſcriptura: Omnis caro corruperat viam ſuam, & cuncta ho- Geneſ. 6. minis cogitatio prona erat ad malum, Quamobrem fluvius directus eſt, cujus adoleſcentia non uſquequaque à divina providentia derelicta. Noë octavus juſtitiæ præco, divinitus cum quodam humano artificio ad ejus eruditionem, & repropagationem atque ſolamen reſervatus eſt, propter quod Deus innotuit naſcentibus cæteris originalem juſtitiam quam ſervari voluit à ſuis præcedentibus cunctis, deinceps per circumciſionem & legem atque evangelicam doctrinam. Mundum velut hominem ætatibus variatum voluit gubernari, ut nullum tempus laberetur inane, quo regula regiminis pro dominis & ſubjectis præſto non eſſet, cum qua legitimi domini atque reges, præterquam uſurpatores & tyranni nequiſſimi haberentur, & eis voluntariè obſequentes culpabiles tenerentur. Igitur juſtum jus dominandi atque domini non eſt ex eo, quòd ab hominibus inſtituitur, aut agitur, ſed ex eo, quòd à divina lege conceditur aut permittitur, à quo juſtè regentes juſti vocantur domini & irreprehenſibiles obſequentes.

Cap. XXV.

Quod vera ratio dominii in ſolo Deo, non acceſſorio, ſed æterno jure conſiſtat.

SEd juſtum & irreprehenſibile atque principale dominium eſt in Deo, nullo acceſſorio jure, niſi ex eo, quòd Deus eſt, nec ſibi aliunde competit jus dominandi rebus à ſe creatis, niſi ex eo, quod creavit, neque creationem ſibi credimus attributam, neque eſſe Deum ſeu id, quod eſt. Ex eo enim quo eſt, & creator eſt, & dominus creatorum, qui dum voluit, in creationis proceſſiſſet officium, per prophetam præteritorum non eſt, niſi cùm creavit hominem dominus appellatus. Nam tantùm dicitur: In principio creavit Deus, &c. Geneſ. I. Et in primo, ſecundo, tertio, quarto & quinto die ſolum creando prædicitur DEUS.

Cùm autem hominem ad ſui ſimilitudinem in eſſe produxit, profertur dominus Deus ut duntaxat ad hominem ſub cœlo poſitum cognitio dominii pertineret, & cognoſceret ipſe ſolùm ſub cœlo ſuum ſuperiorem, qui eum de nihilo in eſſe produxerat, & veneraretur, & adoraret, & coleret, atque ſubderetur ei ſub jugo juſtiſſimæ & mitiſſimæ ſervitutis, nec in aliquo ſibi dominium arrogaret, niſi prout accepiſſet ab eo, qui æterno jure creaturis omnibus dominatur, qui omnia irrationabilia ſibi ſubjecit, & ipſum omnibus prætulit dignitate vel uſu. Minor tamen fuit conditio hominis, quàm angeli, ſed cæteris omnino ſuperior. Moyſes & David Pſalm, III. æquis tubis hanc ſententiam reſunant: Minoraſti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Ac per hoc Adam primus homo eductus in eſſe, ſoli Deo factus eſt ſubditus, angelis ſocius, quamvis natura corporis minor, cæterorum verò factus eſt dominus, ea ſcilicet dignitate qua factus eſt ad ſimilitudinem Dei. Et iſta irationabilia & inſenſibilia Deum habent creatorem, hominem verò dominatorem & uſum capientem, ut ex hoc, qui ſuo peccato tranſeunt in ſimilitudinem pecorum, ſupra ſe dominium ſentiant Dei ſimilitudinem rectè ſervantium & ſæpe quod gravius, ſimilium peccatorum. Hæc eſt vera juſtitia, ut homo Dei ſimilitudinem ſuo peccato deformans, ſupra ſe torrentem ſentiat ſimiliter deformatum.

Cap. XXVI.

Quod culpa inæqualitatem dominii & ſubjectionem in hominibus procuraverit.

Nec poteſtatem accepit in ſociam & conſortem, quam de ſua coſta formaverat, qui eum de limo terræ creaverat, niſi cum ambo domino peccaverunt, ut credatur magis homo alteri homini ſupponi multatione peccati, quam lege originalis juſtitiæ. Sed quod ex peccato provenit in parentibus primis regnante lege peccati, factum eſt juſtitia in ſubſequentibus poſteris, merito exigente ordinis juſti, ut ubi regnat iniquitas, ibi ſit in hominibus inæqualitas, & alter alteri ſubdatur, qui amore bonitatis noluit innocens permanere & terrore legis & regis humana frænetur iniquitas ne innocentiam & vivendi ordinem perturbet improbitas. Nam ſi ſubdita DEO ſecundùm juris æterni exigentiam humana natura manſiſſet, facilè obedientia pomi vetiti guſtatione non fuiſſet obmiſſa. Sic etiam, ſi ſervata fuiſſet in naſcentibus poſteris, ut extitit poſita parentibus primis, nequaquam dominationis & ſubjectionis inæqualitas adfuiſſet. Quoniam ſi quis æterno jure dominanti principi humiliter ſubderetur, proculdubio abſolveretur à cæteris, quamvis ob culpam radicis ita omnis damnata propago, ut nec innocentia tueri potuerit corpora innocentum: quoniam ſaltem ad probationem virtutis ipſiuſque augmentum ad promerenda præmia ab iniquis dominis damna paterentur, tamen ab ipſo Deo propter virtutem cuſtodita rationalis animæ libertate regerentur. Et in mortalibus & tranſitoriis dominationibus ſæpe videmus, quòd ſuperior obediens minoribus non ſubſtat obnoxius. Deus omnium Creator & dominus non permiſit hominem homini ſuperferri pro poteſtativis caſtigationibus inferendis, ſi non ipſius edictum duceretur ab homine in contemptum, quamvis ſæpe in bonis temporalia mala evenire permiſerit, non ob meritum proprii criminis, ſed ad examen virtutis, aut merito damnatæ propaginis, quo juſtè durante, nec ſancti poſſunt excludere ſævum imperium mortis. Nihil caſtigabile aut reprehenſibile in moribus hominum foret, ſi in ſuis præceptis non ſperneretur omnipotens. Occaſione verò accepta ſummi & æterni contempri dominii, aut juſta ſive uſurpata ſunt permiſſa dominia, & geniture naturalis libertas in ſervitutem & ſubjectionem atque punitionem hominum trajecta eſt.

Cap.

Cap. XXVII.

Quod mundus originalis, niſi Deum, non habuerit aliam judiciariam poteſtatem,

IN originali ſiquidem mundo non invenimus dominia conſtituta, excepto, quòd vir præpoſitus mulieri, & ipſa ſub ejus poſita eſt poteſtate. Veruntamen ob quandam decentiam primæ creationis, quam accepit, omnibus præferendus fuiſſet Adam, qui poſt peccatum nongentis triginta annis vitam in doloribus egit, ut nec ſuo tempore aliquis, ut præfertur, potuiſſet anticipium facere, cum ipſe fuiſſet omnium primus parens, qui quamvis peccando in laboribus & ærumnis tuliſſet exilium, ſed nec eum peccatum alicui poſtpoſuit, non tamen à Deo acceperit judiciariam poteſtatem, neque gladium animadverſionis in reprobos.
Geneſ. 4. Nam cùm Cain nequiter fratrem uterinum & conſeminem occidiſſet, non ab Adam, ſed à Deo legimus improbatum, imo ante
Ibidem præmonitum. Lamech etiam non punivit, aut correxit quiſpiam authoritate humana de prima bigamia, aut de duplici homicidio quod patravit, non enim Adæ, aut alicui Deus dederat juſtitiam corrigendi aut puniendi. Reprehendendi verò atque monendi Adam habebat audaciam, ſimiliter & docendi, quòd fecit tempore vitæ ſuæ, annuncians omnibus peccatum, quod fecerat & pœnam, quam ferebat exilii & laboris, necnon & experientiam mortis, quæ in omnes homines peccato ſuo diffuſa penitus erat. Et ſuadebat omnibus firmam ad Deum obedientiam, quam etiam peracto peccato non perdidit, declarabat, ut à Deo acceperat, domini voluntatem, & quibus rebus divinum placitum agitur, at quibus diſplicenna irrogatur, aperiens futura præmia juſtis hominibus poſt labores, & injuſtis pœnas juſtiſſimas poſt errores & pœnas, ad quas deſcenſurus erat morte interveniente non ſiluit, non aliter ipſe cum cæteris, quàm per verbi incarnati myſte-
Geneſ. 6. rium liberandus. Igitur dominium atque principatum ſuper alios per judiciariam authoritatem timore aut neceſſitate prementem in originali mundo non legimus, cùm omnis caro culpabiliter corruperit viam ſuam, non ab alio quàm à Deo in generali diluvio exhibita ultione. Hoc à Deo permiſſo duntaxat, quòd pater familias ſuis cohabitatoribus dominabatur jure naturalis juſtitiæ, qua erat illius mundi novitiatus arcendus atque regendus, quo jure, dum vivebat, æquiſſimè omnibus de ſe natis præferebatur Adam, non in ultione commiſſi ſceleris, ſed in verbali prohibitione criminis & commendatione virtutis. Neque Cain primum conditorem terrenæ civitatis reperimus illam firmaſſe legibus, atque ſtatutis, quibus respublica proficit, & removetur iniquitas, quæ confundit. Potuit tamen quamvis nulla ſcriptura commemorat, præter legem originalis juſtitiæ ſibi placitis legibus atque concivibus ornare, quam condiderat civitatem. Sed hunc ejuſque ſequaces ab omni jure juſto dominandi atque obediendi omnino proſcribimus, quoniam dati ſunt in reprobum ſenſum. Nec ad Dei electum populum ſpectaverunt, quorum omnium Cainitarum generatio diluvio eſt deleta. In his verò, qui ad Dei populum ante generalem cataclyſmum pertinere noſcebantur, gladius alius non eſt ad regimen vitæ appoſitus, niſi qui jure naturalis atque generalis juſtitiæ cudebatur, quem utrum tempore quo ſuperſtes fuit Adam jure primatus ipſe tenuerit, an alius acceperit à decernente domino ignoramus, poſt ejus obitum cui remanſit, aut quis eduxerit etiam omnino neſcimus, cùm incùnctanter ipſius poſtulet ordo juris, ſi bene vivitur in republica vel privata, quòd poſt lapſum in primis parentibus nondum vivatur debito ſub monarcha ſeu ſub aliquo valente judicia diffinire, ſaltem cognitione veri, ſi non authoritate imperii. Et hoc ſiquidem exigebat, quoniam in hominibus erat inæqualitas ratione virtutis & vitii. Similiter hi, qui virtute pollebant non æqualiter radiabant, nam alius virtute atque cognitione præhabebat, alius minusque ſplendebat, ut ſemper quod eſt minus, ad id quod majus eſt, pro indigentia verſaret aſpectum voluntare inferioris, ſuperioris verò timore aut neceſſitate cogentis, & ut eſſet innocentia, omnino per quempiam prævalentem eſt arcenda malitia.

Cap. XXVIII.

Quod ab eo tempore, quo Noe eſt ingreſſus in arcam, juſtus fuerit dominus hominum ſuper terram.

VOlens iniquitatum juſtiſſimus ultor mundum avertere à peccatis, quæ velut torrens inundaverunt ſuper terram, ne percuteret, per Noë ſuum præconem eximium, quem ſuper omnes viventes in ſua generatione juſtum invenerat, toti mundo dixit. Obſerva, &c. Malebat enim mundi habere pœnitentiam & cautelam, quàm ei ex ſceleribus inferre vindictam. Vocavit ex hoc Noë virum juſtum & perfectum in generationibus ſuis, ambulantemque cum Deo, cui divina juſtitia decernente primatus omnium debetur. Et dixit ei: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Eruntque dies illius centum viginti annorum. Et paulo poſt cauſa interjecta malitiæ adjunxit: Finis univerſæ carnis venit coram me, repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & eos diſperdam cum terra. Dedítque ſibi præceptum de arca claudenda taxatis dimenſionibus, pro reſervatione ſeminis, in repropagatione humani generis, & omnium animalium in ſpeciebus atque genenerationibus ſuis, volens poſt centum viginti annos humana exigente malitia, divina diſcernente juſtitia, ad delendam omnem animam vivam, niſi advenisſet pœnitentia, diluvium inducere ſper terram. Quod prædicante Noë verbo & facto, dum arcam tantæ magnitudinis fabricabat, quæ centeſimo anno à die ſui exordii confecta eſt, humana malitia non eſt correcta, nec per pœnitentiam planxit mala, quæ fecerat, nec ad futura debitam cautelam appoſuit, ſed in tantùm deteriore conditione convaluit, ut etiam viginti anni meritò demererentur, quibus demptis, Noë cum filiis & uxoribus & omnibus animalibus, mundis & immundis, binis atque ſeptenis, omnibus aliis delendis, in arcam mandavit ingreſſum, poſt quæ divina voluntate diluvio inundante vita omnium deleta, tantùm illorum ſervata, qui ad arcam confugerant. Quibus omnibus ex commiſſione divina, Noë juſtiſſime præſidebat, dominia quoque & ſubjectiones debitè peragebantur, quæ ſibi eo tempore ſubdebantur. Hic juſtum in mundo imperium habuit, cui Deus homines illos paucos & animalia ſubdidit, nec tantùm filiis dominabatur, quia pater, & quia ſocer nuribus erat, & uxori maritus, ſed etiam in eo, quod homo juſtus atque perfectus, quem dominus velut ſuum vicarium mundo præfecerat, ut in aliis hominibus non de ſua carne progenitis dominatus profecto fuiſſet, ſi potuiſſent à diluvio in arca illa virtutis merito & divinæ voluntatis placito reſervari. Æquitas omnimoda eſt, ut habitantes in domo domini, domus domino ſint ſubjecti. Maximè hoc deſuper Dei juſtitia decernente, durante diluvio non committebatur corrigenda malitia ex timore inundantium aquarum, quamvis timendum non eſſet rectè vivendo, domino pollicente ſalutem. Nec pro judicio inferendo poſitum eſt tribunal, ut major ex actu judicario notaretur laudibus, nanque & devotionibus atque gratiarum actionibus illo in tempore, non judiciis vacandum erat. Completoque diluvio, Noë cum ſuis ex dominico præcepto egreditur, in poſteris à Deo permiſſus dominus univerſi, cui omnes voluntariè ſubdebantur ad Dei placitum pertinentes, qui de lumbis ſuis & filiorum ſuorum, etiam poſt diluvium deſcenderunt, & cognoverunt eum dominum atque ducem, velut eum, qui afflatus Dei ſuſceperat, ad quem erant diſpoſita ſæculi teſtamenta, qui etiam poſt diluvium trecentos quinquagita annos ſuæ vitæ implevit ætatis, in quibus à juſtis habebatur, ut ductor, doctorque & Cephas, qui theorias divinas altiſonè annotabat. Contemptui verò habebatur ab his, quorum certa erat apud Deum futura damnatio, non enim ſine damnatione contemni potuit ille, quem DEUS mundo præfecit, nec aliter docuit, atque rexit, quam Deum velle cognovit. Nunquam impunè contemptus eſt in omni curſu vitæ labentis, quem Deus præpoſuit populis, maximè ſi præter domini voluntatem edicta non poſuit. Erant etiam hoc in tempore tres filii ſui populorum de ſe genitorum duces, ſub eorum, & omnium aliorum domino atque patre Noë, ante cujus mortem multitudo nimia poſt diluvium exorta eſt.

Cap.

Cap. XXIX.

Quod Nemroth primus uſurpaverit injuſtum dominium tempore, quo diviſum eſt labium.

Geneſ. 10. POſt mortem verò Noe Nemroth primo dominia ſuper alios uſurpare molitus eſt. Et ut antiquorum relata declarant, à quibuſdam ſuſceptus eſt. Ab illis, qui ad unius Dei cultum animum præfixerunt negatus, ab aliis verò toleratus eſt Dominus, cujus infecti exemplo multi ſuper alios tenravere dominia. Omnes tamen ejus maleſuaſi conſilio orientem relinqnentes, terram Sennaar petiverunt. Et meritò in regionem fœtoris veniunt, qui principium lucis, aliquando fere omnis paternæ traditionis obliti & prædicationis Noe, qua omnibus de ſe natis poſt diluvium declinabat divinam voluntatem enuntians immemores facti ſunt, per quam veritas vitæ agendæ atque appetendæ beatitudinis apud homines ſervabatur. Nam mundo per diluvium jam deleto, per aſſertionem Noe quid tenendum in fide, aut moribus eſſet ſcire volentes edocebat, cujus doctrinâ multi ad Deum pacta ſervaverunt. Veruntamen Nemroth decernente decreto, qui contra Dominum ſatagebat, per turrem humani artificii cœlum creatoris conſcendere tentaverunt. Quæ dum humano faſtu & caſſo ſtudio protenderetur in altum, lingua humana confuſa, imo diviſa eſt, ut dum in expetitione fabricandorum unum pro altero peteretur, ablata intelligentia ceſſatum eſt in opere à damnata ſuperbia, in cordibus plurium remanente ſuperba malitia. Ac per hoc neceſſitate urgente quod fuerunt linguæ, tot populorum ſunt facta catervæ, quia unuſquiſque ſe illi ſociabat, cujus intelligebat loquelam, & in directionibus noverat linguam. Et ſe dividentes altrinſecus cum propriis ducibus per mundi plagas, ſecundùm poſſibilitatem, & placitum accolæ atque incolæ, ſimiliter & peregrini facti ſunt, ſolum in una generatione filiorum Sem, ſcilicet Heber, lingua originali & humana ſervata apud quos remanſit etiam cultus unius Dei & mores agendæ vitæ, atque zelus originalis juſtitiæ, ſecundùm juſtitiam & veritatem, quam Noe prædicante perceperant, aut audierant à parentibus ſuis dicta referentibus Noe juſti eorum, & antiqui parentis.

Cap. XXX.

Quòd in omnibus præterquam in Filiis Sem, in quibus manſit originalis lingua, defecerit originalis juſtitia, unde injuſta facta ſunt regna.

IN cæteris autem, à quibus remota eſt originalis lingua, defecit & originalis juſtitia, quamvis occulto, ſed tamen juſto Dei judicio. Et Nemroth, qui primus in tyrannidem aſpiravit, cum ſuis ſequacibus in Babylon remanſit, quæ civitas ſui regni exordium fuit. Exinde cœperunt injuſta regna fieri ſupra terram, originali derelicta juſtitia. Et eo nequiora, quo cultus creaturæ atque idolorum obrepſerat, & ab unius Dei cultu homines nequam juſtitia removebat, ubi nequam juſtitia, ibi injuſta ratio damnandi atque dominii. Sed nulla juſtitia nequior, quàm per quam homo creatori aufertur, & Dei debitum creaturæ defertur. Nec quieta ſive felicia regna eſſe noſcuntur, ſi pacifici & imperturbati non ſunt hominum mores, ſi Deo debiti non exhibentur honores, Neque ob hoc juſta erit ratio dominandi, ſi ſuperiorum terrore, malorum arcetur, aut punitur improbitas, ſi divini cultus confunditur veritas. Nam priuſquam idola fabriliter cuderentur, quæ ante Ninum Beli filium condita non ſunt, divinus cultus à multis creaturæ alicui ſecundùm deceptiones dæmonis exhibitus eſt. Hoc enim ſemper procuravit aſtutia dæmonum, ut propter cultum creaturæ homines incurrerent iram Dei, ex quo juſtitia omnis confunditur, & juſta damnandi ratio in hominibus obfuſcatur. Sed à Nemroth quam plurimi mali preſſi, atque depulſi, ac multi ejus ferre tyrannidem non valentes, civitates, & regna ſocialia condiderunt, ſed non in nomine Domini, quamvis permittente juſtè providentia Dei, & cum idolatria cœpta & aucta ſunt regna, ſpreta origi-

originali juſtitia, & ſancta latria non ſervata. Proinde jura regnandi eoipſo fateſcunt, quo regi regum & domino dominorum jura ſui imperii non redduntur, maximè, ſi in ſua latria non rectè ſentitur. Omnia quippe vitia in moribus hominum, facilius quàm idololatria tolerantur. Eſt enim in illa negatio ſummi Dei, quo negato nulla remanet in hominibus juſta ratio dominandi, cùm ſolùm ab ipſo dependeat vera juſtitia imperandi. Apud illos verò, qui originalem linguam tenuerunt, & originalem juſtitiam ſervaverunt, fuerunt juſta dominia authoritate paterna in filios, non tamen velut in extraneos jurisdictio ſuperior agebatur, & uſque ad Abraham hujusmodi ſervatus eſt ritus, qui poſt Noe primus divinos reaccepit affatus, alio jure atque ſignaculo ſuo populo præferendus. Nam cùm tota intentio veteris teſtamenti figuris & ænigmatibus etiam carnali generatione, quamvis non ex humano ſemine tendat in Chriſtum, apud illos, per quos recta propagationis linea Chriſtus deſcendit, credendum eſt ratio dominandi fuiſſe jure magis pollens aut magis laudabilis, aut minus reprehenſibilis ratione unius deifici cultus, quàm in aliis, quibus erat abjectus, aut contaminatæ creaturæ commixtus. Et ut ad Abraham recta propagine veniamus, ab ipſo protoplaſto genealogia retexenda eſt. Adam genuit Seth poſt mortem Abel. Seth genuit Enos. Enos genuit Cainan. Cainan gennit Malaleel. Malaleel genuit Jared. Jared genuit Enoch. Enoch genuit Mathuſale. Mathuſale genuit Lamech. Lamech verò genuit Noe. Omnes tamen iſti plures filios, & filias habuerunt, ſed tamen ex iſtis ex recta linea erat ſecundum carnem mundo Chriſti nativitas affutura. Etiam omnes iſtos ante diluvium fuiſſe ſacra ſcriptura commemorat. In quibus, quæ fuerit ratio dominandi, ſupra prædiximus. Noë verò qui ante diluvium & poſt diluvium ſupervixit, cum multos habuiſſet filios, ad iſtam lineam contexendam genuit Sem. Sem genuit Arphaxat. Arphaxat genuit Cainan. Cainan genuit Sale. Sale genuit Heber. Heber genuit Phalec tempore, quo diviſum eſt labium, atque terra. Phalec genuit Ragau. Ragau genuit Saruch. Saruch genuit Nachor. Nachor genuit Thare. Thare genuit Abraham. Tempore Heber diviſa eſt lingua & terra, remanente in ipſo Heber & ſucceſſoribus in generationibus ejus lingua prima, & ſuo modo juſtitia prima. Iſti etiam plures alios filios habuerunt ſub unius Dei cultu & directione regis juſti. A tempore verò Heber, qui per juſtitiam & rectam lineam ordinatur uſque ad Abraham exorta ſunt regna plurima, imo latrocinia multa. Sed tria ſecundùm trinam mundi diviſionem ſuper omnia plus famoſa, Aſſyriorum, quod tandem tranſivit in Medos, & iſtud in Aſia, & Ægyptiorum in Africa, Sycíniorum in Europa. Et quamvis tempore Abrahæ magis claruerunt, multò tamen antecendente tempore incœperunt, in quibus non fuit recta ratio dominandi, quanquam Deus augmentari permiſerit in meritum humanæ juſtitiæ, ademptotamen præmio retributionis æternæ. Quia reges & ſubditi evanuerunt in cogitationibus ſuis injuſtè agentes bella finitima, nec ad Deum unum, & verum didicerunt habere notitiam, qui regnare permittit, datque regnandi potentiam, & hoc tribuit juſtis ſive injuſtis. Sed juſtis duntaxat dat gratiam, & tempore ſtatuto perducit ad patriam.

Gen. 3. (margin, beside "turæ commixtus")
Gen. 10. (margin, beside "lineam ordinatur")

Cap. XXXI.

De tempore ante diluvium nemini magis, quàm Moyſi credendum, & de diſpari tempore triplici.

Genus humanum qualiter ante diluvium agebatur, dubiæ ſunt ex hoc redditæ rationes, aut opiniones, & ſcripturæ aliquid oſtendentes præter id, quod propheta prætoritorum in ſacris libris aſſeruit, & nemini plus, quàm ſibi adhibenda eſt fides. Nam omnia ſunt deleta diluvio, & nihil alibi, præterquam apud Noë ſuosque filios in arca extitit reſervatum. Potuerunt tamen multa ſciri relatione Noë, atque filiorum ejus ſubſequentibus poſteris, quæ geſta ſunt à præceſſoribus diluvii multis, non tamen credulitatem per neceſſitatem habent, cùm authoritatem ſacram non habeant. Proinde tempus ante diluvium conſiderandum eſt ſub nube denſiſſima, præterquam in diſertis à propheta priſcorum. Tempus poſt diluvium usque ad Abraham, ſub quadam nube non depreſſata nimium, nec rareſcente plurimum. Tempus verò ab Abraham uſque ad præſens,

ex omnibus mundi partibus eluceſcit, & ex omnibus regnis, & populis innoteſcit. Quoniam ex canone ſacræ ſcripturæ, quæ ſpectaverunt ad populum Dei, traditæ ſunt indubitatæ memoriæ. Quæ verò geſta ſunt in regnis & populis reprobatis, etiam ex eorum curioſis in poſterum memoriis, ſtylis & debitis ordinibus in poſteros defluxerunt. Hæc pro tanto dixerim, ut certum differendi ordinem in his, quæ de juſto jure dominandi tractandum ſuſcipimus, ab Abraham, à cujus tempore mundi amplius regna clarere cœperunt, congruum exordium faciamus, innectentes multa utilia præter ſuſceptum ordinem.

Cap. XXXII.

Quòd potentia, & ſcientia regiminis, niſi Deo ſint ſubditæ, æquo jure condemnentur.

Sed nec prætereundem ſilentio, quòd, duæ ſpecies, ſcilicet potentia & ſapientia, ex quibus juſti regiminis virtus tota conſiſtit, ſi altera ipſarum defuerit, omne regnum & imperium evaneſcat, quæ pari lance à divina providentia trutinantur in approbatione aut reprobatione utentium, vel ipſarum, ut omnino ſit execranda potentia, quæ ſub Deo moderante non regit, & vana ſit ſapientia, quæ Deum ignorando non ſapit. De potentia ſiquidem per ſapientiam dicitur: Audite reges & intelligite, diſcite judices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Si à Domino data eſt vel permiſſa regnandi potentia, in dubium non vertatur, quod ad ipſum eſt in omnibus referenda, nec ad inferiores inflectenda cenſetur, niſi prout aula ſummi regis edixerit, nulla enim poteſtas ad derogationem imo ad totum bene cautum ſuperioris infertur. Mundi uſus ordinarius habet, quod qui accepit gratis ab eo, qui præeſt, ad ipſum primò referat, quod accepit. Nam feudotalia quæ militibus donantur à rege, primò regis donantis juriſdictionem aſpiciunt. Et qui accipiunt, niſi craſſa ingratitudo & ignorantia firmata deceperit, rependunt homagia de his, quæ receperunt. Et plerunque ſi rebelles fiunt, exiguntur inviti. Neque in hominum regnis à Deo conſtitutis ſive permiſſis, in ſingulis atque univerſis ſub regulis conceſſis, ratio agitur dominandi, exigendi, arcendi & puniendi, præter illam, qua totius regni ſtatus univerſaliter gubernatur. Neque fas eſt concedere leges in diſcretis receptaculis & manſionibus hominum, quæ ſub unius regis regimine convenerunt, niſi univerſalis regni leges incorrupta vita cuſtodiant. Nam ut reſpublica regni ſecura, & immaculata, & inoffenſa permaneat, particularis ſeu ſpecialis præeminentia ſeu ſubjectio univerſali & generali omnino ſubditur. Alioquin perturbabitur in univerſo reſpublica, ſi in ſpecie ad genus erit abſonitas velut in humano corpore uno membro corrupto, & ſicut ſanè condito integritatem non tenente cum cæteris, tota corporis univerſitas ſuſcipit notam, etiam reliquis fruentibus ſoſpitate. Igitur omnis regendi poteſtas ad eum, qui dedit, aut permiſit, referenda eſt. Alioquin etiam ſi non credatur, jure marceſcit, necnon & regendi ſapientia tranſit in nænias, niſi infallibili & inobliquabili Dei ſapientia dirigatur. Proinde per eandem ſapientiam dicitur: Et ſi quis conſummatus fuerit inter filios hominum, ſi abfuerit ab illo ſapientia tua prima, in nihilum reputabitur. Et ibidem alio loco dicitur: Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt Dei ſcientia. Ac per hoc hæ velut duæ meretrices reprobantur, nec in populis aut regnis immaculata dominia ponunt, ſi non ad omnipotentem & omniſapientem in regimine referantur, & regendi authoritas cum dæmonibus habebit portionem, ſi ſupra ſe creatorem omnium dominando & regendo non ſentit. Et omnis ſcientia reproba omnino cenſetur, ſi prout ſciri potuit, atque debuit, omnium ignoravit authorem,

Sapien. 6. *Sapien. 9.* *Sapien. 12.*

Cap. XXXIII.

Quòd à tempore Abrahæ uſque ad Moyſen prҫterquam in circumciſis non fuerit ratio juſta dominandi.

NUnc verò ab Abraham, quo tempore regna mundi claruerunt, ſine Deo autem magis obtenebrata fuerunt, dicendorum ordinem reſumamus, à quo prima cœpit diſtinctio corporalis, cui etiam in approbationem & reprobationem omnium gentium Dominus eſt locutus. Cucurrit humanum genus plus, quàm tribus millibus annis ſecundùm quoſdam ab Adam uſque ad Abraham, ſecundùm Hebræos paucioribus indiſtinctum, ut nullo ſiguo, vel charactere à cæteris placitus Dei populus noſceretur. Sed confuſi mores hominum vagabantur, hoc duntaxat excepto, quòd unius Dei cultus apud electos ex paternis traditionibus, & fortaſſis ſecretis inſpirationibus ſervabatur. Tempore verò Abrahæ placuit divinæ providentiæ, cui nil mali placet, ratione quod ſibi placet, licitum eſt ſuis & miris & juſtis modis populum ad ſe pertinentem ſeu pertinere volentem, ſub ſecreto ſignaculo prænotare, ne cum aliis populis jam per idololatriam & dominandi libidinem depravatis, confuſionis opprobria, & turpitudinis enormia pateretur. Nam ideo ex antiquis inolitis moribus ſignacula rebus & hominibus opponuntur, ne cum cæteris confundantur. Et cùm à tempore Noe uſque ad Abraham Deum nemini locutum ſcriptura referente noverimus, ad Abraham ſuos renovavit affatus. Et cùm eum ſuis directionibus hincinde ventilando, necnon ſub cæteris & arduis pollicitationibus ſibi Dominus loqueretur, tandem circuncifionem indixit, ut ipſe cum ſubſequis diſtingueretur à cæteris, palamque factum eſt hujuſcemodi edictum apud finitimos Abrahæ, *Geneſ. 17.* quod ſibi fuerat imperatum, & inſigni divulgatione paulo poſtmodo inſonuit, quòd ſe circunciderct, qui ad Dei populum coaptare ſanxiſſet. Omnes autem qui tale ſignaculum contempſiſſent accipere, ad electum populum pertinere nulla ratione viderentur. Nec in circunſione imperandi ſeu juſti imperii authoritas, ſed ſignum tantummodo erat populi ad Deum pertinentis, apud quem credenda erat authoritas juſti regiminis. Nec populus incircuncifus propter circunciſionis carentiam, imperandi aut juſti dominii authoritate debita privabatur, ſed quia hoc ſignum non capiebat, erat domino contumax, ex quo regendi non erat juſta poteſtas. Nam qui ad ſuperiorem in ſuo edicto efficitur contumax, ad inferiorem jura perdidit imperandi, & dominandi evanuit veritas. In circunciſionis edicto ad ſe invicem totus mundus erat proculdubio uniendus ſub unius Dei cultu & juſtitia dominandi, circumciſione ſuſcepta, vel dividendus in proprias actiones, contumaci animo ipſa circumciſione contempta. Erat enim diſtinctio, qua Dei & diaboli populus noſceretur. Proinde ſi circumciſionem procaciter contemnentes, edicto vulgato velut reprobi erant de regno diaboli, protinus non erat in eis ratio juſti dominii. Ex quo non erat, cenſetur eſſe juſti regiminis, qui antiqui peccatoris portat imaginem, & qui ſe avertit ab eo, quod creator omnium præcepit. Nec ex hoc quiſquam moveatur, quod in homine quantumcunque peſſimo, in ſeipſo non poſſit eſſe juſta ratio & authoritas dominandi, ſi ad alios regendos ſequitur legem Dei. Et quia ipſe aut eſt à ſuperiori Domino juſtè poſitus, aut à ſibi ſubjectis in lege Dei juſtè vocatus, ſeu ut communiter fertur electus, Nam ſicut nunc apud infideles (ut infra lucebit) non poteſt eſſe ratio juſti regiminis, ſic à tempore Abrahæ uſque ad Moyſen eſſe non poterat, ubi non erat ſignaculum circumciſionis. Erat enim circumciſio quaſi quædam lex, qua Hebræi ad unum verum, & ſummum Deum, in fide animi, & moribus vitæ diſtincti à cæteris populis ligabantur. Proinde aliud eſt malus per infidelitatem, aliud malus in moribus fidei, aliud malus extra legem Dei, aliud malus in legi Dei. Primus non poteſt habere apud ſe juſta dominia. Secundus poteſt, ſi ad ſeipſum etiam nequam factus, ad alios non exorbitet, duntaxat quod jus præſidenti aſſiſtat. Nullo profecto jure infidelis ad infideles aut ad fideles poteſt habere dominia, fidelis autem ad fideles & ad infideles juſta quandoque nanciſcitur. Et apud populos perfecta & vera fide orbata, etiam quantalibet alia virtute pollentes, curvatur virga regiminis, quæ apud fideles populos vel hos homines etiam peccatores manet æqualis. Nec habet honeſtam authoritatem, quæ divinam non ſequitur legem, & eo ipſo nulla eſt quo ſemetipſam ad alios vibrans, nec veritatem ſupra ſe infallibilem recognoſcit. Omnis quippe juſta ratio domi-

dominandi dependet à Deo, ſub quo aut ex juſto rege tantùm, aut ex juſta lege duntaxat, aut ex utroque juſto conſiſtit. Non autem juſtus rex inter homines erit, ſi juſtam non ſequitur poſitam, aut non poſuerit legem juſtam. Sed quomodo ſequeretur juſtam, edicta divina contemnens? Quomodo juſtam ponet injuſtus exiſtens? Etſi alterum horum fidelis poſſet, infidelis omnino nequiret. Et quia Abraham credidit Deo, reputatum eſt ei ad juſtitiam, non ſolum, ut coram DEO juſtus eſſet, ſed etiam, ut apud eum, & verè ſubſequos juſta ratio dominaodi perſiſteret. Neque legimus ad populos hujuſcemodi oracula Deo facta fuiſſe, quæ Abraham ſuſcepit à Domino, ne crederetur in illis fore Dei placitum, ſicut in Abraham & genere ſuo, qui circumciſionis accepit edictum. Et Dominus idcirco Abrahæ circumciſionem dedit, quia in eo beneplacitum erat Deo, & ut diſtinctus maneret etiam in futura propagine ab omnino alio populo, in quo beneplacitum non erat domino, ac per hanc diſtinctionem cognoſcerentur beneplacentes & per conſequens juſtè regnantes.

Cap. XXXIV.

Quod ratio veri regiminis eloiflua, injuſti verò anthropologica ſit & nefanda.

DE omnium verò regnis longo ſermone diſſerere, reges verò, & principes, & tyrannos, qui provinciis, & regnis, & civitatibus non ſecundùm veram juſtitiam præfuerunt calculare, longiſſimum eſſet, ſed in paucis ſæpe multorum ſimilium veritas lucet, & indagax animus ex una plura cognoſcit. Sed tantùm ponenda ſunt aliqua, & ratio ſubnectenda unde juſtitia & injuſtitia regiminis tota conſiſtit. Juſtitia ſeu vera ratio dominandi, aut à ſeipſa conſurgit, quæ tantùm elogica eſt, aut ab ipſa effluit, quæ eloiflua eſt. De prima compos ſanæ mentis nunquam vertit in dubium, quin tota totè in omni quod eſt, reprehenſione careat, & ſic vera, & juſta, invincibilis, atque impermutabilis eſt, quod aliter eſſe nequit quàm eſt, & ex omni ſeipſa æterna & incuſabilis eſt. Eloiflua verò providentia, diſpenſatione, permiſſione uſquequaque conſiſtit. Inſopitâ providentiâ ſuper conditum orbem omnipotens proſpicit, ut ſine ipſius providentia nil agatur. Maximè autem intendit, ut debita ſit gubernatio creati hominis, poſtquam ipſe ſidus non ſtetit ſub gubernaculo creatoris, qui eo tempore, quo mundus, ſuis legibus gaudere tentabat. Et in altiori hominum ſuperbia tollebatur, ut etiam invitis multis audacia procaci aliqui vellent præeſſe mortales, populum ad ſe pertinere volentem, nunc characteribus, nunc legibus, & ceremoniis inſignivit, ut diſtinctus vita & moribus viveret inter nationes hominum, qui propriis voluntatibus & hydotitimis regebantur. Et quod majus eſt, addidit, ut etiam in ſubjecta creatura patribus ſui populi loqueretur, & dirigeret per juſtos mores in finem, ad quem rationabilem hominem ipſe creaverat, & internis ſpirationibus docuit ſibi ſanè ſubjectos, qualiter in externis juſta vita viveretur. Et magis ſucceſſu temporis prophetarum oraculis ſuum populum inſtruxit, avertit & retinuit, quouſque ipſe mundo incarnatum filium dedit, qui tonaret altitudine vitæ, atque doctrinæ, qualiter in hac peregrinatione flebili & pœnoſa vivendum per omnia eſſet, omni excuſatione adempta his, qui aliter vivere decertarent. Et adjecit mittendo Spiritum Sanctum internè docentem, ut nil deficere crederetur ad vitæ agendæ ſcientiam, uſquequo mundus fine infinibili clauderetur. Ac per hoc indubitanter credatur, ab eloiflua ratione ſemper in meliora per providentiam infallibilem homini eſſe proviſum, in multis diſpenſatum, permiſſaque multa cognoſcimus noſtro periculo, juſtitiæ Dei ordine non turbato. Injuſtitia, ſive irrationabilitas regiminis aut ex hac damnata radice procedit, quoniam tantum fundatur in placito eloiflua ratione contempta, quæ duntaxat anthropologica nominatur dominandi ſolùm concitata libidine, non mota intuitu utilitatis, aut ab illa nequitia, qua per nefandam legem à ſuo creatore homines avertuntur, & diabolo ſerviunt, & idola muta colunt,

Cap. XXXV.

De habitationibus hominum, & prima diſtinctione regnorum.

CUrſum ſiquidem labentis mundi, ſecundùm quem juſta injuſta regimina decurrerunt, ſecundùm catholicam calculationem annorum ex memoratis veritatem irreprehenſibilem videamus. Malè Nemroth à multis exemplo ſuſcepto, & in diverſis mundi regionibus illis primis hominibus vendicantibus ſibi ſedem, qui ſimul amplius habitare non poterant propter linguæ diviſionem, recedentes à terra Sennaar, ſe in loca placita & habitabilia contulerunt, maximè juxta fontes & aquarum rivos vivendi commodo ſe ponentes. Hanc commoditatem maximè ſectabatur illorum hominum genus, nec cœperunt in illa peregrinatione prima, qua ſe ab invicem homines ſecernebant diviſa lingua cogente, ſeque pro parte ſociabant intelligentia dictante, montium atque collium altitudines habitare, quouſque perverſorum ſuperbia id effecit, ut ad invicem homines vexarentur libidine dominandi, cupiditate nocendi, aut avaritia plus habendi. Unde à multis circumdatis perniciosa ſocietate hominum, inducta ſunt bella finitimis. Quamobrem multi ad defenſionem perſonarum & rerum ſe ad habitandum in montibus & elevatis collibus contulerunt, etiam quadam humana pace optantes vivere ſuper terram, quam habere non poterant, ſi prædationes & damna ſeu incurſus indefenſè à malis hominibus paterentur. Multi etiam non eodem intuitu humanæ pacis, ſed ob audaciam incurſandi atque lædendi ad ſecuritatem refugii poſt illatam jacturam habitacula in montibus conſtruxerunt. Unde humana pax & nocendi cupiditas primò fecit homines ad montana conſcendere, illos propter tutelam, hos propter calumniam inferendam. Quia necdum erat mala comprimens & puniens vera juſtitia necdum tribuebantur juſtè operantibus bona, ſed ſicut nondum firmè locati manſionibus agebantur, quibus nec Deus deſuper dirigit, ſicut Abrahæ loquebatur de cœlo, ſic juſtitia excludebatur, quorum actiones ſolùm erant ex volito, nec etiam malis ex vera juſtitia dabatur debita pœna, nec bonis juſta retributionis gratia, plerique amœnitate, atque ſanitate aeris relicta, in ſanitatem corporis montium habitacula quæſierunt. Alii audacia mirabili & ſucceſſiva relatione memores à Deo diſpoſitæ primæ ratis humana peritia, per illius exemplar ratem cundere probaverunt, & mediterraneum mare navigare tentantes ad diverſum littus per diverſa mundi climata pervenerunt, in locis aptis prope mare, aut non longè poſitis per manſiunculas habitantes, ſicut antiquitas in multis horum maritimis inſpecta declarat, ſive diſrupta in paucis relicta reliquiis, ſive conſiſtens, ſed non in conſtructionibus primis. Non enim in illa prima peregrinatione, qua incertis ſedibus homines vagabantur, facta ſunt habitacula inter mediterraneos montes, nec penetrata ſunt terræ interiora deſerta, maximè in partibus occidentis & auſtri & aquilonis. Ab oriente nanque verſus has partes primus motus hominum fuit. Nam ab oriente venerunt in terram Sennaar, ubi reproba turris legitur fuiſſe conſtructa, & arca requievit in montibus Armeniæ, orienti quam occidenti vicinioribus, de qua egreſſi ſunt mundi ſecundi patres, ex quibus erant per orbem terrarum homines ſeminandi. Sed caſtrametati ſunt primo in planitiis juxta mare. Deinde aviditate viſendi interiora terræ homines intraverunt, educatu fluminum mare intrantium plurimi ad regiones incognitas aſcenderunt, conſiderantes aeris diſpoſitionem, amœnitatem ſitus, poſſibilem terræ culturam, fertilitatem ex cultu reportare credentes, paſcua pecoribus & animalibus apta, in remotam ab æquore terram ſocietate habitaculi conſederunt. Sed in omnibus his aut erat vaga libertas, aut ſuperioris alicujus moderamine coercita, ſuberat nocendi ſublimata impunitas, aut innocentia non defenſa, in nullis tamen vera juſtitia. Quoniam eo tempore, quo mundi regna ſive regimina cœperunt pro hominum voluntate injuſtè conſtitui, cœpit ad Deum pertinens populus juſſu Domini, linguæ prioritate, certo ſacrificio, atque circumciſione diſtingui. Nam prima diſtinctio fuit per linguam, quæ maxima & evidens fuit, ut ille populus duntaxat ad Deum pertinere noſceretur, in quo lingua remanſerat originalis, multiplici ex diverſo loquendi genere conceſſo aliis cæteris, quo facto in Babylone remanſit Nemroth derelictus à Deo, quia ipſe primus per libidinem dominandi Dei juſtitiam dereliquit. Aſſur verò inde egreſſus Ninivem magnam ædificavit, cui non ex principio hoc vocabulum dedit, ſed à Nino Beli filio ipſam ſuſcepit, quam in mori-

Geneſ. 11.

moribus, & lege, & ritu vivendi divinæ juſtitiæ non ſubjecit, ut declaravit ſucceſſus regentium, quia ipſorum tempore cultus exorſus eſt idolorum. Nam qualis fuit antiquitas, ſæpe declarat poſteritas. Hæ ſiquidem duæ civitates magna regimina obtinuerunt in partibus orientis, quamvis tractu temporis unum in alterum ceſſerit. In neutra verò fuit vera juſtitia, quia in illa, ut nequiter aſcenderetur in cœlum, fuit exorta ſive incœpta ſuperbia, in alia divini honores ſunt exhibiti creaturæ, Dei reverentia derelicta. Ibi illa venari cœpit Nemroth homines contra Dominum, in iſta per idoli cultum homines ſunt averſi à Domino. Ibi ſuperbia omnes confudit, hic idololatria omnes infecit. In neutra verò aliquid ſancitum ad honorem creatoris, ſed averſionem à Deo ex malis moribus ortam omnino cognoſcimus.

Cap. XXXVI.

Interpoſitio de nominibus regionum & civitatum, montium & fluminum indiſtincte.

NE autem aberretur, propter ea, quæ dicturus advenio, in vocabulis regionum aliqua eſt declaratio præferenda. Igitur hæc ſcrutatoribus pateant, quòd regionum aut climatum nomina non dedit Adam, quamvis ipſe omnibus ante ſe conſtitutis congruum dederit, & quòd ipſe vocavit, hoc extitit nomen ejus. Nec in originali mundo per vocabula, per quæ nunc aliqua diſtinctio facta eſt orbis, hæc ſolùm in regionibus & climatibus mundi pro uſu fuiſſe loquendi orientalis plaga, occidentalis plaga, meridionalis plaga, ſeptentrionalis plaga, quod uſque ad diviſionem linguæ poſt diluvium novimus obſervatum. Quo in tempore cùm diviſa eſt lingua, diviſa eſt terra, & mundi regionibus, partibus & climatibus data ſunt nomina, quæ ante ſecundum proprietatem regionum, aut ad voluntatem & ex nomine præcedentium, aut ex fortuitis caſibus ſunt impoſita. Nec mentibus hominum ſubrepant tres mundi partes, quibus primo diſtinguitur totus orbis, Europa, Aſia, Africa, ſic ante diluvium aut poſt, ante linguæ diviſionem, ut famoſè legimus nominatas, ſed poſt diviſionem linguæ certis eventibus talia nomina ſuſcepiſſe. Similiter de aliis provinciis ſub eis contentis, atque de inſulis & promontoriis, quæ à præſidentibus in eis ob humanam famam in gloriam aut à certis eventibus talia, quæ poſſident, nomina ſuſceperunt. Plurimum autem ex ſucceſſione præſidentium, aut eventu caſuum mutaverunt, ſicut & civitates quæ nomina ſuſceperunt à conditoribus primis, quæ ſæpe mutata ſunt à nominatoribus ſubſecutis, aut acceperunt ab eventibus variis, quòd ſi quis ſolerti mente geſtorum ſcriptores legerit, quæ dicimus, comprehendet. Nec in mentibus hominum cogitatio ſedem faciat, quòd ſic ab exordio nominatæ ſunt regiones atque provinciæ, ſicut nunc egerimus multa facta in illis nominibus expreſſis, ſed accepiſſe in poſterum nomen præditum vel ſervatum. Exempli cauſa multa ſubnecterem, ſi chronicam ſcribere cœpiſſem. Quiſnam lacubus, fluminibus, fontibus nomina dedit? Quis etiam niſi ex placito aut ex novis actibus commutavit? Nam ſi Adam ſpeciebus impoſuit nomina, non tamen earum individua nominibus conſignavit, ſed appoſita ſunt ad placitum ab eventu rerum, quod in ſuis filiis claruit & in multis naſcentibus cæteris. Hujuſcemodi veritatem ſi quis in ſcriptura ſacra multorum naſcendi ordinem, natorum interpretationem, corporis & vitæ proprietatem inſpexerit, apertè cognoſcet, quia in multis aliis nationibus errantium ſtellarum nomina hominibus tradiderunt. Hæc ideo diximus, ut cum aliqua in regionibus mundi recolimus, non credamus illa nomina tunc ab exordio tenuiſſe, quæ nunc habere lectitamus. Sed multa nominamus ad declarationem nominibus in poſterum datis, quæ non habebant in ſuis principiis & in multis, quæ referimus, geſtis. Multa nanque fuit diverſitas antiquorum ſcriptorum, quorum vitio aliquorum multa ſunt uſquequaque confuſa, ut ferè niſi opinativè poſſit ipſa varietas comprehendi. Quamobrem in rebus recitandis atque tractandis cogimur addere vel minuere, & ſæpe aliter, quàm geſta fuerint nominare. Sola quidem ſacra ſcriptura hoc ſervavit eximiè, quòd commutari non potuit, nec intantùm abradi, ut ad id, ad quod facta eſt, plenè non eluceſceret. Voluerunt ænigmatibus multa variare poetæ, & mendaciis, & appoſitionibus variis, velut ſi vellent non faſtu nominari prophetæ, ſed mentita eſt iniquitas ſibi. Nam fides Chriſtiana ita ſuos tuetur, illoſque refellit, ut prophetæ habiti

habiti ſint veraces, poetæ verò habiti ſint mendaces. Nam prophetæ vera viderunt futurum prænunciantia ſtatum veraque dixerunt per almificum ſpiritum, Poetæ finxerunt, & eorum aſpernatur fides Chriſtiana mendacium. Hanc interpoſitionem fecimus ob cautelam, cum in hoc opere, vel in aliis noſtris opuſculis, & aliorum de hujuſcemodi rebus dubitabilis ſermo profluxerit.

Cap. XXXVII.

Inconvincibile argumentum eſt, non eſſe veram juſtitiam à quibus per Deum jubetur divortium, ex quo ſumitur, & inſurgit diſtinctio populorum.

A Tempore diluvii uſque ad diviſionem linguæ ſimiliter & terræ anni creduntur ſexcenti viginti ſex, quorum trecenti quinquaginta anni pro juſto mundi dominio ſpéctaverunt ad Noë, qui tantum diluvio ſupervixit, quo mortuo, reliquum tempus vagum in quo aliquid dignum memoria virtutis & vitii factum à nullo refertur, non tamen, quin in illo tempore fuerint ſcriptura ſacra prodente, unius Dei cultores ſimiliter & contemptores. Ab initio quippe mundi uſquequo reſolvatur, bonorum erit mixtio cum iniquis, nec aliud ſenniendum, etiamſi omnis ſcriptura tacuerit. Prima verò peracta diſtinctione populi Dei per linguæ diviſionem, in qua populus humanam & primam linguam retinens creditus eſt Deo gratus, omnis autem alius populus in novitate linguæ tanquam reprobus eſt punitus, uſque ad Abraham aliam diſtinctionem factam non legimus, quamvis multiplicatis cum idololatria populis, populum unum verum & ſummum Deum colentem paſſum omnino credamus. Eſt enim perſecutio magna absque flagris & ferro, cùm quis cogitur intueri, quod non eſt licitum imitari, & compellitur audire, quod nefas eſt facere, & converſari cum eis, qui quotidie male peragunt digna pœnis.

Geneſ. 11. Qua perſecutione permotus Thare pater Abraham, cùm omni progenie ſua dimiſit terram nativitatis ſuæ, ſcilicet Chaldeam. Nam quia unum Deum colebat, aut vexabatur anguſtiis ab idololatris, aut ipſe idololatriam videre non poterat. Et cogebat eum ratio divinæ juſtitiæ, ac etiam omnem hominem piè vivere volentem, à diſſimiliter viventibus maximè à cultoribus idolorum, & à cogentibus ad inhoneſtum ſive nefandum ſuadentibus, omnino recedere.

Geneſ. 12. Abraham verò adhuc vivente patre, à Deo præceptum egreſſionis à terra nativitatis, & cognationis accepit, quia cogebatur idolola venerari per ignem, quamvis alia cauſa poſterioris egreſſionis ſubeſſet, pro eo, quòd futurus ad magna & ardua parabatur, Claretque per aliorum relata veridica, quod divino juſſu receſſerit Abraham à diſſimiliter viventibus, factus cum gente ſua domino gratanter acceptus, & omnis alius populus reprobatus. Nam ut legitur in libro Judit, cùm Judith. 5. ab Holoferne dux Ammonitarum Achior de Dei populo quereretur, ab hoc quem dicimus Abraham, & ab ejus tempore cœpit ordinem narrare, dicens: ſi digneris audire domine mi, dicam veritatem in conſpectu tuo de populo iſto, qui in montanis habitat, & non egreditur verbum de ore meo falſum. Populus iſte ex progenie Chaldæorum eſt. Hic primum in Meſopotamia habitavit, quoniam noluerunt ſequi deos patrum ſuorum, qui erant in terra Chaldæorum. Deſerentes itaque ceremonias patrum ſuorum, quæ in multitudine deorum erant, unum Deum cœli coluerunt. Et præcepit eis, ut exirent inde, & habitarent in Tharram. Denominat iſte hunc populum non à prima origine, ſicut per rectam genealogiam transductus eſt ab Adam uſque ad Noë & à Noë uſque ad diviſionem linguæ, ſed ab illa diviſione, in qua etiam diviſa eſt terra, & Heber cum generatione dunraxat Phalec filü ſui, quandoquidem non in omni generatione prima lingua remanſit, à Nemroth & ab aliis generationibus ſeparatus, in Chaldæorum terram ſeu Meſopotamiam ipſe ſeceſſit. Geneſ. 11. In qua recta ſucceſſione Abraham naſcitur ex Thare, quam obrem recedendo ab his, qui non ſunt populus Dei conſtruitur populus Dei. Et magna oritur fama nominis, cùm Deum non relinquit, qui terram reliquit. Recedere ab improbis veſtigium eſt virtutis, & nominari dignè meruit, qui hoc fecit. Ecce iterum per alloquium divinum diſtinguitur populus Dei à non populo Dei. Loquitur dominus Abrahæ, quem caput volebat præficere magnæ gentis, ut tale alloquium magnum ſecretionis ſit Geneſ. 12. ſignum, quòd in hoc & gente ſua ſit Deo

accepta

accepta juſtitia, in reliquis verò injuſtitia, Dei reverentia derelicta. Et eſt inconvincibile argumentum, quòd ab impiis ſegregat hominem pium. Nunquam enim in hac vita niſi reſpectu deferendæ iniquitatis, aut majoris inferendæ virtutis, Deum legimus talia divortia præcepiſſe. Iniquitatem, non aliquam juſtitiam in illa gente Deus eſſe proſpexerat, à qua fidelem ſuum Abraham tanto ſtudio ſegregabat, quem potius volebat in mundo fieri peregrinum, quam certam patriam incolere eum iniquis. Proinde audaci voce Holoferni loquitur Achior, quoniam noluerunt ſequi Deos patrum ſuorum. Unde colligitur etiam generationem Heber quanquam non totam, tractu temporis ſe ad colenda idola contuliſſe, ut uno Deo relicto, Deos multos ritu nefario adorarent quos Deum unum colentes colere noluerunt, ac illorum colentium ceremonias abhorrentes, divortiati ab eis in partem aliam ſeceſſerunt, & coluerunt Deum cœli. Deus cœli apud Hebræos tantummodo creator omnium intelligitur, apud alias nationes Deus cœli quaſi Deus altiſſimus habebatur. Nam aliæ nationes præter Hebræam quamvis unum ſummum Deum crederent, non tamen fide noverant creatorem. Semper enim à confuſione linguæ mentes exceſſit terrena ſapientium, ex nihilo fieri creationem primum omnium rerum. Idcirco in omnibus gentibus linguis, populis & nationibus quamdiu firma manſit notitia ſive firma credulitas creatoris, nunquam delatum eſt diis. Qua deſcendente aut tremula manente in cordibus hominum cultus affuit idolorum, quem Thare pater Abraham, & ipſe Abraham nondum prole lætatus à Deo juſſus deſeruit. Quod etiam Stephanus, ut in actibus legitur in conſilio reſpondens diſſeruit: Viri patres & fratres audite: Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abraham, cùm eſſet in Meſopotamia, priusquam moraretur in Charram, & dixit ad illum: Exi de terra tua & de cognatione tua, & veni in terram, quam monſtravero tibi. Tunc exiit de terra Chaldeorum, & habitavit in Charram. Et inde poſtquam mortuus eſt pater ejus, tranſtulit illum in terram iſtam, in qua vos habitatis. Hæc idcirco memorando decrevimus, ut ſciamus in gentibus veram non eſſe juſtitiam morum, atque regiminis, à quibus Deus ſeparabat animo & corpore, quos elegit. Electio & reprobatio juſtitiæ & injuſtitiæ vera ſunt ſigna, ut intelligatur juſtitia in electis, in reprobis verò injuſtitia relinquatur. Magna protinus ſunt teſtimonia ſcripturarum, quòd propter idololatriam ſit populus reprobatus, à quo fidelis unius Dei cultor extitit divino oraculo ſegregatus. Ac per hoc neque intentione, neque in moribus noſcitur vera juſtitia, ſi acceptus Deo ab ipſo ſegregatur in voce, implacitus vero terendo relinquitur. Non legimus ſæpe Deum habuiſſe colloquia cum iniquis, excepto Cain, volebat corripere, cùm ſuis electis verò ad dirigendum eos in viam rectam, frequenter allocutum cognovimus. Proinde in his quos direxit pro obſervatione juſtitiæ, ſuum erat placitum voluntatis, in his quos allocutus non eſt illis temporibus erat implacitum, quanquam poſt illas primas eruditiones patriarcharum atque prophetarum non ſemper fuerit locutus electis, ne ſequeretur damnata concluſio, quòd cui Deus non loqueretur, electus eſſe non poſſet.

Cap. XXXVIII.

Quòd ex allocutione divina, & circumciſione appoſita comprehendatur in Abraham & ſibi applicitis vera fuiſſe juſtitia, in aliis verò regnis injuſtitia reprobata.

IN poſteris autem placuit omnipotenti ſpeciali charactere populum ſuum à cæteris inſignire, videlicet circum- Geneſ. 17. ciſionis ſacramento, ut ſic data penitus circumciſio agnoſcatur, ut omnis maſculus circumcideretur de ſemine Abrahæ, ut ſic charactere notaretur Dei populus, ac etiam quicunque non fuerit de ſemine Abrahæ natus, ſi voluiſſet in fide Hebraica circumcidi, reputaretur, acſi eſſet de populo ſancto Dei ſolo, in quo directione divina ſervabatur vera juſtitia, in aliis populis & regnis unius Dei vera juſtitia derelicta. Porro jam erat regnum Babylonis initiatum à Nemroth, regnum Aſſyriorum inchoatum ab Aſſur, regnum Sachorum inchoatum à Ragau, regnum Ægypti initiatum à Saruth, & alia plura regna, quæ numerare prolixitatem præter utilitatem generaret. Maximè verò tempore Abrahæ tria regna in orbe præcellebant: Aſſyriorum in Aſia, Ægyptiorum in

Joſeph ab Ægyptiis oppreſſa, vehementer in aliis populis originalis juſtitia confundebatur, nec fiebant alloquia divina, neque directiones in malis devitandis, atque in actione virtutum. Solùm Job legimus vera juſtitia præditum in aliis nationibus incircumciſis. Si verò in ſua natione aut aliis ſimiles aliquando fuerunt, ſcriptura ſacra non explicat, quamvis eſſe potuiſſe impoſſibilitas non excludit. Alloquia divina, ſi facta fuiſſent in aliis populis, ex aliquibus innotuiſſet relationibus ſive ſcripturis. Sed ideo non innotuerunt, quia nec facta fuerunt, ſed tantum in illo populo circumciſo, ex quo debebat ſecundùm carnem oriri unigenitus Dei Filius, cui conjungendus erat populus à peccatis omnibus circumciſus. Et ſicut in libris antiquitatum mundi legitur, multa ſunt exorta regna ritusque vivendi, eo tempore quo Dei populus in Ægypto tenebatur, & niſi hunc, nullum alium novimus Dei populum appellatum. Proinde ſuadet ratio vera, ibi juſtitiam eſſe non credere, ubi non eſt titulus aut effectus populi Dei, ſi ibi eſſe noſcitur veræ juſtitiæ ratio, ubi populi Dei ab ipſo Deo indicitur appellatio. Non enim abſque occultis meritis atque demeritis, cum Deus acceptor perſonarum non ſit neque populorum, iſte appellatus eſt populus Dei, cæteris reprobatis, in quibus lumen & actio veræ juſtitiæ non illuxit. Et mirum quod in una eademque regione ſub uno principe habitabat populus Dei, & non populus Dei, à quo tandem Deus populum ſuum propter juſtitiam, quam in terra peregrinus ſervabat, exemit, quem propter injuſtitiam diu populus viriatus oppreſſit.

Cap. XL.

Quo jure fuerit dominium æquum à Moyſe uſque ad Saul in populo Dei, & non alibi.

Exod. 2. TEmpore quo populus ab Ægyptiis indebitè premebatur, quendam Dei providentia præſervatum à juſſa morte puerorum Hebræorum, nomine Moyſen, quia de aquis ſumptum, tunc per figuram ex Ægypto in rubo Deus allocutus eſt, ut educeret omnem illum populum ex Ægypto in terram, quam eis daturus erat, non tantùm propter eorum juſtitias, quantùm propter injuſtitiam opprimentium, & iniquitatem terram, quam promiſerat, poſſidentium. Quod & factum eſt in multis prodigiis atque ſignis. Quo quidem tempore facta eſt major diſtinctio populi Dei, & data forma vivendi apertior, quàm retroactis temporibus facta fuerit, aut præſumenda fuerit fieri in futuris. Illa duntaxat excepta, quæ per mediatorem Dei & hominum facta eſt, quam nulla præceſſit potior, nulla eſt futura poſterior. In qua non ſolùm ille rudis populus ab aliis eſt dictus & aſſumptus in Dei populum peculiarem, ſed omnibus aliis populis eſt præſcripta norma vivendi, ut, ſi ſicut Moyſes à Domino ſuſceperat, vivere vellent, eſſent legitimus & peculiaris populus Dei. Hæc ſiquidem diſtinctio fuit per legem, quam quinquageſimo die quo egreſſi fuerant ex Ægypto, Moyſes vocatus à Deo in Sinai monte ſuſcepit, in qua præcepta decem tantæ authoritatis atque firmitatis & immutabilitatis appoſuit, ut quicunque animo contumaci rationis capax ſervare contempſerit, damnaretur, omni ſpe redemptionis adempta, & dum viveret, à Dei populo fieret anathema, ſi quis illa inviolata ſervaret, eſſet abſque dubio de populo Dei futurus ſuo tempore in gloria ſummi regni. Non invenimus, neque in credulitatem veniat, quòd alia lex fuerit data in aliis populis & nationibus mundi, præter iſtam, quam pro univerſo mundo non tantùm pro illo populo dedit Dominus Moyſi, ſed iſte populus accepit meritò patrum, qui fidem & unius Dei cultum ſervaverunt, & iſte populus paternis dictis credendo ſervavit. Proinde indubitata fide tenendum eſt, lege à Deo promulgata, non eſſe de populo juſto Dei, non cuſtodita fide atque moribus legis Dei, nec eſſe poſſe alibi rationem veræ juſtitiæ, præterquam in divina lege. Lex enim Dei explicat voluntatem, & inſinuat qualiter eſt in animo, vita motibusque vivendum. Lex Dei immaculata eſt, irreprehenſibilis eſt, convertens animas hominum ad unius Dei fidem & cultum, & qualiter vivatur in regula irreprehenſibilium morum. Lex Dei eſt illa juſtitia, qua homines recto placito fiunt ad Deum, & inter ſeipſos ſine querela irreprehenſibiliter converſantur. Ac per hoc Dei voluntate manifeſta per legem, & juſtitia per eandem innotuit. Nihil enim juſtius voluntate Dei, quæ ad hoc per legem Dei eluxit, & hominibus claruit, ut ad id, quod facti ſunt veherentur. Nec autem quærendum, cur ſic voluit homines vivere, ſed hoc pro veritate habendum, quod ideo legem juſtam humano generi poſuit, & in Moyſe renovavit, ne homines per humana & corruptibilia defluentes, averterentur à creatore, qui eos ad ſeipſum, ut beatificaret, crea-

verat, & ne converterentur ad peſſimum hoſtem, qui totum humanum genus in paradiſo & protoplaſto deceperat. Amor æternus fuit quod Deus juſtitiæ legem hominibus poſuit. Similiter internis quæſtionibus non anguſtetur, cur ad omnes homines iſta lex juſtitiæ non pervenit, quoniam lex divina eſt in hominum electione antequam capiatur, non in neceſſitate dantis ſive recipientis, cùm verò fuerit voluntate ſuſcepta, verè fit neceſſitas obſervantis, non tamen ſervatam ſequitur juſtitia punientis. Fuit Dei proprium illam dare, hominum verò fuit illam ſuſcipere, neque data fuit in conclavi aut in occulto, ſed in monte, in igne, coruſcationibus, & terræmotibus, atque tonitruo. Nec populus mundo ignotus illam accepit, nec numeroſitate parvus, ſed populus notus mundo declaratus à Deo in magnis ſignis atque portentis, in miro tranſitu rubri maris, in columna ignis & nubis, ut etiam in eorum tranſitu per deſertum omnes finitimi terrerentur. Et quanta Moyſi, & in manu Joſue & judicum tempore Deus huic & pro iſto populo fecerit, melius facer textus eloquitur. Parvus numero nec dici poterat, qui in ſexcentis ſex millium hominum abſque pueris & mulieribus egreſſus fuerat de Ægypto. Et quanquam tota illa multitudo mortua fuerit in deſerto, in eodem ex noviter natis factus eſt numeroſior. Proinde aliæ nationes, quæ illam juſtitiæ legem in illa prima datione non acceperunt, ſi voluiſſent potuiſſent accepiſſe in poſterum. Maximè, dum ille populus expulſis à Deo exoſis, firmatus eſt in Jeruſalem, & Samaria uſus eſt, & habuit reges ſicut cæteræ nationes. Et illud famoſiſſimum templum, & ſapientia conditoris ejus ad ſui viſionem homines de univerſi mundi partibus advocavit, & prophetæ hujus populi habiti ſunt veraces, poetæ aliorum inventi ſunt uſquequaque mendaces. Sed voluerunt homines, ut nati erant, gentiliter vivere cum modicis legibus humaniter factis, juſtitia Dei contempta, quam ſi cœpiſſent, aut in moribus & vita juſti fuiſſent, aut duntaxat cognitione atque ſcriptura Dei juſtitiam tenuiſſent. Non illam dico juſtitiam, qua portæ patefactæ ſunt cœli, quæ in mediatoris Dei & hominum edicto tantùm vulganda ſervabatur, quæ ab illa prima & originali, quæ fuit ante peccatum in parentibus primis, nunquam poſt peccatum fuit uſque ad Chriſtum in naſcentibus & viventibus cæteris, quoniam illa originalis juſtitia cuſtodita, ſicut juſtitia mediatoris tradita per Evangelium, ſupernum patefeciſſet regnum. Nam quæ juſtitia eſſe potuit, quando pro legibus tenebantur voluntates majorum, qui à veritate deſciſi, & turpia & nefanda imperabant? Qui & ſi aliquid pro moribus & ſubjectorum pace ſanxerunt, non tamen reſpectu illius boni finis, ad quem debet eſſe intentio omnium in hac vita naſcentium, neque condiderunt leges temporales ſub moderamine legis æternæ, ſed libera voluntate. Erant immutabiles leges Perſarum atque Medorum, ſed nihil providebant æternum, nec omne temporale decernebant honeſtum, ſed in plurimis impingebant in naturalem legem, & huneſtatem morum in plurimis perturbabant. Condidit leges primus in Græcia Foronæus, & ordinavit publicas ventilationes cauſarum. Sed nec in eis detulit omnipotenti Deo, nec ſuis legibus finem juſtum appoſuit. Ex fine profectò multa juſta ſive injuſta judicantur. Dedit legem altiſſimus univerſi Dominus & creator. Cur ante ipſam leges conditæ non ceſſerunt in ipſam? Cur poſteri conditores non tenuerunt illam? Sed unaquæque gens voluit ſuo arbitratu gaudere, & mundi principes, & tyranni voluerunt imperare ſubjectis, non ſecundùm legem Dei, ſed ſecundum arbitrium propriæ voluntatis. Unde igitur æquum jus dominandi, niſi ex vera juſtitia legis divinæ? Æquitas dominandi eſſe non potuit, in quibus juſtitia legis naturalis non fuit, quouſque lex ſcripta mundo inclaruit. Ab eo autem tempore, quo ab hominibus eſt lex ſcripta ſuſcepta, æquitas dominandi eſſe non potuit in aliis nationibus, Dei lege contempta. Ac per hoc poſtquam lex ſcripta mundo innotuit, & Moyſes cum populo mandata ſuſcepit, præterquam in ipſo, ipſo vivente penitus æquitas dominandi non fuit. Ipſe ſiquidem conſtitutus à Deo dux populi ſui peculiaris in manu ejus facta eſt diſpoſitio legis, cui Joſue à Deo præordinatus, & à Moyſe conſtitutus in divino jure ſucceſſit, poſt quem ſecuta eſt in populo Dei judicialis authoritas eo jure dominandi, quo ſequebantur legem Dei. Tandem ille populus voluit regem, ſicut cæteræ nationes, quem per voluntatem Dei accepit in unctionibus Samuelis. In aliis verò nationibus nunquam à Deo reges legimus datos, ſed in ſua diſpenſatione permiſſos. 1. Reg. 8.

Leges ſimiliter datas non legimus, ſed ipſo permittente plures factas ab hominibus in hiſtoriis lectitamus.

(o)

Cap.

Cap. XLI.

Quòd Deus primum regem populo ſuo primò diſſuadens, ne vellet, dederit.

AB omni creatore omnipotente Deo rege ſuper ſuo populo conſtituto, inclaruit ipſum eſſe legitimum regem, quem Deus cum ſua lege conſtituit, non illos, quos ipſa tyrannis, aut hominum multorum voluntas inſtituit, maximè quia taliter inſtitutis lex divina non aſtitit, cùm ſæpe poſſint reges ab hominibus inſtitui, abſque quòd Deus deſuper faciat manifeſta voluntate decerni. Qui eo ipſo veri ſunt reges, nam leges inducunt in hominibus mores, peraguntur autem moribus leges, quarum actiu reciproca & relata, æquitatem ponit in myſterio dominandi, & præſtat immaculatam ſecuritatem in officio exequendi. Sed, cùm ſuus populus petiſſet regem, dominus per Samuelem penitus diſſuaſit, præcavere cupiens, quod evenit. Sed cùm inſiſteret populus, regem cum jure dominandi conceſſit. Et quanquam primus rex in populo ſuo demerito exriterit reprobatus à Deo, tamen inſtitutus eſt juſtus. Sed ob hoc nolebat Dominus populo ſuo dare regem, volens verè regere in manu ſacerdotum, & prophetarum, quibus ut bene regerent, ut Moyſi præſtabat, & præſtitiſſet alloquium. Reges, cùm culmen potentiæ attigiſſe cognoſcunt, ipſum omnium conditorem ſæpe contemnunt, nec refertur gratia conditori, ſed prætermittunt poſitam legem, & ſequuntur improbam voluntatem. Et Deum ſæpe deſerunt, ut ipſi à Domino deſerantur, quod factum eſt in Saul. Magna prorſus erat benignitas creatoris, quòd ipſe volebat populum ſuum regere in diſpoſitione datæ Moyſi legis, & in ſuis alloquiis & directionibus atque revelationibus adhibendis.

Cap. XLII.

Quòd, quales debeant eſſe reges, Moyſen ante inſtruxerit.

SEd præviderat Deus regem ſuum populum petiturum. Quamobrem qualis deberet eſſe, qui regeret, Moyſen docuit. Ut exinde regibus omnibus atque principibus daretur juſta forma vivendi atque regendi, ut vera eſſet æquitas dominandi, alias juſta non eſſet poteſtas ſeu ratio imperandi. Dixit quoque Moyſes populo, prout ipſe accepit à Deo. Cùm ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam habitaturus in illa, & di-
Deut, 17. xeris. Conſtituam ſuper me regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues, quem Dominus Deus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus. Cumque fuerit conſtitutus, non reducet populum in Ægyptum æquitatis numero ſublevatus, præſertim, cùm Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam revertamini. Non habebit mulieres plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti & auri immenſa pondera. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt, nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram. Ecce quale decretum omnipotens regibus poſuit, & quales eſſe voluit, qui gubernant. Sed hujuſcemodi in nullo alio populo legimus, neque ſimile in manu cujuſpiam prophetarum, unde rationem dominandi, & rectè vivendi juſtitiam poſſumus advertere.

Cap. XLIII.

Quibus probetur documentis, veram regendi juſtitiam gentibus defuiſſe.

QUis enim veri & juſti regiminis apud gentium reges imperandi & obſequendi ordo eſſe potuit, ubi reges aut facti ſunt angariis, non virtute, fraude, non lege, violenta poientia, non rationali electione humana, qui adoraverunt omnem cœli militiam in excelſis, honorem verò non tribuerunt omnipotenti Deo? In qua gente
1. Reg. 10. 1. Reg. 16. uncti ſunt decreto Domini reges à Sanctis viris atque prophetis, præterquam in populo ſubdito præceptis divinis? Nam primus Rex à Domino conſtitutus, unctus eſt à Samuele, ſecundus qui David, unctus fuit ab eodem. Nec quidem authoritate Samuelis, nec conſtitutione illius gentis, ſed mandato domini ſic deſuper decernentis. Uncti fuerunt etiam deinceps in populo Dei reges, & quanquam omnia in figura contigiſſent illis, nihilominus tamen illo in tempore in eis vera erat ratio conceſſa juſti dominii atque regiminis. Quomodo verum dominium inter gentes, quæ ignorabant Deum? Quomodo habebatur vera ratio dominandi, & vera juſtitia inter gentes, à quibus ſuum peculiarem populum cavere voluit, ne opera eorum converſando diſcerent, & ſi aliquando mixti ſunt cum eis, eorum damnata opera condiſcentes, illico ſunt puniti? Et ſi à lege data tanto errore diſceſſerunt, continuò traditi ſunt ad puniendum in manibus exterorum. Quanta diligentia omnipotens ſtuduit præcavere, cùm populus ſuus tradendus eſſet ſub jugo gentilicæ ſervitutis, ne ſubacti etiam eorum opera ſequeretur, cum quibus voluit ſuos adeſſe prophetas, à quibus quotidie monerentur. Quanta claritate Verborum Jeremias incuſſit transmigratis, ne timerent gentes, ſub quibus captivi tenebantur, ne deſerent legem Dei, ut gentium idola non ſequerentur, declarans quæ ſunt, & illos in omnibus aſpernatus, quicunque ſacrum textum legendo intellexerit, iſta cognovit. Et ſi populus Dei ſibi ſua lege & certo cultu ligatus, in regibus ſæpe deliquit atque ſubjectis, ut etiam turpiter & probroſa morte in Sedechia rege ipſorum regnum finiret, non fuit culpa juſtæ Dei legis, ſed dementum propriæ iniquitatis. Lex ſiquidem juſta, & mandatum ſanctum erat, quibus malè uſi ſunt, quamobrem deliquerunt, ipſam tamen legem ſentientes in pœnis, quam in moribus abjecerunt. Sed nec iniquitas hominis veram excludit juſtitiam legis, ſicut juſtitia legis non communicat cum malitia hominis, ſed illam perſequitur authoremque punit, aut ab ipſa omnino divortium facit. In hoc quoque deliquerunt gentes, quia ipſam non ſuſceperunt, ſicut illi, qui ſuſceptam non ſervaverunt, illi non ſuſcipiendo, iſti non obſervando. Sed ampliori delicto ille qui ſuſcepit, & credidit, & poſtmodum reſilivit, quàm is, qui nunquam tali lege ſubjacuit. Peccavit populus nationum per ſuperbiam, pro eo, quòd accipere noluit, & per ignorantiam quia neſcivit. Peccavit populus Dei per ſuperbiam atque malitiam, quia ſervare contempſit.

Cap. XLIV.

Rationibus aſtruitur, quibus poſſit, cum non poſſit in regnis eſſe juſtitia.

SEd habet populus Dei populus ipſius lege prædoctus, quo conſurgat in regibus, & ſubjectis, ſi aliquando deliquit, quia ad ipſam legem per ipſam eandem recurrit, quam credidit. Gentium verò eo irremediabilior eſt caſus, quo lege carens, in quo reſurgat non habet, ſed ſemper ad peiora relabitur, niſi Dei legem credendo ſuſcipiat. Ac per hoc ab eo tempore quo cœperunt mundi regna conſtitui atque diſtingui, præterquam in his, in quibus facti ſunt divini afflatus atque directiones in nullis vera ratio dominii fuit, neque in regno Aſſyriorum, neque in regno Medorum, Perſarum, Aginorum, Sycioniorum, Dardaniorum, Ægyptiorum, Scytharum, Eparchamorum, Athenienſium, Lacedæmoniorum, Macedonum, Laurentinorum, Latinorum, Carthaginenſium, Romanorum, atque omnium quoquo nomine cenſeantur, pro eo, quòd ipſorum juſtitia originem veræ juſtitiæ non reſpexit, potentia dominandi uſurpationis & libidinis accepit initium, & non cognovit illum, à quo poteſtas regnandi vera procedit, nec cùm illi regnabant, unum verum

DEUM,

DEUM, ſed DEOS dicebant authores. Et eo ipſo in obliquum cadebat potentia dominandi, quo cunctorum non revertebatur authorem, quoniam omnium rerum ordo, qui per prius & poſterius conſtituitur, unum arguit principium, à quo ſumpſit initium, ut ſi quid in illa inviſibili regula ordinis, qua omnia in ordine conſtituuntur, à principio diſcreparet, rationem ordinis non haberet, & turparetur inviſibili turpitudine ordo, in quo ſit per prius & per medium competens progreſſio, ubi poſterius irreprehenſibiliter non aptaretur. Nam omnis poteſtas à domino Deo eſt, ut in omnibus æterno & incommutabili jure ſit ipſa ſuperior atque prior, ad quam irreprehenſibili ordine o mnis eſt referenda poteſtas, prout una aliam uſque ad minimam certa ſerie ſubalternat. Sed cæca gentilium libido regnandi, à rectitudine ordinis deviavit, ut ſuum prius non cognoſceret, à quo ſe regem, & à ſe rectum per impietatem avertit. Multitudo quæcunque ex ſuis aggregata compoſitis, ab unitate ſumpſit exordium, ut nec mulriplicitas eſſet, niſi prior unitas extitiſſet, ut uſquequo pervenire poſſit ratio calculandi ad multitudinem faciendam, quotum ſit in ordine numeri, tantùm diſtet ab unitate initiali, & præcipitatur omnis rario numeralis, ſi primam partem non reſpicit. Proinde ſi ratio dominandi eſſe in hominibus noſcitur, quod in ipſo ſervetur ratio multitudinis, unde proceſſit, ſit neceſſarium, ut ſciantr, unde dominandi poteſtas aut eſt in illa multitudine, quæ ab una, prima & vera unitate proceſſit ſervata ratione, qua in multitudine eſſe contingit, aut eſt in alia multitudine, quæ illam ſacroſanctam primam non reſpicit, ſed ab illa ſe avertens propria dominandi libidine ſe ipſam conſtituit, & ſequetur, & ſequitur malæ voluntatis unum principium malum relinquens naturale, atque æternum unum principium vetum bonum. Bonorum omnium quædam eſt inviſibilis & rationabilis connexio, quæ cœpit in aliquo adoriri. Porro connexa ſunt bona divina, ad quæ omnia bona & in ratione bonitatis conveniunt. Jure igitur cum dominante primo convenient, & tanto conjunctius, quantò ſeperatim pejus agent, & quantò ab ipſo procedunt, ſine quo eiſe non poſſunt. Et hæc ratio naſcitur inſita entibus, ut velint eſſe, quod ſint, nec malè, aut non eſſe cognoſcunt. Sed quod appetunt, omnino non eſſet, & quod refugiunt, fieret, ſi non ſe ad conſtituens & conſervare valens omni ratione connecterent. Magis autem libet intueri, quid perfectum eſt in rebus, & quid imperfectum, & ex voluntate corrupta reperitur aliquid vitioſum. Porro quod mancipatum eſt vitio, excluditur ab ordine perfecti & imperfecti, & omne perfectum nequaquam eſt vitioſum. Perfectum ſiquidem atque imperfectum progreſſiori oculo ſe conſpiciunt, velut ſi unum ab altero progrediatur. Imperfectum enim dominium quod in hominibus à Deo conſtitutum eſt, ſi non vult tranſire in vitium, reſpiciet, & ſe tenebit ad ſuum perfectum, à quo traxit initium, & ſecit ſubjecta gubernando progreſſum, & illius tenebit in animo & moribus legem, à quo traxit originem, maximè ut non exorbitet, à quo penitus habuit, ut ſic eſſet. Omnia ſiquidem, quæ non per naturam, ſed participatione alicujus boni bona ſunt, eo ſunt meliora, quo illo bono magis participant, ſicut corpora, quæ participant lumen ſolis, ex eo habent plus luminis, quo ex ipſo proprietate ſua partem capiunt ampliorem, & quæ calefiunt ab alio, quàm ipſorum natura contineat, eo magis caleſcunt, quo ad calefaciens habent proximitatem, & omnia dependentia magis ſunt, quam ſunt, ſi à quo dependent jure juſto reſpiciunt, & quæ minus, minus, & quæ nihil, id quod faciunt habent, & eo pejora, quo ſe à ſuis conſtitutionibus quomodolibet abegerunt.

Cap. XLV.

Æterno fine non conſtituto, modica, ſi qua fuit, reputatur bonitas nationum.

NOn autem negamus in aliis nationibus boni aliquid affuiſſe, pro eo, quòd quam plures virtutibus ſtuduerunt ad terrenum regnum imperturbatè tenendum. Et ut multorum improborum frænaretur iniqua facultas, juſtitia uſi ſunt & prudentia in agendis, & temperantia in cavendis & ex fortitudine animæ multa firma tenuerunt, pluraque ſuſtinuerunt & ardua ſunt aggreſſi, ſed nec ex his facti ſunt cultores ejus luminoſiſſimæ veritatis, ſed ſectatores tetriſ-

ſimæ falſitatis. Nec etiam affirmamus in his, qui acceperunt legem Dei, peccata deeſſe, & deliquiſſe in lege cognoſcentes peccata per legem. Sed ſicut illi ex aliquibus bonis humanisque operibus non habuerunt veram juſtitiam, ſic iſti ex quibuscunque malis operibus Dei legem non fecerunt injuſtam. Et ut uſque ad Chriſtum univerſorum legitimum regem tempora, & regimina connectamus, modica tangentes, ut ex ipſis eorum conſiderationibus plura capiamus. Qui hæſitant, reſpondeant, ſed prius alta mente pertractent. Non legimus Dei populum ſibi feciſſe legem, ſed accepiſſe à Deo, fecerunt ſibi leges aliæ nationes, quia præter datam Moyſi aliam non acceperunt, iſtamque noluerunt, qusm ſi accepiſſent, condendis legibus non vocaſſent. Nam neque opus erat lege humana, jam promulgata divina. Nec populi Dei reges leges facere alias præſumpſerunt, ſicut reges gentium ſeu paganorum. Sed qui fuerunt legis Dei perſpicui zelatores, illam & ipſius cultum juſſerunt ſervari à populis ſicut illa dictabat, quæ à Deo data omni carebat errore. Cùm ſchiſma verò poſt Salomonem in Dei populo naſceretur, diviſæ ſunt tribus, diviſi ſunt mores, deſtructi ſunt ritus, & conſtituti ſunt reges peregrini & improbati cultus altaria facientes, & ſi quid boni zeli Dei & legis illorum reges habere viſi ſunt, in hoc condemnatur, quòd excelſa non abſtulerunt, contra quos miſſi ſunt prophetæ ad improbationem regum & populorum, & ad confundendum idololatricum cultum. In Jeruſalem verò remanſerunt duo tribus & ſemis in templo Salomonis Deum ſtatuto cultu colentes, quæ de tribu Juda regem habuerunt, & unctionem in manibus prophetarum, & argutionem malorum ſuorum in manibus eorundem. Ecce divina ſolicitudo ſuper reges populi ſui etiam jam diviſi, ut prophetas ad unctionem, ad prædicendum futura, ad prædicandum bona, ad deteſtandum perverſa, quos reges & populi poſſent de ſuis actionibus interrogare, non abſtulit, imo dedit, & ſolùm ipſi unius Dei & nominis ejus notitiam habuerunt. Unde Pſalmiſta dicit: Notus in Judæa Deus, & in Iſrael magnum nomen ejus, non in aliis nationibus. Quæ notitia jura dominandi, regendi, rectèque vivendi conceſſit. Agnoſcat igitur qui aberret, quantam authoritatem non ſolùm bonis, ſed his, qui peccaverunt notitia unius veri Dei conceſſerit, ſine qua nullus ad ſeipſum juſtus ſit, & ad alios regendos, aut cum aliis convivendo juſtus eſſe non poſſit. Si qui verò nequiter inceſſerunt, non merito juſtæ legis, non negligentia prophetarum verorum, ſed demerito malæ voluntatis & falſorum Prophetarum, quos ſequi pro placitis voluerunt, non autem condiderunt novas leges, nec Moſaicam improbaverunt ut malam, quanquam ſacerdotes templi aliquas traditiones fecerunt, quæ divinis mandatis repugnare videbantur, ſicut eos dominus noſter Jeſus de honore parentum in Evangelio reprehendit, quod non proceſſit ex decreto regum, nec ex oraculis prophetarum, non ex contemptu populorum, ſed ex avaritia peſſima ſacerdotum, contra quos ſæpe clamavit cognitio prophetarum. Sed cæteræ nationes non receperunt legem Moſaicam, & arbitrariam condiderunt, & quanquam viderentur conditæ ab hominibus leges ex multis ferè concordes, non tamen veram juſtitiam poſſederunt, nec regnandi ſuper homines irreprehenſibilem æquitatem. Erratur omnino in virtutibus, ſi earum non referuntur authori, & mores omnino culpantur, qui vagantur incerti, nec ordinantur ad illum, à quo ethica perfecta conſiſtit. Supra ſolum poſita pulchra domus ſi à fundamento defecit, modici eſt momenti, virtutum omnium fundamentum conditor eſt earum. Jus ſubſiſtendi atque creſcendi non habet in arbore, ſi præciſus eſt ramus, nec præciſum membrum naturæ in corpore jura tenet. Non condunt leges ſub regula, ſub monarcha, ſed ipſius ſequuntur, cùm æditam noverint, atque vulgatam. Summus monarcha poteſtate, natura, ſcientia ſemper fuit conditor univerſi, qui prout novit expedire hominibus à ſe creatis in hac vita degentibus, leges tradidit convivendi, & ſecernendi eos, qui ſunt ejus ab his, qui juris proprii eſſe voluerunt. Ac per hoc, quoniam virtutes inviſibiles ſunt, in actum viſibilem inducentes, æternum reſpectum habent. Miſera protinus eſſet virtutum ipſa conditio, ſi terminarentur in his, quæ varietate temporum peraguntur. Qui verò virtutum directione diſponere cuncta videntur, eo ipſo aberrant in intentione, quo virtutum finem debitum abjecerunt, nec virtutes ſuam poſſident rationem, virtutem ſi dimittant æternam. Et ut in his, qui ab ipſis ſe credunt ad agenda movere defectus appareat, in illis, quas credunt virtutibus malè agunt, ſi finem æternum appoſitum in virtutibus non advertunt. poteſt tamen in eis plus vel minus informiter aberrari, ſi hominum geſtus exteriores & interiores virtutis finem perfuncto-

Pſalm, 73.

Matth, 15.

Marc, 7.

functorium ſortiuntur. Quæ ipſarum erit celebris differentia, cùm omnium rerum reſpectu finis maximè comparationis diſtinctio attendatur, & eo nobilior ſit virtus, vel actio, quo nobiliorem finem ipſa intendit, & agendo præfixit. Rerum omnium viſibilium & inviſibilium conditor, ipſe perſtat continuus & infallibilis & juſtiſſimus ordinator, qui virtutibus inviſibilibus inviſibilem & æternum ſtatuit finem, & actiones hominum ad eundem voluit retorqueri, non enim inviſibilia propter viſibilia, ſed viſibilia propter inviſibilia ſunt creata, ut etiam quæ viſibiliter & ſenſibiliter & in corporibus fiunt, æterna Dei lege ad finem referantur æternum, ut ſicut certus manet ordo cauſarum, manet & voluntatum, conſiſtat & actionum. Igitur modica fuit bonitas, quæ non hunc finem intelligendo & agendo conſtituit, ſed tantùm minor, quantùm execrata malitia, ſi peiora non fecit.

Cap. XLVI.

Author concludit.

NEc ſapientes, qui exorti ſunt in populis atque reperti, quanquam leges condiderint, tractaverint ſubtiſſimè de phyſada, ethicas multas conſcripſerint, & normam in republica præſumpſerint declarare ratione ſideris in terra, & membranis deponere injuſtitiam dominandi excuſant, & vivendi mores digna æquitate compalliant. Magis autem ipſorum exaggeratur iniquitas, & eorum innoteſcit improbitas, ut quantò ſapientiores, tantò criminoſiores, ſi ad finem veræ ſapientiæ atque morum præſtructo itinere nequiverunt pervenire. Quid enim profuit, ſi de vera beatitudine tanquam de fine ultimo acerrimo ingenio ſunt locuti, ſi illum, qui eſt omnium adipiſcentium tota beatitudo, atque perfectio, non intellexerunt, neque ad illum verum invenerunt tramitem dirigentem? Quid eis profuit eorum ſcientia? Quid boni veri contulit his, quòd in eorum mente conſpecta dictabant à Dei ſcientia penitus aberrantes? Quòd adverſùs eos ſapiens divinorum inclamitat: Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere, qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt, quis eſſet artifex. (Sapien. 13.) Sed aut ignem, aut Spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverunt, quorum ſi ſpecie delectati, Deos putaverunt, ſciant quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt, ſpeciei enim gubernatur hæc omnia conſtituit. Aut ſi virtutem eorum, & opera mirati ſunt, intelligant ab ipſis, quoniam, qui hæc conſtituit, fortior eſt illis. A magnitudine enim, & ſpecie creaturæ, agnoſcibiliter poterit eorum creator videri. Sed tamen adhuc in his minor eſt querela, & hi enim fortaſſis errant Deum quærentes & volentes invenire. Etenim, cùm in operibus illius converſentur, inquirunt & perſuaſum habent, quoniam bona ſunt, quæ videntur. Iterum autem nec his debet ignoſci. Si enim tantùm potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſæculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt? Infelices enim ſunt, & inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inventionem, & ſimilitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ. Aut ſi quis faber artifex de ſylva lignum rectum ſecuerit, & hujus doctè eradat omnem corticem, & arte ſua uſus diligenter fabricet vas inutile in converſatione vitæ, reliquiis autem ejus operis ad præparationem eſcæ abutatur, & reliquum horum, quod ad nullum uſum facit, lignum curuum cum verticibus plenum ſculpat diligenter per vacuitatem ſuam, & per ſcientiam artis ſuæ figuret illud, & aſſimilet illud imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubrica & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam quæ in illo eſt, perliniens terra, & faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro, ne fortè cadat, proſpiciens illud, ſciens quoniam non poteſt ſe adjuvare. Imago enim eſt, & eſt opus illi adjutorium, & de ſubſtantia ſua, & de filiis ſuis & de nuptiis ſuis faciens votum, inquirit ab illo, non erubeſcit loqui cum illo, qui ſine anima eſt, & pro ſanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita mortuum rogat, & in adjutorium inutilem invocat, & pro itinere petit ab eo, qui ambulare non poteſt, & de acquirendo, & de operando, & de omni rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus eſt inutilis. Hoc idem Pſalmiſta commemorat, dicens: (Pſalm. 113.) Simulachra gentium, opera manuum hominum. Itaque verum eſt, talia feciſſe hominum nationes,

tiones, ſed eorum conſilio ſapientum. Quòd ſi ſapientes nationum talibus non conſenſerunt, cur ipſos non legimus reprehendiſſe, aut cur ab eis non fecere divortium, ſi fruſtra eorum argutio laborabat, cùm in tantam inſipientiam vidiſſent homines fuiſſe proclives, cùm ipſos legamus ob alias morum improbitates à populorum moribus ſegregatos. Quæ ſcientia, quæ mora virtutis, quis ordo virtutum eſſe potuit in gentibus, quæ dæmones coluerunt? (Pſalm, 93.) Pſalmiſta dicit: Quoniam omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. Quæ virtus illorum, qui ratio dominandi, qui coluerunt creaturam potius, quàm omnium creatorem? Contra quos Apoſtolus loquitur, ipſorum præintendens cognitionem, inferens erroneum morem. (Rom, 1.) Etenim ad Romanos ait: Revelatur enim ira Dei ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in injuſtitia detinent, quia quod notum eſt Deo, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque ejus virtus ac divinitas, ut ſint inexcuſabiles, quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evannuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Quæ profectò excuſatio erit, ſi cognoverunt, & ſi propria depravataque voluntate, cúm ſapientes ſe crederent, ſtulti facti ſunt? Quæ juſtitia gentium illarumque ſapientum, ſi quod eſt Dei ſuique cultus, creaturis corruptibilibus tribuatur? Et nullo jure ſtatus ſui poteſt conſtare aut permanere juſtitia, ſi rebus inſenſibilibus tribuitur divini cultus honor, & inimicis inviſibilibus juſtitiæ tribuitur jus honoris, aut quibuſcunque creatis cultura divina confertur. Non permittit Deus nunc firmata Chriſtianitate univerſalem mundi regem, ne homines quaſi quid in mundo iſto perpetuum, adorent Dominum potentiæ ſecularis, & efficerentur idololatræ in eo, quòd ex ſeipſo, & hæreditario more, aut ſucceſſu, aut carnis propagatione perpetuum crederent temporale dominium, aut malè credentes, quòd ſub uno monarcha tanquam hæreditario jure dominandi, mundum gubernari diſpoſuerit, neque ſtabilita crederetur ſpiritualis authoritas, ſi ſibi ex toto non ſubjiceretur, aut ſuperſerretur humana poteſtas.

FINIS.

EPISTOLA
Beati Simonis de Caſſia,

Ad Populum Florentinum, Eum tempore, quo fluvius Arnus Florentiam inundabat, ad Pœnitentiam excitans.

UNiverſis florentinis cujuſcunque ſtatus, conditionis & gradus, frater Simon & reſpirare in Deo, vinci à vero, contentari de juſto, & de neceſſitate virtutem, nec non peccati pœnam in virtutis & juſtitiæ arma transferre. Eſt effuſio lachrymarum, & narrationis materia ubique panditur doloroſa, & prodigioſa omnibus demonſtratur. Quia Italicus incipit deflorari, & ſecundùm gloriam ejus multiplicatus ignominia ejus, ut quantùm glorificaverit ſe Florentia, & in deliciis fuit, tantùm ei paretur tormentum & luctus, ut vilior fiat omnibus, quoniam ſuper civitates alias gloriam præferebat, & redigatur in ima, quæ in ſuperiora propria jactantia ferebatur, & ſub omnipotenti manu conculcata ſubiaceat, quam manus hummana humiliare non potuit. Audite, audite omnes, & nolite auertere aures à clamoribus veritatis, ſed convertite, ut peiores poſſitis evadere cruciatus, Ad naturalem, divinumque ordinem juſtitiæ pertinet, ut peccata omnino non fiant, aut cùm juſtitiâ contemptâ perpetrata conſtiterint, quòd nullatenus prætereant impunita, & ſi non ab homine, certè à Deo procedat juſta punitio, ut naturalis divinusque ordo non pertranſeat inſervatus, & ſi non manifeſtà peccatorem vel peccatores pœna plectat, in vindictam peracta mala conſcientiam vex-

ant, cùm lumine juſtitiæ peccatores peccando privantur, etiamſi dolores non ſequantur, qui plectendis corporibus animiſque ſervantur. Nec non exardeſcit dominus ultionum, naturalem juſtitiæ ordinem ſervari jubens, perturbari vetans in aperta ſupplicia, ut cognoſcant ſe homines peccatores eſſe, ac Deum ſuper homines juſto judicio ſuperferri, nec regi caſu fortuito creatura rationalis, ad quam non merito ejus, ſed ſua benignitate divinitatem eſſentialiter copulavit, & ut multi terreantur, exemplo plerorum plerique corrigantur, fit multoties, & ut e cœlo natum fiat judicium ultionum. Peccatum peccavit Florentia, propter quod inſtabilis facta eſt, ſæveque punita manifeſtam pertulit ultionem, & quæ frequenter diverſorum hoſtium ſuſtinuit impetus, & ibi ſemper incubuit, ubi eſt viſa ſuccumbere, nec adverſus eam ex toto prævaluit inimicus, nunc ab imbribus de cœlo lapſis madefacta ſordeſcit, & muri, qui non patuiſſent arietibus, pluviis patuerunt, & domus, quæ lapides machinarum inconcuſſæ tuliſſent, proſtratæ jacent guttulis pluviarum, & quæ exterorum toties pertulit rabiem, & ubi eſt deficere credita, inde ſumpſit augmentum, nunc detrimentum patitur impetu fluviorum, & quod improbus prædo non rapuit, decurrens aqua deſtruxit, reddiditque inutile, quod utile ſperabatur. Et hoc propter peccata veſtra, quæ longo tempore manſerant impunita, dum vobis in miſericordiam juſtitia, quæ punit impios, verteretur, ut ſua benignitate ad pœnitentiam vocaret. Vos autem theſaurizaſtis cor impœnitens, & iram Dei pro benignitate ſuo tempore meſſuiſtis. Sed manus Dei à vindicta retracta eſt, ſed adhuc extenta ſuper floridos peccatores. Cogitavit dominus diſſipare muros pulchritudinis veſtræ, contereréque ſuperbiam elevatam, mandavitque nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit, & ventos aqueos produxit de theſauris ſuis, ut percuteret in Florentia primogenitam vanitatem, ad ejus imperium cum impetu aquæ de montibus deſcenderunt, torrentes ex convallibus velociter defluxerunt, inundaverunt atquæ multiplices ſuper terram, irruerunt repente & ſubito ſuper civitatem alti cordis, obicemque non habuit, ſcutum protegens tenere non potuit, adjutorium non invenit, in providentia defecit, periit à ſapientibus conſilium, ut ipſa liberaretur de manibus validæ tempeſtatis. Vbi ſunt Florentia terreni domini, amici tui, in quibus habebas fiduciam? Surgant & opitulentur vobis, & in tanta neceſſitate vos protegant. Ubi Caroli tui? Nonne ſolum reges Siciliæ, quos tua bellunia partialitate fœdaſti? Ubi Robertus ſuperſtes, quem ſimili fœdatione nutriſti? Ubi dux ejus genitus, quem òb tuam defenſionem uſque ad te ſtipendiis conduxiſti? Ubi Lombardi nobiles, Dei eccleſiæque rebelles, quorum aliqui in campo taliter conflixerunt, tuis ditari ſpoliis aſpirantes? Cum quibus te maculaſti fœderibus, ut reſiſtere poſſes dominis, eorumque vitare dominia, venientibus de partibus aquilonis, & ut Legarti Lombardi tyrannidem poſſis effugere ſociaſti vexilla vexillis, & milites tuos eorum militibus aggregaſti, unde conflictum pertulit gens, quæ nomine eccleſiæ militavit. Et tu nomen perdidiſti magnificum, quo ſolebas pro eccleſia ſub PETRI vexillo fideliter militare. Quamobrem CHRISTI vicarii patens indignationem merito non placandam. Ubi rex novus partes ingreſſus Apuliæ, quem ut & tuis vitiares malitiis, ſortibuſque conjungeres, legatorum multitudine præveniſti? Ubi omnes amici tui? Veniant & occurrant, militent & defendant, rogent & interveniant, mitigent & avertant iram domini Dei tui. Vbi aurum & argentum tuum, quod diverſis mundi partibus, avaritia auriga, duce ſuperbia, labore remige, vanitate flante, timore comite, periculo ſequente uſque infra tua mœnia conduxiſti? Sed unum horum foras projicietur, alterum vero ſterquilinium erit, nec te liberare valebunt in die furoris domini. Cujus oculus & furor non parcit in die vindictæ, nec pro redemptione accipit dona plurima. Poſuit te dominus omni populo in deriſum. Et qui oderunt te, lætantur ſuper te: Qui diligunt, derident te: Qui audiunt, judicant te: Qui vident, ſubſannant te. Ita ut omnes loquantur ore & corde, dicentes: Vindicavit dominus orbem terrarum

tum

rum de malitia Florentina. Qua infecti ſunt eccleſiæ pontifices, terræ deturpati ſunt reges, & omnes finitimi atque remoti vitiati ſunt hommes. Diſpoſuit nempe cœleſtis altitudo conſilii, omnium hominum licet non Simul humiliare ſuperbiam, ſubnervare invidiam, confundere iram, deſtruere avaritiam, eradicare luxuriam, ſuffocare gulam, humanam inquietare quietem, abnegare ab omnibus dilectam vanitatem. Meritò igitur verſus Florentiam ſuum omnipotens vertit furorem, & ſuper eam calicem indignationis effudit. Quæ in ſuos cives extitit impia, ſine cauſa conſtituendo rebelles, qui erant civitatis optimi defenſores, eorum bona locando indignis, atque depopulatione vaſtando, privatis datæ uxoribus natæ neceſſitate confectis, virginibus potius coactis meretricari penuria, quàm honeſta monaſteria ingredi, aut legitimo conjugio copulari. Et quod magis accendit zelum altiſſimi: non poteſt in crudeli civitate verbum proferri divinum, ut tales indulgentias aſſequantur, invitentur ad veniam, innocentibus reſtituantur bona pro parvulis, ut qui eorum bona tenent, tenere non valeant, ſed impié teneantur, donec de medio tollantur, de medio à diabolo præfocati. Et qui odio & ira exarſerunt in eos, eorum continentia ſatientur inopia, reficiantur miſeria. Et tunc credant pacificè vivere, cùm in eis pietas moritur, contra eos non intelligentes circumſpectionem Dei, ad quem ſpectat judicium ultionis, vindicta retributionis, ut, cùm non ſperatur, retributionem, & ultionem effundat, cùm non creditur, vindictam retribuat. Avaritiam auxiſti uſuris, artium falſitate vallaſti, roboraſti rapinis, furtis multiplicibus dilataſti, exercuiſti dolis, verbis mendacibus & periuriis perpetraſti. Et cùm ſic parca, expendis in conviviis, prodiga in effuſione ſanguinis, libera in ſubventionibus neceſſariis, in eleemoſynis parca. Hæc eſt illa fera peſſima, quæ dolis armata invidiæ, contra naturæ ordinem, infidelium humanitatem, beſtiarum more, omen occiſionis, & effuſionis, ut filius patricida ſimiliter & matricida, frater fratricida, conſanguineus conſanguinicida, amicus amicida, homo homicida, cupiditate poſſidendi non debita, tollendi non ſua in te innumerus ſit repertus. Hæc eſt, quæ tuos ſuffocavit clericos, ut magis propter pecuniam, quam propter partem domini tondeantur & ut multi in Chriſti patrimonium admittantur, ſubiiciuntur invitè, atque ſponte ſe diſciplinæ ſuciciunt literali. Monachos in te fœdavit innumeros, qui ea quorum contemptu fuerint monachi, ſemper quærant, paupertatis religioſos infecit, ut tanta ſit improbitas quæſtvandi, ut lingua deficeret in narrando. Qui ædificiis pandunt, quam ferunt in corde ſuperbiam, ore querulo, ſed potius quæſtuoſo pandunt avaritiam, quam corde profundiſſimo & inſatiabili conceperunt, beatificantes prædicationibus uſurarios, extollentes verbis perfidos mercatores, commendantes tyrannos & nobiles, qui apud eos ſarcophagos conſtituunt, quærunt ſua, quæ eis tribuunt, creditoribus non ſatiſfactis & cæteris pauperibus defraudatis. Hi ſunt qui prædicant pro favore, abſoluunt pro munere, ligant pro re, canunt in excelſis pro pecunia ſceleris. Hi ſunt Florentia ſacerdotes tui falſi, quam plures prædicatores tui, qui te beatem dicebant, laudum præconiis extollebant, & ipſi falſitate decepti non aperiebant ignominiam tuam. Hæc eſt, quæ juſtitiam, & Dei in te fecit jura perverti, ut quæſtiones advocatorum malitia prorogentur in longum. Et quæ menſis terminari poſſet circulo, terminare ſpatio anni quærat ad eliciendam pecùniam & clientulorum pauperum evacuandam crumenam, tabelliones tuos multiplices devaſtavit, falſaque inſtrumenta exarata leguntur, ut aliis ſemel, aliis bis detur jus non debitum plus petendi. Hæc eſt, quæ teſtari plures patres non Permiſit, teſtamenta mutavit, & poſt mortem loqui fecit multoties inteſtatos, notariorum, proximorum, teſtium malitia ſubintrante. Medicos tuos impios ars condemnat, qui aliorum languoribus ſatiantur, affectantes infirmitates, ita ut eis peritia medicinæ occaſio ſit ruinæ. Hæc eſt quæ fidem moreſque ejus te fecit relinquere, non in

Deo, ſed in mundo ſperare, charitatem perdere, currusque quatuor virtutum cardinalium in te ſubnervavit, hæc eſt, quæ Chriſtum, omnino contemnere te fecit, ſacramenta male tractare, necnon & divinorum præceptorum te conſtituit contemptricem, Spiritus ſancti te fraudavit muneribus, æternas beatitudines à tuæ mentis conſpectibus aboleuit. ſed habet in medio tui aliquem equum divina potentia, qui ſuperpoſita onera deportat ad mare, ut unde exeunt, tua negotia revertantur. Et gabellæ conſtituti prohibitos pauperes opprimentes, jura eccleſiæ offendentes, prædia, vineæ, horti, nemora, prata, domus, officinæ, cameræ, vel aulæ, laquearia, feneſtræ, fundamenta, tecta, parietes, lecti, cervicalia, cortinæ, tapeta, coopertoria, veſtes, menſæ, tabulæ, cultelli, urcei, cyphi, paropſides, inciſoria, focelaria, camini, gradatores, picturæ, ſedilia, & ſi qua ſunt talium in civitate, extra civitatem clamant, & dicunt & oſtendunt, non ipſa nos, ſed uſura & vanitas fecit nos. Heu! heu! deturpamur à vanitate utentium, ob quam in materia creata non fuimus, & velut gentilium idola adoramur, propter quod in eſſe ab omnium authore producta non ſumus. Fœminæ tuæ adulteræ ſunt, & ſi non adulterantur lectulos maritorum, à naturæ adulterio non deſiſtunt. Quarum aliquæ relicto decore fœmineo, virorum appetentes effigiem, attonſæ ſunt, comam & veſtes hiſtrionicas ſunt indutæ, ut garſiones ex habitu potius quam fœminæ videantur. Aliquæ capita ſtercore vermium peromantes, cum capillis alienis proprios fulcientes, tegenda detegunt, & non prodenda produnt. Magiſtræ perditionis de ſe natis exiſtunt, geſtus, mores, habitus, veſtes, oculos, linguam, ſupercilia, tempora, gulam, collum, pectus, mamillas, compoſitum gradum, pedes, & omnia membra, & ſi quæ ſunt talium, procaci audacia pernicioſoque conatu pervertunt, ut omnino clament luxuriam, indicent impudicitiam, prædicent carnalitatem, commoveant honeſtatem, confundant juventutem, & emortuam ſuſcitent in hominibus ſenectutem, & in religioſis religionem uſque ad perniciem perſequebantur. Et illa vilior, quæ non peior, illa gratior, quæ peiora fuerit peractura. Juſtificavit tuus ſexus fœmineus iniquitates omnium mulierum, ut in tantam pravitatem creverint corda perverſa, & oſtenderint corda diſtroverſa, ut DEUM irritaverint in cœlis, & tu FLORENTIA iram ejus pro eis acciperes de excelſis. Et ſi omnis alia à civitate FLORENTIA defeciſſet iniquitas, ut inſons à DEO pœnam non mereretur, tantarum & tam innumerabilium fœminarum vanitas improba adſtabat altiſſimo, ut non solùm temporalem, ſed æqua lance penſata juſtitiæ, ad ſe potius æternam contraherent ultionem. Et in medio tui fuit, qui publicè Florentiam dignam diluvio judicavit, propter multiplicium fœminarum multiplicationem, & laſciviæ vanitatem. Sed nec mirum eſt, cum una mater omnium Eva totum genus humanum damnationi adſtruxit propter propriam voluntatem. Sed nondum manus abbreviata perſiſtit altiſſimi, ſed magis dilatata ut puniat Florentiam, quæ non punivit geſtus, & mores meretricum, in quibus doctæ ſunt adulterare naturam finitimæ mulieres. Quid in plura dilabitur ſermo literis exaratus, ut velim ſcripto pandere malitiam Florentinam, ad quam declarandam ſerie literarum dorſa elephantum ferre nequirent volumina deſcribenda? Nam major iniquitas tua eſt, quam aquarum inundatio exiſtit ſuper terram. Ceſſaverunt quidem flumina impetuosè labentia, prohibitæ ſunt pluviæ de cœlo, aquæ ſunt diminutæ cum impetu de montibus deſcendentes, pene ſunt deſiccati torrentes de vallibus. Sed adhuc decurrunt Babylonica flumina, & iniquitatum torrentes ſemper fluunt, & invalverunt ſuper altitudinem turrium & murorum, ut non deficiat ex poena ſuſcepta de tuis plateis uſura & dolus. Nec intelligas vindictam, ut debita pœna corrigaris, & ſponte humilieris, quæ invita damna pateris & ultionem. Facta es quaſi polluta menſtruis in medio nationum. Et contra te clamat inflicta juſtitia, repleta es

luto

Digitized by Google

luto denſiſſimo per plateas, quæ cœno deteſtabili peccatorum in anima replebaris. Et terrena, quæ quærebas, flumina deduxerunt in medio tui, habitacula ceciderunt, in quibus prius animæ collapſæ jacebant in fæcibus peccatorum. Sed adhuc væ! tibi civitas defflorata, quia prius ad cœmenta & lapides ſubiicis humeros, ut domos reconſtruas deſolatas, quam ut tuas animas per pœnitentiam ſuſcites de multitudine vitiorum. Madefacta ſunt mercimonia tua turbinibus vel turbidis aquis, quæ prius falſitatibus nefariis infecta pallebant. Diruptæ ſunt in te tres numero pontes tui, ex quibus mutuus curſus civium decurrebat, ut monſtraretur ſigno viſibili, quia Chriſtus pontifex, qui nobis de cruce pontem fecit ad vitam de tuis moribus cadebat. Et creatrix trinitas erat dirupta in tuis cordibus ſceleratis, ut non eſſet communicationis tanſitus vos expectantium civium ſupernorum. Vinum tuum mixtum eſt aqua: quæ prius juſtitiæ vinum larvali pollutione fœdaſti. Cives tui præfocati ſunt aquis, quos prius in malorum locum profundiſſimum demerſiſti. O! o tibi Florentia dicitur: Quæ te præteriit iniquitas? Quam maliriam non hauſiſti? Quæ lucra nefaria non tentaſti? Quæ indicibilia non comiſiſti? Meritò igitur, cum DEUS voluit terram aquis rigare, paveſces ſub undarum formidine ſituata. Et te cunctis pro germinibus terræ pluvia terrebit, ne aquæ ſuper te ſimili diluvio invaleſcant. Nec tantus amor pluviæ pro fœcunditate terrarum, & vienearnm ubertate reſidebit in animo, quin etiam præter amorem ſedem timoris majeſtas in mente non habeat, ne de terræ ſuperbia delectaris, ut velut monſtrum in orbe terrarum maneas. Cum amoris pariter & timoris colaphos ſuſtinebis faciant te tremere ſemper futura tonitrua, quæ ſunt aquarum præſagia futurarum. Et cum cœli lampades exeandeſcent, pavor erit & luctus, cum DEUS more ſolito coruſcabit, ſtridebunt dentibus omnes, & præ timore fient ſqualidæ facies virginales. Et cum dominus operit cœlum nubibus, ut paret terræ pluviam, cum ſolis jubar eripiet ex aere denſato caligine, luminaris ſplendor ob aliquam tenebroſitatem obibit, cœlique ſtellas non poteris intueri, velut amens agoniam timidam patieris, ut infra tua mœnia cum ſecuritate nunquam aliquis dormiat ſopotatus. Juſtè in tuo ævo ſic timorata madeſees; quæ ut DEUM timeres, in ſuo penitus non hauſiſti merito, aqua tegeris, quæ ſicut aquam iniquitatem bibere non ceſſaſti. Sed velut ab aliquo exorſus principio, defleo quod defles, plango puod plangis, ſed diſpari cauſa, diſpari cultu, diſpari fine. Defles ſanè cæca FLORENTIA, damna irrecuperabilium rerum non deploras, non plangis pericula peccatorum, animarum damnationem non proſpicis. Super deſtructione virtutum nviſibilium non anxiaris, anguſtiam non pateris ſuper diſciplinam CHRISTI tui, nec de tuis ſceleribus à te fit converſio tua, ut ad DEUM pro indulgentia convertaris. Exurge, exurge igitur Florentia, quæ bibiſti calicem Iræ DEI, ſed nec ad fœces uſque. Sed adhuc reſtat tibi mors ventura civium tuorum ex corrupto aeris elemento, quæ de ſua incorruptione ingratiſſimè lætabaris, eo quod humanæ pacis tranquillitate cum læta fruereris, in ſecuritatem vaniſſimam converriſti, terræ peregrinationem pro patria dilexiſti, ſalutem corporum ad uſum diſpoſuiſti peſſimum vitiorum, bonorum affluentiam neceſſitate relicta in voluptatis voragine deſtruxiſti. Pulchritudinem perſonarum amabilium utriusque ſexus ſervire feciſti luxuriæ, ut ex eorruptis animis elatione polluta pro placito unuſquisque eligëret aut uxorem delectationis cauſa potius quam reſpectu conjugii, aut pelicem, aut adulteram DEO contemptam ſanctione mandati. Et tantus erat facierum comptarum laſcivus aſpectus, & occurſu illicium oculorum, ut hummanæ propagationis aperta ſecreta viderentur, ex corruptis moribus in aperto. Cujus rei cauſa originali mundo non pepercit altiſ-

ſimus, mirabili diluvio illum delens, ut illum iterum propagaret, ſolùm octo hominibus reſervatis. Quod diluvium in te pro parte revixit Florentia, quamvis immerito tibi remanſerint millia perſonarum. Sed nec eſt infirmata manus domini, ſed uſque adhuc in judicium ultionis extenta. Exurge igitur Florentia, & leva cor tuum abjecta malitia, ut ſalva fias in miſerationibus ſempiternis. Suſtine iram Judæ in convalli iniquitatis tuæ vias, & ſcito, quid feceris, ut dominum ad iracundiam provocares, & dicas in corde tuo: Quid feci ſemper, quòd injuſtè me dominus contrivit? Sed clama in altitudine cordis tui voces certas ore profundo, Juſtus es domine in omnes gentes, & rectum judicium tuum feciſti deſcendere ſuper nos. Peccavimus de tanta Forentia, injuſtè egimus, iniquitatem fecimus domine in omnem juſtitiam tuam. Sed tu domine non obliviſcaris; nec avertas faciem tuam à nobis. Sed declinare ad dominum à facie tempeſtatis non prodeſt ab iniquitate deſcendentis, niſi malitiæ cauſa de medio auferatur, dominum ad iracundiam provocantis. Corrige igitur iniquitates tibi objectas in facie, revoca diſperſos per orbem filios tuos, non qui te propria voluntate deliquerunt negocia iniquirentes, ſed quos tu belluina, imo diabolica crudelitate pepuliſti. Reſtitue bona plangentibus viduis, conjugatis & cæteris. Redde prædia, quæ tuliſti, aufer bona, quæ velut indignis locaſti agricolis, & juſtis poſſeſſoribus illa trade, quos tua feciſti feritate rebelles. Non credas malis conſultoribus tuis, qui te in hac impietate confiſcant, ut ipſi bona poſſideant depulſorum, quorum clamor intravit in conſpectu altiſſimi, deoque Sabaoth aures validè propulſavit. Corrige tuarum fœminarum improbam vanitatem, firma per ſtatura, ſanci per populi tui optima conſilia, ut ſtercus vermium deponatur de capitibus mulierum, ut incedant velato capite, ſi ſunt tuæ fœminæ Chriſtianæ, ut non extendant humeros, pectus, ſimiliter mamillas, tuis legibus religentur, ut non ſint attonſæ comam juvenculæ, ut nutriant crines ſtaturis immutabilibus arceantur. Hoc potius debuiſti legibus refrænare Florentia in honorem CHRISTI tui, firma ſtaturis, ut ſe poſſibilitas offert, decentia exigit, honeſtas requirit, altiſſimus quærit honorem & cultum DEI, quæ tuis ſtatutis DEUM toties offendiſti, penitus metu legis multum arceatur audacia, quæ DEI timore poſtpoſito non arcetur. Quia niſi tu improba debitè corrigaris, hæc damna, quæ pateris tibi dico initia eſſe peiorum, ideo penitus & majorum, ut relinquaris deſerta, velut civitas quæ vaſtitate hoſtili crudeliter devaſtatur. Sanè in omnibus, ad quæ poteſt obviare communitas, quæ dominum provocent ad vindictam, facere non dormitet, quæ ad placendum non retardet, antiquas virtutum relevare domunculas feſtinet, quæ feſtinat, ut dominus, qui percuiſſit, ipſe ſanet. Et quod humana potentia non potuit, ſapientia ignoravit, bonitas non habuit, uſus non invenit, natura defecit impetu ſubito tempeſtatis, ipſe DEUS ſuppleat miſeratus. Qui ſi placatus à vobis extiterit, aut prohibebit, aut ſe faciet obicem ad torrentes, Per omnia benedictus DEUS in ſæcula,

Amen.

In

IN SEQUNTEM OPERIS INDICEM COMPENDIOSA PRÆNOTATIO.

IN Indice ſequenti ſignantur Evangelia Evangeliſtarum per annum de tempore & de Sanctis, & capitula eorundem. Signantur etiam in eo numeri librorum & capitulorum de Geſtis Salvatoris, in quibus habentur expoſitiones Evangeliorum ſive tractatus, eisdem Evangeliis vel eorundem materiæ congruentes. Pro cujus evidentiori intellectu ſciendum, quod in locis hoc in Indice deſignatis non ſemper ponuntur verba Evangeliſtæ deſcripti, ſed aut ejusdem aut unius aliorum, qui eadem vel vicina ſcripſerunt, Verbi gratia: Evangelium de feſto ſancti Andreæ, Amblans JEſus, &c. ſecundum Matthæum in hoc libro non invenitur. Cujus ratio hæc eſſe videtur, quia ſecundum aliquos doctores in hoc Evangelio & in Evangelio dominicæ quintæ poſt Penteceſten, ſcilicet: Cum rubæ irruerent ad JEſum &c. ſecundum Lucam, una & eadem vocatio aliquorum Apoſtolorum deſcribitur. Quod autem author hujus libri iſtius opinionis fuerit, videtur probabile ex eo, quod ultimam clauſulam lectionis prædictæ ſecundum Matthæum & Marcum, ſcilicet quod Jacobus & Joannes relictis retibus & patre ſuo Zebedæo in navi cum mer-

mercenariis ſecuti ſunt eum, ſtatim ſubnexuit huic lectioni ſecundum Lucam. Quapropter utraque lectio ſub eiſdem numeris hic ſignata eſt. Notandum etiam, quod in capitulis in Indice ſignatis non ſemper ſtatim tractetur de Evangelio ſignatio, ſed aliquando alia præmittuntur, nec ſemper Evangelicæ lectionis textus tractando continuatur, ſed alio textu aliquando interpoſito. Quorum tamen aliqua licet particulæ quædam textus quorundam Evangeliorum vel aliquid eis congruens in eis tractetur, propter brevitatem ſuam in Indice non ſunt ſignata. Similiter in locis ſignatis non ſemper in tractando ſervatur ordo verborum lectionis Evangelicæ, ſed aliquando ponitur ordo præpoſterus. Quæ omnia diligenti lectori faciliter patebunt;

INDEX CON-

Index Concionatorius
Per
Totum annum, & primo de Tempore

Dominica I.

Adventus.

VIdete ficulneam, & omnes arbores, Lucæ Cap. 21. Libro 6. Cap. 27.

Dominica II.

Adventus.

Cum audiſſet Joannes in vinculis opera Chriſti. Matth. 11. lib. 3. cap. 1.

Dominica III.

Adventus.

Ego vox clamantis in deſerto. Joan. 1. lib. 3. c. 1.

Feria IV.

Quatuor Temporum.

Miſſus eſt Gabriel Angelus. Lucæ. 1. lib. 2. cap. 2. &c.

Feria VI.

Quatuor Temporum.

Exſurgens Maria abiit in montana. Luc. 1. lib. 2. cap. 12.

Sabbato.

Quatuor Temporum.

Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Ejus. Lucæ 1. lib. 3. c. 1.

Dominica IV.

Adventus.

Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto. Luc. 3. lib. 3. cap. 1.

Dominica.

Infra octavam Nativitatis.

Erant Joſeph, & Maria Mater JEſu mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo. Luc. 2. lib. 2. cap. 21. & lib. 1. cap. 23.

Dominica I.

Poſt Epiphaniam.

Cum factus eſſet JEſus annorum duodecim Luc. 2. lib. 1. cap. 17. & 23. Item lib 2. cap. 24. Item lib. 4. cap. 1. & 9. Item lib. 9. cap. 1. &c.

Dominica II.

Poſt Epiphaniam.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Gallileæ. Joan. 2. lib. 2. cap. 25. Item lib. 5. c. 1.

Dominica III.

Poſt Epiphaniam.

Cum deſcendiſſet JEſus de monte ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, & leproſus veniens adorabat eum di-

dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. Matth. 8. lib. 1. cap. 24. Item lib. 2. cap. 9. Item lib. 5. cap. 11.

Dominica IV.
Poſt Epiphaniam.
Aſcendente JEſu in naviculam ſecuti ſunt Eum Diſcipuli ejus, & ecce motus magnus factus eſt in mari Matth. 8. lib. 4. cap. 9. Item lib. 5. cap. 2. Item lib. 8. cap. 35.

Dominica V.
Poſt Epiphaniam.
Simile factum eſt Regnum cœlorum homini, qui ſeminat bonum ſemen in agro ſuo. Matth. 13. lib. 6. cap. 3.

Dominica VI.
Poſt Epiphaniam.
Simile eſt Regnum Cælorum grano ſinapis Matth. 13. lib. 6. cap. 4. &c.

Dominica.
Septuageſimæ.
Simile eſt Regnum Cœlorum Patri familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Matth 20. lib. 6. c. 21.

Dominica.
Sexageſimæ.
Exiit, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. Lucæ 8. lib. 6. cap. 2.

Dominica.
Quinquageſimæ.
Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſumabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis. Luc. 18. lib. 9. cap. 39. & 40. Item lib. 4. cap. 8.
Item quid tibi vis faciam, at ille dixit: Domine, ut videam. ibid. lib. 5. cap. 32.

Feria IV.
In die Cinerum.
Cum jejunatis nolite fieri triſtes Matth. 6. lib. 10. cap. 36. &c.

Feria. V.
Poſt diem Cinerum.
Cum introiiſſet JEſus Capharnaum Matth. 8. lib. 5. cap. 12.

Feria VI.
Poſt diem Cinerum.
Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, diliges proximum tuum. Matth. 5. lib. 10. cap. 23.

Sabbato.
Poſt diem Cinerum.
Cum ſero eſſet factum, erat navis in medio mari, & JEſus ſolus in terra. Marci. 6. lib. 5. cap. 34. Item lib. 4. cap. 9. Item confidite, nolite timere, ego ſum. lib. 8. cap. 35.

Dominica I.
In Quadrageſima.
Ductus eſt JESUS in deſertum à ſpiritu Matth. 4. lib. 4. cap. 4. &c. Item lib. 9. cap. 4. Item lib. 8. cap. 13.

Feria II.
Cum venerit Filius hominis in Majeſtate. Matth. 25. lib. 11. cap. 55.

Feria III.
Cum intraſſet JEſus Jeroſolymam, Matth. 21. lib. 14. cap. 1.

Feria IV.
Quator Tempore.
Magiſter volumus á te ſignum videre. Matth. 12. lib. 8. cap. 27. &c.

Feria V.
Si vos manſeritis in ſermone &c. Joan. 8. lib. 11. cap. 38. &c. Item lib. 8. cap. 31. & 32.

Feria VI.
Quatuor Temporum.
Erat dies feſtus Judæorum. Joan. 5. lib. 5. cap. 17.

Sabbato.
Quatuor Temporum.
Aſſumpſit JEſus Petrum, Jacobum & Joannem. Matth. 17. lib. 4. c. 7.

Dominica II.
In Quadrageſima.
Idem, ut Sabbato præcedenti.

Feria II.
Ego vado, & quæretis me. Joan. 8. lib.

lib. 11. cap. 26. Item. lib. 8. c. 32.

Feria III.

Super Cathedram Moyſis ſederunt. Matth. 23. lib. 8. cap. 37.

Feria IV.

Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & filius hominis tradetur &c. Matth. 30. lib. 9. cap. 40. & 42. Item lib. 4. cap 8. Item, poteſtis bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum. ibid. lib. 7. c. 29.

Feria V.

Homo quidam erat dives &c. Luc. 16. lib. 6. cap 12. Item lib. 8. cap. 15.

Feria VI.

Homo erat paterfamilias, qui plantavit &c. Matth. 21. lib. 6. c. 23.

Sabbato.

Homo quidam habuit duos filios. Luc. 15. lib. 6. cap. 16. & lib. 8. cap. 40.

Dominica III.

In Quadrageſima.

Erat JEſus ejiciens Dœmonium. Luc. 11. lib. 5. c. 23. Item lib. 8. cap. 29.

Feria II.

Quanta audivimus facta in Caphanaum, fac & hic in patria tua. Luc 4 lib. 9. c. 12. Item lib 8. c. 14. & lib. 4 cap. 7.

Feria III.

Si peccaverit in te frater tuus &c. Matth. 18. lib. 9. cap. 44.

Feria IV.

Quare diſcipuli tui transgediuntur traditiones ſeniorum &c. Matth. 15. lib. 8. c. 37. & lib. 11. c. 21.

Feria V.

Surgens JEſus de Synagoga introivit in domum Simonis &c. Luc. 4. lib. 5. cap. 9. &c.

Feria VI.

Venit JEſus in civitatem Samariæ. Joan. 4. lib. 11. c. 1. &c. Item lib. 4. cap. 9.

Sabbato.

Perexit JEſus in montem oliveti. Joan. 8. lib. 11. cap. 34. & lib. 4. cap. 11. Item lib. 4. cap. 8.

Dominica IV.

In Quadrageſima.

Vnde ememus panes, ut manducent hi. Joan. 6. lib. 4. cap. 7.

Feria II.

Prope erat Paſcha Judæorum. Joan. 2. lib. 8. cap. 37. &c.

Feria III.

Jam die feſto mediante. Joan. 7. lib. 11. cap. 27. &c.

Feria IV.

Præteriens JEſus vidit hominem cœcum. Joan. 9. lib. 5. cap. 33.

Feria V.

Ibat JEſus in civitatem, quæ vocatur Naim. Luc 7. lib. 5. c. 13.

Feria VI.

Erat quidam languens Lazarus. Joan. 11. lib. 5. cap. 15.

Sabbato.

Ego lux ſum mundi. Joan. 8. lib. 11. cap. 35. Item lib. 7. c. 36.

Dominica.

In Paſſione.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Joan. 8. lib. 11. cap. 40. Item lib. 8. cap. 32.

Feria II.

Miſerunt principes, & Phariſæi miniſtros Joan. 7. lib. 11. c. 30. &c.

Feria III.

Ambulabat JEſus in gallilæa. Joan. 7. lib. 11. cap. 24. &c.

Feria IV.

Facta ſunt Encœnia in Jeroſolymis Joan. 10 lib. 11. cap. 44. &c. Item lib. 8. cap. 32. & lib. 7. cap. 14.

Feria V.

Rogabat JEſum quidam Phariſeus. Lucæ 7. lib. 9. cap. 29. Item lib. 8. cap. 40. & lib 4. cap. 10.

Feria VI.

Collegerunt Pontifices & Phariſæi conſilium adverſus JEſum. Joan 11. lib. 11. cap 45.

Sabbato.

Sublevatis JEſus oculis in cœlum

Joan. 17. lib 12. cap. 16. &c.

Dominica.
Palmarum.
Scitis, quia poſt biduum Paſcha fiet. Matth. 26. lib. 13.

Feria II.
Ante ſex dies Paſchæ venit JEſus. Joan. 12. lib. 9. c. 34. Item lib. 9. cap. 34.

Feria III.
Hymno dicto exierunt in montem olivarum. Marci 14. lib. 12. c. 6.

Feria IV.
Appropinquabat dies feſtus Azimorum. Lucæ 22. lib. 12. c. 3. &c. Item lib. 7. cap. 42. & 43. item lib. 9. cap. 40.

Feria V.
In Cœna Domini.
Ante diem feſtum Paſchæ. Joan. 13. lib. 13.

Feria VI.
In Paraſceve.
Egreſſus JEſus cum diſcipulis trans torrentem. Joan. 18. lib. 13. Item lib. 4. cap. 7. & lib. 4. cap. 8.

Sabbato Sancto.
Stabat juxta crucem JEſu Mater ejus. Joan. 19. lib. 2. cap. 27.

Dominica.
Paſchæ.
Surrexit, non eſt hic. Marci 16. lib. 14.

Feria II.
Paſchæ.
Duo ex Diſcipulis JEſu. Lucæ. 24. lib. 14.

Feria III.
Paſchæ.
Stetit JEſus in medio Diſcipulorum. Lucæ. 24. lib. 14.

Feria IV.
Poſt Paſcha.
Manifeſtavit ſe JEſus Diſcipulis ſuis. Joan. 21. lib 14.

Feria V.
Poſt Paſcha.
Maria ſtabat ad Monumentum. Jo. 20. lib. 14.

Feria VI.
Poſt Paſcha.
Vndecim Diſcipuli abierunt in Gallilæam. Matth. 28. lib. 14.

Sabbato.
Poſt Paſcha.
Vna Sabbato Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent ad monumentum. Joan. 20. lib. 14.

Dominica. I
In Albis ſeu Prima poſt Paſcha.
Cum ſero eſſet, die illa una ſabbati. Joan. 20. lib. 14.

Dominica II.
Poſt Paſcha.
Ego ſum Poſtor bonus. Joan. 10. lib. 7. cap. 18. & 38.

Dominica. III.
Poſt Paſcha.
Modicum & jam non videbitis me Joan. 16. lib. 12. c. 14. Item lib. 6. cap. 34.

Dominica IV.
Poſt Paſcha.
Vado ad Eum, qui me miſſit. Joan. 16. lib. 12. cap. 13. & 17.

Dominica V.
Poſt Paſcha.
Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16. lib. 12. c. 15.

In diebus Rogationum.
Quis veſtrum habens amicum &c. Lucæ 11. lib. 6. cap. 1. & 26. Item lib 12. cap. 15.

Dominica.
Infra Octavam Aſcenſionis.
Cum venerit Paraclitus. Joan. 15. lib. 12. cap. 8. & 12.

Dominica.
Pentecoſtes.
Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. Joan. 14. lib. 12. cap. 4.

Feria II.
Pentecoſtes.
Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigentium daret. Joan. 3. lib. 11. cap. 6. Item lib. 7. cap. 36.

Feria III.
Pentecoſtes.
Amen amen dico vobis, qui non intrat per oſtium. Joan. 10. lib. 8. cap. 32. lib. 7. cap 18. & 37.
Feria IV.
Quatuor Temporum.
Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui me miſit, traxerit eum. Joan. 6. lib. 11. cap. 15.
Feria V.
Poſt Pentecoſten.
Convocatis JEſus duodecim. Luc. 9. lib. 9. cap. 18. &c.
Feria VI.
Quatuor Temporum.
Factum eſt in vna dierum, & JEſus ſedebat docens. Lucæ 5. lib. 5. cap. 17. Item lib. 8. cap. 36.
Sabbato.
Quatuor Temporum.
Surgens JEſus de Synagoga. Luc. 4. lib. 5. cap. 9.
Dominica I.
Poſt Pentecoſten. Seu SS. Trinitatis.
Cum venerit Paraclitus. Joan. 15. lib. 12. cap. 1. 2. 3. 4. & 12.
Dominica II.
Poſt Pentecoſten.
Homo quidam fecit cænam magnam. Luc. 14. lib. 6. cap. 19.
Dominica. III.
Poſt Pentecoſten.
Erant appropinquantes ad JEſum Phariſæi & Publicani. Luc. 15. lib. 6. cap. 14. &c.
Dominica IV.
Poſt Pentecoſten.
Cum turbæ irruerent in JEſum. Lucæ. 5. lib. 9. cap. 15. Item lib. 4. cap. 7.
Dominica V.
Poſt Pentecoſten.
Niſi abundaverit Juſtitia veſtra. Matth. 5. lib. 10. cap. 17. Item lib. 8. cap. 17. & 47.
Dominica VI.
Poſt Pentecoſten.
Cum turba multa eſſet cum JEſu. Marci 8. lib. 5. cap. 4.
Dominica VII.
Poſt Pentecoſten.
Attendite à falſis Prophetis. Math. 7. lib. 7. cap. 12. &c. Item lib. 10. cap. 48.
Dominica VIII.
Poſt Pentecoſten.
Homo quidam erat dives, qui habebat villicum. Luc. 16. lib. 6. c. 13.
Dominica IX.
Poſt Pentecoſten.
Videns civitatem, flevit ſuper illam. Luc. 19. lib. 13.
Dominica X.
Poſt Pentecoſten.
Duo homines aſcenderunt in templum, ut orarent. Luc. 18. lib. 6. cap. 25. Item lib. 8. c. 45. & 46.
Dominica. XI.
Poſt Pentecoſten.
Exiens JEſus de finibus Tyri. Marc. 7. lib. 5. cap. 25.
Dominica XII.
Poſt Pentecoſten.
Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Luc. 10. lib. 6. cap. 10.
Dominica XIII.
Poſt Pentecoſten.
Occurerunt Ei decem viri leproſi. Lucæ. 17. lib. 5. cap. 31.
Dominica XIV.
Poſt Pentecoſten.
Nemo poteſt duobus Dominis ſervire Matth. 6. lib. 10. cap. 39. &c. Item lib. 7. cap. 7. &c.
Dominica XV.
Poſt Pentecoſten.
Ibat Jeſus in Civitatem, quæ vocatur Naim. Luc 7. lib. 5. cap. 13.
Dominica XVI.
Poſt Pentecoſten.
Dum intraret JEſus in domum cujusdam Principis Phariſæorum Luc. 14. lib. 5. cap. 30. Item lib. 6. cap. 18.
Dominica XVII.
Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege. Matth. 22. lib 11. cap. 53.

)o( )o(3 Feria.

Feria IV.

Quatuor Temporum.

Magiſter attuli filium ad te habentem ſpiritum mutum. Marci 9. lib. 5. cap. 28.

Feria VI.

Quatuor Temporum.

Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix. Luc. 7. lib. 9. cap. 29. 30. & 31.

Sabbato.

Quatuor Temporum.

Arborem fici habebat quidam Luc. 13. lib. 6. cap. 32.

Dominica XVIII.

Poſt Pentecoſten.

Aſcendens JEſus in naviculam transfretavit. Matth. 9. lib. 4. c. 8. Item lib. 5. c. 17. & lib. 8. c. 36.

Dominica XIX.

Poſt Pentecoſten.

Simile factum eſt Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias. Matth. 22. lib. 6. cap. 24.

Dominica XX.

Poſt Pentecoſten.

Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur capharnaum. Joan. 4. lib. 5. cap. 18.

Dominica XXI.

Poſt Pentecoſten.

Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis. Matth. 18. lib. 6. cap. 17.

Dominica XXII.

Poſt Pentecoſten.

Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, ut caperent JEſum in ſermone Matth. 22. lib. 11. c. 51.

Dominica XXIII.

Poſt Pentecoſten.

Ecce Princeps unus acceſſit, & adorabat eum dicens: Domine filia mea modo defuncta eſt. Matth. 9. lib. 5. cap. 14.

Dominica XXIV.

Et ultima poſt Pentecoſten.

Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. Matth. 14. lib. 7. cap. 41.

De Feſtis.

In Feſto S. Andreæ.

Ambulavit JEſus juxta mare gallileæ Matth. 4. lib. 9. cap. 15.

In Feſto S. Nicolai Epiſc.

Homo quidam peregre proficiſcens vocavit ſervos ſuos. Matth. 25. lib. 6. cap. 29. & 30.

In Feſto Immaculatæ conceptionis B. V. Mariæ.

Liber generationis JEſu Chriſti. Matth. 1. lib. 1. cap. 5.

In Feſto S. Thomæ.

Thomas unus ex duodecim. Joan. 20. lib. 14.

In Feſto Nativitatis D. N. JEſu Chriſti.

Exiit edictum à Cæſare Auguſto. Luc. 2. lib. 1. cap. 3.

Item Paſtores loquebantur ad invicem. Luc. 2. lib. 1. cap. 9.

Item In Principio erat Verbum. Jo. 1. lib. 1. cap. 1. &c.

In Feſto S. Stephani.

Ecce ego mitto ad vos Prophetas. Matth. 23. lib. 8. c. 32. Item lib. 7. cap. 32. Item lib. 9. cap. 20.

In Feſto S. Joannis Evangeliſtæ.

Dixit JEſus Petro ſequere me. Joan. 21. lib. 14.

In Feſto Innocentium.

Et mittens occidit omnes pueros. Matth. 2. lib. 2. cap. 22.

In Feſto Circumciſionis.

Poſtquam conſumati ſunt dies octo. Luc. 2. lib. 2. cap. 16.

In Feſto Epiphaniæ.

Ecce Magi ab oriente venerunt. Matth. 2. lib. 1. c. 11. & ſequent.

In Feſto purificationis B. V. Mariæ.

Poſtquam impleti ſunt dies purificationis. Luc. 2. lib. 2. cap. 21. Item lib. 1. c. 16.

In Feſto S. Mathiæ.

Tollite jugum meum ſuper vos. Matth. 11. lib. 7. cap. 22. & lib. 9. cap. 28.

In Feſto S. Joſephi.

Cum eſſet deſponſata Mater JEſu Maria

Maria Joſeph. Matth. 1. lib. 2. cap. 16. 17. & 18.

In Feſto annuntiationis B. V. Mariæ.

Miſſus eſt Angelus Gabriel. Luc. 1. lib. 2. c. 2. 3. & 4.

In Feſto S. Georgii M.

Ego ſum vitis vera. Joan. 15. lib. 12. c. 7. & 8. Item lib. 7. cap. 45.

In Feſto S. Marci Evangeliſtæ.

Deſignavit Dominus & alios. Luc. 12. lib. 9. cap. 18. 20. & 26.

In Feſto SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi.

Non turbetur cor veſtrum. Joan. 14. lib. 12. c. 1. Item Ego ſum via. ibid. lib. 7. cap. 44.

In Feſto inventionis S. crucis.

Erat homo ex Phariſæis Nicodemus Joan. 3. lib. 11. cap. 6. Item lib. 7. c. 34.

In Feſto aſcenſionis Domini.

Aſſumptus eſt in Cœlum. Marci 16. lib. 14.

In Feſto Corporis Chriſti.

Caro mea vere eſt cibus. Ioan. 6. lib. 11. c. 17. Item lib. 1. c. 29.

In Feſto S. Joannis Baptiſtæ.

Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi Luc. 1. lib. 3. c. 1. Item lib. 8. c. 2.

In Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

Vos autem quem me eſſe dicitis. Matth. 16. lib. 9. c. 35. & 47.

In *Feſto viſitationis B. V. Mariæ.*

Exſurgens Maria abiit in montana. Luc. 1. lib. 2. c. 12. Item lib. 3. c. 1.

In *Feſto S. Mariæ Magdalenæ.*

Remittuntur tibi peccata tua. Luc. 7. lib. 9. c. 29. & ſequentibus.

In Feſto S. Jacobi Apoſtoli

Acceſſit ad JEſum Mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis. Matth. 20. lib. 7. c. 29.

In *Feſto S. Laurentii M.*

Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit. Joan. 12. lib. 7. c. 39.

In *Feſto aſſumptionis B. V. Mariæ.*

Intravit JEſus in quoddam caſtellum Luc. 10. lib. 9. c. 32. 33.

In *Feſto S. Bartholomæi Apoſtoli.*

Elegit duodecim, quos & Apoſtolos nominavit. Luc. 6. lib. 9. c. 18.

In *Feſto nativitatis B. V. Mariæ.*

Liber generationis JEſu Chriſti. Matth. 1. lib. 1. c. 5.

In Feſto Exaltationis S. Crucis.

Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem. Joan. 3. lib. 7. c. 34.

In Feſto S. Matthæi Evangeliſtæ.

Vidit JEſus hominem ſedentem in telonio. Matth. 9. lib. 9. c. 17.

In Feſto S. Michaelis Archangeli.

Quis putas major eſt in Regno cœlorum. Matth. 18. lib. 9. c. 42.

In Feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ.

Hoc mando vobis, ut diligatis invicem. Joan. 15. lib. 12. c. 10.

In Feſto Sanctorum omnium.

Videns JEſus turbas aſcendit in montem. Matth. 5. lib. 10. c. 1. & ſequentibus.

In Commemoratione fidelium defunctorum.

Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt. Joan. 5. lib. 9. cap. 14. Iem lib. 11. c. 55.

In Feſto S. Martini Epiſcopi.

Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit. Luc. 11. lib 7. c. 4.

In *Feſto Præſentationis B. V. Mariæ.*

Beatus venter qui te portavit. Luc. 11. lib. 9. c. 1. Item lib. 10. c. 49.

In Feſto S. Catharinæ V.

Simile eſt Regnum cœlorum decem virginibus. Matth. 25. lib. 6. c. 28. & 33.

In Feſto dedicationis Eccleſiæ.

Ingreſſus JEſus perambulabat Jericho Luc. 19 lib. 9. c. 48.

De Communi Sanctorum.

De Communi Apoſtolorum.

Miſſit JEſus duodecim Diſcipulos. Matt. 10. lib. 9. c. 18. 19. & 20.

Item, Hoc eſt præceptum meum. Joan. 15. lib. 12. c. 10. & 11.

Item, Ego ſum vitis vera ibid. lib. 12. cap. 7. &c.

Item, Deſignavit JEſus & alios. Luc. 10. lib. 9. c. 26.

INDEX CONCIONATORIBUS.

De communi unius Martyres

Si granum frumenti mortuum fuerit. Joan. 12. lib. 7. cap. 39. Item lib. 10. *c.* 11. 12.

Item, Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Matth. 10. lib. 8. *c.* 21.

Item, Nonne duo paſſeres aſſe veneunt. ibid. lib. 7. *c.* 19.

Item, Si quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Matth. 16. lib. 9. *c.* 39.

De communi plurimorum Martyrum.

Deſcendens JEſus de monte. Luc. 6. lib. 4. *c.* 9.

Item, Perſequentur tradentes in Synagogis. lib. 9. *c.* 20. Item lib. 10. *c.* 11. & 12.

De Communi Confeſſoris Pontificis.

Homo quidam peregre proficiſcens. Matth. 25. lib. 6. *c.* 29. & 33.

Item, vigilate, quia neſcitis qua hora. Matth. 24. lib. 6. *c.* 30.

De Communi Doctoris

Vos eſtis ſal terræ. Matth. 5 lib. 7. *c.* 1. &c. Item lib. 8. *c.* 16. Item lib. 10. *c.* 14.

De Communi Confeſſoris non Pontificis

Sint lumbi veſtri præcincti. Luc. 12. lib. 6. *c.* 30.

Item, Nolite timere Puſillus grex. Luc. 12. lib. 8. *c.* 21. & lib. 9. *c.* 23.

Item, Nemo accendit Lucernam. Luc. 11. lib. 7. *c.* 4. & 6.

Item, Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19. lib. 9 *c.* 16. 39. & 47.

De Communi virginum.

Simile eſt Regnum cœlorum decem virginibus. Matth. 25. lib. 6. *c.* 28. & 33.

De Communi non virginum.

Simile eſt Regnum Cœlorum Theſauro abſcondito in agro. Matth. 13. lib. 6. *c.* 6. &c.

FINIS.

INDEX

Index
Rerum & Verborum
Quæ in hoc ſecundo Tomo continentur
Prior numerus paginam, ſecundus columnam ſignificat.

A.

Abdicatio terrenorum in quo conſiſtat. 94. 2.
Abraham credidit Deo. 154. 2.
Abraham quomodo viderit diem Chriſti. 238. 2.
Abraham amicus & ſervus Dei appellatus eſt. 283. 2.
Abraham, & Jacob viſione angelica delectati 442.
Abraham exemplum Parentum in Educatione filiorum. 511. 1.
Abraham, & Loth quare fuerint diviſi. 539. 1.
Abſolutio quando, & quibus ſit danda. 267. 1.
Abundantia Juſtitiæ quid ſit. 126. 2.
Abundantiam rerum fecit omnipotens. 297. 2.
Acceptator perſonarum Chriſtus non eſt. 40. 2.
Acetum Chriſto in ſiti porrectum. 421. 2.
Adam in Paradiſo poſitus, ut cuſtodiat illum. 162. 2.
Adam non habuit judiciariam poteſtatem. 597. 1.
Adam ſuadebat omnibus obedientiam ad Deum. Ibid.
Adjuratio, ſemper eſt per majorem. 357. 2.
Adoratio, & ſervitus in quo differant. 12. 2.
Adoratio quid ſit. Ibid.
Adoratio locum non requirit. 169. 1.
Adorationes angelis exhibitæ quid ſignificent. 170. 2.
Adorationis mons Eccleſiam ſignificat. 483 2.
Æmulatores in amicitia caveantur 569. 1.
Agricola quantum laboret ſpe fructus 291. 4.
Agnus Paſchalis quid ſignificet. 464. 1.
Albedo eſt color oculis minus aptus. 377. 2.
Albedo veſtium in angelo quid ſignificet. Ibid.
Alexander, & Ruffus filii Simonis Cyrenæi. 393. 1.
Amen divinum Juramentum eſt. 292. 1.
Amen verbum eſt veritatis 410. 2.
Amicitia Dei nulla major 283. 1.
Amicitia inter Pilatum, & Herodem. 378. 2.
Amicitia cuſtodia eſt amici. 545. 1.
Amicitia omnibus indicitur. 547. 1.
Amicitia quænam cavenda ſit. 548. 2.
Amicitia cum peſſimis non ineunda. 558. 2.
Amicitia cum apoſtatis non habenda. 559. 2.
Amicitia eſt ſimilitudo animorum. 565. 1.
Amicitia copulat animos, ut homines inculpatè vivant. 566. 1.
Amicitia vera virtus eſt. Ibid.
Amicitia vera non indignatur amico. 567. 1.
Amicitia omnis pactum habet. 570. 2.
Amicitia vera non eſt, quæ cauſas corruptibiles habet. 574. 2.
Amicitia Chriſtiana imago virtutis eſt. Ibid.

Amicitiæ veræ effectus. 584. 1.
Amicitia virtus charitas eſt. 534. 2.
Amicitia etiam reciproca datur. 585. 2.
Amicitiæ vena, unde dilectio provenit, 585. 1.
Amicitiæ Chriſtianæ variæ ſimilitudines. 586. 2.
Amicitiæ firmæ ſigna. 588. 2.
Amicitiæ ſecundus rivulus, unde amica lucta inter animos amicorum ſe diffundit. 589. 1.
Amicitiæ lucta propellit linguas doloſas. 589. 1.
Amicitia vera excludit peccatores. 590. 2.
Amicus regis, & non Juſtitiæ ſæpe turbavit Rempublicam. 499. 2.
Amicus verus eſſe non poteſt ſine vera Juſtitia. 500. 1.
Amicus mundi inimicus eſt Dei. 554. 1.
Amicus delicatus nemini gratus. 555. 1.
Amicus fidelis quis ſit. 559. 2.
Amici temporales ad æterna ire retardant. 559. 2.
Amici quinam in Evangelio ſint vocati. 570.
Amicus verus eſſe non poteſt, ſi non antè juſtitiæ amicus fuerit. 582. 2.
Amici veri ſigna & obligatio. 589. 1.
Amor proximorum à Chriſto non tollitur, ſed ordinatur. 51. 1.
Amor Chriſti ergà homines. 168. 2.
Amor verus activus eſt. 274. 1.
Amor æterni Patris erga nos. 292. 4.
Amor Chriſti infatigabilis. 395. 3.
Amor impatiens ad amatum. 306. 1.
Amor pericula contemnit. 341. 2.
Amor noſtræ redemptionis Chriſtum impellebat ad mortem. 358. 2.
Amor devitat mores. 383. 2.
Amor S. Magdalenæ ergà Chriſtum quantus fuerit. 441. 2.
Amor amorem exigit. 521. 1.
Amoris pretium eſt amare. 547. 2.
Amor eſt pretium maximum. 554. 2.
Angeli ſunt inviſibiles. 19. 2.
Animas hominum ſolus Chriſtus ſatiare poteſt. 56. 2.
Anima quomodo plus ſit, quàm eſca. 153. 1.
Anima Chriſti unita deitati. 214. 2.
Anima Chriſti quomodo turbata ſit. 250. 1.
Animæ comendatio in Chriſto moriente. 425. 1.
Anima quomodò in virtutibus creſcat. 471. 1.
Anima in domino non eſt nobilior, quàm in ſervo. 506. 1.
Ancilla oſtiaria quid ſignificet. 355. 1.
Angaria non ſemper violentiam habet. 393. 2.
Angelorum apparitio quomodo fiat. 338. 2.
Angelus velut fulgur deſcendens ad ſepulchrum Chriſti. 438. 1.
Angelus ſedens à dextris ſepulchri quid ſignificet. 438. 1.
Animus gaudet, cùm de ſummis bonis audit eloquium 273. 1.
Annus Domini acceptus quiſnam ſit. 21. 2.
Apoſtoli duodecim nominati à Chriſto, 40. 1.
Apoſtoli unde dicti ſint. 40. 2.
Apoſtoli quare principes apellati. Ibid.
Apoſtolorum figuræ in veteri teſtamento. 41. 1.
Apoſtoli cur bini ſint miſſi. 41. 2.
Apoſtolorum Pax quænam ſit. 43. 2.
Apoſtoli non authoritate propria loquebantur. 52. 1.
Apoſtoli duces in bello ſpirituali. 120. 2.
Apoſtoli omnibus benedicere miſſi ſunt. 120. 2.
Apoſtoli quanta adverſa fuerint paſſi. Ibid.
*A*poſtoli ſunt civitas refugii. 121. 2.
*A*poſtoli quomodo in Chriſto fuerint. 271. 2.
*A*poſtoli multa didicerant à ſpiritu ſancto. 275. 1.
Apoſtolorum corda triſtitia obvelata. 291. 1.
Apoſtoli omnes à Chriſto baptizati fuerunt. 312. 2.
*A*poſtoli miſſi ad prædicandum Spiritum S. accipiunt. 466. 1.
Apoſtoli dictum quomodo intelligendum melius eſt nubere, quàm uri. 533. 1.
*A*poſtoli fidei augmentum petunt. 593. 1.
*A*qua frigida Iſaiæ porrecta quid ſignificet. 25. 1.
*A*qua viva à Chriſto promiſſa quænam ſit. 165. 2.
*A*qua de petra excuſſa Iſraelitis. 220. 1.
Arbor Sicomorus quid ſignificet. 96. 1.
*A*riditas hominum unde proveniat. 398. 1.
*A*ries inter Spinas hærens Chriſti figura. 386. 1.
*A*rrii error circa filium Dei. 183. 1.
*A*rundo, qua Chriſtus percuſſus, quid ſignificet. 386. 2.
*A*udacia prodiroris Judæ procaciſſima. 303. 1.
*A*udacia in arduis commendatur. 341. 1.
*A*uri origo. 588. 1.
*A*uthoritas apoſtolica quanta ſit. 88. 2.

B.

B.

Bajolus aquæ quid ſignificet. 300. 2.
Balthaſaris convivium. 297. 2.
Baptiſmus ſalutis initium. 486. 1.
Baptiſmi virtus, & nobilitas. 486. 2.
Barba hominis virilitatem ſignificat. 471. 2.
Barrabas Chriſto præpoſitus. 384. 1.
Baſis amicitiæ verecundia delinquendi. 572. 2.
Beatitudo in quo conſiſtat. 106. 2.
Beatitudo eſt finis omnium bonorum. 121. 1.
Beatus populus quiſnam ſit. 474. 1.
Bellum ſpirituale Apoſtolorum. 44. 1.
Bella geruntur, ut ad pacem veniatur. 116. 2.
Bellum inviſibile in morte Chriſti. 427. 1.
Bella quando primo inceperint. 604. 1.
Benedictio Domini ſuper caput juſti. 490. 1.
Benedictio Iſaac ſuper filios. 511. 2.
Benedictio linguæ in verbis vitæ. 518. 2.
Beneficium à paupere non eſt avertendum. 514. 1.
Beneficia Dei Confeſſio præire debet. 168. 1.
Benjamin interpretatur filius dexteræ. 469. 2.
Benignitas Chriſti ergà diſcipulos. 447. 1.
Bethania domus obedientiæ interpretatur. 70. 2.
Bini cur ſint miſſi diſcipuli. 53. 1.
Blaſphemia ſiniſtri latronis. 408. 2.
Bonitas in quo conſiſtat. 91. 1.
Bonitas creata ipſa eſt natura. Ibid.
Bona noſtra non quærenda in terra. 150. 1.
Bona bonis creata ſunt ab initio. 206. 2.
Bonitas ſeipſa claret. 212. 2.
Bonitas Abrahæ deſcribitur. 233. 1.
Bona cuncta ſunt ex natura. 292. 3.
Bonum naturæ non fundatur in quocunque naſcente. 494. 1.
Bonum amicitiæ ſupergreditur bona corporalia. 565. 2.
Bonus non eſt diſſimilis à malo, ſed malus à bono. 567. 1.
Buccella intincta quid ſignificet. 305. 2.

C.

Cæcitas maxima ſe diabolo vendere. 21. 2.
Cælum materiale nunquam fuit apertum. 19. 2.
Cæna in Domo Simonis leproſi Chriſto exhibita. 71. 1.

Cain non reſpectus à Deo, & quare? 535. 2.
Caiphas cur Chriſtum adjuraverit. 357. 2.
Caiphas omni fera crudelior. 360. 1.
Capharnaum civitas maritima. 36. 1.
Capharnaum interpretatur villa principum. 198. 2.
Carnis prudentia mors eſt. 199. 2.
Cauſa innocentis magis ſilentio, quàm clamoribus agitur. 357. 1.
Cauſa prima amicitiæ Deus eſt. 578. 2.
Charitas Chriſti in cruce. 400. 2.
Chlamys purpurea Chriſti quid ſignificet. 386. 1.
Chriſtus cur propriam matrem contriſtari permiſerit. 5. 2.
Chriſtus à Joanne Baptizari poſtulat. 6. 1.
Chriſtus quare omnem juſtitiam implere voluerit. 7. 2.
Chriſtus propriam domum non habebat. 16. 1.
Chriſti ſequella quotuplex ſit. 17. 2.
Chriſtus Rex, & ſacerdos erat. 21. 1.
Chriſtus non acceptus in patria. 24. 1.
Chriſtum ſequi juſtitia eſt. 34. 1.
Chriſtus ad converſos convertitur. 65. 1.
Chriſtus pro nobis egenus factus eſt. 67. 1.
Chriſtus omnibus forma vivendi factus. 68. 1.
Chriſtus quomodo colendus ſit. 73. 1.
Chriſti unctio quid ſignificet. 74. 1.
Chriſtus interrogat diſcipulos, quid homines de ſe dicant. 75. 1.
Chriſtus quare Jeremias eſſe putabatur. 75. 2.
Chriſtus quare prohibuerit diſcipulis, ne eum filium Dei prædicarent. 78. 1.
Chriſtum præire velle periculoſum. 80. 1.
Chriſtus erubeſcet ſe erubeſcentes. 81. 2.
Chriſtus quomodo nos congregare velit. 89. 1.
Chriſtus quomodo à ſeipſo nihil potuerit facere. 185. 1.
Chriſtus quomodo principium. 230. 1.
Chriſtus via, veritas, & vita. 268. 1.
Chriſtus ut homo laborabat. 276. 1.
Chriſtus viti ſe aſſimilat. 279. 2.
Chriſtus quàm poteſtatem acceperit à patre. 293. 4.
Chriſtus à patre clarificari petit, & quare. Ibid.
Chriſtus quare pro mundo noluerit rogare Patrem. 294. 2.
Chriſtus a Patre diſcipulos ſuos ſanctificari petit. 295. 3.
Chriſtus à juventute ſua pauper fuit. 299. 2.
Chriſtus cur ſanguinem ſudaverit. 337. 1.

Chriſtus quare ab angelo confortari voluerit. 339. 1.
Chriſtus à ſervo alapa exceptus. 353. 2.
Chriſtus Pontifex novi, & veteris teſtamenti, 355. 1.
Chriſtus accuſatus ſilet. 356. 2.
Chriſtus à Concilio morti adjudicatur. 361. 1.
Chriſtus ut malefactor ante Pilatum accuſatus. 364. 2.
Chriſtus ad quid ſit natus, 372. 2.
Chriſtus quomodo commoverit turbam. 374. 2.
Chriſtus remittitur ad Pilatum. 378. 1.
Chriſtus quare coram Pilato tacuerit. 383. 1.
Chriſtus à Pilato morti adjudicatur. 390. 1.
Chriſtus voluntariè mori voluit. 395. 2.
Chriſtus quomodo ſit viride lignum, 398. 1.
Chriſtus quare noluerit bibere, dum feguſtaſſet. 399. 2.
Chriſtus quare ſit vermi comparatus. 420. 1.
Chriſtus Magdalenæ apparet. 443. 1.
Chriſtus quare à Magdalena tangi nolebat. 444. 2.
Chriſtus quare finxerit ſe longius ire. 458.
Chriſtus in cœlum aſcendens. 490. 1.
Chriſtus Parentibus ſubditus factus. 521. 1.
Cibus, qui non perit, quinam ſit. 191. 1.
Cibus interioris hominis quis ſit. 479. 1.
Circumciſio ſignum, per quod populus Dei à populo diaboli noſceretur. 602. 2.
Claves quare Petro ſint datæ. 78. 2.
Colaphus quid ſignificet. 361. 2.
Columna ignis, & nubis in deſerto quid ſignificaverit. 386. 1.
Commutatio nulla pro anima dari poteſt. 81. 1.
Concilium Principum ſacerdotum. 245. 1.
Concordia vera debet eſſe lucida ita ut pateat omnibus. 588. 1.
Concupiſcentia mala ex lege Dei relicta eſt. 179. 1.
Condimentum optimum amici Præſentia. 577. 1.
Conditio hominum minor eſt, quàm angelorum. 496. 1.
Confeſſio major eſt operum, quàm verborum. 48. 2.
Confeſſio Chriſti coram patre qualis ſit. Ibid.
Conjugia Chriſtiana quomodo conſtituta eſſe debeant. 528. 2.
Conſcientia mala mordere non deſinit. 225. 2.
Conſilia non ſunt vendenda. 562. 1.
Conſiliarii mali quinam ſint. 560. 1.
Conſiliarius mercenarius nunquam erit fidus. Ibid.
Conſultor improvidus ruina amici. 561. 2.
Conſuetudo bona tenenda. 20. 1.
Cordis munditia quid ſit. 113. 1.
Cor circumciſum quid ſit. 124. 1.
Cor hominis receptaculum eſt virtutis. 576. 2.
Corbona quid fuerit. 204. 1.
Corporis cura non habenda. 424. 2.
Corpus Chriſti poſt Reſurrectionem glorioſum. 490. 1.
Correctio fraterna propter quos ſit poſita. 87. 1.
Corruptio in quo conſiſtat. 526. 1.
Credulitas ſine Confeſſione non valet. 97. 1.
Crux quotidie accipienda eſt. 80. 1.
Crux qualiter ſuſcipienda ſit. 80. 2.
Crux inhoneſtiſſimum mortis genus erat. 380. 1.
Crux facta eſt ſcala in cœlum. 415. 1.
Crux amanda eſt. 416. 2.
Culpa pœnam meretur. 224. 1.
Cultus idolorum quando inceperit. 607. 1.
Cura Dei quàm magna ſit ergà nos. 48. 1.
Cuſtodes ſepulchri Chriſti à Judæis corrupti. 448. 2.
Cyrenæus hæreditas interpretatur. 392 1.

D.

Dæmones credunt, & contremiſcunt. 229. 2.
Dæmones animorum ſunt latrones. 298. 1.
Damnatis melius eſſet, ſi non fuiſſent nati. 397. 1.
David alas optabat, & quare. 59. 2.
David Deo acceptus. 137. 2.
David Meſſiam vocat dominum ſuum. 263. 2.
David præ fratribus in regem eligitur. 537. 1.
Debitoribus quomodo dimittendum. 145. 1.
Decretum Dei Regibus ponitur. 611. 1.
Derelictio Chriſti uoſtrorum liberetio peccatorum eſt. 419. 2.
Deſignatio quid ſit. 52. 3.
Deus eſt præferendus Parentibus. 5. 2.
Deus tentatur damno tentantium, 9. 2.

Deum

Deum quinam tentent. 10. 2.
Deus verbo fecit, quæ voluit. 27. 1.
Deus in quibus templis habitet. 74. 1.
Deus intuetur cor 99. 1.
Deus in omnibus glorificandus. 122. 1.
Deus divitem fecit naturam. 144. 1.
Deus tentat, ut probet virtutem. 145. 2.
Dei filio nemo nobilior. 159. 1.
Dei liberalitas in beneficiis dandis. 157. 1.
Dei civitas quænam ſit, & quænam diaboli. 159. 1.
Deus ubique adorari poteſt. 169. 1.
Deus non habet vocem ſonantem. 186.
Deus pater quæ plantaverit. 205. 1.
Deus neminem deſerit. 225. 2.
Deo reddendum, quod Dei eſt. 257. 1.
Deus ſuper omnia diligendus. 260. 2.
Deus unitatem diligit. 294. 2.
Deus in omnibus honorandus. 297. 2.
Deus omnia ſcit. 362. 1.
Deus manu tangi non poteſt. 363. 1.
Deus novit, qui ſint ejus. 363. 2.
Deus nunquam amatur, quantùm eſt dignus. 492. 2.
Deus vera Juſtitia eſt. 499. 2.
Deus omni tempore benedicendus. 518. 1.
Deus quare homines non ſimul creaverit, ſicut angelos. 526. 1.
Deus quare munera Abel reſpexerit. 535. 2.
Deus eſt cauſa amici, non amicus Dei. 578. 1.
Deo omnia vigilant. 591. 2.
Deus magis volebat mundi habere pœnitentiam, quàm eidem inferre vindictam. 598. 1.
Deus ad Abraham poſt Noë primum locutus eſt. 602. 1.
Dextera virtutis Dei quid ſit. 359. 1.
Diabolum ſe fecit, qui corrigi nequit. 88. 1.
Diabolus quomodo quis fiat. 202. 1.
Diabolus homicida ab initio & quomodo. 234. 1.
Diabolus Pater mendaciorum. 234. 2.
Diabolus humanam naturam quomodo fallebat. 369. 1.
Didrachma quid ſit. 83. 1.
Dies mundi inclinatus. 459. 1.
Dilectio eſt dulce purgatorium. 65. 1.
Dilectio ſecundùm naturam eſt. 134. 2.
Dilectio bonorum omnium Principium. 135. 2.
Dilectio neſcit otiari. 273. 2.
Dilectio Dei in quo conſiſtat. 261. 1.
Dilectio quotuplex ſit. 282. 1.
Dilectio filialis ubi ſit fundata. 521. 1.
Diligens Deum diligetur ab eo. 187. 2.
Directio amicitiæ quænam eſſe debeat. 492. 2.
Diſcipuli Chriſti ſpicas vellentes. 147. 1.
Diſcipuli Chriſti non curabant munditiam corporis. 203. 1.
Diſcipuli Chriſti tertio dormientes inveniuntur. 339. 1.
Diſcipuli euntes in Emaus Chriſtum obviam habent. 449. 1.
Diſcipuli de Reſurrectione Chriſti diffidunt. 450. 2.
Diſcipuli Chriſtum in fractione panis agnoſcunt. 460. 1.
Divites ab evangelio non reprobantur. 21. 1.
Divitiæ in ſe culpabiles non ſunt. 93. 1.
Divitum ſtatus modeſtiæ ſubjacet. 100. 2.
Dives in mundo pauper de Deo. 107. 1.
Dives nullus eſt natus. 514. 1.
Divortium in matrimonio quando ſit habendum. 531. 1.
Doctor, qui male vivit, male docet. 125. 2.
Doctrina Chriſti admirabilis. 160. 1.
Doctrina Chriſti publica fuit. 213. 1.
Doctrina omnis invariè datur. 231. 1.
Doctrina Chriſti ſuperna erat. 259. 2.
Doctrina fruſtra eſt, quæ non tranſit in opus. 278. 2.
Doctrina publica eſſe debet 353. 2.
Doctrina Baptiſmum præcedit. 486. 1.
Dolor B. V. Mariæ in morte Chriſti. 434. 1.
Dolor verba reſtringit. 442. 1.
Dolor Patris filius ſtultus. 509. 2.
Dolus fidei nocet. 19. 2.
Domeſticus inimicus difficile evitatur. 371. 1.
Domino tantùm uno ſervire poſſumus. 152. 1.
Dominus quomodo ſit nobiſcum. 488. 1.
Domus ſupernæ gloriæ in manſionibus multiplicatur 266. 2.
Domus orationis veri non debet in confabulatorum. 297. 1.
Donum Dei infinitum eſt. 165. 1.
Duces cæcorum quinam ſint. 205. 2.

E.

Eccleſiæ Fundamenta quænam ſint. 76. 2.
Eccleſia in Chriſto ſuam habeat ſoliditatem. 77. 2.
Eccleſia invincibilis ab hoſtibus. ibid.
Eccleſia ſublimior ſynagoga. 101. 1.
Eccleſia de gentibus advocata. 161. 1.

Eccleſia propriè Regnum Dei dicitur. 369. 2.
Eccleſia quomodo crucem portat poſt Chriſtum. 393. 2.
Eccleſia quomodo ſtet juxta crucem Chriſti. 414. 2.
Eccleſia virgo eſt in electis. 416. 2.
Eccleſia ex latere Chriſti formata 431. 2.
Eccleſia militans magna eſt. 477. 1.
Eccleſia ſcabellum Chriſti eſt. 484. 1.
Eccleſia à Spiritu S. inſtructa. 486. 1.
Eccleſia eſt corpus Chriſt. 487. 2.
Ecclypſis ſolis contra naturam quare acciderit in morte Chriſti. 416. 2.
Educatio Chriſti qualis fuerit. 213. 1.
Educatio bona, & Chriſtiana quantum Parentibus incumbat. 59. 1.
Ejectio dæmonum quando fiat. 486. 2.
Electio ex gratia eſt, non ex Juſtitia. 284. 2.
Eleemoſyna quali fiat cautela. 138. 1.
Eleemoſyna ab omni peccato, & morte liberat. 513. 2.
Eleemoſyna animam largientis non ſinit ire in tenebras. 515. 1.
Eleemoſyna fiducia magna coram Deo. ibid.
Eleemoſyna quomodo ſit danda. 516. 2.
Elementa ſuam naturam ſervant. 492. 2.
Elias inſignis Propheta. 75. 1.
Eliæ ſpiritus duplex in Chriſto requieviſſe credebatur. 75. 2.
Eloquium Dei ignitum. 460. 1.
Encænia quid fuerint. 240. 1.
Eſau quid ſignificet. 512. 2.
Eſau primogenituram vendit. 536. 1.
Eſau quamvis circumciſus videbatur ad idololatriam inclinare. 608. 2.
Eva juxta arborem cum. B. V. Maria juxta crucem collata. 413. 2.
Eva formata de latere Adæ. 431. 2.
Eva quare adjutorium fuerit Adæ. 524. 2.
Eva cur de coſta ſit ſumpta. 525. 1.
Evangelium multi credunt, ſed non Evangelio. 14. 2.
Evangelio credere quid ſit. ibid.
Evangelium primò Judæis annuntiatum fuit. 42. 1.
Evangelium prædicandum ſine mercede. 42. 1.
Evangelium virtus Deî eſt. ibid.
Evangelizantes quomodo conſtituti eſſe debeant. 42. 2.
Evangelium non decet oratoriam habere artem. 45. 1.
Evangelium eſt quid incomprehenſibile ſine fide. 47. 1.
Evangelium non otioſè conditum eſt. 47. 2.
Evangelii nomen quando fuerit impoſitum. 74. 1.
Evangelium Chriſti divinum eſt doctrinæ. 215. 1.
Evangelium nihil habet impertinens. 389. 2.
Evangelium omni ſcripturæ præeminet. 393. 1.
Evangelium S. Joannis ſupplet, quod alii Evangeliſtæ omiſerunt 482. 1.
Evangelium ubique prædicatum fuit. 485. 1.
Evangelium quomodo fuerit promulgatum. 485. 2.
Euphrates creſcens, vel frugifer interpretatur. 593. 1.
Euphrates qualem regionem rigat. Ibid.
Expoliatio veſtium Chriſti quid ſignificet. 385. 2.

F.

Facies Chriſti ſputis deformata. 361. 2.
Factum verum exprobrat verbum mendax. 356. 2.
Falſitas, & veritas adverſantur. 159. 1.
Falſitas non cognoſcitur, niſi per teſtimonium veritatis. 371. 1.
Fatuitas quid ſit. 127. 1.
Favus mellis quid ſignificet. 464. 2.
Fæcunditas in uxore, non pulchritudo quærenda eſt. 529. 1.
Fel Chriſto propinatum quale fuerit. 399. 1.
Feſtum ſcenopægiæ quid ſit. 509. 1.
Feſta Judæorum Deo non accepta. 211. 1.
Fides robuſtior ſine miraculis. 24. 1.
Fides ſalvat, non quæ credit, ſed quæ creditur. 66. 1.
Fides, & oratio quàm ſit efficax. 96. 1.
Fides primò quærenda. 155. 1.
Fidem præhabere oportet ad divina intelligenda. 149. 1.
Fides ſine operibus mortua. 180. 1.
Fides cur dicatur opus Dei. 190. 1.
Fides ex auditu. 193. 1.
Fidei meritum ineffabile. 195. 1.
Fide pereunte nihil rectè agitur. 353. 1.
Fides Reſurrectionis hominum mentes erigit ad ſuperna. 439. 1.
Fides tremula Apoſtolorum in Chriſti Reſurrectione. 463. 2.
Fides quomodo in anima creſcat. 471. 1.
Fdei ſcutum quid ſit. 495. 2.
Fidelis cum infideli amicus eſſe non poteſt. 554. 1.

Figuræ

Figuræ fuerunt de verbo incarnato. 304. 1.
Figuræ Chriſti in veteri teſtamento. 452. 1. &c.
Filius Dei Petro revelatur. 76. 2.
Filiorum honor nobilitas parentum. 115. 1.
Filius hominis in forma ſervi minor patre. 182. 1.
Filius perditionis quisnam ſit. 294. 4.
Filius in græco nomen eſt amoris. 415. 2. & 521. 1.
Filius non ſubdatur patri, qui patri æterno eſt inimicus. 522. 1.
Finis ſæculorum ad nos devolutus. 220. 1.
Finis omnium Deus eſt. 579. 1.
Firmitas Pilati in titulo crucis non mutando. 403. 2.
Fletus Apoſtolorum unde fuerit. 391. 2.
Fletus Petri amarus. 355. 1.
Fletus non ſuper juſtos, ſed ſuper peccatores fiat. 396. 1.
Fons Jacob quid ſignificet. 163. 2.
Fons ſaliens in vitam æternam quid ſit. 167. 1.
Forma conjugii quænam ſit. 533. 1.
Forma regendi à Deo præſcripta. 611. 1.
Fornicatio quomodo fugienda. 513. 2.
Foronæus primus in græcia leges condidit. 610. 2.
Frater quomodo corrigendus. 87. 2.
Fratres Chriſti non fuerunt uterini. 309. 2.
Fratres primi Cain, & Abel. 535. 1.
Fratres ſint charitate unanimes. 538. 1.
Fremitus inferni in morte Chriſti. 436. 2.
Frigiditas Petri. 355. 1.
Fructus jucunditatis in amicitia. 594. 1.
Fructus in Chriſto manentium. 280. 1.
Fuga interdum conceditur. 46. 1.
Fundamentum Eccleſiæ eſt cæleſte. 77. 1.
Furor ſenſum adimit. 26. 2.

G.

Gallus negante Petro ter cantat. 355. 1.
Gallilæa rota interpretatur. 374. 2.
Gaudium cur ex perſecutionibus. 118. 1.
Gaudium Hypocratarum quodnam ſit. 149. 2.
Gaudium noſtrum quomodo impleatur. 282. 1.
Gadium mundi unde ſit. 291. 2.
Gaudium in interioribus præparandum eſt. 295. 1.
Gaudium Patrum in morte Chriſti. 436. 2.
Gaviſi diſcipuli viſo domino. 463. 1.
Genealogia Chriſti ab Adam texitur. 600. 2.
Generatio divina à Judæis ignorata. 360. 2.
Generatio Cain diluvio deleta fuit. 597. 2.
Generatio heber partim ſe ad idola contulit. 607. 1.
Gentiles unde dicti. 248. 2.
Gentiles in tenebris errabant. 393. 1.
Gentiles Judæos in credendo prævenerunt. 429. 2.
Genua flectunt Angeli coram Chriſto in cælis. 484. 1.
Gladius ſpiritus quisnam ſit. 50. 1.
Gladius triplex contra naturam corruptam. 495. 1.
Gladius Evangelicus dividit inter nocivos, & impedientes propinquos. 522. 1.
Gloria Dei, & hominum quænam ſit. 97. 2.
Gloriam propriam non quærebat Chriſtus. 187. 1.
Gloria humana non quærenda. 188. 1.
Gloria reſurrectionis in corporibus quid poſſit. 463. 2.
Gloria hominis ex honore patris ſui. 522. 2.
Granum non niſi mortuum fructum affert. 249. 1.
Gratiæ ſterilitas quantùm timenda. 299. 1.
Grana non extinquit naturam. 416. 1.
Gratiæ plus debetur, quàm naturæ. Ibid.
Gratia S. Spiritus plus eſt, quàm præſcientia futurorum. 489. 2.

H.

Hæres univerſorum Chriſtus. 54. 1.
Hæreditas Dei gentilibus promiſſa. 392. 2.
Hæretici erant non recipientes omnia 4. Evangelia. 273. 1.
Heli correptus ab malam educationem filiorum. 512. 2.
Herodes Chriſtum credidit redivivum eſſe Joannem. 75. 1.
Herodes gaudio exultat viſo Jeſu, & quare. 376. 1.
Herodis curioſitas. 376. 2.
Herodes quare Chriſtum ſpreverit. 377. 1.
Herodes, & Pilatus amici facti. Ibid.
Homo quomodo non in ſolo pane vivat. 7. 2.
Homo eſt imago Dei. 37. 1.
Hominum quanta ſit vanitas. 55. 2.
Homines magis novitatibus, quàm veritatibus delectantur. 74. 2.

homi-

Digitized by Google

Homines ſupra naturam gratia conſtituit. 75. 2.
Hominis ſtudium quodnam ſit. 79. 2.
Homo quomodo differat à brutis. 157. 2.
Homo tantum ad Deum factus eſt. 175. 2.
Homo non poteſt maculari ab eſca. 206. 1.
Homo nullus ſic locutus eſt veluti Chriſtus. 223. 1.
Homo quomodo à diabolo ſuperetur. 232. 2.
Homines quomodo dii ſint. 243. 1.
Homines Chriſto à Patre dati. 294. 2.
Homo interior domus orationis eſt. 298. 1.
Homo fallax vult omnes habere veraces. 373. 1.
Homo cùm in honere eſſet, non intellexit. 414. 2.
Hominum non eſt alta ſecreta rimari. 489. 2.
Homo non celeriter tradendus eſt exitio. 501. 2.
Homo poſt angelos omni creatura excellentior factus. 507. 2.
Homo nomen eſt ſubſtantiæ, Pater relationis. 509. 1.
Homo dicitur ex anima, in qua eſt imago Dei. 510. 2.
Homo ferus quiſnam ſit. 556. 1.
Homo ad quid ſit creatus. 596. 1.
Homo quare ſit homini ſubjectus. 596. 1.
Honorandi ſunt parentes. 620. 1.
Hora 6tâ magna myſteria in ſe continet. 163.
Hora perſecutionis apoſtolis prædicta. 289. 1.
Hora qualibet benè eſt tranſigenda. 340. 2.
Humilitas cordis in quo conſiſtat. 58. 2.
Humilibus debetur ſalus. 59. 1.
Humilitas eſt oſtiaria Regni Dei. 85. 2.
Humilitas quo profundior, eò altior. Ibid.
Humilitas rarò à divitibus poſſidetur. 92. 2.
Humilitas eſt divinæ gratiæ animal ſubjugale. 301. 2.
Humilitas Apoſtolorum. 303. 2.
Humilitas profundiſſima Salvatoris. 309. 2.
Humilitas juſta boni regentis Exemplo Jobi. 505. 2.
Hyems tribulationem ſignificat. 240. 1.
Hypocratæ difficilè caventur. 47. 1.
Hyprocratæ in S. Scriptura arguti. 149. 2.
Hypocriſis in quo conſiſtat. 255. 2.
Hyſopus aceto mixta amarior eſt. 421. 2.

I.

Jacob quare Iſraël dictus ſit. 18. 2. Supplantator dictus. 162. 2. Viſiones altiſſimas habuit. 608. 1.
Idololatria fornicatio appellata 233. 2. Summum nefas eſt. 600. 1.
Idola quando primo fuerint conſtituta. 599. 2.
Jejunii encomia. 148. 2. Quænam ejusdem forma ſit? 149. 1.
Jericho luna interpretatur. 95. 1.
Jeruſalem à romanis ſubverſa eſt. 389. 2.
Jeruſalem terreſtris quid figuret? 466. 1.
JEſus omnium corda novit. 75. 1. Admirablis doctor eſt. 160. 1. Quare fatigatus? 163. 1. Ad fontem accusator novus. 164. 1.
JEſus inſigne quid in ſuis actibus gerebat. 164. 2. Judæos quærentes devitat. 207. 1. Virtutum & morum forma eſt. 209. 2.
JEſus odio habitus à Judæis. 288. 1. Quomodo ſteterit ante præſidem? 369. 2.
JEſus occurrit diſcipulis. 446. 1. Januis clauſis ad diſcipulos ingreditur. 462. 1.
Ignis proprietates. 50. 1. Amorem ſignificat. 476. 2. Surſum fertur. 576. 1.
Ignorantia facilius veniam meretur quam malitia. 401. 1.
Illuſio Chriſti malorum præſagium. 377. 2.
Impatientia quid ſit? 567. 2.
Impietas quid ſit. 65. 2.
Inclinatio capitis in morte Chriſti quid ſignificet. 426. 1.
Indignatio non decet præterquam ad vitia. 557. 2.
Inimici cur diligendi. 135. 1.
Iniquitas ſibi ipſi mentitur. 448. 1.
Iniquus ad votum juſti terretur. 344. 1.
Innocentia non habet verum teſtimonium adverſum. 355. 2. Nullum judicem timet. 375. 2.
Innocentia Chriſti ubique inotuit. 388. 1.
Invectivæ in Pilatum injuſtam ſententiam ferentem. 390. 1.
Inverecundi quinam ſint. 572. 1.
Invidia nunquam quieſcit. 385. 1. Eſt comes ſuperbiæ. 426. 2.
Invidia Cain erga Abel. 136. 1.
Joannes Baptiſta nullum ſignum fecit 243. 2. Quare Elias ſit dictus. 415. 1.
Joannis Apoſt. Apocalypſis ſcripta fuit in Inſula Pathmos. 482. 2. Apoſtolorum noviſſimus fuit in ſcribendo. 482. 2.

Job.

Job. vera juſtitia præditus in populis incircumciſis. 608. 1. offert ſacrificia pro filiis. 512. 2.
Joſeph petit corpus Chriſti à Pilato 431. 1.
Joſeph à fratribus venditur 471. 1. Plus aliis fratribus à patre dilectus eſt. 536. 2. Quomodo egit eum fratribus in Ægypto. 540. 1. ibi vocatur Salvator. 609. 1.
Ira eſt animi noſtri abſinthium. 551.
Iſacc ligna portans figura Chriſti erat. 391. 2. Filios in timore Dei educavit. 511. 1.
Iſaiæ verba contempta ſunt. 97. 1.
Judas diabolus fuit non natura ſed malitia. 201. 2. Oblata portavit S. Collegii. 307. 1.
Judæa confeſſio interpretatur. 165. 1.
Judæi non inexcuſantur Joanni non credentes. 186. 1. Sunt accuſandi à Moyſe. 188. 2. Eorum perfidia deſcribitur. 96. 1. Non volentes Chriſtum apprehendere. 222. 2.
Judæi libreos ſe eſſe aſſerunt. 232. 1. Semen Abrahæ ſe eſſe dicunt. 233. 1.
Judæi perfidi filii diaboli. 234. 1. Non erant ex ovibus Chriſti. 241. 1. Volunt occidere Chriſtum. 247. 1.
Judæi primo quærebantur ad fidem. 249. 2.
Judæi Cæſari ſubditi erant non amore ſed violentia. 382. 2.
Judæi ab hæreditate Dei ecclufi ſunt. 392. 2.
Judæi titulum crucis aboleri aut mutari cupiunt. 403. 1. Chriſtum in cruce blaſphamant. 407. 1. Quomodo Chriſto inſultaverint? 407. 2.
Judæi reverentiam Sabbati allegantes. 430. 2. Dormientes teſtes adhibent. 448. 2.
Judæorum perfidia deſcribitur. 96. 1.
Judicium temerarium Phariſæorum. 38. 2. Unius Phariſæi 63. 1.
Judicium temerarium non habendum eſt. 156. 1.
Judicium Dei ſecundum veritatem. 227. 1.
Judicium extremum deſcribitur 264. 1. 359. 1.
Judicium perverſum Caiphæ. 360. 2.
Judith typus eccleſiæ. 488. 1.
Jugum Chriſti & diaboli quid ſit? 57. 1. & 2.
Juramentum in Evangelio prohibitum, & cur? 132. 1.
Jus dominandi unde ſit. 595. 2.
Juſtitia tota Chriſtus eſt. 6. 1. à Chriſto impleta quid ſit?
Juſtitiæ eſuries quænam ſit. 110. 1.
Juſtitia Phariſæorum quænam ſit. 126. 1.

Juſtitia Evangelii præcedit juſtitiam veteris legis. 126. 1.
Juſtitia Regni Dei eſt fides. 154. 2.
Juſtitia originalis quænam ſit. 158. 1. quid ſit? 492. 1. penes Hebr. 599. 2.
Juſtitia Chriſtiana quid ſit. 492. 1. Inter fratres quænam ſit. 840. 1.
Juſtitia dictat, ut pœnam culpa inveniat. 409. 2. Peccatum depellit. 496. 1.
Injuria nulla nequior, quam ſi homo creatori auffertur. 599. 2.
Juſtitia per Chriſtum conſummata. 423. 1. quomodo à nobis ſit implenda 491. 1. Quibus occurrat. 580. 1.
Juſtitia ſine veritate non graditur. 496. 1.
Juſtitia veſtimentum noſtrum eſſe debet. 496. 1. Unius non erit alterius 481. 2.
Juſtus dicitur à juſtitia, non natura 494. 2.

L.

Labor hominum quantus ſit. 55. 1. hominis quomodo in ore ejus. 154. 2. generat dolorem. 308. 2.
Lachrimæ S. Magdalenæ ſacrificium Deo erant acceptum. 62. 2. item 441. 1.
Lana quid ſignificet. 162. 1.
Lanificium diabolium quod ſit. 564. 1.
Lapis advolutus ad oſtium monumenti Quid ſignificet. 435. 1.
Latent multa in corde hominum. 5[illegible]. 2.
Latria vera Dei in fide conſiſtit. 170. 1.
Latro dexter tutor Chriſti. 409. 1. Cur ſit converſus. 410. 2. Utrum poſt mortem ad linum deſcenderit. 411. 1.
Latroness unde ſint dicti. 298. 1. Cum Chriſto crucifixi quid ſignificent. 409. 2.
Latro quis ſit. 401. 2.
Latus Chriſti lanceâ aperitur. 431. 2. Cur dicatur apertum & non vulneratum. 432. 2.
Lazarus recumbens quid ſignificet. 71. 2. Reſuſcitatus à morte quare cum Chriſto diſcubuerit. 71. 1.
Lectio S. Scripturæ quàm ſit neceſſaria. 9. 2.
Legatus erat Chriſtus ad omnes nationes. 187. 1.
Leges inducunt in hominibus mores. 611. 1. Leges regum quomodo ſint juſtæ. 175. 2. Leges juſtitiæ firmandæ ſunt. 500. 2. Cuſtodire quid ſit. 504. 1.
Levitas tollenda in prædicatoribus. 43. 2.
Lex antiqua à Chriſto impleta. 123. 2.

Lex Dei quid ſit. 609. 2.
Lex juſtitiæ judicem legatum tenet. 503. 2. quænam ſit. 579. 2.
Lex Moyſi data non circumciſio. 216. 1.
Lex neminem damnat niſi reum. 233. 2. propter prævaricationem ſcripta. 87. 1.
Lex Perſarum ad omnes immutabilis erat. 492. 1.
Lex ſervanda, quia juſta & ſancta. 224. ſilet, ubi neceſſitas urget. 175. 1.
Libellus Repudii quis fuerit. 130. 1.
Liber vitæ Chriſtus eſt. 49. 1.
Liberalitas vera in quo conſiſtat. 516. 1.
Liberatio à malo multiplex. 174. 1.
Libertas diſcipuli à Chriſto data. 201. Eſt ex voluntate. 548. 1.
Libertas à malo procedit à veritate. 232.
Ligatio Chriſti quid ſignificet. 355. 2.
Lignum crucis quid ſignificet. 412. 2. benedictum eſt, per quod fit juſtitia. 579. 2.
Lingua delinquens quænam ſit? 497. 1.
Linguâ diviſâ, diviſa fuit terra. 605. 1.
Lingua græca propter ſapientiam celebris erat. 402. 2. Hæbrea lingua originalis erat. 402. 2. Latina cur ſcriptus fuerit titulus crucis. 402. 2.
Linguarum diviſio in ædificatione turris Babel. 599. 1.
Lis inter diſſitentes oritur. 196. 1.
Lithoſtrotos ſublimitas dicitur. 388. 1.
Locum quomodo nobis paret Chriſtus. 266. 2.
Lucra animarum ſunt maxima. 87. 1.
Lucri nullus eſt fructus, ubi animi perditur virtus. 508. 1.
Luna à ſeipſa lumen non habet. 95. 1.
Luctus quotuplex ſit. 109. 1.
Lux in tenebras non ingreditur. 458. 1. ſuas utilitates habet. 417. 2. Hanc apperit oculus ſanus. 180. 2. Sui ipſius diſuſiva eſt. 122. 1.

M.

Mæchia cordis quid ſit. 129. 1.
S. Magdalenæ converſio deſcribitur. 61. 2.
Magdalena ad pedes Chriſti ſedens ejus verba audiebat. 68. 2.
S. Magdalena typum Eccleſiæ geſſit. 72. 2.
Magdalena diſcipula Chriſti. 430. 2.
Magdalena ad monumentum foras ſtans plorabat. 441. 1.
Magdalena amoris impatiens avertit vultum ab Angelis. 442. 2.
Magdalena nuntia Reſurrectionis. 445. 2.
Mala bonis obſiſtunt. 63. 1.
Mala non ſunt facienda, ut eveniant bona. 64. 2.
Mala nos undique cingunt. 146. 1.
Malum Deus non fecit. Ibid.
Malum patratum ex tempore dureſcit. 228. 2.
Maledictio Dei quid ſit. 299. 1.
Malitia non dormit, niſi ſupplantet. 307. 1.
Mamona quid ſit. 152. 2.
Manaſſes pœnitens. 14. 1.
Manaſſes oblivio interpretatur. 470. 2.
Mandatorum notitia neceſſaria. 91. 2.
Mandata quænam ſint minima. 125. 2.
Mandatum quodnam magnum in lege. 260. 1.
Mane quale tempus ſignificet. 459. 1.
Manifeſtatio Dei quomodo contingat. 469. 1.
Manna de cœlo non dedit Moyſes. 191. 1.
Manſio in Chriſto quomodo contingat. 280. 1.
Manſeutudinis Encomia. 108. 1.
Manus dextera quid ſit. 129. 2.
Marcus Romæ ſcripſit Evangelium. 393. 1.
Mardochæi peſſimum conſilium. 562. 2.
Maria Virgo Chriſtum ſemper prius adorabat, antequam tangeret. 72. 1.
Maris altitudo quid ſit. 30. 1.
Mare cur congregatio aquarum dicatur? 594. 2.
Mare quando primò fuit navigatum? 604. 2.
Martha à Chriſto curata. 68. 1.
Martha Chriſto miniſtrat. 69. 1.
Martha & Magdalena quid ſignificent. Ibid.
Mater Chriſti erat undequaque ſanctiſſima. 5. 2.
Mater Virgo filium ad crucem ſequitur. 394. 2.
Mater Jeſu juxta crucem quid egerit? 413. 2.
Matrimonii initium unde ſit. 524. 2.
Matrimonium in lege naturali quomodo fuerit? 528. 2.
Matrimonium unde ſit dictum. Ibid.
Matrimonia primitivæ Eccleſiæ quomodo fuerint? 531. 1.
Matrimonium inſolubile quomodo ſit? 533. 1.
Matthæus à Chriſto vocatus. 36. 1.
Memoria amici fovet anim cum abſentem. 577. 1.
Mendicitas & abundantia duo mala. 60. 2.
Meſſias in lege promiſſus. 263. 1.
Metus malus mala conſilia conſtituit. 244. 1.
Miles ſpe prædæ quantùm ſudet. 291. 2.
Milites retrorſum cadentes quos ſignificent? 344. 2.
Miniſterium quale Chriſto exhibendum ſit. 249. 2.

Miracula

Miracula negantur incredulis. 24. 1.
Miracula petere curioſitas eſt. 24. 1.
Miracula invitatoria erant ad fidem. 41. 2.
Miracula etiam à reprobis in nomine Jeſu patrata ſunt. 86. 2.
Miracula quare modò non ſint tam frequentia. 94. 2.
Miracula Chriſti fuerunt evidentia. 185. 1.
Miſericordia Chriſti deſcribitur. 39. 1.
Miſericordiæ encomia. 112. 1.
Miſericordia Dei non inveſtigenda. 155. 2.
Mititas quid ſit. 58. 1.
Modus crucifixionis quare fuerit ab Evangeliſtis intermiſſus. 400. 1.
Montes varii, quas Chriſtus aſcendit. 102. 1.
Monumenta quare aperta ſint in morte Chriſti. 429. 1.
Moræ in agendis non nectendæ. 172. 1.
Mors ex invidia diaboli. 195. 1.
Mors omnibus ſtatuta. 424. 2.
Mors verum amicum non aufert. 575. 1.
Mortui quomodo ſepeliant mortuos ſuos. 35. 1.
Mortui quomodo audiant. 183. 2.
Motus capitis levitatem animi ſignat. 407. 1.
Moyſes Chriſtum prophetat. 189. 1.
Moyſes figura Chriſti. 220. 1.
Moyſes primus Propheta. 452. 2.
Moyſes quomodo Deum ligaverat. 458. 2.
Moyſes à morte Dei providentia præſervatur. 609. 2.
Moyſes legem à Deo accepit. 609. 2.
Moyſes à Deo dux populi conſtitutus. 610. 2.
Mulierum conſortium fugiendum. 67. 1.
Mulierum obſequioſum eſt genus. 67. 2.
Mulieris caput eſt vir. 267. 2.
Mulier in adulterio deprehenſa. 225. 1.
Mulier ad malum idoneum Inſtrumentum. 387. 2.
Mulieres comitantes Chriſtum ad crucem. 395. 1.
Mulieres parantes aromata pro corpore Chriſti. 436. 1.
Mulieres nuntiæ reſurrectionis. 439. 2.
Multitudo ab unitate ſumpſit exordium. 61 2.
Mundi ſapientes quinam ſint. 54. 2.
Mundus quantum Chriſto ſit contrarius. 210. 2.
Mundus in maligno poſitus. 219. 2.
Mundus velut homo ætatibus variabatur. 595. 2.
Mundus originalis non habuit dominium. 597. 1.
Munditia vera quænam ſit. 114. 1.
Myſteria divina adoranda, non exploranda 310. 1.
Myſteria faſtidioſis non ſunt pandenda. 376. 2.

N.

Nathanael à Chriſto cognitus. 19. 1.
Nativitas ex carne & ex ſpiritu quid ſit. 177. 1.
Natura non confundit gratiam. 116. 1.
Natura non curat de interno amore. 493. 1.
Natura corrupta hoſtis domeſticus eſt. 494. 2.
Naturæ corruptæ definitiones. Ibid.
Natura fecit liberos, iniquitas verò ſervos conſtituit. 504. 2.
Natura una eſt quamvis ſit diverſitas voluntatum. 506. 1.
Natura pauperes genuit. 514. 1.
Natura condita fuit ſine malo libidinis. 526. 1.
Naves operationes ſunt. 32. 1.
Navigium vitæ noſtræ habet dexteram. 474. 1.
Navis Simonis quid ſignificet. 29. 2.
Nautæ ſpe lucri quantis periculis ſe exponat. 291. 4.
Nazaræi Chriſtum interficere tentant. 27. 1.
Nazareni interpretatio. 402.
Neceſſitas quænam excuſet. 175. 1.
Neceſſitas facit hominem orare prolixius. 337 1.
Neceſſitas refugit omne ſuperfluum. 534. 2.
Neceſſitas ſæpe facit amicitias. 557. 2.
Negatio Chriſti timenda 49. 2.
Negotium ſalutis quantum ſit. 87. 2.
Negotia profana in templo prohibentur. 298. 1.
Negatio Petri deſcribitur. 354. 2.
Negatio Petri an ſit facta in Domo Annæ, an in domo Caiphæ. 355. 1.
Negotium injuſtum ab injuſto egreditur. 494. 1.
Negotiatores unde dicti ſint. 568. 1.
Negotiatio in amicitia fecit amicos. 568. 2.
Negotia quinam importunè agat. 569. 1.
Nemini amicus eſt, qui ſibi crudelis exiſtit. 566. 2.
Nemroth dominia primus ſuper alios uſurpavit. 599. 1.
Nequitia quid ſit. 255. 2.
Nequitia eſt, benignitatis opera reprehendere. 571. 1.
Nexus Juſtitiæ Chriſtianæ. 507. 1.
Nicodemus ad Chriſtum nocte veniens. 176.
Nicodemus pro juſtitia interpellat. 223. 2.

Noë pro reſtauratione mundi reſervatus fuit. 595. 2.
Noë vir juſtus à Deo inventus. 598. 1.
Noë quomodo prædicabat pœnitentiam. 598. 2.
Noë juſſu Dei arcam ingreditur. Ibid,
Nomen Jeſu nomen ſalutis. 88. 2.
Nomen Patris ſanctificetur. 142. 1.
Nomina Dei quotuplicia ſint. 142. 2.
Nomina Dei multa ſunt ſecundùm Hæbreos. 293. 4.
Nomina regionum unde originem habeant. 605. 2.
Novercarum obligatio ergà privignos. 542. 2.
Nox & dies quomodo alternent. 417. 2.
Nox quid ſignificet. 473. 1.
Numiſma à Numa ſic dictum. 255. 2.
Nubes cœli quid ſignificet. 473. 1.

O.

Obedientia vera ex traduceſit gratiæ. 17. 1.
Obedientia viduæ Sareptanæ. 24. 2.
Obedientia Chriſti erga Patrem. 277. 2.
Obedientiæ ac præcepti conformitas. 474. 2.
Obedientia erga Parentes in Domino quid ſit. 523. 2.
Obligatio Parentum erga filios. 520. 1.
Oblivio quænam ſit bona. 470. 2.
Oviatio Chriſti, & Simonis cyrenæi magna myſteria inſe habet. 393. 2.
Occulis mentis non corporis Chriſtus videri vult. 17. 1.
Occulus dexter quid ſignificet. 129. 2.
Oculis corporis Dux & auriga eſt. 151.
Occulatio diſcipulorum quare ſit facta. 433. 1.
Occultatio futurorum homines cautos facit. 489. 2.
Occulus omnipotentis magis eſt ad populos quam ad Regentes. 506. 1.
Odium naturæ vitium eſt. 134. 1.
Odium ſi non aliter nocet proditionem parat. 209. 1.
Odium Judæorum in Chriſtum. 217. 1.
Odium Judæorum etiam poſt mortem Chriſti. 435. 2.
Odium non perſonæ ſed iniquitati debetur. 522. 1.
Odium Evangelicum erga propinquos quantum ſe extendat. 540. 2.
Odium ad homicidium ſpectat. 566. 1.
Odii Signum eſt prætermiſſa correctio. 581. 1.
Officium calvium quodnam ſit. 77. 2.
Oliveti montis qualitas. 278. 1.
Onus Chriſti leve eſt. 60. 2.
Opportunitas maxima ſalvum fieri. 6. 1.
Opera juſtitiæ quo fine facienda. 150. 1.
Opera bona quomodo luceant exterius. 122. 2.
Operatio Patris & Filii in divinis. 181. 1.
Opera teſtimonium perhibeant de Chriſto. 186. 1.
Opus Dei quodnam ſit. 190. 1.
Oratio pro inimicis præcepta. 136. 1.
Oratio veteris teſtamenti quænam fuerit. 139. 1.
Orationis neceſſitas. 139. 2.
Orationis encomia. 140. 1.
Oratio in Spiritu eſſe debet. 140. 2.
Oratio eſt opus juſtitiæ. 141. 1.
Orationis forma deſcribitur. ibidem.
Oratio eſt ſcutum contra corruptam naturam. 495. 2.
Oratio in omnibus neceſſaria eſt. 518. 2.
Oratio ornatus eſt matrimonii. 534. 1.
Oris apertio quid ſignificet. 105. 1.
Origo veritatis inquirenda. 215. 1.
Ordo charitatis quinam ſit. 492. 2.
Ordo naturalis juſtitiæ patri ſubiecit filium. 520. 1.
Ordo naturalis juſtitiæ eſt, ut prior natus ſit prior in amore. 542. 2.
Ordo vivendi amicitiam parat. 548. 1.
Ornatus mulierum Chriſtianorum qualis eſſe debeat. 534. 1.
Otium cur fugiendum ſit. 506. 2.
Os Chriſti eſt linqua Doctorum. 22. 1.
Oſculum amoris eſt ſignum 343. 2.
Os Domini quid ſit. 561. 1.

P.

Panis noſter quid ſit. 144. 1.
Panis vitæ quid ſit. 191. 2.
Panis nomine quid intelligatur. 7. 2.
Panis quare conſtituatur ſuper ſepulturam juſti. 517. 2.
Parentes pro Chriſto relinquendi ſunt. 34. 1.
Parentes propter Evangelium deſerendi ſunt. 94. 1.
Partem habere cum Chriſto quid ſit. 312. 1.
Paries dealbata quid ſit. 378. 1.
Paradiſus latroni promiſſus. 410. 2.
Paradiſus delitiarum locus eſt. 412. 1.
Parentes quam ſævi ſint interdum ad filios quos amant. 514. 1.
Parentes quomodo filios alere teneantur. 522. 1.
Paſcha ab Apoſtolis Chriſto paratur. 300. 2.

Paſcha quid ſignificet. 302. 1.
Paſſio Chriſti cordibus infigenda. 82. 2.
Patria an ſit fugienda. 23. 2.
Patientia in adverſis quod ſit habenda. 47. 1.
Parvlorum oblatio Chriſto facta 90. 1.
Patres veteris Teſtamenti quomodo divitiis uſi ſint. 107. 2.
Patientia nulla, ubi nulla injuria. 118. 1.
Pater ad filium quomodo trahat. 194. 2.
Patientia Salvatoris deſcribitur. 303. 1.
Patientia juſti vexat furioſum. 360. 1.
Patres in limbo quanto ſint gaudio refecti. 411. 2.
Patres à Chriſto é limbo educti 437. 1.
Pater magis diligere debet filium, quia homo, quam quia filius. 509. 2.
Pater quomodo filium educare debeat. 510. 1.
Paupertatis encomia. 106. 2.
Pauper quiſnam cenſendus ſit, 107. 2.
Paupertas quomodo ſit ſectanda. 300. 1.
Paupertas Chriſti deſcribitur. 430. 1.
Paulus virgo erat animo & corpore. 531. 2.
Pax filios Dei conſtituit. 115. 2.
Pax quæ Encomia habeat. 116. 1.
Pax aut in opinione, aut veritate eſt, 275. 1.
Pax quotuplex ſit. ibidem.
Pax quæ elogia habeat. 275. 2.
Pax quam dulcis ſit. 466. 1.
Pax cum omnibus, amicitia cum paucis habenda. 559. 1.
Pax Chriſti quænam ſit. 49. 2.
Peccatores ad pœnitendum vocati. 39. 2.
Peccatorum cauſa impietas. 65. 2.
Peccator quomodo ſit ſervus peccati. 282. 1.
Peccatum ſolum mæſtitia dignum. 397. 1.
Peccata noſtra magis ſunt flenda quam Paſſio Chriſti. 397. 2.
Petrus cœli clavicularius factus. 77. 2.
Petrus impedire cupit Paſſionem Chriſti. 79. 1.
Petrus à Chriſto increpatus. 79. 2.
Petrus & Joannes ſimul ad ſepulchrum currentes quid ſignificent. 440. 1.
Petrus ſuper undas incedens ad Chriſtum venit. 476. 1.
Petrus ter interrogatus utrum Chriſtum amet. 479. 2.
Petrus Apoſtolorum primarius, & caput 31. 1.
Perſecutio invitè infertur. 94. 2.
Perſecutio propter juſtitiam quid ſit, 117. 1.
Pelvis quid ſignificet. 309. 1.
Pertinacia propria eſt malorum. 377. 1.
Peſſimus quinam ſit. 557. 1.
Phariſæi ſeparati interpretantur. 559. 1.
Piſcatio eſt incerta operatio. 29. 1.
Pilatus quærit an Rex ſit Chriſtus. 366. 2.
Pilatus Chriſtum innocentem declarat. 373. 2.
Piſcis aſſus à Chriſto comeſtus quid ſignificet. 464. 1.
Piſcis fructum de tribulatione ſignificat. 476. 2.
Pinquedo terræ quid ſignificet. 511. 2.
Pœnitentia quid ſit. 13. 1.
Pœnitentiæ typus eſt curatio vulnerum. 13. 2.
Pœnitentia in mente reſidet. 14. 1.
Portæ inferi quidnam ſint. 77. 2.
Pœna talionis in miſericordiam verſa eſt. 124. 2.
Porta anguſta & lata quid ſit. 159. 2.
Poteſtas omnis à Deo eſt. 256. 1.
Pontifex veſtimenta ſcindit & quare 360. 1.
Pilatus Chriſtum ad Herodem mittit. 375. 2.
Pœnæ filiorum parentes inhonorantium 523. 2.
Pœna & injuria in quo differant. 579. 2.
Potentia regnandi à Deo permiſſa eſt. 601. 1.
Poteſtas regendi ad Eum, qui dedit referenda eſt. 601. 2.
Populus Dei per circumciſionem ſignatus fuit. 602. 1.
Populus malus quotuplex ſit. 602. 2.
Populus Dei in parvum numerum reſtrictus. 608. 2.
Populus Dei unde nominatus ſit. 609. 2.
Populus Dei quomodo peccaverit. 612. 2.
Privatum publico anteponi non debet. 84. 1.
Prophetiæ non fuerunt cauſa futurorum. 96. 2.
Promiſſio Patris Spiritus ſanctus eſt. 488. 2.
Princeps verus quis ſit. 97. 2.
Prophetæ falſi quinam ſint. 103. 2.
Prophetiæ non fuerunt ſolutæ. 124. 2.
Prædium Joſephi quid ſit. 162. 2.
Præveniri quomodo debeat pœnitens. 168. 2.
Propheta videns dicitur. 168. 1.
Prophethia non perſonæ, ſed dignitati fuit collata. 246. 1.
Princeps hujus mundi foras ejectus. 252. 1.
Princeps hujus mundi quis ſit. 276. 2.
Præceptum dilectionis unum. 282. 1.
Princeps hujus mundi quomodo ſit judicatus 290. 2.
Prophetia in Chriſto à Judæis deriſa. 362. 1.
Prætorium Pilati deſcribitur. 364. 1.
Probatio accuſanti, non reo incumbit. 367 1.

Principes non credant homines ſibi eſſe à natura ſubjectos 504. 1.
Proditor quinam ſit. 573. 1.
Præceptum dilectionis in orbe maximum. 586. 1.
Providentia Dei mira in mundo gubernando. 587. 1.
Prophetæ habiti ſunt veraces Poëtæ mendaces. 606. 1.
Publicans quid ſit. 36. 2.
Publicani unde dicti ſint. 136. 2.

Q.

Qantitas magna piſcium quid ſignificet. 477. 1.
Quæſtio regni Dei eſt facilis. 155. 2.
Quæſitio optima eſt de vita æterna. 91. 1.
Quæſitio hummana gloriæ cauſa eſt in credulitatis. 188. 1.
Quæſtio turbarum Chriſto non grata, & quare. 189. 1.
Quæſtio Petro indicta, an JEſum diligat. 479. 1.
Quietus eſt omnino ad petita facilis. 568. 2.

R.

Rabies Judæorum in Chriſtum. 385. 1.
Racha quid ſit. 127. 1.
Radix Sapientiæ Chriſtus eſt. 76. 2.
Radix crucis amariſſima fuit peccatum. 394. 1.
Radix bonorum fides eſt. 446. 2.
Ratio & fides ad meritum non conveniunt. 467. 2
Ratio non ſenſus hominem à brutis diſcernit. 510. 2.
Ratio amicitiæ Deus eſt. 546. 1.
Ratio diligendi in quo conſiſtat. 593. 2.
Ratio dominii in ſolo Deo conſiſtit. 595. 1.
Ratio juſti regiminis quotuplex ſit. 603. 1.
Ratio veræ juſtitiæ eſſe non poteſt niſi in lege divina. 609. 1.
Rebellio ab incredulitate generatur. 468. 1.
Rebecca duas gentes in utero habuit. 608. 1.
Reconciliatio inimici quomodo fieri debeat. 127. 2.
Regno Dei quinam ſint apti. 35. 2.
Reges in veteri teſtamento ungebantur. 76. 1.
Regni cæleſtis majoritas quænam ſit. 85. 1.
Regnum cœlorum eſt finis omnium. 121. 1.
Regnum Dei non eſt duplex. 142. 1.
Regnùm Dei in quo conſiſtat. 142. 2.
Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo. 368. 1.
Regnum mundi quid ſit. 368. 2.
Reges quomodo Rempublicam gubernent. 503. 2.
Reges cum aliis commune habent nativitatis initium. 504. 2.
Regna quomodo primo fuerint conſtituta. 604. 2.
Regna injuſta cur à Deo fuerint tolerata. 608. 2.
Regna, quæ tempore Abraham eminebant. 607. 2.
Remiſſio peccatorum quomodo recipi poſſit. 145. 2.
Remiſſio peccatorum quomodo fiat. 466. 2.
Remiſſio peccatorum ſoli Deo competit. 66. 1.
Repudium uxoris in quo conſiſtat. 131. 1.
Reſurrectio bonorum & malorum. 184. 2.
Reſurrectio mortuorum quando ſit futura 258. 2.
Reſponſio mollis frangit iram. 354. 2.
Reſurrectio Chriſti quomodo contingerit. 437. 1.
Retia lavata quid ſignificent. 29. 1.
Rete Petri quare fuerit ruptum. 31. 1.
Retributio Apoſtolis promiſſa propter ſequelam Chriſti. 94. 1.
Reſurrectionis gloria in Chriſto veneranda. 446. 2.
Rete à Petro in terram tractum quid ſignificet. 477. 1.
Rete diaboli ſunt comptæ mulieres. 534. 2.
Rex diligitur, ſi lex cuſtoditur. 270. 1.
Rex regum Chriſtus eſt. 482. 2.
Rex amicum non habeat niſi æmulatorem juſtitiæ. 500. 1.
Rigiditas quid ſit. 567. 1.
Rivus à fonte habet originem. 282. 2.
Robur fidei quid ſit. 189. 2.
Ros cæli quid ſignificet.

S.

Sacerdotium omne ſanctum, ſed non omnis ſacerdos. 342. 2.

Sacrificium Deo gratum miſericordia. 39. 1.
Saducæi Reſurrectionem non credebant. 359. 1.
Sæculum præſens mare eſt. 83. 2.
Salis proprietates. 121. 1.
Salomonis gloria quanta fuerit. 154. 1.
Salomon non pepercit fratri Adoniæ. 499. 1.
Salomon duo beneficia à Deo rogabat. 60. 1.
Salvator linteo præcingitur. 308. 2.
Salvator arguit incredulitatem diſcipulorum. 451. 2.
Salus quomodo ex Judæis ſit. 169. 2.
Samaria à quo ſit exſtructa. 161. 2.
Samaria ſana Domini interpretatur. 162. 1.
Samaria etiam cuſtodia Domini interpretatur. 162. 1.
Sanctificatio beatificationem excedit. 295. 2.
Sanctificatio quid ſit. Ibid.
Sanctitas eſt multiplex. 101. 2.
Sanctitas ſacerdotum verſa in turpitudinem. 255. 2.
Sanctitas & ſcientia tutrices innocentum. Ibid.
Sanguis, & aqua ex latere Chriſti profluens quid ſignificet. 432. 1.
Sapientia vera non eſt in humanis. 4. 1.
Sapientiam Dei mundus demonſtrat. 10. 1.
Sapientia Dei non tentanda. Ibid.
Sapientia vera quænam ſit. 353. 1.
Sara cur ejici petierit ancillam cum puero. 539. 2.
Sathanas quid ſit. 79. 2.
Saul Rex primus à Deo conſtituitur. 612.
Schiſma poſt Salomonem in populo Dei. 614. 1.
Sciſſio veſtium quid ſignificet. 360. 1.
Scriba à ſequela Chriſti repulſus. 33. 2.
Scriptura S. tentationes dæmonis vincit. 9. 1.
Scripturæ S. authoritas unde ſit. 12. 1.
Scriptura S. non intelligitur ſine dono Dei. 1.
Scriptura S. non recipit impertinentes expoſitiones. 491. 1.
Scriptura S. ſumme eſt verax. Ibid.
Senſus ſinguli in Chriſto habebant paſſiones. 399. 1.
Sepulchrum Chriſti deſcribitur. 434. 1.
Sepulchri Chriſti cuſtodes quare deterriti. 437. 1.
Sequela Chriſti quomodo debeat eſſe conſtituta. 33. 1.
Sequela Chriſti ad montem Calvariæ. 394. 2.
Sermo divinus non eſt eſſundendus ubi non eſt auditus. 4. 2.
Sermo Chriſti efficax. 28. 1.
Sermo Chriſti magneti ſimilis. 29. 1.
Sermo Chriſti veritas eſt. 237. 1.
Sermones limandi ad limam Juſtitiæ. 497. 2.
Serpens Æneus figura Chriſti. 179. 1.
Servus non major eſt ſuo domino. 286. 1.
Sichar civitas Samariæ. 161. 2.
Signum Judæ proditoris. 343. 1.
Signa ad ſignatum referuntur. 376. 1.
Signa in morte Chriſti facta. 529. 1.
Signa memoriæ de amico quænam ſint. 577. 2.
Silentium Chriſti magnum myſterium. 357. 1.
Silentium amici periculoſum. 580. 2.
Simon obediens interpretatur. 70. 2.
Simon Cyrenæus Chriſto crucem bajulat. 392.
Simon typus gentilium Ibid.
Similitudo morum dilectionis cauſa. 285. 2.
Similitudo poteſt eſſe tantum inter bonos. 566. 2.
Simulatores ad veram amicitiam incompoſſibiles ſunt. 568. 1.
Sitis populi Iſraelitici. 220. 1.
Sitis Chriſti in cruce qualis fuerit. 420. 2.
Sobrietas mulieribus neceſſaria eſt. 534. 2.
Sollicitudo corporis nimia abjicienda. 153. 2.
Sors quid ſit. 407. 1.
Species latrocinii eſt detinere mercedem. 515. 1.
Species juſti regni quænam ſit. 601. 1.
Spelunca quid ſit. 298. 1.
Spiritus S. ductor optimus. 20. 1.
Spiritus Deus eſt. 170. 1.
Spiritus S. flumini aſſimilatur. 221. 2.
Spiritus S. Apoſtolis promiſſus. 271. 1.
Spiritus S. quomodo non maneat in homine. 598. 1.
Stulto non reſpondendum. 369. 1.
Sudor ſanguineus quid in Chriſto prætenderit. 337. 2.
Superbia quomodo fugienda. 573. 2.
Synagoga quid ſit. 20. 1.
Synagoga Judæorum cæca Chriſtum ad mortem depoſcit. 380. 1.

T.

Talio inter homines quid ſit. 132. 1.
Talio charitatis à Chriſto induđa fuit. 133. 2.
Tarditas qualis abjicienda. 451. 2.
Tarditas quomodo noceat. 591. 1.
Templa quare ædificentur. 74. 2.
Templum manufactum quid ſit. 101. 1.
Templum à quo nomen habeat. Ibid.
Templa Chriſtiana ad quid ſint extructa. 103. 1.
Templum Salomonis famoſum. 248. 1.
Templi velum Chriſto mortuo ſciſſum quid ſignificet. 428. 1.
Tempus quotuplex ſit. 209. 2.
Tempus omne à Chriſto veſtem habuit. 406. 1.
Tempus ante diluvium eſt ſub nube denſiſſima. 600. 2.
Tempus ab Abraham uſque ad præſens claret ex S. Scriptura. 601. 1.
Tempus à diluvio uſque ad diviſionem linguarum. 606. 1.
Tenebræ in morte Chriſti quid ſignificent. 417. 1.
Tentatio Dei quàm ſit periculoſa. 11. 1.
Tentatio non Timenda, ſed cauſa in eam, 145. 1.
Tentatio quid ſit. 255. 2.
Tentatio etiam ſanctos viros urebat. 533. 1.
Teſtamentum novum, & vetus unam legem conſtituunt. 125. 1.
Teſtamentum novum, & vetus in quo differant. 125. 2.
Teſtamentum virtutum, non rerum à Chriſto conditum fuit. 405. 2.
Teſtamentum vetus morte Chriſti conſumatum. 224. 1.
Teſtimonium Chriſti verum eſt. 185. 2.
Teſtimonio Joannis non indigebat Chriſtus. Ibid.
Teſtimonium Iſaiæ à Chriſto prolatum. 204. 1.
Teſtimonium Apoſtolorum de Chriſto. 288. 2.
Teſtimonia falſa nulla ratione conveniunt. 356. 1.
Teſtimonium veritatis quod ſit. 371. 1.
Teſtimonia S. Scripturæ, quòd Deus idolatriam reprobaverit. 607. 2.
Thare quare dimiſerit terram nativitatis. 606. 1.
Theſauri ubi recondendi. 150. 2.
Theſauri ubi recondendi. 514. 1.
Thomas humiliter Chriſtum interrogat. 267. 1.
Thomas de Chriſti Reſurrectione dubitat. 467. 1.
Tiberius cæſar Chriſtum inter Deos colendum eſſe cenſet. 378. 1.
Timor in prædicando abjiciendus. 48. 1.
Timor noxius hæſitare de Chriſto. 446. 2.
Timor non eſt in virtute. 472. 1.
Timorem aufert verus amor. 476. 1.
Titulus crucis quot linguis fuerit ſcriptus. 402. 1.
Tobias filium ſuum erudivit ad Deum. 513. 1.
Tribulatio quomodo ſuſtinenda. 250. 1.
Tributum quare Chriſtus voluerit dare. 83. 2.
Tributa principibus reddenda. 256. 1.
Trinitas quomodo innotebat. 394. 1.
Trinitatis expreſſio in Baptiſmo neceſſaria. 485. 1.
Triſtitia vera quænam ſit. 149. 1.
Triſtitia Apoſtolorum in Chriſti diſceſſu. 289. 2.
Triſtitia dubietatis eſt germen. 449. 2.
Triſtitia pia eſt, qua homo peccare timet. 480. 1.
Tunica Chriſti inconſutilis erat. 404. 2.
Tunica CHRISTI quid ſignificet. 406. 2.
Turba cum armis Jeſum quærit. 344. 1.
Turbatio omnis impertinens. 266. 1.
Turpitudo nulla major, quàm quæ ſummam juſtitiam non veretur. 580. 1.
Turris Babel ædificatur. 599. 2.
Tyberiadis teſtimonium interpretatur. 478. 2.

V.

Væ! in S. Scriptura pænam æternam ſonat 304. 1.
Vanitas quid ſit. 60. 2.
Vanitas verecundiam de moribus pellit. 534. 2.

Vehe-

Vehementia paſſionis in Chriſto. 337. 1.
Velatio faciei Chriſti quid ſignificet. 361. 2.
Velum templi quomodo ſit ſciſſum. 428. 1.
Verborum Chriſti vis, & efficacia. 3. 1.
Verba Chriſti verba ſunt DEI patris. 98. 1.
Verba Chriſti ordinant ad firmitatem. 159. 1.
Verbum Dei ab omnibus audiendum. 236. 1.
Verbum Dei efficax, & vivus. 294. 1.
Verbum divinum exprobrat verbum humanum. 356. 2.
Verecundia fœminis neceſſaria. 534. 2.
Veritas manet omnibus deficientibus. 215. 2.
Veritas à quibus malis liberat. 231. 1.
Veritas Chriſti non eſt credita à Judæis. 235. 1.
Veritas amara eſſe poteſt, nunquam injuſta. 289. 3.
Veritas catholicæ fidei quænam ſit. 290. 4.
Veritas arguta amplius fulget. 353. 2.
Veritas non perit. 356. 2.
Veritas inimica eſt iniquis. 259. 2.
Veritas quale teſtimonium accipiat. 371. 1.
Veritas ex ſibi oppoſitis magis refulget. 447. 2.
Veſtigium pietatis eſt recedere ab impiis. 606. 2.
Veſtimenta Chriſti inter milites diviſa. 404. 2.
Veſtis alba quid inſinuet 377. 2.
Veſtis Chriſti quænam ſit. 405. 1.
Veſtes Chriſtianorum quales eſſe debeant. 506. 2.
Veſtis pretioſa turpat fæminam Chriſtianam. 534. 2.
Veſtis nuptialis quid ſignificet. 571. 2.
Via Dei quænam ſit. 254. 2.
Via, qua pervenitur ad Chriſtum, varia eſt. 476. 7.
Viæ noſtræ obliquæ, niſi à Deo dirigantur. 518. 2.
Vitricorum obligatio erga privignos. 542. 1.
Vidua 2. minuta offerens. 100. 1.
Vigiliæ quæm bonæ ſint. 592. 1.
Villa à vilitate appellatur. 392. 1.
Vinum Chriſti quomodo inebriet. 220. 2.
Vini abundantia quid ſignificet. 507. 1.
Violentia dulis, quam infert amor. 458 2.
Vir vanus amicus eſſe non eſt dignus. 554. 2.
Vires ſunt in corpore, in animo virtutes. 507. 1.
Virga directionis quæ ſit. 505. 1.
Virginitas excellentior eſt matrimonio. 524. 1.
Virginitas à protoplaſtis in Paradiſo ſervata fuit. 525. 2.
Virginitas, & conjugia non ſunt ſub præcepto. 531. 2.
Virginitas ab Apoſtolo omnibus commendata. 532. 1.
Virginitas quomodo melior ſit, quam conjugium. 532. 2.
Virtus omnis ſub juſtitia militat. 7. 1.
Virtus manibus teneri nequit. 26. 2.
Virtus valentior eſt, quæ per æmulum agit. 36. 2.
Virtus cordi, non corpori ineſt. 137. 1.
Virtus ſilet, ubi malitia tenet imperium. 212. 2.
Virtus originem non habet ex carne. 234. 2.
Virtus ſola expendiens eſt ad ſalutem. 308. 1.
Virtus non incaute procedit 309. 1.
Virtus magna eſt tranquillo animo pati. 354. 2.
Virtutes theologicæ quantum ſint neceſſariæ. 477. 2.
Virtus Spiritus S. habitat in membris noſtris. 529. 1.
Virtus perfecta ratio eſt amandi. 546. 2.
Virtus eſt amicitia vera. 565. 2.
Virtus aliud eſt, & actus aliud eſt. 566. 2.
Virtus propria non transfunditur in ſodalem. 572. 1.
Viſus angelorum delectabilis. 442. 1.
Viſus, non tactus decipi poteſt. 463. 1.
Vita Spiritus quænam ſit. 8. 1.
Vita animæ quotuplex ſit. 8. 2.
Vita vera non eſt, quæ delectationibus caret internis. 8. 2.
Vita activa à contemplativa debet juvari. 69. 2.
Vita beata ab omnibus diligitur. 372. 1.
Vitis vera chriſtus eſt. 279. 1.
Vltio divina ſuper civitatem Jeruſalem à Romanis facta. 408. 1.
Umbræ quænam longiores, & quæ breviores. 459. 2.
Unguentum S. Magdalenæ quid ſignificet. 75. 1.
Unio electorum quanta ſit. 478. 1.

Volucres cœli quid ſignificent. 33. 2.

Voluntatem Dei facere eſt abnegare ſe ipſum. 143. 1.

Voluntas Dei eſt in obliquabilis. 185. 1.

Voluntatis divinæ non eſt cauſa. 192. 2.

Volunas propria pernicioſa. 310. 1.

Voluntas Dei ſemper hominibus innotuit. 504. 1.

Voluntas Dei eſt, ut diſponatur temporale regnum propter æternum. 504. 2.

Voluntas receptaculum eſt inviſibilium impreſſionum. 582. 1.

Voluntate Dei nihil juſtius. 609. 2.

Vox eſt vehiculum verbi. 27. 1.

Vox Chriſti cognita ab ovibus. 242. 1.

Vox Chriſti ejus Evangelium eſt. 372. 2.

Urbanitas Chriſtiana ſi deeſt, nihil urbanitas mundi juvat. 514. 1.

Utilitas nulla in præſcientia futurorum. 489. 1.

Uxor Pilati quare pro Chriſto interceſſerit. 387. 1.

Uxor quare ſit ducenda. 528. 1.

Z.

Zachæus Princeps publicanorum. 95. 1.

Zachæus ſtatura puſillus. ibid.

Zelus auctus Juſtitiæ quis ſit. 501. 1.

Zelus divini mandati in Thimaide conjuge Chriſtiana. 533. 2.

Zelus temperatus amico plagas abſtergit 581. 1.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Errata. Sic corrigenda.

Fol.	Col.	Lin.	Errata.	Sic corrigenda.
8.	1.	5.	hominem	hominum.
10.	2.	46.	lingantur	ligantur.
14.	2.	29.32.	diſerto	deſerto.
14.	2.	30.	in via	in invio.
16.	2.	51.	in ſolita	in ſolitam.
21.	in titulo		Ductus	Ductu.
25.	2.	10.	ordinario	ordinato.
26.	1.	34.	ſuaderunt	ſudaverunt.
29.	1.	21.	ſcientaim	ſcientiam.
61.	2.	42.	vobat	vocat.
64.	1.	27.	provectu in	profectum.
70.	1.	5.	redidit	credidit.
90.	2.	3.	interrogantibus	interrogationibus.
91.	2.	25.	terjectis	rejectis.
92.	1.	13.	j	tui.
214.	2.	8.	homo	nemo.
220.	2.	26.	frendi	flendi.
222.	2.	8.	te	re.
274.	2.	15.	tibi	ibi.
298.	2.	60.	anus	ſanus.
323.	2.	8.	matris	maris.
339.	2.	29.	ſcriptum	ſpiritum.
372.	1.	21.	Dominus	domibus.
400.	1.	43.	macula	miracula.
418.	2.	36.	naturæ	noſtræ.
533.	1.	49.	Regnum	Regum.

In Parte II.

Fol.	Col.	Lin.	Errata.	Sic corrigenda.
46.	1.	38.	ſanquis revelavit	ſanquis non revelavit.
289.	1.	10.	quam	qui.
580.	1.	43.	maſum	malum.
587.	2.	48.	de	te.
588.	2.	22.	lucidicis	lucidis.
589.	1.	13.	eructuat	eructat.

Cæteros leviores typographicos errores eruditus Lector pro benevolentia ſua corrigere dignabitur.

1-5-3

Digitized by Google